
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIII
C
3
NAPOLI



MEDITATIONUM EVANGELICARUM

Pars Tertia,

Hoc eſt:

Tractatio Evangeliorum tam Dominicalium, quàm Feſtivalium, ad rectè ſe ſub variis tentationum generibus gerendum, diſpoſita,

M. HARTMANNI CREIDII,
Paſtoris b. m. ad D. Annæ Templum Auguſtanum.

Ad multorum rogatum, & ad implendum deſiderium exoticarum Auguſtanæ noſtræ Confeſſionis Nationum,

Latino Sermone luci expoſita.

OPUS POSTHUMUM.



FRANCOFURTI ad MOENUM,
Sumptibus FRIDERICI KNOCHII.
Typis JOHANNIS ANDREÆ, Anno M DC LXXXII.



DOMINICA I. ADVENTUS.

Evangelium Matth. 21. v. 1–9.

EXORDIUM.

De Mannâ, sive cibo cœlesti, quo Deus in deserto populum suum per quadraginta annos sustentavit, memoratur, quod omne delectamentum in se habuerit, & omnis saporis suavitatem, deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur, Sap. 16. v. 20.

Hæc mysticè interpretari possumus.

Verbum Dei *vera Manna* sive *panis cœlestis* est, quo in eremo hujus mundi nutrimur, & ad vitam æternam conservamur. Non enim solo pane vivit homo, Matth. 4. v. 4.

Israëlitis Manna colligenda, mola frangenda, sive in mortario terenda & in ollâ coquenda fuit, si illâ frui voluerint, Num. 11. v. 7. Ita & verbum Dei nullam utilitatem adfert, nisi in Ecclesiâ cum devotione audiatur, domi accuratè legatur, & per quotidianam meditationem, in molâ & mortario cordis nostri, ad cujusque palatum & indigentiam quasi comminuatur & præparetur. Apud illos enim demùm semen verbi Divini bonam terram invenit, qui illud in corde bono & sincero audiunt, & fructum ferunt in patientiâ, Luc. 8. v. 15.

Veluti autem Manna illa *uniuscujusque voluntati deserviens*, ad quod ille volebat, convertebatur: ita non minus id de pane spirituali, verbo Dei adseverare possumus: Utile enim est *ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum* in justitiâ: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus, 2. Tim. 3. v. 16. 17. Nemo non lectionem suam ibi invenit, sive sit senex, sive juvenis, vir aut fœmina, dives aut pauper: modò *experiens Coquus* adsit, qui rectè secet verbum veritatis, 2. Tim. 2. v. 15. & è Thesauro cordis sui vetera & nova proferat, Matt. 13. v. 12. sunt hæc varia Spiritus sancti charismata, quibus Deus verbi præcones instruit, ut panem cœlestem coquant, prout illum Auditoribus suis ad emendationem inservire deprehenderint, omnia namque πρὸς τὸ συμφέρον tendunt, 1. Cor. 2. v. 7.

Postquam igitur Explicationem Evangeliorum gratia DEI hactenus ad finem perduximus: Nunc bono cum DEO *Mannam spiritualem aliâ ratione cocturi sumus*. Et quia plurimùm nostra interest, ut

primò miseriam nostram agnoscamus, in quam per tristem Protoplastorum lapsum præcipitati sumus. Deinde quam consolationem adhibere debeamus. Et tertiò, in piè vivendo, patienter ferendo, beateque moriendo officium nostrum observemus: Ita Meditationes nostras sic instituemus, ut ex Evangeliis Dominicalibus discamus:

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Regnum meum non est de hoc mundo, ait Servator noster pientissimus, Joh. 18. v. 3. Id statim in ipsa ejus nativitate apparuit, ubi in stabulo & præsepio quievit, quia non erat locus in diversorio, Luc. 2. v. 7. Maximè verò patuit id in ingressu Hierosolymitano, ubi venit tanquam Rex filiæ Sion, adeò pauper tamen, ut asino mutuato incesserit, ut Evangelium prælectum innuit.

Querela respicit

1. *Discipulorum ablegationem.* Qualis enim Rex est, tales & Legati. Quando aliàs Magnates terreni legationem ablegant, non viles & plebejos adhibent; sed subjecta præcellentissima & experientissima, quò rebus obeundis pares sint, eaque in gratiam Dominorum & emolumentum subditorum cedant.

Verum Rex Regum & Dominus Dominantium, ecce! per pedes ingreditur, & equitaturus, duos Discipulorum mittit in Castellum, è regione Hierosolymorum situm, ut inde sibi asinum mutuo sumant. His Legatis utebatur, cum Regium suum ingressum celebraturus esset.

Quinam illi fuerint, non indicatur. Verosimile autem est, quemadmodum Marcus indeterminatè scribit, duos ipsum discipulos misisse, ut ipsi agnum Paschalem appararent, Marc. 14. v. 13. quos Lucas nominetenus exprimit, nempè, Petrum & Johannem, c. 22. v. 8. Ita quoque eosdem ad hanc functionem adhibuisse, quia illos præ aliis sibi commendatos habuit. Quicquid hujus sit, certum prorsus est, fuisse eos viles & simplices, quos à piscaturâ ad Apostolatum evectos in id elegerat, ut essent sibi testes in Hierusalem, & in omni Judæâ & Samariâ, usque ad ultimum terræ, Act. 1. v. 8. Propterea quoque Judæis parum acceptus fuit, qui libentius ejusmodi Regem habuissent, qui superbienti caballo vectus, Hierosolymam auro & argento, velut Salomo olim, implevisset, 1. Reg. 10. v. 27. Ideò clamant ibi: Nolumus hunc regnare super nos, Luc. 19. v. 14.

Equidem in oculis mundanis vilissimum videtur, illum ipsum, quem Deus in V. T. tàm magnificè ostentavit, quod Tribus Jacob suscitare, & desolationes Israël convertere debeat, Esa. 49. v. 6. Jer. 33. v. 15. 16. quemque sancti Patriarchæ tàm anxio desiderio expectarunt, Hebr. 11. v. 13. quemq; sanctissimi Vates populo Dei per tot secula promiserunt, dum de futura gratiâ prophetarunt, 1. Petr. 1, 10. adeò pauperculum ingredi & homunculis plebejis iisque simplicioribus, Regnum suum adornare. Verùm quando qualitatem hujus Regni inspicimus, quod nimirum non terrenum, terrenâ pompa splendidum, velut Salomonis, 1. Reg. 10. v. 4. sed spirituale regnum

regnum sit, quod non venit cum observatione, Luc.17. v. 20. sed in ostensione spiritus & virtutis consistit, 1.Cor.2. v.4. cujus Symbolum: Virtus mea in infirmitate perficitur, 1. Cor. 12. v. 9. non est, quod magnoperè miremur.

Id semper in familiari usu Deus habuit, quod per vilia & despecta media res maximas in Ecclesia gesserit.

Quis Moses, Exod.3.seqq. Gideon, Jud. 6, 11. David, 1. Sam.17. v.30. seqq. Beata Maria, Luc.1. v. 48. fuerunt? & tamen Numen divinum per illos redemtionem populi sui corporalem, per hanc verò spiritualem, puerperam Messiæ eam constituendo, procuravit.

Pari modo Servatori nostro visum fuit, vilibus & simplicibus piscatoribus Apostolatus munus instruere, & è medio illorum duos ablegare, ad Regium suum ingressum apparandum. Non multi sapientes secundum carnem, ait Paulus, 1. Cor. 1. v.26. Ratio est, quia ille soli sibi honorem vendicat, ut si utile quid per vilia ejusmodi organa efficiatur, quilibet opus ejus annunciare cogatur, Psal.64,10. Hinc iterum Paulus: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus &c. 2. Cor. 4. v.7.

Videamus, ne forte offendamur, sed potius ex hoc ipso agnoscamus Servatoris nostri maximam virtutem & potentiam, qui forti armato, per viles, plebejos & simplices hujusmodi homines maximum damnum infert, sibique ex ore infantium & lactentium robur perficit, Psal.8. v.3.

Quotiescunque igitur adhuc hodie Servator optimus discipulos suos ad nos ablegat ut asinam solvant, h.e. à Diaboli laqueis, à quo captivi tenemur ad ejus voluntatem, nos liberent, 2. Tim. 2. v. ult. Spiritui sancto ne resistamus, velut Judæi, Actor. 7, 51. sed ad exemplum asinæ hujus, nos haud invitè solvi, Christoque adduci patiamur, qui hâc ipsa ex causa in mundum venit, ἵνα λύσῃ ut dissolvat opera Diaboli, 1. Joh. 3, 8. & ita captivis liberatio, & vinctis apertio carceris prædicetur, Esa. 61, 1. Sic inveniemus apud eum requiem animarum, Matt.11,29. imò vitam & abundantiam, Joh.10,20.

II. *Contemtibilem equitationem.* Adduxerunt enim discipuli asinam & pullum, & eum desuper sedere fecerunt. Ita Rex Sion asino despecto, & mutuato inequitat. Nonne miseriæ speculum?

Rex Salomo habebat quadraginta millia equorum ad præsepia, qui ad currus jungebantur, & duodecim millia equestrium, 1.Reg.4,26.

Quàm magnificè & pomposè Cajus Cæsar, Nero, Antonius aliique Magnates incesserint, ex historiis satis notum est.

Verùm Servator noster, qui super Cherubim sedet, Psal. 80, 2. & ambulat super pennas ventorum, Psal. 104, 3. cui millia millium ministrant, & decies centena millia adsistunt, Dan 7,10. ecce! asino mutuato invehitur. Hoc ipso impletum est, quod Jacobus de Messia prædixit, quod pullum suum & asinum asinæ suæ ad vitem ligaturus sit, Gen.49,11.

Id legenti quidem absurdum videtur. Quid enim vitis ad asinum? cui cardui cibus sunt, hinc illud Philosophi: Similes habent labra lactucas. Verùm si Christo id applicetur, qui è Judæis atque Gentilibus, per asinam & pullum præfiguratis, Ecclesiam sibi collegit, eamque firmo

a 2 Evan-

Evangelii & Sacramentorum vinculo ad se alligari curavit, facilè intelligere possumus, vaticinium de Messia esse, qui asinâ Hierosolymam ingressus est, & pullo, filio subjugalis, intellige alternatim, ita ut in via jumenta mutaverit, & montem Oliveti asinâ vectus adscenderit, deinde super pullo equitans, urbem ingressus fuerit.

Id Veteres allegoricè exposuerunt, & per asinam subjugalem populum Judaicum oneribus Mosaicarum ceremoniarum portandis adsuetum: per pullum autem gentium multitudinem, quæ se posthâc Christo obsequentem præbitura sit, figurari crediderunt. Et ut Christus primum super asinâ, deinde super pullo vectus est: ita Judæis primùm oportuit dici verbum DEI, postquam verò repulerunt illud, Apostoli ad gentes se converterunt, Act. 13, 46.

Nos hoc ipso in fide nostra confirmamur, quia audimus, Servatorem nostrum illum ipsum esse, quem sancti Vates, imprimis Zacharias filiæ Sion promiserunt, cum Andrea dicentes: Invenimus Messiam, Joh. 1, 41.

Tertullianus memorat de Paganis quod Christianos in primitiva Ecclesia Asinarios appellarint, in eorumque opprobrium Christi crucifixi imaginem, auribus asininis dedecoratam, passim pinxerint. Similiter hodierni Judæi inter alia quoque propterea Christum pro Messia agnoscere nolunt, quia super asino equitaverit, qui juxta legem Dei immundus habitus est.

Verùm id nos minimè offendit. Non enim asinus Messias noster est, sed Christus, qui super asino equitavit.

Cur spectas asinum, cœlestem suspice Regem,
Et Servatori dic Osianna tuo.

Dum igitur Servator noster non mulo ut olim honoratiores, Jud. 5, 10. sed asina subjugali in ingressu suo Hierosolymitano usus est, agnoscamus hinc, esse eum promissum mundi Messiam, qui onus peccatorum nostrorum in se suscipere, & in montem Golgathæ portare debuerit, Esa. 53, 4. Joh. 1, 29. Hoc si sciamus, sufficit ad cognitionem Messiæ nostri, in quâ vita æterna consistit, Joh. 17, 3.

III. *Vulgi stipationem.* Quando Magnates terreni ingressum suum celebrant plerumque Procerum & Purpuratorum, nec non militum armatorum catervâ stipati sunt. Verùm ejusmodi pompa Servator noster non delectatur. Æquum quidem fuisset, ut Sacerdotum & Scribarum Hierosolymitanorum turba Christo obviam processisset, sed fastus eorum id non permisit. Ideò simplices hi Piscatores, & alii ex vulgô homunculi vicem eorum subire, & regium ejus ingressum exornare tenentur, quibus multi pueri & puellæ se adjungunt, asinum circumsaltantes, ejusq; adventum concentu suo gratulantes, Matth. 21, 15. Hæc puerorum societas vel maximè Domino probatur, qui per lacteam eorum fidem, & orationem balbutientem destruit inimicum & satellites ejus, Psal. 8, 3.

Hæc idea Ecclesiæ est, ubi non exterior pompa, sed interior fides respicitur, illa tanquam ornatus spiritualis, soli Deo nota est, qui corda & renes scrutatur, Jer. 17, 10. & agnoscit omnem operam hominis, Sir. 15, 20.

Hæc

Hæc noſtra cõſolatio ſit, quando impii in mundo florẽt, Pſ.73,5. quod Deus ſuos cognoſcat, 2.Tim.2,19. ne unquam à Chriſto abſtrahamur: Veniet aliquando tempus, ubi apparebit, quid ſit inter juſtum & impium, Mal.3,18. Quin & nos Servator, tanquam Paradiſi exules, quales propter peccata ſumus, ſimul ſecum introduxit, ut jam cives Sanctorum & domeſtici Dei ſimus, Eph.2,19. Et quando hîc in tempore gratiæ per verbum & ſacramenta illi copulamur, tandem aliquando in Hieroſolymam cœleſtem introducet nos, ubi cum eo ſemper erimus, 1.Theſs.4,17.

Secundo.

Digrediemur nunc ad *ſecundam partẽ, triplicem Medelam* ex Evangelio meditaturi, quæ fluit

1. *Ex Chriſti Omniſcientiâ.* Eminus enim aſinam videt, & novit locum, ubi alligata eſt, novit, quod pullum penes ſe habeat, novit, neminem unquam hominum ſuper eâ ſediſſe, ut Lucas addit, c.19. v.30.

Hæc luculenta ſunt argumenta, Regem hunc noſtrum Dominum omniſcium eſſe, à cujus oculis nihil quicquam abſconditum eſt, Sir.40. v.24. ſed omnia aperta ſunt, Hebr.4,v.13. Videt laborem & afflictionem noſtram, Pſal.10. v.14. numerat fugam noſtram, Pſal.56.v.9. novit ſermones noſtros in linguâ, Pſal.139.v.4. novit gemitus & deſideria noſtra, Pſal.38. v. 10. novit opera noſtra, & ubi habitemus, Apoc.2. v.13.

Ita vidit Iſraëlitas in Ægypto preſſos, Exod.3.v.7. Joſephum incarceratum, Gen. 39.v.2. Eliam in exilio, 1.Reg.19.v.4.ſeqq. aliosque, quos compendii ergò hâc vice adducere nolumus.

Ex his paucis verò ſatis apparet, quod pios ſuos Deus orphanos non derelicturus, Joh.14. v.18. ſed ubique cum illis in tribulatione futurus ſit, Pſal.91.v.15. quo videant juſtitiam ejus, Mich.7.v.9.

Chriſtus vidit *aſinam alligatam.* Ita noli dubitare, ſi forte catenis vinctus ſis ut Petrus, Act.12. v.6. aut Satanas alligavit te ſpiritu morbi, ut filiam illam Abrahæ, Luc.13. v. 16. aut tantis malis involutus es, ut neſcias, quid agere debeas, ut Rex Joſaphat, 2 Chron.20. v. 13. quin Jeſus tuus omnia conſpiciat, & ſicut ſemper fidelis fuit in promiſſionibus ſuis, ita neque te fallet, ſed tempeſtive auxilio ſuo tibi aderit, teque liberabit ab omni opere malo, 2.Tim.4. v.18. aut per mortem diſſolvet, & ad ſe trahet, quod multo magis melius, Phil.1.v.23.

Vidit *aſinam pullum ſecum habuiſſe.* Ita magis te liberosq; tuos, quibus te donavit, reſpiciet. Ecce, oculi Domini ſuper metuentes eum, Pſal.33. v.17.18.

Vidit, quod *nullus unquam hominum ſuper aſina ſederat.* Ita optime ille vires noſtras cognoſcit,

— Quid valeant humeri, quid
ferre recuſent.

Hinc neminem tentari patitur, ſuper id quod poteſt, 1.Cor.10. v.13.

Hæc conſolatio tua eſto, mi Chriſtiane, quando anguſtiis & calamitatibus immerſus es, nec dubita quin totam tuam miſeriam Servator tuus perſpiciat. Ardentibus itaque precibus ad eum converte te, & ſollicita eum, & exaudiet, & eripiet te, Pſ.145. v.19.

v.19. nemo unquam confusus est, qui speravit in eo, Sir. 2. v. 11.

2. *Ex Christi Omnipotentiâ.* Ita enim Possessoris asinæ cor flectit, ut ad verba discipuli illicò asinam cum pullo dimittat, & obtemperet. Hic radius fuit divinæ potestatis & gloriæ, quo satis probavit, se non nudum hominem, sed Deum super omnia benedictum esse, Rom. 9. v. 5. qui corda hominum in manu habeat. Prov. 21. v. 1.

Hæc divina Omnipotentia competit ei vi unionis personalis, secundum humanam quoque naturam, hinc ait ipse: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ, Matth. 28. v. 18.

Id quod multifariam in diebus carnis suæ probavit, per varia miracula, quæ in cœcis, mutis, surdis, claudis, leprosis, defunctis quoque probavit, quorum exemplis Historia Evangelistarum redundat. Videsis plura miracula Matth. 8. v. 26. Matth. 14. v. 2. Luc. 5. v. 6. Joh. 6. v. 10. seqq. Joh. 18. v. 16. Hinc, nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum ipso, Nicodemus ipse fatetur, Joh. 3. v. 2.

Non igitur impotentem, sed omnipotentem Servatorem habemus, qui omnibus Creaturis dominatur, & corda quoque movere potest, ne homo faciat, quid cogitet, sed quid Dominus velit, Prov. 16. v. 9. Esa. 8. v. 9.

Ita consilia filiorum Jacob adversus fratrem Josephum, Gen. 39 & seqq. Propositum Bileami, Num. 22, 38. Nebucadnezaris edictum, Dan. 3, 9. inhibuit, & ad bonum finem direxit.

Idem ille Deus adhuc hodie vivit, ideo noli animo cadere, quando gentes fremere & Reges terræ adversus Dominum & Christum ejus consultare vides, Psal. 2, 2. quando vafris consiliis conceptis, eos dicere audis: Venite & disperdamus eos ne sint gens, Ps. 83, 4. Tunc Domino commenda vias tuas, dicens:

Causa tua est, Causam Christe tuere tuam.

Sic nunquam periclitaberis, Dominus enim consilia eorum inhibebit, ut ea non possint stabilire, Psal. 21, 12.

Magnas agant astutias,
Vadit Deus vias suas,
Manu suâ retractans.

Deum enim diligentibus omnia in bonum cooperabuntur, Rom. 8, 28.

3. *Ex Christi Clementiâ.* Quicquid enim ille facit, in nostrum commodum facit. Hinc Propheta: Exulta filia Sion, jubila filia Jerusalem, Ecce! Rex tuus venit tibi justus & Salvator, Zach. 9, 9.

Hæc magna gratia est, quando inspicimus

1. *Adventantis Encomium.* Regis enim titulo ille insignitur. Lætare hinc mi Christiane! Jesus Rex tuus est, tu subditus ejus, ideo tibi tutelâ suâ patrocinabitur. Non enim solum omnipotens est, Jud. 9, 4. sed lætatur quoque ad benefaciendum nobis, Jer. 32, 41.

2. *Admirabile hospitium*, quod est anima & cor tuum, ideo Propheta ait: Rex tuus venit tibi. Quod quidem proprie de Ecclesiâ Judaicâ intelligendum, tanquam filiâ Sion, cui Messias principaliter promissus fuerat, salus enim ex Judæis est, Joh. 4, 23. Quia vero in propria venit, & Sui eum non receperunt, Joh. 1, 11. ideo paries maceriæ medius solutus est, Eph. 2, 14. ut jam nullum

lum discrimen sit inter Judæum & Græcum, Gal.3,28. sed quisquis timet illum, & operatur justitiam, acceptus est illi, Act.10, 34. Id grato animo agnoscés, dic: Non sum dignus Domine, ut intres sub rectum meum; sed tantum dic verbum, & sanabitur anima mea, Matth.8,9.

3. *Singulare beneficium*. Non enim inanis accedit, sed beat credentes suos.

1. *Justitiæ amiculo*. Ideo Propheta ait, Ecce Rex tuus venit tibi justus, non modo respectu sui, quia est Sanctus Sanctorum, Dan 9,24 Esa.53,9. sed etiam respectu nostri, est enim justus servus Dei, qui in scientiâ suâ justificabit multos, Esa.53,11. Unde dicitur Jehova Zidkenu, Deus justitiæ nostræ, Jer.23,6. Hæc consolatio nostra esse potest, quando lex nos accusat, & conscientia inquietat ratione peccatorum commissorum. In Domino sunt justitiæ nostræ & robur, Esa.45.v.23. Rom.3. v.25.

2. *Grato auxilio*. Venit quoque, ait Vates, tanquam Salvator. Noscha in Hebræo est, quod significatione reciprocâ significat & talē, qui seipsum juvat, & talem, qui salvatus est. Unde LXX. Interpretes per voculam σώζων expresserunt. Utrumque ad eum applicari potest, Hebr.5, 7. Nec minus nobis solatio est, in eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est eis, qui tentantur, auxiliari, Hebr.2,18. ideo ait: Tibi, tibi venit. Tu Christiane! tibi applica inquiens: Scio cui credidi, 2.Tim.1,12. 2. Tim.4,8.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Mandatum peragi*. Hic discipuli non multum disputarunt: sed euntes fecerunt, sicut præcepit illis Jesus. Hoc egregium exemplum est, quod nos imitari debemus. Obedientia enim melior victimâ, 1. Sam.15,22.

Deus summus noster Magistratus est, cui obstricti sumus

1. *Jure Creationis*, Ps.100,2.
2. *Jure Redemptionis*, 1.Petr.1. v.18. Tit. 2. v.14.
3. *Jure Sanctificationis*. In Baptismo enim Diabolo renunciavimus, & contrà nomina nostræ libro vitæ inscribi curavimus, ut jam non amplius servi peccati simus, Rom.6, 28. ideoque nobis pignus hæreditatis nostræ dedit, qui est Spiritus sanctus, Eph.1,14.

Propterea mandatum ejus omnibus præferendum est. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, Esa.1,19.

Quemadmodum vero discipuli Christi hic asinam solvere & Domino suo adducere jubentur: sic adhuc hodie verbi ministri peccata & flagitia reprehendere debent, quo vitiosi ejusmodi homines peccatorum vinculis solvantur, & Christo adducantur, 2.Tim.4,2. 2.Tim.2,v.ult.

Imprimis vero discipuli hi suo exemplo instruunt nos, ne scrupulosi simus in mandatis divinis, sed in Christianâ simplicitate ea perficiamus, nihil dubitantes, quin is, qui præcepit, promissionem suam impleturus sit, tanquam qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus, Eph.3,20.

2. *Ingressum promove*. Fecit hoc plebecula

1. *Jumentis*. Ubi enim Servator discipulos suos ablegat ad adducendam asinam, statim parati sunt, & herus quoque promte

promtte dimittit eam. Ita adhuc hodie Christo in membris suis ministrem", simul quoque cultum ejus de facultatibus nostris promoveamus, quo sermo ejus velociter currat, & Servator apud nos divertatur. Id Servator non incompensatum relinquet, si vel saltem potus aquæ frigidæ fuerit, Matt. 10, 42.

Ad exemplum quoque heri asinæ libenter mutuò demus iis qui opus habent, sicut hic discipulos Dominus informat, ut dicant: Quia Dominus opus habet. Inveniuntur enim qui aliorum ope non adeo indigent, sed vel simulatione paupertatis, vel avaritiâ stimulati mutuantur. Illis salvâ conscientiâ denegari potest, ne duplicia mala inveniamus in omnibus bonis, quæ fecimus eis, Sir. 17, 6.

Deinde alii sunt, qui quasi inventionem æstimant mutuò sumtum, nec de solutione unquam cogitant, hi cavendi sunt, ne facultatum nostrarum jacturam faciamus, Sir. 29, 4. seqq.

Hoc nisi sit, ipsa æquitatis ratio flagitat, ut commodemus proximo, Psal. 112, 5. Prov. 19, 1.

2. *Vestimentis*. Christo enim substernunt vestimenta, quo commodius equitare possit. Hoc ipso significatum est, quod Dominum de substantiâ nostrâ honorare debeamus, Prov. 3, 9. quo volupe sit illi nobiscum divertendi & perseverandi. Quicunq; honoraverit me, glorificabo illum, 1. Sam. 2, 30. Sed hodie pauci inveniuntur, qui Christo vestimenta substernant, quin potius si alios beneficentiam exercere conspiciant, ajunt cum Judâ: Ad quid perditio hæc? Matth. 27, 8. Potius vestimenta eidem detrahunt. Alimur de spoliis Ægypti, verba sunt Lutheri, collectis sub Papatu, & hoc ipsum tamen, quod reliquum est, à Politicis quandoque diripitur. Hinc maledictio à DEO dudum intimata consequitur, Hagg. 1. v. 6. Audi igitur quid Siracides dicat: Da Altissimo secundum datum ejus, Sir. 35. v. 12.

3. *Ramentis*, quæ de arboribus cædebant & sternebant in viâ.

Ramenta hæc fuerunt

1. *Symbola diligentiæ*. Veri Christiani arboribus frugiferis comparantur, Psal. 1, 3. id quod Christo acceptum ferre debent. Ideo vicissim ramos bonorum operum præcidant, & in viâ sternant, ut serviant ei in sanctitate & justitiâ coram ipso, omnibus diebus vitæ, Luc. 1. 75.

2. *Symbola vincentis*. Joannes eos ramos palmarum præcidisse memorat, Joh. 12, 13. Hi autem olim signum victoriæ fuerunt, ut ex Plutarcho, Livio, aliisque constat. Vide 1. Macc. 13, 51. Ideo igitur Christo ramos palmarum prætulerunt, ut victoriam significarent, qua erat Dominus mortem moriendo superaturus, & trophæo crucis de Diabolo mortis Principe triumphaturus, ut Augustinus ait. Hinc ipse Joh. 14, 30. Nos quoque vi victoriæ ejus lætum illud ἐπινίκιον canere possumus: Mors ubi aculeus tuus? Inferne, ubi victoria tua? 1. Cor. 15, 57.

3. *Symbola pacem afferentis*. Quia enim de monte Oliveti descenderunt, qui ab oleis ita dictus fuit, quæ copiose ibi creverunt, non dubium est, quin & oleæ ramenta præciderint, & Domino substraverint.

Sicuti igitur olea est Symbolum pacis: ita

Ita hoc ipso populus indicare voluit, esse hunc, qui ingressum suum celebret, Principem pacis, Esa.9.v.6. qui æternam pacem reducturus sit, quod & præstitit, ut jam orantes canere possimus: Justificati fide pacem habemus cum Deo, Rom.5. v. 1. Rom.8.v.32.

3. *Regem excipe.*] Hâc in parte populus suo exemplo nobis præit, qui clamat: Hosanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, &c.

Osanna est vox gratulantium, quæ desumta ex Psal. 118. significat salutem, & respondet communi Hebræorum formulæ, Pax tibi! Lutherus Germ. expressit: O Herr hilff/O Herr laß wol gelingen.

Sicuti igitur Dominus ingressum suum in multâ populi frequentiâ celebravit, ita & nos frequentes expectemus quando per verbum & Sacramenta ad nos venit: ipse siquidem clamat: Venite ad me omnes, Matt.11.v.28.

Fiat hoc â junioribus & senioribus: audimus siquidem Servatorem non modo asinam, sed & pullum sibi adduci voluisse; innuens eo ipso quod pueri ab ineunte ætate verbum Dei & præcepta catechetica discere debeant, exemplo Timothei, 2. Tim.3.v.15. Hâc in parte parentes, & patres-matresque familias exemplo suo iisdem præeant necesse est, quo illi sic vestigiis eorum insistant, & impleantur mensæ discumbentium in regno Dei, Matt.22.v.10.

Imprimis vero nostrum erit, Servatori nostro lætum Osanna accinere, eique pro incarnatione suâ gratias agere, quâ nobis adoptionem in filios Dei acquisivit; dedit enim potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, Joh.1.v.12.

Quando in Novo Testamento Rex inauguratus, ungebatur, unusquisque clamavit: Vivat Rex, vivat Rex! 2. Reg. 11. v.12.

Quidni & nos Christo Servatori lætum Hosanna acclamemus, Psallentes: Salvifica quæso populum tuum:

Salvum fac populum tuum Domine.
Et benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos,
Et extolle illos, usque in æternum.

Id ei perquam gratum erit. Et quemadmodum venit tanquam Salvator, ita etiam omnipotenti auxilio suo in omnibus adversitatibus subvenier nobis, & tandem salvos faciet in Regnum suum cœleste, 2. Tim. 4. v. 18. Ibi demum in gradu excellentiori suavissimum Hosanna insonabimus: Osanna Filio David! Salus ei, qui sedet super thronum Dei nostri, & agno, Apoc 7. v.10. Eò nos transferre dignetur Deus Trinunus per

JESUM CHRISTUM, DOMINUM nostrum;
Amen!

DOMINICA II. ADVENTUS.

Evangelium Luc. 21. v. 25. 36.

EXORDIUM.

IN tunicâ summi Pontificis hyacinthinâ, deorsum ad pedes per circuitum pependerunt olim tintinnabula aurea, quæ clarum sonitum ediderunt, quando ille ingressus & egressus est Sanctuarium in conspectu Domini, Exod. 28. v.33.

Hisce tintinnabulis significatum fuit, Verbi præcones non canes mutos esse, Esa.56.v.10. sed vocem suam quasi tubam exaltare debere, Esa.58.v.1. probe perpendentes, quod in conspectu Domini ingrediantur, & egrediātur, h.e. ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei sint, 1. Cor.4,1. qui aliquando ad rationem eos vocaturus sit, & deperditū sanguinem de manu ipsorum requisiturus. Ezech.3.v.18.

Potissimum vero doctrinam de die novissimo & fine mundi sedulò inculcent. Ideo enim hæc tintinnabula in extremo vestimenti posita credo, ut de extremis temporibus, & fine mundi nunquam sileas ait Origenes. Quod quidem emolumento suo non destituitur. Auditores enim hoc ipso absterrentur à peccatis, ne securi in diem vivant, sed in sanctis conversationibus & pietatibus exspectent adventum Domini, 2.Petr.3.v.11.

De pio Abbate Hilarione recensetur, quod in solitudine degens, ex improviso à latronibus nonnullis cinctus fuerit, qui ipsum interrogarunt: Quid tu hic faceres, si te latrones adorirentur? quibus imperterritus respondit: Nudus latrones non timet. Quî vero, pergebant illi, si tibi vitam eriperent? Et regerebat ille: Ne id quidem timet, qui paratus est mori.

Utinam quilibet nostrûm eodem modo affectus esset, scimus etenim, diem novissimum irrupturum tanquam furem in nocte, & velut laqueum super omnes, qui habitant in terrâ: ideo optimum sane erit, ut ita nos præparemus, quo omnia, quæ in mundo sunt, pro detrimento & stercore reputemus, Phil.3.v.8. identidem orantes cum Ecclesiâ: Excita Domine corda nostra ad præparandas unigeniti tui vias, ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus serviamus. Sicut enim lignum tunc ceciderit, ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit, Eccles.11.v.3.

Ansam suppeditat nobis prælecta Pericope, in quâ Servator ipse ad dignam præparationem nos excitat, inquiens: Levate capita vestra: quoniam appropinquat redemtio vestra: item: Cavete, ne forte corda vestra graventur in crapulâ & ebrietate. Et vicissim: Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini, fugere omnia

nia ista, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

Nos proinde sine ulteriori ambage ad illam accedemus, visuri:

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem cautelam.*

I.

Exegesis.

Aaron summus Pontifex, stans inter mortuos & viventes, obtulit Deo thymiama, & reconciliavit Deo populum, & plaga cessavit. Num.16.v.48. Christus verus N.T. summus Sacerdos est, ideoque inter Deum & nos homunciones morti obnoxios in medio stetit, & nos expiavit, per purpureum suum eumq; sanctissimum sanguinem. Die vero novissimo iterum officium suum mediatorium declarabit, & inter viventes & mortuos, oves & hædos, bonos & malos in medio stabit. At magno cum discrimine. Ibi enim venit, ut Salvator hîc vero veniet, ut iratus judex, redditurus unicuiq; secundum opera sua, Apoc.22,12.

Id semper meminerimus: Et quia Servator optimus ex fraternâ caritate, in prælecto Evangelio emphaticam concionem habuit, quâ nos præmonet, nunquam concedamus, ut ea animis nostris effluat, semper memori mente tenentes eam: qui enim recordabitur novissima, nunquam peccabit, Sir.7.v.ult.

Querelam vero movet

1. *Mundi ad interitum declinatio*, quæ ex signis colligenda, quæ Servator mundi finem antecessura esse, prædicit.

Semper inventi sunt, qui mundum æternum fore, nec unquam interiturum esse asseruerunt, sicuti Philo integrum volumen scripsit, περὶ ἀφθαρσίας τοῦ κόσμου, in quo expressa hæc verba leguntur: Dicere mundũ divinitus occidere, flagitiosissimũ est. Eadem in opinione fuerunt Aristoteles & Averroës, quibus adstipulatur Galenus, dicens: Sẽper ita stetit, sic igitur perdurabit.

Atqui Ethnicis, qui verbo Dei destituti sunt, ignoscendum videtur, ita opinatos esse: Sed dolendum inter ipsos Christianos inveniri, qui impiâ & profanâ suâ vitâ mundi finem & judicium extremum negare non verentur, hinc vox eorum: Venite sumamus vinum, Esa.56.v.12.

Quando vero prælectum Evangelium inspicimus, audimus sanè veritatem ipsam dicentem: Cœlum & terra trãsibunt. Quin & signa certa indicat, ex quibus certò colligamus, finem mũdi quãproxime instare.

Licet igitur nemo hominum, annum, diem & horam sciat, quam Pater posuit in potestate suâ, Act.1.v.7. attamen omnes circumstantiæ ostendunt, mundi finem non procul abesse. Petrus jamtum suo tempore scripsit: Omnium finis appropinquavit, 1.Petr.4.v.7. cum quo consentit Paulus, 1.Cor.10.v.11. Johannes ultimam horam adesse adstruit, 1.Joh.2.v.18. Sint igitur lumbi nostri præcincti, & lucernæ ardentes, simusque similes hominibus, exspectantibus Dominum suum, Luc.12.v. 43. otnemus cum prudentibus virginibus lampades nostras, quo cum sponso nostro cœlesti, intremus ad nuptias, Matt.25.v.10.

2. *Ipsa signorum consideratio*, quæ finem mundi præcedere debent, horum alia fient 1. *In polo*, in Sole, Lunâ, & Stellis. Innuuntur hîc potissimum Eclipses, quæ se proxime ante diem novissimum in fre-

quentia & inusitatâ magnitudine præsentabunt. Licet enim naturaliter fiant, unde & à Mathematicis ex certis Principiis prædici possunt: attamen & signa & prænuncii diei extremi esse possunt, sicuti iris naturales suas causas habet, & tamen simul signum est, quod Deus mundum diluvio non amplius perdere velit, Gen.9.v.16.

Simul quoq; Christus hoc ipso respexit multiplicia chasmata, quæ in aëre apparere solent. Item, quod quandoque duo vel tres Soles conspiciuntur, viri armati, feretra, Cometæ & alia horribilia, quæ mortalibus terrorem incutiunt.

Sol & Luna ideo creati sunt à Deo, ut diei & nocti præsint, & terram illuminent, Gen.1.16. quãdo igitur Dominus hîc dicit, quod splendorem suum amissuri sint, indicio sunt, quod Dominus mox adventurus, mundique vesperam adducturus sit. Sol & Luna sunt quasi duo oculi mundi. Veluti igitur homo, cujus oculi obtenebrantur, sat causæ habet, ut ad mortẽ se paret: ita quando Solem & Lunã obscuratum iri audim⁹, ad mundi vesperam ingruentem nos præparemus, ne in impœnitentiâ à die novissimo obruamur. Qualem enim te invenio, talem te judico. Et quia videmus, signa hæc prædicta magna ex parte impleta esse, & adhuc impleri: Omnis enim creatura ingemiscit, & parturit usq; adhuc, Rom.8,22. singulis momentis diem judicii expectemus.

2. *In solo.* In terris etenim erit anxietas gentium, per dubitationem, arescentibus hominibus præ timore & expectatione eorũ, quæ supervenient universo orbi. Circumspiciamus in mundo, quomodo res habeat. In Ecclesiâ, annon illud tempus advenerit, ubi de fumo putei exierunt locustæ in terram, quæ sub Rege suo Abaddon hominibus multa mala inferunt; Apoc.9. v.3.11. ut non immerito cum Davide conqueramur: Defecit Sanctus, Psal.12.v.2.

In Politiâ tempus adest, quo de Christus prædixit, quod iniquitas abundet, Matth. 24.v.12. Vere Micha: Princeps postulat, & judex propter redditionem, Mich.7. v.3.

In Oeconomiâ quoq; prædictio Christi locum invenit, Matt.24.v.10. & Michæ, filius pro stulto habet patrem, Mich.7.v.6. nec non Jeremiæ querela, c.9.v.5.

Ne dicam de miseriis & calamitatibus tam publicis, quam privatis quibus singuli subjecti sumus. Nonne fames, pestis, bellũ multa hominum millia absumserunt, quæ multis querelas expresserunt: Væ nobis, quoniam vastati sumus, Jer.4.v.13.

3. *In solo.* Non enim intra limites manebit constitutos, sed sepimenta perrumpet, & terras inundabit, sicut populi illi, qui proxime mari cohabitant cum damno sæpe experti sunt, & etiamnum experiuntur. Hæc maxima est calamitas. Ignis extingui siquidem potest, sed aqua libere perrumpit, & auffert omnia, quæ invenit, nec quisquam resistere valet quàm Deus solus, qui posuit arenam terminum mari, Jer.5. v.22. quando vero visum fuerit ei, emittit aquas, subvertens terram, Job.12.v.15.

Nos inspiciamus hæc signa

1. *Tanquam gratiæ indicia.* Dum enim Servator noster signa extremi diei nobis prædicit, tanquam fidelissimus amicus præmonet nos, ut parati cum pœnitentiâ quotidiana Dominum expectemus, ne ex improviso adventu ejus impetamur, Luc.14.v.32.

2. *Tanquam securitatis remedia.* Cum pius Lot generis suis intimaret, quod Dominus deleturus esset civitatem eorum, visus est

eis,

eis quasi ludens loqui, Gen.19.v.14. Ita adhuc hodie inter Christianos inveniuntur, qui quæcunque de die ultimo prædicantur, derident. Verùm cùm extra omnem metum vixerint, dicentes, pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient, 1.Thess.5.v.3. Neque enim irridetur Deus, Gal.6.v.7.

3. *Tanquam piorum refrigeria.* Quò magis aquæ diluvianæ redundabant, eò altius elevabant arcam, donec tandem quindecim cubitis altior ferebatur super montes, quos operuerat, Gen.7.v.17. Sic pii, quando passiones multas in hoc mundo sustinere coguntur, certissimè persvadeant sibi, se hoc ipso à terrenis ad cœlestia elevari, ubi *πολίτευμα* suum est, Phil.3.v.20. Ah dilecti, redemtio vestra in limine adest, ideò cum patientia Dominum vestrum expectate, qui omnes miserias vestras finiet, ut nullum vos tacturum sit tormentum, Sap.3.v.1.

III. *Extremi diei appellatio.* Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Hoc simile ab avibus desumtum est, quæ inopinatò, quando lætantes in areâ aucupatoriâ cantillant, & circumsiliunt, reti obruuntur, & strangulantur: Ad eundem modum dies quoque extremus subitò ingruet, eosque qui in tempore se ad illam minus præparatunt, in impœnitentia obruet, ut nemo effugere possit, sed Diaboli captivi in æternum manere cogantur. Qui enim descenderit ad inferos, non adscendet, Job.7.v.9.

Aves captæ prius occiduntur, deindè deplumantur, & tandem in veru assantur: Sic & Diabolus illos, quos laqueus hic in impœnitentiâ prehendit, ungulis suis unceis corripiet, & morti secundæ sive æternæ tradet: ubi sic morientur, ut semper vivant, & sic vivent, ut semper moriantur: h. e. quærent mortem & non invenient eam, Apoc.9.v.6. Quin & urentur, assabuntur & sentient usque in sempiternum, Judith.16.v.21. in ejusmodi lacu, ubi ignis & ligna multa: flatus Domini, sicut torrens sulphuris, succendens eam. Esa.30. v.33.

Sicut autem inter volucres nonnullæ sublimiores volant, quæ illectamenta aucupum negligunt, & ad terras calidiores properant: nonnullæ verò volatu deorsum feruntur, in terram, ut ante cibo se oblectent, quo inescantur: illæ indemnes avolant, hæ verò laqueis irretiuntur:

Ita nos ad exemplum priorum mundum despiciamus, & sursum corda elevemus: quærentes ea quæ sursum sunt, ubi Christus est, Col.3.v.1. sic periculum facilè evademus, & ex cordis nostri desiderio perveniemus in æstivam illam regionem, ubi abundantia gaudiorum, Psal.16.v.ult.

Reliqui verò, qui mundum hunc diligunt veluti Demas, 2.Tim.4.v.1. & in peccatis & securitate impiè pergunt, tandem Diabolo mancipabuntur, qui ligatis manibus & pedibus eos conjiciet in tenebras exteriores, ubi fletus & stridor dentium, Matth.22.v.13.

Ideò incumbit Christianis, ut cautè ambulent, non quasi insipientes, sed ut sapientes, Eph.5.v.15.

Quando clamor vel strepitus excitatur, aves perterritæ auffugiunt: O quoties verbi Præcones clamorem edunt, & præmonent te, quando vocem suam exaltant, quasi

quasi tubam, & annunciant populo transgressionem eorum, & peccata, Esa.58.v.1. Ideo admonitioni locum relinque, & in sublime te eleva, quò dignus habearis fugere omnia ista, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione primâ, quæ fit per pœnitentiam, in his damnatio sive mors secunda non dominatur, Apoc.20. v.6.

De *Secundo.*

SEquitur nunc *triplex Medela*, quæ fluit I. *Ex Judicis Majestate.* Veniet enim in nube, cum potestate magnâ & majestate. In hoc mundo sæpè accidit, ut judex sententiam ferat, quam tamen potestate destitutus, exequi nequit. Id Christo non deficiet, habet enim loquelam efficacissimam, & quando impiis die novissimo dicet: Discedite! uno impetu in tartara præcipitabuntur, Matth.25.v.41.

Quodsi enim in diebus carnis suæ mari & ventis imperare potuit, Matth.8.v.26. Diabolos expulit, Luc.11.v.14. & hostes suos in horto Oliveti prostravit, quando dixit: Ego sum, Joh.18.v.6. Quidni die novissimo judicium suum in impiis exequatur, imprimis quia exploratum nobis est, quod tunc non venturus sit in servi formâ, sed in summa Magnificentia & gloria; non asino commodato vectus, sed in nubibus cœli, istæ enim quasi tribunal ejus erunt. Et quemadmodum de nubibus omnia contemplari possunt, quæcunque in terris fiunt, ita Christo nihil omninò absconditum erit, sed omnia videbit & sciet, eaque in judicium exponet, usque ad injuriam quam perpessi, & verbum otiosum, quod locuti sumus, Matth.12.v.36.

Hinc magna consolatio in pios redundat. Sciunt enim, judicem non alium fore, quàm fratrem & Immanuëlem suum, qui sese non sit deserturus, ut nec Joseph fratres suos, sed potius in æternum curaturus. Hinc Gregorius: *Nobis magna spes pœnitentibus, quia Advocatus noster factus est judex noster.* Hoc solatium in rebus adversis respice, nec à veritate semel agnitâ averti te concede: sed cum timentibus Dominum confirma te hoc modo: Attendit Dominus & audit &c, Malach. 3. v.16. seqq.

II. *Ex liberationis propinquitate*, hanc nobis Christus in eleganti similitudine exhibet, inquiens: Videte ficulneam, & omnes arbores: cum producunt jam ex se gemmas, scitis, quoniam propè est æstas. Ita & vos, cum videritis hæc fieri, scitote, quoniam propè est Regnum Dei.

Tempore hyemis veris amœnitatem nemo non desiderat. Tum enim aër renovatur: tùm in agris & pratis oblectare nos possumus, sicut spiritualis sponsa sponsum cœlestem in id invitat, Cant.7.v.11. Ita & nos diem novissimum anhelemus, ubi tristis miseriarum hyems finietur, & jucundissimum vitæ æternæ ver adventabit, juxta illud Esa.35. v.10.

In vere omnia reviviscunt, quæ in hyeme quasi mortua fuerunt: explentur arbores Dei, & cedri Libani, quas plantavit, Psal.104. v.16. sic & ossa nostra arefacta quasi herba germinabunt, Esa.66.v.24. 1.Cor.15.v.43.seqq.

Quando in vere arbores folia & gemmas protrudunt, quilibet inde colligere poteſt

potest æstatem instare: Ita & nos ex signis, quæ diem extremum præcessura, Christus pronunciat, certò eundem imminere, statuamus, ubi Dominus pluet super peccatores laqueos, ignem & sulphur, & Spiritus procellarum, Psal. 11. v. 6. Credentes verò & justos introducet in æternum gaudium & salutem. Justum siquidem est apud Deum, reddere iis, qui affligunt nos, afflictionem, nobis verò &c. 2. Thess. 1. v. 6.

III. *Ex Collationis dignitate.* Neque enim à Christo à sinistris ejus, sed dextris statuemur, non inter fœtidos hœdos, sed inter obsequentes oviculas. Hæc jucundissima permutatio erit.

Hoc in mundo pii plerumque ultimum locum occupare coguntur, Jac. 2. v. 3. suntque lampas contemta apud cogitationes divitum, Job. 12. v. 15. Sed ibi dicetur: Amice adscende, Luc. 14. v. 10. Deus enim elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes Regni, Jac. 2. v. 5. Ibi innocens Abel stabit, cum omnibus, qui innocenter necati sunt: Abraham cum omnibus, qui ex fide ejus fuerunt: Josephus cum illis qui promiscuas libidines odio habuerunt: Jobus cum omnibus, qui in cruce patientiam exercuerunt: David cum omnibus, qui piis orationibus studiosè invigilaverunt. B. Mariæ adsistent multa millia virginum, quæ castè & pudicè vitam gesserunt, Hannæ, multa millia piarum viduarum: Mariæ Magdalenæ multa millia peccatricum, quæ resipuerunt. Petro omnes Apostoli & verbi præcones, qui confessioni ejus institerunt, Stephano magna multitudo B. Martyrum, qui vexillum sanguineum præferent, clamantes: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magnâ, Apoc. 7. v. 14.

Sicut igitur in hoc mundo honoratioribus dextera assignatur, ut patet exemplo Salomonis, 1. Reg. 2. v. 19. Ita & Christus fideles die ultimo ita honorabit, ut eosdem à dextris collocaturus sit, tanquam filios suos, quos de mundo elegit, Joh. 15. v. 19. & per mortem & sanguinem in populum peculiarem acquisivit sibi. Tit. 2. v. 14.

Hæc consolatio sustentet nos, dilecti! Hic filii Benoni sive dolorum sumus, quorum tribulationes multæ sunt, Ps. 34. v. 20. Ibi verò filii Benjamin sive dexteræ erimus, ubi inveniemus cum Domino vitam & abundantiam, Ioh. 10. v. 10.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus regulis includitur, quarum

1. *Crapulam vita.* Hinc Servator: Cavete, ne corda vestra graventur crapula & ebrietate. Hoc vitium contra naturam est, siquidem Seneca ait: *Venter parvo dimittitur, si modò des ipsi, quod opus est, non quod potes.* Verùm peccatum, quod Diabolus naturæ humanæ insevit, adeò gulosos nos reddidit, ut paucis contenti non simus. De Smindiride Athenæus scribit, quod, se annis plus minus viginti Solem nec orientem nec occidentẽ vidisse, gloriatus fuerit.

De Imperatore Vitellio memorat Suetonius, quod in una cœnâ duo millia piscium, & septem millia avium sibi apponi curaverit: ut plura exempla taceam.

Sic adhuc hodie inveniuntur, qui cum Epulone divite quotidiè splendidè epulantur, Luc. 16. v. 19. Horum Symbolũ est: Venite

Venite sumamus vinum, & impleamur siccrâ, & erit sicut hodiè, sic & cras, & multò amplius, Esa. 56. v. 12. Verùm horribilis pœna aliquando sequetur: Propterea etenim dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino, ut ebriosi ejusmodi & fortes ad bibendum descendant, Esa. 5. v. 14. Apoc. 21. v. 8.

II. *Semper vigila.* Propterea ait Servator: Vigilate itaque omni tempore: & his verbis à securitate nos avocaturus est, quæ somno confertur. Quemadmodum enim somnus ejusmodi quies est, ubi sensus hominis per adscendentes è stomacho vapores quasi ligantur, ut oculi non videant, aures non audiant, nec gustus, odor & tactus munus suum obire possint: ita & impii per pravos concupiscentiæ vapores, cooperante Satanâ, quasi spiritualiter vinciuntur & superantur, ut oculi vias Domini non videant, Psal. 119. v. 37. Aures legem Domini non audiant, Psal. 19. v. 8. Cor non sentiat Dominum in cœlo, Sap. 13. v. 4. nec gustet, quàm suavis sit Dominus, Ps. 34. v. 9. pedes non ambulent in viâ pacis, Luc. 1. v. 80. manus conserantur, Prov. 6. v. 10. nec quod bonum est, operari velint, Eph. 4. v. 28. Hic somnus meritò damnandus est, ubi quidem Spiritus quiescit, caro verò in operibus iniquitatis, contrà Deum & proximum nimium operosa est, ideò de impiis dicitur: Non dormiunt, nisi cum malè fecerint, Prov. 4. v. 16. Confer Mich. 2. v. 1.

Veri Christiani fugiant hunc somnum. Cum Simson in gremio Delilæ somno opprimeretur, devenit in potestatem Philistiim, qui eruerunt oculos ejus, vinctumque catenis, & clausum in carcere molere fecerunt, Jud. 16. v. 21. Idem omnibus illis evenit, qui in gremio Delilæ, id est, mundi impii, qui totus in maligno positus est, 1. Joh. 5. v. 19. obdormiscunt; certè Dominus miscebit illis Spiritum soporis, Esa. 29. v. 10. ut in abysso infernali demùm expergiscantur, & pœnitentiâ impœnitentiæ suæ nimis serò ducantur, Sapient. 5. v. 7. seqq.

Cum Thebanorum Dux Epaminondas militem, excubias agentem, somno oppressum offenderet, ferro ipsum continuò trajecit, inquiens: Qualem te invenio, talem te relinquo.

Idem eveniet die novissimo illis, quos Dominus in somno peccatorum & securitatis offendet, ut in peccatis suis morti secundæ tradantur, quæ illos cruciabit & depascet in æternum, Psal. 49. v. 15.

Dum igitur adhuc Hodie dicitur, à morte peccatorum surgamus, ne æternus somnus, vel mors potius nos opprimat.

Quando dormienti acclamamus, vel coagitamus, somno ille solvitur: Verùm peccatorum somno multi adeò profundè immersi sunt, ut nullo clamore, coagitatione nullâ excitari possint; verùm continuò in ebrietate, avaritiâ, fœnore aliisque peccatis impiè stertant, dicentes cum servo illo nequam: Moram facit Dominus meus venire, Matth. 24. v. 28. super hos jam dudum sententia lata à Domino, qui non se misertum professus est omnibus, qui operantur iniquitatem, Psal. 59. v. 6.

Si igitur sapis, mi Christiane! observa horam, quæ jam adest, ut de somno peccatorum surgas, Rom. 13. v. 11.

Quamprimum Persarum Rex primo mane vocem in hoc ipsum destinati ministri

nistri audivit: Surge Rex, & age curam negotiorum tuorum! extemplò ille surrexit. Idem tibi observandum, mi Christiane. Si tibi à verbi Præcone, qui curam salutis tuæ agit acclamatur, surge! evigila! ut statim exsurgas à mortuis, qui dormis, Eph. 5. v. 14. & salutem tuam cum timore & tremore opereris, Phil. 2. v. 12. Nam ab hoc momento pendet æternitas, quod virgines fatuæ suo damno expertæ sunt, Matt. 25. v. 12.

III. *Ardenter ora.* Sic enim Servator: Vigilate itaque omni tempore, orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

Hoc pernecessarium est. Vivimus enim in mundo, qui juxta Lutherum nihil aliud est, quàm stabulum pessimorum hominum, & licet summa curâ provideamus nobis, facilè tamen fieri potest, ut à Diabolo per concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis & superbiam vitæ inescemur, & ita naufragium salutis faciamus, 1. Tim. 1, v. 19.

Ideò subindè cum Ecclesiâ precemur:

Tentationem ne feras,
Cum nos malignus Satanas,
Captat sinistrè, dexterè,
Da fortiter resistere,
Firmâ cataphractos fide,
Sanctique Spiritus ope.

Item:

Me mundus en! mendaciis,
Vafrisque fraudulentiis
Lacessit atque minis:
Tuére me
Discrimine
A machinis malignis.

Id non frustraneum erit; multum enim valet deprecatio justi assidua, Jac. 5. v. 16. Ideò ne dubitemus, quin, quæ oraverimus, impetraturi simus, ut vitâ justè, temperanter & piè actâ digni habeamur, stare ante Filium hominis, audientes vocem amabilem: Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum ab exordio mundi. Et ita ibimus in vitam æternam, Matth. 25. v. 34. 46. Quam JEsus nobis omnibus largiatur, Amen.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Evangelium Matth. 11. *v.* 2. 11.

EXORDIUM.

CUm Mosi à numine divino mors intimaretur, de nullâ re ille magis sollicitus erat quàm de Israëlitarum salute, ut in vera & salvifica cognitione illi conservarentur, hinc non modò benedictione eos affecit: sed variis quoque utilibus doctrinis instruxit, quas post obitum suum observare deberent, Deut. 31. v. 14. seqq. Hoc præclarum exemplum est. Moses geminum munus gessit, fuitque non modò Propheta, sed & Princeps populi Israëlitici, ideò meritò ejus curam habuit, quippè qui quà animam & corpus ipsi concreditus fuit.

Sic adhuc hodie animarum Pastores & Magistratus ovicularum sibi concreditarum rationem habeant, quò illi pòst obitum quoque salutarium earum admonitionum, quas viventes reliquerunt, memoriam faciant, 2. Petr. 1. v. 15. Plerumque enim accidere amat, ut Leontius dixit: Hâc nive liquefacta (canos capitis ostendens) multum erit luti, h. e. varia mala ingruent, tàm in Ecclesia, quàm Politia. Id variis modis fieri potest. Quandoque enim surgit Rex novus, sicut in Ægypto, qui ignorat Joseph, Exod. 1. v. 8. Sive Diabolus lupos graves mittit, non parcentes gregi, Act. 20. v. 29. ideò peropus est, ut illi, quibus inspectio à Deo mandata est, non modò assiduè vigilent in vita sua: sed & ordinent, quò post mortem quoque pretiosum verbi salvifici depositum incorruptè conservetur, & ad posteros propagetur.

De Imperatore Theodosio memorat Ambrosius, quod morti vicinus salutem Ecclesiæ magis quàm valetudinem suam curaverit. Sic & Paulus Romæ incarceratus aliquot Epistolas scripsit, ad Galatas, Gal. 6. v. 11. ad Ephesios, Eph. 6. v. 24. ad Philippenses, Phil. 4. v. 23. ad Colossenses, Col. 4. v. 18. posteriorem ad Timotheum, c. 4. v. 22. & ad Philemonem v. 25. ideò inquit, quod quamvis affligatur usque ad vincula, quasi malè operans, verbum Dei tamen non alligatum sit, 2. Tim. 2. v. 9.

Egregium quoque hujus rei habemus exemplum in Baptistâ, qui nihil prius neque antiquius habuit, ubi jam in castello Machero incarceratus fuit, quàm ut discipuli sui, qui adhuc vacillabant, ignorantes, cui Messiæ honorem darent, Christone, an Johanni, in veram viam reducerentur, & eum agnoscerent, cujus prodromus ille fuerat, ideò duos ex illis ad Christum mittit, quæsitum: Tu es, qui venturus es, an alium expectemus? Non quidem propter se, quem id non fugiebat, siquidem Messiam in utero materno saltu præ gaudio salutaverat, Luc. 1. v. 41. baptizaverat, Matth. 3. v. 15. & digitis monstraverat, Joh. 1. v. 29. sed propter discipulos suos, ut ex falsa opinione liberati, clarè perspicerent, se non Messiam esse, sed præmissum duntaxat ad viam Messiæ parandam. Id quod pluribus in prælectâ Pericope describitur, ex quâ pro instituti ratione meditabimur:

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J J.

Exegesis.

MUndus hic nil aliud est, nisi vallis lacrymarum, Psal. 80. v. 6. primò ratione peccati, in quo homo non modò concipitur & nascitur, Psal. 51. v. 7. sed sæpè malitiosè volutat se, & hoc ipso temporales & æternas pœnas sibi attrahit, Jer. 2. v. 19. Deindè quoque ratione multiplicis miseriæ, cui à die exitus de ventre matris, usque in diem sepulturæ subjecti sumus, Sir. 40. v. 1. Ideò triplicem Querelam non incommodè primo loco tractamus ex Evangelio, quam movebit

I. *Piorum opprobrium.* Exemplum habemus in Johanne Baptistâ, de quo Evangelista refert, quod in vinculis opera Christi audierit. In hanc conjectus fuerat vir integerrimus, non ob malefactum aliquod: sed quia Herodem, qui conjugem suam legi-

legitimâ filiam Regis Aretæ repudiaverat, fratris germani Philippi uxore in ejus locum assumtâ, quâ cum in incestu vivebat, publicè objurgaverat, expressè ipsi exprobrans: Non licet tibi habere uxorem fratris tui: propterea Tyrannus excandescens carceri eum inclusit, in quo post annum & tres menses capite truncatus legitur, Marc. 6. v. 18. seqq.

Hanc mercedem pii verbi Præcones semper reportarunt. Quia enim sermo, quem prædicant, est sermo veritatis, Jac. 1. v. 18. qui sine personarum respectu, magnis & parvis, sive audiant, sive negligant, annunciandus est, Ezech. 3. v. 11. facilè patet, quod à mundo parùm gratiæ iniri possit, juxta Comicum:

Obsequium amicos, veritas odium parit. Odio enim habent corripientem in portâ, Amos 5. v. 10. Hinc exilium Eliæ, 1. Reg. 19. v. 1. seqq. Hinc odium Michæ, 1. Reg. 22. v. 17. seqq. Hinc plagæ & incarceratio Jeremiæ, Jer. 37. v. 15. c. 38. v. 6. ut plura exempla omittamus.

Idem adhuc hodiè evenit omnibus iis, qui officio suo fideliter præsunt. Neque enim Diabolus melior factus est, sed habet iram magnam, sciens, quod modicum tempus habeat, Apoc. 12. v. 12. Prætereà finis mundi magis magisque appropérat, & quia Christus prædixit, fore sicut in diebus Noë, Matth. 24. v. 38. facilè conjicere possumus, veritatem paucis acceptam, multis verò invisam fore, siquidem Spiritui sancto minus tùm obtemperabant, Gen. 6. v. 3. Sic adhuc hodie filii hujus seculi antiquam cantilenam canunt: Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, Esa. 30. v. 10, 11. Quod si verbi Præcones, conscientiæ rationem habentes, officio suo fideliter funguntur, nil nisi acerbissimum odium pro labore accipiunt, quod sæpè viduæ & liberos eorum sequitur. Id illi æquo animo ferant, & hâc consolatione se sustentent, quod merces sua copiosa futura sit in cœlis, Matt. 5. v. 12. Ubi fulgebunt instar firmamenti, Dan. 12. v. 3.

Intereà ingratus mundus vel maximè mirandus est, quod viris ejusmodi optimè de se merentibus, tàm iniquam mercedem persolvat, & malitiosè in exitiû ruat, quod quidem impunè Deus non relinquet. Qui enim reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus, Prov. 12. v. 13.

Verbi Præcones autem cogitent, ea nunc tempora instare, de quibus Paulus prædixit, quod sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Doctores: ideò instent opportunè, importunè, arguendo, increpando, exhortádo in omni longanimitate, & doctrina, 2. Tim. 4. v. 2. sicut Johannes adhuc in carcere discipulos suos ad Christum misit. Hoc nisi verbi Præcones fecerint, væ illis, 1. Cor. 9. v. 16.

II. *Mundi judicium.* Id Christus innuit, quando dimissis Johannis discipulis ad populum ait: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam &c.

Hinc colligi potest, Johannem quidem multos auditores habuisse, ut etiam ex Matth. 3. v. 5. constat: Verùm non omnes ad discendum, sed ad novellas audiendum & videndum venerant, quod adhuc hodiè fieri amat. Occurrunt enim

1. *Vertumni*, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, Eph. 4. v. 14. sicut multos ex Primariis à fide apostatare videmus, non conscientiâ, sed lucro adacti, qui

Deum ventrem constituerunt, Phil. 3. v. 19.

Quemadmodum vero arundo ad nihil prodest, nisi ut igni mancipetur & comburatur: Ita leves ejusmodi homines non melior merces manet. Væ inconstanti corde! Sir. 2. v. 14. & seqq.

2. *Delicatuli*, qui mollibus vestiti sunt: ideoque tales præcones exoptant, qui non omnia ad amussim exigant, sed moribus suis sese attemperent, sicut Saul olim dixit, Honora me coràm populo, 1. Sam. 15. v. 30. Tales diligunt gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei, Joh. 12. v. 43.

Quia verò hi reprehensiones Pastorum ferre recusant: ideò Deus ipse tandem caput & caudam disperdit, ramum & truncum depravat, Esa. 9. v. 14. Si enim cum peditibus currens defatigationem sensisti; quomodo contendere poteris cum equis, Jer. 12. v. 5. q. d. Deus: à ferre nequis objurgationes & reprehensiones, quæ verbis fiunt ad emendationem tuam: quomodo sustinebis, quando Satanas potestatem suã in te exercebit, in inferno pœnam daturus, interitum æternum à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

3. *Curiosi*, qui ideò templum frequentant, ut Prophetam videant. Hinc videmus homines certatim confluere, si fortè novus Concionator suggestum adscendat, quem tamen mox post paucas conciones fastidiunt. Cum Christus in deserto turbam cibasset, omnes eum laudibus extulerunt, clamantes: Hic verè Propheta est, qui in mundum venturus est, Joh. 6. v. 14. sed non multò post tædio ejus capti, ingeminarunt: Crucifige, crucifige, Joh. 19. v. 15.

III. *Frequens offendiculum*, quod multos retrahit, ne ad Evangelium convertantur. Idipsum Christus prævidit, propterea ait: Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

Christi servatoris fortuna miserabilis fuit. Licet enim mater, & pater ejus putativus Joseph è Regiâ Davidis stirpe prognati fuerint: attamen præ inopia, ut alii plebeji manu sua victum quæsiverunt. Natus est Servator Bethlehemi in obscuro stabulo, pannis laceratis involutus, cunabulum ejus præsepe, lectus fœnum fuit. Quinimò ne alimenta ei deficerent, Magos ex oriente Deus adduxit, qui viatico ipsum instruxerunt, Matt. 2. v. 12. In tenera infantiâ, ob Herodis insidias, in Ægyptum fugere coactus est. Ex Ægypto remeans parentibus suis subditus, patrique putativo adjutor in opere fabrili fuit. Ministerium inchoans piscatores ad Apostolatum elegit: Publicanos & peccatores convictores habuit, nihil possidens proprii, ex aliorum collatione vitam sustentavit, unde haud abs re conqueritur, Matt. 8. v. 20. Tandem Hierosolyma asino commodato ingressus, non multò post à Judâ proditus, à Petro abnegatus, & à reliquis discipulis derelictus fuit. Judæi eundem & milites velut maleficum ceperunt, illuserunt, flagellarunt, spinis coronarunt, & tandem in crucem sublatum necarunt. In cruce miseris modis à Deo se derelictum conquestus, ab omnibus contumelia affectus, & post mortem alieno sepulchro impositus fuit.

Ecce! hic noster Messias & Dominus est, in quo confidimus. Quid existimatis Dilecti! si nos tempore Christi, ubi in despecta servi forma ille incessit, vixissemus, anne ipsum pro Messia agnovissemus? Vereor

Vereor sane, ne & nos in ipso scandalizati, dixissemus cum Judæis: Nolumus hunc regnare super nos, Luc.19. v.14.

Caveamus proinde, ne externus Ecclesiæ splendor oculos nobis obfuscet, est enim pusillus grex, Luc.12. v.32. imo misera, tempestate convulsa absque omni consolatione, Esa.54. v.11. Quod si ex externâ pompâ & Majestate judicanda illa, Turca & Pontifex Romanus palmam illi præriperet. Verum Regnum Dei non venit cum observatione, Luc.17. v.20. sed in ostensione spiritus & virtutis, 1.Cor.2. v.4.

Licet enim sponsa Christi exterius fusca est, quia Sol tribulationis eam denigravit, Cant.1. v.6. attamen omnis ejus gloria ab intus est, Psal.45. v.14. Die novissimo apparebit, quid intersit, Mal.3. v.18. Quando vita nostra quæ jam abscondita est cum Christo in Deo, apparebit cum ipso in gloriâ, Col.3. v.4. Sap.5. v.17. Impii contra tristissimam sententiam audient: Abite maledicti in ignem æternum, Matth. 25. v.4.

De Secundo.

Sequitur nunc Medela, quæ fluit

1. *Ex pauperum Privilegio*, de quo Servator: Pauperes evangelizantur. Per pauperes hic non intelliguntur ex Eleemosynis viventes, uti Lazarus, Luc.16. v.21. aut alio defectu laborantes, sicut vidua Sareptana, 1. Reg.19. v.12. sed omnes mœsti & tentati, qui gravem peccatorum molem in conscientiâ sentiunt, & nil nisi iram Dei & æternam condemnationem ante oculos conspiciunt. His Christus Evangelium prædicari jussit, quod lætum est nuncium, de gratuitâ peccatorum remissione, quam nobis Christus sanguine & morte suâ acquisivit, Joh.1. v.17.

Excitare hæc lætitiam in nobis possunt. Nos quoque naturâ inopes & miseri sumus. Diabolus per peccata nos corrupit, nec modò elegantem concreatæ justitiæ & sanctitatis ornatum exuit nobis: sed & mortiferis vulneribus adeo nos depravavit ut â plantâ pedis usque ad verticem nihil integrum in nobis inveniatur, Esa.1. v.6. Verum per Evangelii vocem nos refocillatos vivificavit, siquidem ex hâc ipsâ causâ est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom.1. v.16.

Cum Noë in arcâ conclusus in magnis angustiis versaretur, dimisit columbam ex arcâ, quæ venit ad eum circâ vesperam, & ecce! ramum olivæ decerptum portavit in ore suo. Intellexit ergo Noë, quod cessarint aquæ super terram, Gen.8. v.11.

Ramus olivæ denotat Evangelium, sive concionem consolatoriam de Christo, ejusque merito: hoc Christus nos quasi refecit in mundi hujus vesperâ, ut inde colligere queamus, fluctus iræ divinæ cessare nunc, nosque cum Deo reconciliatos esse per Christum, in quo nos gratificavit, Eph. 1. v.6. Justificati enim fide pâcem habemus cum Deo, Rom.5. v.1. hæc gratiæ columba etiam Johanni in carcere advolavit, eique jucundum olivæ ramum attulit, ut in carcere opera Christi audierit.

Adhuc hodie dictum Evangelii consolatorium menti tentatæ gratius est super millia auri & argenti, Psal.119. v.72. Medicorum & medicamentorum levamen sæpe frustra adhibetur, sicut mulier hæmorrhousa experta, Luc.8. v.43. Verbum DEI au-

autem usus ad animam penetrat, eandem convertens, Psal.19.v.8. Quinimo vera panacæa est, quæ sanat omnia, Sap.16. v.12.

Hinc consolatio redundat in pauperes, quod si corporalibus refectionibus destituantur, sciant illis Christum ipsis optimam medicinam præparasse in Evangelio, quod ipsis prædicari jussit. Hoc enim efficacissima perlarum aqua est, quâ corda nostra roborantur & servantur ad vitam æternam. Hinc Servator ipse Regnum Dei comparat homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.

Inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam, Matth.13.v.46. Hoc de Evangelio intelligendum, quod melius margaritis, & omne desiderable ei non potest comparari, Prov.8.v.11.

2. *Ex Ioannis encomio.* Abeuntibus enim discipulis, cœpit Jesus dicere ad turbas de Johanne, cujus laudes adeo extulit, ut eum Mosi omnibusque Prophetis longe prætulerit. Illi enim de futurâ gratiâ & Christo incarnando prophetaverunt, 1. Petr.1.v.10. Johannes vero digito eum monstravit, dicens: Ecce agnus Dei, Joh. 1.v 29.

Sine dubio de Johanne tam varia judicia lata sunt, aulicis præsertim ob liberam παῤῥησίαν eum condemnantibus, & incarcerationem ejus approbantibus. Propterea Christus ipse præclaro eum encomio mactar, ejusque innocentiam publicè asserit. Hæc laus magnæ ipsi gloriæ est. Non enim, qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Dominus commendat, 2. Cor.10, v.ult.

Inveniuntur φίλαυτοι, qui dona sibi à Deo concessa satis admirari nequeunt, hinc inanem gloriam ab aliis captant, imaginantes sibi, cum morte suâ interituram sapientiam, Job.12.v.2. hinc cristas tollunt, dicentes: Nos poma natamus, Zeph.2.v.15. Verum optime in eos quadrat, quod Cato dixit:

> Nec te culpabis, nec te laudaveris ipse,
> Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Hinc Salomo: Laudet te alienus, & non os suum, Prov 27.v.2.

Genuini Christiani Johannis vestigiis insistant, seque laude dignos exhibeant, nec deerunt, qui laudent eos. Si non in præsente mundo, certè die novissimo fiet, ubi laus cuique erit, qui eandem meritus est, 1.Cor.4.v.5.

3. *Ex oraculo prophetico*, quod Servator ad Johannem applicat, inquiens: Hic est, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum, ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

Hæc verba desumta sunt ex tertio cap. Malachiæ, qui teste Luthero, omnium Prophetarum postremus fuit, nec multo ante Christi nativitatem docuit.

Vox Græca Ἄγγελος nuncium sive legatum significat, qui eo fine mittitur, ut oretenus quicquam annunciet. Ejusmodi nuncius fuit Baptista, qui Judæis lætum illud nuncium attulit, quod Messias incarnatus sit, & Regnum Dei appropinquaverit, Matth.3.v.2.

Hoc vero titulo non Johannes duntaxat, sed & omnes Ecclesiæ ministri in Scripturâ insi-

insigniuntur, qui legatione pro Christo funguntur. Vide Mal.2.v.7. Esa.33.v.7. Eccles.5.v.5.

Ita appellantur illi *propter officii præstantiam.* Quemadmodum enim S. Angeli mandatum Dei fideliter expediunt, tanquam servi & apparitores ejus, Psal.103.v.20. Sic & fideles verbi Præcones servi Domini sunt, qui stant in domo Domini, in atriis domus Dei nostri, Psal.134.v.1.2. annunciantes auditoribus suis omne consilium Dei, de salute sua, Act.20.v.27. ut sciant quid sit bonum, & quid Dominus requirat à se, Mich.6.v.8.

Hoc consolationi inservit

1. *Pastoribus.* De Ambrosio refertur, quod Angelus veste candida amictus, eundem brachiis amplexus penes eum in suggestu steterit. Idem hodieque accidit. Verbi ministri Diabolo ejusque asseclis sudes in oculis sunt: qui ob flagitia & peccata reprehensi, variis technis illis insidiantur, & operosi sunt in operibus injuriæ, Sir. 10. v.6. Verum hoc ipso minime terreantur: Angelus enim Domini castra metatur in circuitu timentium se, Psal.34.v.8. 2.Reg. 6.v.16.

2. *Auditoribus.* Quando Deus in V. T. Angelum ablegavit ad homines: id pro singulari gratiæ signo habuerunt. Ita ingens Dei beneficium est, quod ille ad Ecclesiam suam Angelos mittit, qui nos à recta calle aberrantes in viam reducunt in eremo mundi hujus, ut Hagar, Gen.21.v.4. Ideo rogemus eum ut hanc gratiam porrò quoque continuare dignetur: donec accedamus aliquando ad multorum millium Angelorum frequentiam, Hebr.12. v.22. concinentes cum iisdem elegantissimum illud τρισάγιον, Esa.6.v.3.

De Tertio.

Superest Cautela, quam tribus absolvemus Regulis, quarum

1. *Christum inquire.* Id nos Joannes exemplo suo docuit. Mittens enim ad Christum duos ex discipulis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectemus? q. d. Tune es promissus mundi Messias? Gen.3. v.15. Tune es semen Abrahæ, Gen.12. v.3 Schilo, Gen.49.v.10. magnus ille Propheta, Deut.28. v.15. filius Davidis, 2.Sam.7. v.12. filius virginis. Esa.7.v.14. Princeps pacis, Esa.9.v.6. Dux Bethlehemiticus, Mich.5.v.2. Desiderium gentium, Hagg. 2.v.8.

Hæc quæstio magni momenti fuit, ratione discipulorum ejus, qui hîc in errore versabantur, majoris facientes Præceptorem suum, quam Christum ipsum, ideo quo scrupulum hunc illis eximeret, eos ad Christum, miraculis tum occupatum misit, ut ex verbis & operibus ejus deprehenderent, quis Messias, & quænam officii ejus ratio esset?

Nos exemplo ejus instructi, operam demus, ut curæ nostræ concreditos, Christo adducamus, quo in agnitione ejus indies crescant, hæc enim vita æterna est, Joh.17. v.3. Joh.8.v.24.

Notent hanc Regulam

1. *Docentes*, ne propriam gloriam quærant: sed Auditores suos unice ad Christum relegent, extra quem non est salus, Act. 4. v.12. Hinc Paulus: 1. Cor.2. v.2. 1. Cor.3. v.11.

Discipuli à Christo ad adducendam asinam missi, non ipsi vehebantur super illa, sed Christo eam adducebant, cum desuper sedere

ſedere facientes, Matth.21.v.7. Ita Doctores auditores ſuos Chriſto adducere debent, ut à ſpiritu ejus ſe regi ſinant. Qui enim Chriſti ſpiritum non habet, non eſt ejus, Rom.8. v.9.

2. *Regentes*, ut non modo ipſi filium oſculentur, Pſal.2. v.12. & Evangelio portas elevent, quo gloriæ Rex introëat, Pſal.24. v.7. ſed & ſubditos Chriſto adducant, ita ut cultum ejus promoveant, & curent, quò Eccleſiis & Scholis ritè conſtitutis pueri in pietate creſcant, velut arbores juſtitiæ, plantatio Domini, ut glorificetur, Eſa.61. v.3. Ideo nutricii & nutrices Eccleſiæ appellantur, Eſa. 49.v.23.

3. *Parentes*, ut non modo eò incumbant, quo filiis ſuis theſauros colligant: ſed de eo imprimis ſolliciti ſint, ut ad Chriſtum delati, ad ejus gloriam educentur, exemplo Abrahami, Gen. 18. verſ. 19.

Id magno honori Parentibus erit, quando aliquando coram Deo ſtare poſſunt, dicentes: Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Dominus, Eſa.8. v.18. Quibus Dominus reſpondebit: Euge bone ſerve, Matth.25. v. 23.

2. *Scandalum cave.* Hîc audimus Servatorem dicentem: Beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me.

Scandalum potiſſimum duplex eſt: primo *datum*, quando falſâ doctrinâ vel vitâ impiâ proximo offendiculum præbemus, quo ipſo ad malum incitatur. Vocatur aliàs Activum: quia ſcandalizantis actio proximum ad mala ſeducit.

Secundo *Acceptum*, quando in eo offendimur, ubi nulla ſcandali ratio ſubeſt: ſicut Phariſæi & Scribæ in Chriſti Perſonâ, doctrinâ & miraculis offendebantur, quæ tamen merito accipere, & magni facere debuiſſent. Vocatur à Scholaſticis ſcandalum paſſivum, quia in eo ocurrit Scandalizati paſſio, quâ proximus ſine culpâ alterius Diaboli inſtinctu, ſcandalizatur, & ad peccatum adducitur.

Utrumque declinemus oportet. 2.Cor. 6.v.3. Væ mundo à ſcandalis, Matth.18. v.6. ſed & caveamus, ne Chriſtus nobis fiat lapis offenſionis, qui per ſe poſitus eſt in ſalutem & reſurrectionem multorum in Iſraël, Luc.2.v.34.

Noli offendi in Chriſti Perſonâ velut Judæi, quod ille in magna inopia in terris natus, vixit & mortuus eſt. Humilitate enim ſua expiavit ſuperbiam noſtram, obedientia inobedientiam, paupertie ſua nobis peperit cæleſtes divitias.

Noli offendi in doctrina ejus, quæ rationi adverſatur, ideoque à ſapientibus hujus deſpicitur. Eſt illa & manet æterna veritas, adverſus quam portæ inferorum non prævalebunt, Matth.16.v.18.

Noli ſcandalizari Sacramentis, ſed in captivitatem redige intellectum tuum, in obſequium Chriſti, 2. Cor. 10. v. 5. Qui enim dixit: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, Accipite & bibite, hic eſt ſanguis meus: ille præſtabit quod promiſit, licet modum, quo fiat, comprehendere non poſſimus, novit enim facere ſuperabundanter, quam petimus aut intelligimus, Eph 3.v.20.

Ne

Ne offendatis Ecclesia ejus, quod populus pauper & egenus, Zeph. 3. v. 12. & pusillus grex, Zach. 12. v. 32. & præterea tantis tribulationibus obnoxia est. Sponsa non opimiorem fortunam desiderare debet, quam sponsus. Dispono vobis Regnum, sicut mihi Pater meus disposuit, Luc. 22. v. 29.

Ne scandalizeris in vili verbi Præconum Persona, quod infirmi homines sunt, portant enim Thesaurum Evangelicæ veritatis in vasis fictilibus, 2. Cor. 4. v. 7. & pro CHristo legatione funguntur, 2. Cor. 5. v. 20. qui ipsos audit Christum audit, & qui ipsos spernit, Christum spenit, Luc. 10. v. 16. grave illis erit adversus stimulum calcitrare, Act. 9. vers. 5.

3. *Voluptatem fuge.* In præsente Evangelio audimus, Servatorem cum mollibus & delicatulis, qui voluptati se dedunt, & carni nimium indulgent, non adeo contentum esse, quale exemplum Christus in divite Epulone proponit, Luc. 16. v. 19.

Eo abstinendum est, & ita carnis cura habenda, ne transeat ad desideria, Rom. 13. v. ult. Ante omnia vero animæ rationem habeamus, ut eam ab hoc seculo immaculatam custodiamus, Jac. 1. v. ult. Mundus enim transit & concupiscentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

Qui in ædibus ruinam minitantibus habitant, & à prætereuntibus monentur, ut periculo se subducant, non diu tergiversantur, sed salvant se & facultates suas, ne forte damnum & vitæ & fortunarum patiantur.

Et nos in ædibus ruinosis habitamus: mundus ejusmodi domus est, Deus vero quotidie per ministros suos prædicit nobis, quod mox ruitura sit, eccur igitur tam stolidi sumus, ut diligamus eam. O dilecti, tempus breve est, reliquum est, ut qui habent uxores &c. 1. Cor. 7. v. 79. seqq.

Mulus Absolonis perferebat ipsum usque ad condensam quercum: pendente vero Domino ejus de quercu, & capillis suis inter cœlum & terram hærente, pertransibat mulus, cui insederat, donec Joab advēturiret, & tribus lanceis cor ejus trajiceret, 2. Sam. 18. v. 9. seqq. Ita mundus amatores suos aliquamdiu circumagit, donec terrenis concupiscentiis probe implicati sunt, tum transit, & relinquit impios in peccatis suis pendentes, ut in iis moriantur & pereāt. Ideo summa hic cautione opus est. Quid enim prodesset homini &c. Matt. 16. v. 26. Valedicens igitur mundo, in Domino delectare, ille dabit tibi petiones cordis tui, Ps. 37, 4. & post hanc vitam æternam salutem, ubi anima tua in pinguedine saturabitur, Esa. 55. v. 2. cum Christo inveniens vitam & abundantiam, Joh. 10. v. 11.

Hanc Jesus omnibus nobis largiatur, Amen.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Evangelium Ioh. I. *v.* 19. 29.

EXORDIUM.

CUm olim viri Ephraim seditionem moverent adversus Jephte, & consurgerent in prælium adversus eum, quia vadens ad pugnam contra filios Ammon eos non vocaverat & socios belli sibi adjunxerat: Jephte vocatis ad se cunctis viris de Galaad, pugnavit contra Ephraim, percusseruntq; viri Galaad Ephraim. Et quo nemo Ephraimitarum effugere posset, occupaverunt Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephraim reversurus erat.

Cumque fugientes venirent dicentes: Obsecro, ut me transire permittas: dicebant eis Galaaditæ: Nunquid Ephrathæus es? Quo dicente, non sum, interrogabant eum: Dic ergo Schibboleth, qui respondebat, Sibboleth, & non valebat loqui sic. Statimq; apprehensum jugulabant, in ipso Jordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim, quadraginta duo millia, Jud. 12. v. 1. 6.

Hanc Historiam non inconcinnè applicare possumus ad statum Ecclesiæ in his terris, ubi boni & mali, sinceri & hypocritæ promiscue vivunt; licet enim omnes ore dicant, Domine, Domine, Matth. 7. v. 21. attamen plurimi speciem saltem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegant, 2. Tim. 3. v. 5.

Ex illis offerunt sese Simplicistæ, sive fratres ignorantiæ, qui de fide non multum solliciti semper discunt: sed nunquam ad agnitionem veritatis perveniunt, 2. Tim. 3. v. 7.

Occurrunt Neutralistæ, qui ex utraque parte claudicant, 1. Reg. 18. v. 21. & neque calidi neque frigidi sunt, Apoc. 3. v. 15.

Inveniuntur Æquivocistæ, qui aliter loquuntur ac sentiunt, & sub verbis æquivocis venena sua occultant, & hoc ipso simplicioribus imponunt, ut à veritate inopinati abducantur, quale in Galatis exemplum habemus, Gal. 5. v. 7.

Paucissimi, prout decet, confessionem suam edunt, exemplo Joannis Baptistæ, de quo Evangelista in prælecto Evangelio: Et confessus est, & non negavit, & confessus est; quia non sum ego Christus. Hoc permagni refert. Corde enim creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem, Rom. 10. v. 10.

Interea nos id ita ferre cogimur: Dominus haud dubie die novissimo separationem instituet, & neminem vada Jordanis transire sinet, qui non corde & ore credit & confitetur, quod Jesus Christus promissus mundi Messias sit, Joh. 20. v. 31.

Id hodie à Baptistâ discere debemus, qui

qui nobis hoc fine in prælectâ Pericope proponitur, ut videamus quomodo neque oblato Messiæ honore, neque amplissimis illis divitiis, quas ipsi Judæi offerebant, commotus sit, ut Judæorum sententiæ adstipularetur, sed semper in negativâ, quod non sit, perseveravit. Id in Ecclesia Christianâ adhuc hodie ad magnam ejus gloriam prædicatur, & prædicabitur usque ad finem mundi. Quin & in adventu Domini magnæ id ei gloriæ erit. Qui enim confessus me est coram hominibus &c. Matth. 10. v. 32. 33.

Nos absque ulteriori præambulo ad ipsam Pericopen accedemus, meditaturi ex instituto:

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

JJ.

Exegesis.

Ante octiduum audivimus, quomodo Iohannes Baptista, duos ex discipulis suis ad Christum miserit, ut quærerent: an esset, qui venturus est, an alium expectarent? Iam de aliâ legatione audimus, quam Pontifices Hierosolymitani ad Iohannem Baptistam in desertum ablegarunt, cum eadem quæstione, An sit qui venturus est, an alium præstolarentur? verbo: promissus mundi Messias. Quemadmodum igitur Servator affirmative respondit, se illum ipsum esse: ita Iohannem negative quod non sit, respondere percipimus, ait enim: Non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Helias es tu? & respondit: Non: sed vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini: sicut dixit Esaias Propheta.

Querela repræsentat

1. *Pompam malignantium.* Judæi enim ad Baptistam mittunt non ex plebe homines, sed Sacerdotes & Levitas, & ex illis præstantissima haud dubie subjecta, experientia, senio, & eruditione inclyta. Illi nomine Sanhedrim quærere jubentur, quis sit, & quis ei licentiam dederit, non modo in deserto docendi, sed & baptizandi, ex quâ autoritate novam hanc doctrinam profiteatur, quæ hactenus incognita fuerit. Hoc ipso Johanni terrorem incutere volunt, ut ad animũ revocet, quanti momenti res sit, & plena periculi novitati deditum esse. Quod sane Proceres Hierosolymitani non adeo impune abire sinent.

Quodsi Pontificiam Ecclesiam spectamus, eamque cum Judaicâ, qualis tempore Christi erat, comparamus: non magnum discrimen intererit, imprimis, quod externam pompam concernit.

Illi confidebant in Hierosolymorum urbe, clamantes: Templum Domini, templum Domini, Jer. 7. v. 4. Ita Pontificii semper ostentant Ecclesiam Romanam Catholicam, nobisque persuasum eunt, quod errare nequeat. Verum experientia contrarium probat. Virginem enim illam quæ Pauli tempore Romæ fuit, nunc vitiatam esse vel ex ipsa ad Romanos Epistolâ patet, ut non immerito exclames: Quomodo facta est meretrix civitas fidelis? Esa. 1. v. 21. ideo vana Ecclesiæ Romano-Catholicæ ostentatio est, quia à Doctrina Pauli declinavit. *Non valet in Ecclesia loci, sed doctrina & veritatis successio*, inquit Tertullianus, Ioh. 8, v. 31.

Illi confidebant in multitudine & Procerum applausu. Ibi enim domicilium suum habebat Pontifex maximus, ut & Synedrium constans ex septuaginta Personis do domo Davidis: erant quoque ibidem quadringenti & triginta collegia, Professoribus & viris eruditis optime instructi, ideoque ad Iohannem non unum atque alterum, sed ex omni ordine aliquos ablegant, qui autoritate sua Iohanni glaucoma objiciant, ut se ad eorum nutum componat.

Quid familiarius Pontificiis hodie est, quam ut in multitudine confidant, & hoc ipso simplicioribus palpum obtrudant? Quoties Ecclesiam Catholicam per totum Orbē dilatatam jactant? Quoties Imperatorem Romanum, tot Reges, Principes, Episcopos, Prælatos, Monachorum & Canonicorum Collegia prædicant? quorum respectu nos quasi stillam situlæ, Esa. 40. v. 15. lampadem contemtam, Iob. 12. v. 15. & quasi tuguriolum, in quo pernoctant in cucumerariis hortis, Esa. 1. v. 8. æstimant.

Id nos minus offendere debet: Multitudo enim errantium, non parit errori patrocinium. Deus novit, qui sint sui, 2. Tim. 2. v. 19, Si ex multitudine Ecclesia vera censenda esset, ubi tempore diluvii, quo vix octo animæ servabantur, Gen. 6. v. 18. item tempore Abrahami, Gen. 11. v. 31. in deserto, Exod. 32. v. 15. tempore Eliæ, 1. Reg. 18. v. 18. fuisset? Iccirco neminem id terreat. Impii semper numerum piorum exsuperant. Matth. 7. v. 13.

Cum Imperator Constantinus Liberio Episcopo solitudinem objiceret dicens: Quota pars tu es Orbis terrarum? Respondit ille: Mea solitudine non minuitur verbum fidei. Hæc tua consolatio esto, mi Christiane! quando vespera tibi ingruere videtur, Luc. 24. v. 29. Sancti defecerunt, Psal. 12. v. 2. Apostasia magna est, 1. Tim. 4. v. 1. In uno & altero potest esse Ecclesia, Tertulliano asserente. Ubi duo vel tres, &c. Matth. 18. v. 20.

Imprimis verbi Præcones caveant sibi, ne autoritate filiorum seculi hujus commoveantur, ut in officio suo remissius agant. Hic sanctuarium & domus Regni est, dicebat Amasia ad Amos, Amos. 7. v. 13. Non mihi loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, ajebat Pilatus ad Christum, Ioh. 19. v. 10. Hâc tubâ adhuc hodie mundus verbi ministros terrere solet. Verum confidite fratres! Mundus transit & concupiscentia ejus, 1. Ioh. 2. v. 17. Magis obediendum est Deo, quam hominibus, Act. 5. v. 79.

2. *Torporem oscitantium.* Patriarcha Iacobus signum constituerat, si sceptrum de Iuda ablatum esset, Messiam brevi adventurum esse, Gen. 49. v. 10. Daniel adhuc clarius tempus innuerat, Dan. 9. v. 24.

Atqui sceptrum jam tum ablatum erat, septuaginta quoque hebdomades nunc præterfluxerant, ideo ad Baptistam in desertum mittunt, & quia ex matre effœtâ, & vetulâ, prædicente Gabriele Archangelo conceptus & natus erat, & parce & duriter vitam agens de promisso Messiâ non modo docebat, sed & multis inculcabat, eum jam præ foribus; imo in medio eorum esse: novumq; baptismi ritum inchoare, qui hactenus in populo Iudaico minus usitatus fuerat, quæsitum ad eum abe-

abeunt, an fortè Messias sit? Verùm hoc ipso oscitantiam suam clarè produnt. Meritò enim ex Scriptura nosse debuissent, Messiam nascendum fore, non ex Tribu Levi, sed è Tribu Juda, Gen.49.v 8. seqq. non ex vetula, sed ex virgine, Esa.7.v.14. non Hierosolymis sed Bethlehem, Mich.5. v.2. scire quoque debuissent, Messiam non Johannem, sed Emanuelem vocatum iri, Esa.7.v.14. multisque miraculis officium suum probaturum, Esa.35.v.5.6. quale quid Johannes non fecit, Joh.10.v.41.

Videmus hîc Concilia autoritate & eruditione præstantium errare posse, & sæpè toto cœlo errasse. Certè filii viri sunt mendacium, Psal.62.v.10.

Sic mendaces inventi sunt quadringenti illi Prophetæ, quos Rex Achab convocavit, solo Michâ verum loquente, 1.Reg.22. v.6.& 17.

Esaias totum Sacerdotum Collegium speculatores cœcos & canes mutos appellat. Esa.56.v.10.

Nonne insulsus error, quod Pontifices & Scribæ in Concilio suo Christum innocenter in ligno suspenderunt, crucifixerunt & occiderunt? Act.10.v.39.

Sic ex experientia nimium constat, Pontifices Romanos in Conciliis suis multifariàm errasse.

Concilium Neocæsareense sub Leone IV. celebratum, prohibet nuptias secundas, contrà effatum Pauli, 1.Cor.7.v.30.

Concilium Constantinopolitanum imagines venerandas & adorandas esse jubet, contra Dei interdictum, Exod.20.v.4.

Concilium Carthaginense ab hæreticis baptizatos rebaptizandos esse vult, contra expressam Pauli sententiam: Dei dona sunt ἀμεταμέλητα, Rom.11.v.29.

Concilium Constantiense, laicis usum calicis interdixit, contra institutionem Christi, Matth.26.v.28. Marc.14.v.23. Luc.22.v.20.1.Cor.11.v.25.

Concilium Tridentinum cumulum errorum in Ecclesiam introduxit, quod ex ipsis eorum definitionibus constat.

Caveamus, ne per hominum hæc decreta à veritate abducamur. Christus est via, veritas & vita, Joh.14.v.6. hanc amplectimini, non declinantes neque ad dexteram neque ad sinistram, Esa.30.v.1. Gal.6.v.16.

III. *Furorem expostulantium.* Quodsi, ajunt, neque Christus, neque Elias, neque Propheta es, quid ergò baptizas? q.d. quis tibi id mandavit, an nescis Synedrio Hierosolymitano inspectionem deberi? Certè non impunè id feceris: ita certè Proceres nostri te excipient, ut alii exemplo tuo edocti, cautius mercari discant.

Hîc ideam omnium hæreticorum & Pseudo-Prophetarum habemus, qui principiò perhumanos se simulant, aureos mõtes pollicitantes illis, quos ad partes suas pertrahere satagunt; quando verò ad Exemplum Baptistæ constantes manent, omnis favor cessat, & quæritur jus in armis, quod blandis verbis obtineri non poterat. Id à patre Diaboli didicerunt, qui non modò velut mendax ab initio fistula dulce canere novit: sed & homicida est, Joh.8.v.44.

Tales minæ à semel agnita veritate absterrere nos non debent. Exempla constantiæ sunt, socii Danielis, Dan.3.v.17. Septem fratres cum matre sua, 2.Macc.7. v.2. seqq. Ut & matrona illa opulenta, de quâ Basilius refert, quod minis tyrannorũ responderit: Valeat vita, pereat pecunia, famula Christi sum. Sic esto fidelis usque

ad mortem, & reportabis coronam vitæ, Apoc.2.v.10. Dic cum Ecclesia:

Verbum perennat firmiter,
Ingratiis ipsorum,
Est ipse nobis jugiter,
Cum gratia donorum:
Si corpus occidunt,
Et omnia rapiunt,
Omitte tu lætus
Est quæstus his nullus
Regni Dei tu certus.

Rex Navarræ sponsæ suæ arrham donabat anuulum, pretiosissimo Adamante insignitum, in quô Sol & Luna sculpta erant, his verbis in circumferentia adjectis: Semel, simul, semper.

Christus cœlestis noster sponsus est, qui nobis se desponsavit, Os.2.v.19. ideò similem amorem & fidem à nobis exigit, ut stipulationem bonæ conscientiæ, quam cum eo in baptismo semel fecimus, 1.Petr.3.v.21. non malitiose violemus, sed firmiter servemus, servientes ei in justitia & sanctitate coràm ipso, omnibus diebus vitæ nostræ, Luc.1.v.75. qui enim perseveraverit usque in finem, hîc salvus erit, Matth.10.v.22.

De Secundo.

SEquitur nunc *Medula*, quæ derivatur 1. *Ex Baptismi efficaciâ*. Non enim ibi mera aqua est, sed aqua verbo Dei inclusa, hæc pars præcipua & essentialis est, â aqua sanctificatur, ut sit lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, Tit.3.v.5. ideò dicit Baptista: Ego baptizo in aqua; medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis; ipse est, qui post me venit, qui ante me fuit.

Hæc verba non Judæis modò, sed nobis quoque dicta putemus: imprimis verò verbi ministri, qui Johannis munus in Ecclesiâ obeunt, auditores suos ita alloquantur; Ego indignus Ecclesiæ minister puerulos vestros in aqua baptizo: hoc opus quasi humanum spectatis: verùm Servator in medio nostrûm est, eosque Spiritu sancto baptizat.

Ocellus, ut fit, adspicit,
Effusio liquoris;
Sed Spiritu vim percipit
Christi fides cruoris:
Fluenta sanguinis rubra
Videntur hâc tuente,
Quæ cuncta sanant vulnera,
Accepta de parente,
Et quolibet patrante.
Et porrò:
Audite nunc, perpendite,
Baptismus ut vocetur,
Quid Christianus credere
Ut hæresis vitetur:
Adesse vult aquam Deus,
Ast non aquam vult meram,
Vult adsit ut sermo suus
Spirans medelam plenam,
Is hîc agit baptistam.

Hinc baptismi virtus est, ut operetur remissionem peccatorum, liberet à morte & Diabolo, & largiatur salutem æternam omnibus qui id credunt, sicut verba & promissiones Dei sonant. Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, Marc.16.v.16.

Nos semper baptismi fœdus meminerimus, hæc enim consolatio nostra in omnibus adversitatibus est, quod nomina nostra in cœlo scripta sunt, Luc.10.v.20. quod fit

in

in baptiſmo, ubi nova nomina accipimus, ut non amplius vocemur filii iræ, Eph. 2. v. 3. ſed filii Dei & cohæredes Chriſti, Rom. 8. v. 16. 17.

Imperator Auguſtus moriturus, conjugem ſuam Liviam oſculatus eſt, dicens: Livia noſtri conjugii memor vive & vale!

Quodſi igitur jucundum eſt, quod conjuges ſibi invicem fidelitatem in conjugio præſtant: quantò magis noſtri officii erit, ut cœleſti ſponſo noſtro fidem exhibeamus, ſemper fœdus reminiſcentes, quod cum eo in baptiſmo pepigimus. Non obliviſcaris mei Iſrael, ait ipſe, Eſa. 44. v. 21. Reſpondeamus igitur: Si oblitus fuero tui Jeſu, oblivioni detur, dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus, Pſal. 37. v. 5. 6.

II. *Ex Chriſti in medio ſtantis gratiâ.* Stat enim in medio, ut indicet, eſſe ſe Mediatorem Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5.

Prophetæ V.T. multa de Chriſto prædixerunt, & Auditoribus ſuis promiſerunt, quod certò venturus ſit: ſed Johannes eum veniſſe, & medium inter nos ſtare confirmat, quem Patriarchæ, Reges & Prophetæ anxio deſiderio expectarunt.

Nobis adhuc hodie conſolationi id eſt. Licet enim eo modo hodiè nobiscum non ſit, quo tùm cum Judæis verſabatur: attamen pergit ille ambulare in medio ſeptem candelabrorum aureorum, Apoc. 1. v. 13. Matth. 18. v. 20.

Moſes fuit Mediator inter Deum & Iſraelitas, cum lex in monte Sina promulgaretur, Gal. 3. v. 19. Sic Chriſtus Mediator novi teſtamenti eſt, Hebr. 9. v. 15. qui quæ in cœlis & in terris ſunt, reconciliavit, pacificans per ſanguinem crucis per ſeipſum, Col. 1. v. 20.

Quemadmodum enim Mediator plerumque damnum pro præmio reportat: ſic & noſter Mediator multa noſtri cauſa perpeſſus eſt, quin & cruci affixus, inter maleficos numeratus eſt, Eſa. 53. v. 1. Matt. 27. v. 38.

Agnoſcamus igitur ardentiſſimum ejus in nos amorem, dicentes cum pio Monacho Hiltenio, Iſenaci innocenter incarcerato, cum ſacram Cœnam perciperet: O Domine JEſu, tu venis ad me, & ego deberem venire ad te. Jam pleni fiducia dicere poſſumus: Juſtificati fide pacem habemus cum Deo, Rom. 6. v. 1.

Quando igitur, mi Chriſtiane! eſſe cogeris veluti in medio luporum, Matth. 10. v. 16. juxta illud: Mitten wir im Leben sind mit dem Tod umfangen / Mitten in dem Todt anficht uns der Höllen Rachen. Mitten in der Höllen Angst unsre Sünd uns treiben; conſolari nos poſſumus, quod Chriſtus nobiſcum ſit, cum Davide dicentes: Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, Pſal. 138. v. 7.

Caveamus modò, ne Judæorum veſtigiis inſiſtamus, qui Chriſtum agnoſcere nolebant, utut in medio eorum conſiſteret, aliàs exibit de templo, Joh. 8. v. ult. & tandem cum virginibus fatuis alloquetur nos: Non novi vos, Matt. 25. v. 12.

III. *Ex legitimæ vocationis gloriâ.* Ubi enim in reſponſo ejus, quod neque Chriſtus, neque Elias, neque Propheta ſit, acquieſcere nolunt, ſed interrogare pergunt: Quis es, ut reſponſum demus his, qui miſerunt nos? reſpondet ille ex cap. 45. v. 3. Eſaiæ: Ego vox clamantis in deſerto: dirigite viam Domini.

Hic audim⁹, quomodo Baptiſta vocatione ſua

ſua fulciatur, omnibus exemplum præbens, ne ſeipſos ingerant, ſed vocationem ſuam expectent. Nemo ſibiipſi ſumit honorem: ſed qui vocatur à Deo, tanquam & Aaron, Hebr.5.v.4.

Ante porticum templi Salomonis ſtatutæ erant duæ columnæ, quæ vocabantur Jachin, & Boos, 1.Reg.7.v.21. hoc ipſo præfiguratum eſt, quemlibet verbi Præconem inter duas quaſi columnas in templum intrare debere, ex unâ parte ſe confirmans verbo divino, quod prædicat: ex altera parte, vocatione ſua, ſi fortè res adverſæ & tentationes exſurgant: ſecus animam ſuam juſtificare non poterit; & quis honorificabit exhonorantem animam ſuam? Sir.10.v.32. *Non fortunat Deus labores eorum, qui non ſunt vocati, & quanquam ſalutaria quædam afferant, tamen nihil ædificant*, ſcribit B. Lutherus: Quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur, Rom. 10. v.15.

Legati Magnatum & Principum ex inſtructione eorundem, non quod ſibi commodùm videtur, loqui tenentur: Ita verbi Præcones pro Chriſto legatione funguntur, 1 Cor.5.v.20. ideò inſtructionem ſuam obſervantes, ſi quid loquantur, quaſi ſermones Dei loquantur, 1.Petr. 4. v.11. non addentes quicquam, nec detrahentes, Deut.4. v.2. h.e. non aliud prædicent Evangelium, quàm quod Apoſtoli prædicarunt, Gal.1.v.18. ſed fideliter cuſtodiant Scripturæ depoſitum, 2.Tim.1.v.14.

Hoc ſi fecerint, potentiſſimum defenſorem habent, qui enim illos tangit, pupillam oculi ejus tangit.

De Tertio.

RESTAT *Cautela*, quæ tribus abſolvitur Regulis, quarum

1. *Confeſſionem ede.* Hâc in re Baptiſta nobis exemplo ſuo laudabili præivit: Confeſſus eſt enim & non negavit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Id ipſa neceſſitas efflagitat. Credidi propter quod locutus ſum, Pſal.116.v.10.

Quod ſi fidei confeſſionem rectè edere velimus, fiat, neceſſe eſt exemplo Joannis,

1. *Intrepidè.* 1.Petr.3.v.13.14. Sir.4.v.33.

2. *Biblicè.* Johannes mediante teſtimonio Scripturæ & quidem dicto Eſaiæ confeſſionem ſuam edidit, cap.40.v.3.

Idem fecit Paulus coràm Rege Agrippa, Act.26.v.22. Hæc via tutiſſima eſt. Qui piam doctrinam rectè cuſtodierint, ſeu obſervaverint, Sancti reputabuntur, Sap.6.11.

3. *Candidè*, ſine omni æquivocatione. Johannes ſub nomine Eliæ & Prophetæ latere potuiſſet, quia ipſe Chriſtus eum Prophetam appellitat, Matth.11. v.9.14. & Archangelus Gabriel ex Mal.4.v.5. eum ita deſcripſerat, quod in ſpiritu & virtute Heliæ præceſſurus ſit Meſſiam, Luc.1.v.17. ſed quia Judæos ſiniſtrè id intelligere animadvertebat, & pro Elia Thesbite eum habebant, quem reverſurum & viſibiliter in terris verſaturum opinabantur, rotundè confitetur inquiens: Non ſum Elias, neque Propheta.

Ita & nos ingenuè profiteamur oportet, ut ſermo noſter, eſt eſt, non non ſit, quod autem his abundantius eſt, à malo eſt, Matth.5.v.37. & pertinet ad nequitiam hominum & aſtutiam, ad circumventionem erroris, Eph.4.v.14.

4. In-

4. *Integrè*, Omnes enim fidei articuli quasi concatenati sunt, quorum nullum, salvâ manente conscientiâ reticere possumus, hinc Jac.2.v.10,

5. *Firmè*. Ne deterreri nos patiamur, sed veritatem liberè profiteamur, quæ magna est, & prævalet, 3. Esdr.4. v.41.

En! hoc modo confessionem nostram instituere tenemur, si gratiam DEI in cœlo conservare velimus: Qui enim ex utraque parte claudicat, ut Israëlitæ tempore Eliæ, 1.Reg.18.v.11. aut nec calidus nec frigidus est, eum Dominus evomet ex ore suo, Apoc.3.v.16.

Judas confessorem notat. Sed quid fecit? Accepit triginta argenteos, & ita Dominum & Magistrum suum prodidit, Matth.26. v.15. Hoc idem faciunt hypocritæ, nominetenus Confessores sunt: sed intereà accipiunt argenteos proditorios, nempè ut Hugo id explicavit: decem à concupiscentia oculorum, decem à concupiscentiâ carnis, & decem à superbia vitæ, 1.Joh.2.v.16. ideò cautius agamus necesse est, ardenter ad Deum orantes:

Verbum tuum fatebor,
In orbe pessimo,
Minister appellabor,
Pericla non vito.
Fac veritati nunquam
Renunciare me,
Nec excidam fac unquam
A Christiana spe.

II. *Viam Domini dirige*. Id quidem propriè Baptistæ munus fuit, sed adhuc hodie ad Christianos quoque pertinet, ut & illi debito modo Christo viam parent, si eum apud se diverti & habitationem facere velint. Non enim introibit in malevolam animam, nec habitabit in corpore peccatis subdito, Sam.1.v.4.

Id fieri necesse est per seriam pœnitentiam. Nos hic in deserto habitamus, ubi montes & valles, stipites & saxa occurrunt, ideò remotione & purificatione opus est, si Rex gloriæ ad nos intrare debeat, Ps.24,7.

Per montes intelligitur superbia & præsumtio. Quemadmodum enim illi, præ aliâ terra eminent; ita & elati palmam aliis præripere satagunt. Posuerunt in cœlo os suum, & lingua eorum transivit in terra, Psal.73. v. 9. verùm Deus abominatur tales, ideò humiliemur sub potenti manu Dei, nolentes invitos trahit, oculos superborum humiliat, Psal.18. v.28.

Valles notant spirituales tentationes, quibus animus angitur, ut preces ex profundis prodeant, Psal.130. Has valles solatio repleri oportet, juxta Dei mandatum, Esa.40.v.1.2. Has consolationes auditores suscipiant, sicut terra venientem super se bibit imbrem, Hebr.6.v.7. Deoque debitas gratias agant, ut David, Psal.119.v.92.

Stipites & lapides sunt varia scandala, quæ removenda sunt, ut non modò ipsi innocenter vivamus; sed & à mundo nos immaculatos custodiamus, Jac. 1. v. 27. Sir.13. v. 1.

O dilecti! valdè oportunum est, sentinam peccatorum exhaurire: inveniuntur in impiis magni peccatorum montes, qui secundum duritiam & impœnitens cor thesaurizant sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, Rom. 2. v. 5.

Offerunt se quoque profundi colles in fidelibus, qui sæpè arescunt præ timore & expectatione eorum, quæ supervenient universo Orbi, Luc.21. v.26.

Offenduntur quoque ſtipites & ſaxa ſcandalorum, mundus enim totus in maligno eſt poſitus. 1.Joh.5.v.19. Sap.4.v.12.

Quisquis igitur poteſt, removeat, abjiciat, & amoliatur offendicula, & iter faciat ei, qui vehitur cum ſuavitate; Dominus nomen illi, Pſal.68.v.5.


III. *Teipſum deſpice.* Johannis Baptiſta inſignis, ſanctus & excellens vir fuit, de quo tùm Eſaias, tùm Malachias in V.T. prædixerunt, Eſa.40.v.3. Mal.3.v.1. Archangelus Gabriel nativitatem ejus annuntiaverat, quod ex Zacharia & Eliſabetha ſenibus & effœtis naſcendus foret, Luc.1.v.23. ipſe egregiis donis à Deo ornatus, vitam duram agebat, unde quilibet ferè in opinione erat, ipſum Meſſiam eſſe: præterea ipſe Chriſtus præclaro hoc teſtimonio eum ornaverat, quod plus eſſet, quàm Propheta, imò maximus inter natos mulierum, Matth.11. v.9.11. Verùm propterea non effertur, ſed ex modeſta animi humilitate ad pedes Chriſti ſe dejicit, non dignum ſe aſſerens, qui ſolvat corrigiam calceamenti ejus.

Hoc exemplum omnes, quos Deus ſuper alios evexit, & præclaris donis ornavit, intueri debent, ne arrogantius de ſe ſentiant, quàm oportet, Rom.12.v.3. Sir.3.v.19.20.

Cum Moſes deſcenderet de monte Sinai, & experiretur, quod ſplenderet cutis faciei ſuæ, velamen poſuit ſuper faciem ſuam, Exod.34.v.29. Quod ſi talibus à Deo inſtructus es donis, quæ ſplendorem de ſe præbent, quæ alios in admirationem rapiunt, noli propterea ſuperbire: ſed velamine humilitatis contege te, & alios ſuperiores teipſo arbitrare, Phil.2.v.3. Si humilis es, quisquis es, magnus es. Fluenta gratiæ deorſum, non ſurſum fluunt. Qui vilis ſibi, Deo magnus, qui ſibi placet, Deo diſplicet. 1.Petr.5.v.5.

Exempla humilitatis exaltatæ ſunt, Ruth, Ruth.2.v.13. David, 1.Sam.16.v.12. Eſther, c.2.v.15.

Semper igitur humilitatem vobis commẽdatam habeatis. Cogitas magnam conſtituere fabricam celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis, ait Auguſtinus. Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria, Prov.29. v.23. nempè Regnum decoris & diadema ſpeciei, Sap.5.v.17. Id nobis Deus largiatur, per & propter Chriſtum, Amen.




IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

Evangelium Luc.2.v.1--15.

EXORDIUM.

TRia ſaltem exempla in ſactis occurrunt, quæ Magnatum Natales ſolenniter celebratas, memorant: qui tamẽ aliis parùm gaudii attulerunt, ſed poſtᵒ in luctum & ſqualorẽ eosdem conjecerũt.

Cum enim Pharao Natalem diem ageret, piſtorum princeps vita privatus & in patibulo ſuſpenſus eſt, Geneſ.40. verſ.22.

Antiochus quoque Syriæ Rex, in die Natalis ſui Judæis multa mala intulit, eoſdemque cum amarâ neceſſitate ad ſacrificia gentilium duxit, 2.Macc.6.v.7.

Quantæ Herodes Rex Tragœdiæ autor fuerit Natali ſuo, id Johannes Baptiſta, qui inſtin-

instinctu Herodiadis in carcere decollatus est, comperit, Matth. 14. v. 8. seq.

Ast hodiè Vos mei! Natalem Regis Regum & Domini Dominantiũ celebramus: qui quidem Diabolis in inferno terribilis & nocivus: nobis verò hominibus plenus solatii & lætabilis est. Nam Filius hominis nõ venit animas perdere, sed salvare, Luc. 9. 56.

Agite Dilecti! gratia magna est, quæ hac die omnibus hominibus apparuit, Tit. 2, 11. idcircò absq; ulteriori præambulo visuri sumus I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.* J J.

Exegesis.

VEtus & tritũ Proverbium est: *Quando duplicantur lateres, venit Moses.* Eadem rerum facies fuit, ubi Servator noster natus est: Sceptrum de Judâ ablatum erat, ut Jacob prædixerat, Gen. 49. 10. h. e. Judæi nõ proprio gaudebant Rege, sed sub imperio Rom. Imper. erant, qui Cyrenium sive Quirinium Præsidem, & Herodem Tetrarchã constituerat, quibus loco Cæsaris subjecti esse cogebantur: hinc Evãgelista in ipso Evangelii exordio: Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.

Querela proponit

I. *Cæsaream Orbis descriptionem*, ab Augusto factam. Magnâ enim potentiâ ille valebat, qui Asiam, Arabiam, Indiam, Italiam, Hispaniam, Græciam, Persiam, & alias Provincias sibi subjugarat, ubiq; milites præsidiarios habuit, qui magnos sumtus requirebant, & quia universo Imperio in emolumentum cessit, indicto censu, singulorum auxilia requisivit.

Hoc quidem non simpliciter improbandum est, siquidẽ Magistratui non illicitum, vectigalia & tributa subditis imponere, juxtà illud: Cui tributum, tributũ, Rom. 13. 7. Verùm moderamen tamen adhibendum, ne ita oves tondeant, ut easdem simul deglubant: Panis egentium, vita pauperum est; qui defraudat illum, homo sanguinis est, Sir. 34. v. 25.

Cæsar Augustus hanc descriptionem incepit, prima enim erat: Sed nec ultima eadem fuit, quin potius ita continuatum est, magisque exaggeratum, siquidem Nero omnem lapidem movit, ne cui quid superesset. Vespasianus quoque de Cloacis vectigal exegit, & Tito filiò id ei exprobrante quod esset lucrum sordidum, pecuniam inde corrasum naribus ejus admovit, dicens: Lucri bonus odor ex re quâlibet.

Idem hodieтenus evenire amat. Quando enim Magnates exactionibus delectantur, facilè inveniuntur, qui oleum igni infundant, & media, quibus subditi argento emunganrur, suppeditant. Exemplum legimus, 1. Macc. 10. v. 29. ubi variæ tributorũ species describuntur. Mentio enim ibi fit 1. tributorum, 2. pretii salis. 3. coronarum. 4. tertiarum seminis. 5. dimidiæ partis fructus ligni. 6. decimarum. Ita & hodiè exactionum hujusmodi modus ferè nullus est, ubi semper alter alterum, cupiditate lucri incensus, exsuperare gestit. Sed & maledictio justa consequitur, ut ex iniquis hisce usuris, tenue lucrum ad exactores hujusmodi perveniat, Mal. 3. v. 5. Hinc graviter conqueritur Deus: Audite Principes Jacob &c. Mich. 3. v. 1. seqq.

II. *Davidicæ stirpis exinanitionem*, quæ ex pristino splendore dejecta ad Josephum fabrum lignarium, & Mariam inopem ancillam, tempore Augusti Cæsaris devenerat,

nerat, cujusmodi mutationi adhuc hodiè generosæ familiæ obnoxiæ sunt, juxta illud: Generatio præterit, & generatio advenit, Eccles.1.v 4. Id Nabuchodonosori ostensum fuit in magna illâ & splendida statuâ, cujus caput ex auro optimo erat; pectus autem & brachia, de argento: porrò venter & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ: pedum autem quædam pars ferrea, quædam autem fictilis fuit; qua quatuor Monarchiæ, quæ se mutuò consecuturæ erant, adumbrabantur, Dan.2.v.32. Regno enim Babylonico ad finem perducto, successit Regnum Persarum, hoc terminum suum consecutum, secutum est Regnum Græcorum, à quo ad Romanos devolutum est; quod adhuc hodie perennat. Verum penes nullam certam familiam continuè mansit, sed miras vicissitudines subiit, & ab una familia ad alteram transiit.

De priscis Teutonum Regibus nihil memorabimus, sed tantùm à Carolo M. incipiemus, cujus posteritas Imperatoriam Majestatem possedit, centum & decem annos, & decem menses. Tum genus hoc desiit, & incepit Dynastia Saxonum, penes quos mansit nonaginta novem annis & duobus mensibus. Hanc excepit Dynastia Francorum, penes quos duravit centum & septem annis. Successit Dynastia Suevorum, quos comitata est centum & undecim annos, & quinque menses. Secuta est Dynastia Lüzelburgiorum, penes quos fuit octoginta quinque annis, & 8. mensibus. Ab hâc translata est ad Genus Palatinorum & Bavarorum, quibuscū mansit sexaginta sex annis & quinq; mensibus. Tandem successit Dynastia Archiducum Austriæ, penes quos, quamdiu Deo collibuerit, perennabit.

Similia fata & alia Regna, Ducatus, Principatus, Comitatus, nobilium & alia præcellentia Genera subierunt, quæ etsi ab aliquot seculis genus suum derivare possunt, tamen terminum fatalem tandem consecuta, desierunt, ubi ex adverso alia humili loco orta, illis successerunt. Exempla passim obvia sunt, ut non immeritò Ecclesiastes conqueratur: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, c.1.v.2.

In Comœdia distincti occurrunt actus, in quolibet actu diversæ personæ se exhibent, quæ quando munus suum obierunt, abscedunt ipsi, quibus alii succedunt, & his iterum alii, dum Comœdia acta est, tùm omnis pompa cessat, quasi nunquam fuisset, & dicitur: Valete & plaudite.

Sic se res habet cum mundo, & præcipuis familiis, quæ in mundo degunt, quando aliquamdiu fabulæ interfuerunt, & personam suam præsentarunt, per mortem discedere coguntur: his alii succedunt, qui aliquantisper se ad conspiciendum & audiendum exhibent, hi quando actum suum absolverunt, & ipsi abeunt, & hæc fabula tamdiu agitur, donec præterit figura hujus mundi, 1.Cor,7.v.31. Hinc Imperator Augustus, postquam Imperio quinquaginta annos cum laude præfuisset, diem suum obiturus, his verbis valedixisse dicitur: Annon personam meam, in hâc mundi fabula satis commodè egisse videor? Valete ergò & plaudite.

Hæc eò collineant, ne ob generis vetustatem & nobilitatem nos efferamus, aliosque despiciamus, ex uno enim sanguine omne genus hominum, Act.17.v.26. & brevi prætereunt, quando terminum à Deo præfinitum consecuti sunt.

Ima

Ima permutat brevis hora summis,
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit veniens jacentem.

Optimum erit, si pietati nos consecremus, quæ sola permanet, & nomine æterno hæreditat, Sir. 5. v. 6.

Transivere patres, transibimus, ibitis, ibunt,
In cœlo patriam, qui bene transit, habet.

Ibi nos Christus ad amplissimas dignitates evehet, & Reges atque Sacerdotes DEO & Patri suo faciet, Apoc. 1. v. 6.

3. *Miseram nati Christi conditionem.* Cum enim impleti essent dies, ut pareret Maria, ecce! locus non erat in diversorio, sed stabulum erat habitaculum ejus, ubi Servatorem mundi in præsepio reclinare tenebatur.

Hoc miseriæ speculum, in quo cernimus, quomodo Christus ab ipsis incunabulis ærumnis subjectus fuerit.

Erat ipse Deus super omnia benedictus in secula, Rom. 9. v. 5. *cujus patria est extra omnem Creaturam*, ut Bernhardus ait, cujus egressus ab initio à diebus æternitatis, Mich. 1. v. 2. cui Pater cœlestis dedit gentes hæreditatem, & possessionem terminos terræ, Ps. 2. v. 8.

Attamen adeo exinanivit se in nativitate sua, ut in oppido Bethlehem nasci voluerit, quod parvulum erat in millibus Judâ, Mich. 5. v. 2.

Erat ipse unigenitus Dei Filius, Joh. 1. v. 18. Dei proprius Filius, Rom. 8. v. 32. Dei dilectus Filius Matth. 3. v. 17. splendor gloriæ & character substantiæ ejus, Ebr. 1. v. 3. nihilominus adeo inops factus, ut Mariam humilem illam ancillam, qualem ipsa profitetur se, elegerit desponsatam Josepho, fabro lignario, Matt. 1. v. 28. unde & ipse faber dicitur.

Erat Rex Regum & Dominus Dominantium, Actor. 19. v. 16. qui adhuc hodie omnia portat verbo virtutis suæ, Hebr. 1. v. 3. attamen adeo pauper factus, ut nullum locum in diversorio habuerit, sed in stabulo & præsepio requieverit, hinc Ecclesia:

Jesu Creator omnium!
Dum sis salus mortalium,
Duro recumbis stramine,
Asella edit quod cum bove.
Licet sit Orbis amplior,
Gemmis & auro ornatior,
Non te capit magnum Deum,
Ut arctius cunabulum.
Byssi loco, atque serici.
Fœnum, involucra, lectuli,
Queîs magne Rex, mirabilis
Superbis, ut sinu patris.
Arrisit hocce sic tibi,
Ostenderes quo tu mihi,
Quod pompa mundi & gloria
Abjecta sint crepundia.

Erat Angelorum Dominus, qui quoque Gloria in Excelsis ei accinunt, attamen ratione hominum adeo abjectus est, ut nemo de ipso sollicitus sit. Non habet Maria famulam, non obstetricem, sed ipsa puerulum pannis involvit, & in præsepio reclinavit. Nec postea ipsi quisquam servivit,

nisi abjecti Pastores, qui ab Angelis eo missi sunt.

Hoc exemplum humilitatis est, quam à Christo discere nos oportet, Matth. 11. v. 29. *Quid præsepe aliud fuit, quam cathedra Christi, ex qua humilitatem nobis commendavit*, ait Augustinus. Proinde erubesce superbe cinis, Deus se humiliat, & tu te exaltabis, ait Bernhardus, 1. Petr. 5. v. 6.

Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex indiciorum cumulo*, Ex quibus certo perspicimus, Christum promissum mundi Messiam esse. Id ostenditur nobis in prælecto Evangelio, in quo Evangelista circumstantias narrat, quæ circa nativitatem Christi observanda hæc sunt:

1. *Tempus.* Messias venturus erat, sceptro de Judâ ablato, ut Jacobus prædixerat, Gen. 49. v. 10. quod & factum est: erant enim Judæi, cum Christus nasceretur, sub Dominio Augusti Romani Imperatoris qui & censum illis indixit, hinc ipsi coram Pilato confitentur: Non habemus Regem, nisi Cæsarem, Ioh. 19, v. 15.

2. *Locus.* Messias nasciturus erat in oppidulo Bethlehem, ut Micha dudum prædixerat, cap. 5. vers. 2. hoc itidem impletum, ut Evangelium nostrum indicat.

Hoc vero non sine causa factum: Bethlehem enim interpretative est domus panis, ideoque æquum fuit, ut panis vitæ, qui de cœlo descendit, ut daret vitam mundo, ibi nasceretur, Ioh. 6. v. 33. maxime, quia prædictum, quod ex hoc oppido Dux vitæ oriundus esset, Mich. 5. v. 2.

3. *Genus.* Messias futurus erat germen Davidis, Ieremias 23. vers. 5. surculus ex radice Isai, Esaias 11. vers. 1. Filius Davidis, 2. Samuel. 7. vers. 12. Filius virginis, & ita semen mulieris, non semen viri, Esa. 7. v. 4. Gen. 3. v. 15. Supra communem naturæ cursum, modo novo & insveto, Ier. 31. v. 22.

Utrumque in Christo ita impletum. Natus enim est ex semine Davidis, quoad carnem, Rom. 1. v. 3. qualis etiam agnitus fuit â muliere Cananeâ, clamante: Domine Fili David, miserere mei, Matth. 15. v. 22. â cœco secus viam vociferante: Iesu, Fili David, miserere mei, Luc. 18. v. 38. Pharisæi interrogati, quid de ipso sentirent, & cujus Filius esset? respondebant, Davidis, Matt. 22. v. 42. Turbæ item, quæ præcedebant, & sequebantur, in ingressu ejus, clamabant, dicentes: Hosanna filio David, Matth. 21. vers. 9.

Hoc mirabiliter ita à Deo procuratum est, Stirps Davidis tum valde præcisa erat. Herodes præcipuos ex illa trucidari jusserat, quod vero reliquum, id instar tugurii erat, qualia sunt in vineis, & instar tugurioli in quo pernoctant in cucumerariis hortis, Esa. 1. v. 8. Nemo ex hâc familiâ Regem amplius proditurum sperasset: verum cum omnia ferè desperata essent, Deus præclarum germen, ex arida stirpe Isai propullulari faciebat, quod erat Messias, cui quidem non species & decor, ut ipso quilibet delectari potuerit, Esa. 53. v. 2. sed quotquot receperunt eum, dedit potestatem filios Dei fieri, Ioh. 1. v. 12. & sic mirabile fecit con-

consilium,& magnificavit sapientiam, Esa. 28. v. ult.

Sic *Matrem* quod concernit, nec in illâ aberravit Christus, sed vere illa virgo, dicere potuit: Virum non novi, Luc. 1. v. 34. idque ideo factum, Augustino dicente: *Ut careret peccato, qui venerat, ut tolleret peccatum.*

Non igitur dubitemus, quin Messias noster, quem colimus & adoramus, verus Messias sit, quem Deus mittendum promisit, adeoque cum Andrea dicere possumus: Invenimus Messiam, Joh. 1. v. 41.

2. *Ex lato Angeli nuncio.* Sic enim ait ille ad Pastores Bethlehemitico: Nolite timere, ecce! annuncio vobis gaudium magnum.

Filii hujus seculi & ipsi gaudium suum habent, hîc *in divitiis*, ut dives ille rusticus, Luc. 12. v. 19. Ille *in deliciis*, ut dives epulo, qui induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendide, Luc. 16. v. 19. Iste *in gloria nominis.* Internum eorum, domos suas in æternum, & tabernacula sua à generatione in generationem, & celebria reddunt nomina sua super terram, Psal. 49. v. 12. Verum hoc gaudium transitorium est. Transit enim mundus, & concupiscentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

Cum olim in summâ annonæ caritate Samariæ, castra Benhadad Regis Syriæ omni abundantia instructa, â Syris derelicta invenirent quatuor leprosi, dicebant illi: Hæc dies boni nuntii est. Si tacuerimus, & exspectaverimus, usque mane, inveniet nos iniquitas, 2. Reg. 7. v. 9.

Verum hodiernum nuncium, quod Angelus cœlitus affert, multo melius est, per Christum enim, qui ex Mariâ virgine Bethlehem in obscuro stabulo natus est, â spiritualibus hostibus nostris & æternâ fame redemti sumus, utpote qui in mundum venit, ut vitam & abundantiam habeamus, Joh. 10. v. 11.

Quanto majus itaque hoc beneficium: tanto magis causam lætandi habemus. Beatus populus, qui scit jubilationem, Psal. 89. v. 16. Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eâ, Psal. 118. v. 24. 25.

3. *Ex universali merito.* Ecce, ait Angelus, evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Hîc nemo prorsus exclusus est: Christus est Salvator omnium hominum, maxime vero fidelium, 1. Tim. 4. v. 10.

Hoc solatium limitari nequit, ut diceres, per voculam omnium non singulos generum, sed genera singulorum intelligi. Neutiquam: utrumque potius complectitur. Christus omnibus hominibus natus est: Sicut per unius delictum in omnes homines condemnatio venit, sic & per unius justitiam in omnes homines justificatio vitæ, Rom. 5. v. 18. Natus quoque est generibus singulorum, Judæis & Græcis, viris & mulieribus, non enim personarum acceptor est Deus, Act. 10. v. 34. 35.

Quando igitur Satanas his cogitationibus infestat nos, Christum nihil ad nos attinere, venisse eum tantum in mundum propter electos &c. non absterreamur hâc tentatione: sed recordemur verborum, quæ Angelus Domini hîc, Christo nato publice proclamat, nosque vera fide includemus iis. Quod enim omnibus factum, ab eo nemo exclusus est, nisi qui incredulitate sua hac gratia privat se. *Exultate*

tate omnes Christiani! exclamat Augustinus: *Natalis est Christi. Exultate servi, Natalis est Domini. Exultate liberi, Natalis est liberantis.* Quodsi igitur quis damnatur, non ideo damnatur, quod à Christo non redemtus esset: sed quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei, Joh.3. v.18.

De *Secundo.*

Restat *Cautela*, quæ tres complectitur Regulas, quarum

1. *Adversitatem tolera.* Joseph & Maria ad egestatis terminos redacti erant, attamen id æquo animo tolerant, & descripti, ad censum, haud inviti comparent, ut particulam suam exsolvant.

Nos exemplo eorum instructi, non modo in genere crucem, quæ nobis à Deo imponitur, patienter feramus, cum Micha dicente: iram Domini portabo, c.7.v.9. sed & in specie, ratione paupertatis ne desperemus, probe perpendentes: quod bona & mala, vita & mors, paupertas & divitiæ à Deo sint, Sir.11.v.14.

Pauperes magnam prærogativam præ divitibus habent.

1. Enim placide dormiunt: ubi ex adverso vigilia divitiarum tabefacit carnes, & cogitatus illius auffert somnum, Sir.31.v.1.

2. Tutò peregrinari & iter facere possent, prædones non pertimescentes.

> -- Cantat vacuus coram latrone viator,

inquit Juvenalis.

Cum Nebucadnezar Hierosolymam post trinam obsidionem caperet, Rex Juda Sedecias cum Principibus & Purpuratis captivus abducebatur, pauperes vero populi relinquebantur in regione, Jer. 52. v. 10.seqq. Ita fieri amat tempore belli, ibi pauperes non habent, quod magnopere pertimescant, ubi enim nihil est, Cæsaris & Suecorum jurisdictio cessat. Qui vero opibus instructus est, undiquaque oppugnatur. Sicut malus, sive pirus, quæ malis aut piris redundat, hinc inde fustibus & lapidibus impetitur: quæ vero fructibus destituitur, nullo modo læditur.

3. Quoque ex experientia discunt:

> -- quam parvo liceat producere vitam,
> Et quantum natura petat.

Ut Poëta Lucanus canit.

Socrates aliquando forum perambulans cum multa ibi venum prostare cerneret, dicebat secum: O quam multis ego non indigeo! Hac quoque in parte egeni opulentos antecellunt, quod abundante supellectile, aliisque rebus, quibus divites luxuriantur, non indigeant, sed quando aquam & panem, & vestimentum & domum habent, quo tegere possunt, quorum nos pudet, contenti sunt, Sir.29. v.28. idque magnus quæstus est, 1.Tim.6.v.6.

4. Deo quoque commodius serviunt, nec tot impedimenta habent, ut divites, qui à sollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum, Luc.8.v.14.

5. Majori quoque cum animositate mũdo valedicere possunt. Divites cor divitiis apposuerunt, Psal.62.v.11. & quando mors eos est avocatura, moleste ferunt, quod ex divitiis nihil secum auferre possint, Psal.49.v.18. hoc ipso vero devotio

eorum

eorum suffocatur, ut non, prout decet, ad mortem se præparet: Quicunque enim terrena sapit, & aurum putat robur suum, dicitque obryzo, fiducia mea, Job.31.v.24. idolorum servus est, non habens hæreditatem in Regno Christi & Dei, Eph.5.v.5. Hoc ipsum vero inopi metuendum non est, sed cum Jobo dicere valet: Nudus egressus sum de utero matris meæ, Job.1.v.21. novit enim, quod in cœlo veras divitias nunquam interituras inventurus sit: ideo multo facilius, quæ retro sunt obliviscitur, ad ea vero quæ sunt priora extendit seipsum ad scopum persequens, ad bravium æternæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Phil.3.v.14.

Quomodocunque igitur Deus agat vobiscum, boni consulite. Divitiæ si crescant, nolite cor apponere Psal.62. v.11. quod si pauperies vos premit, animum ne despondeatis: Elegit enim Deus pauperes in hoc mundo, divites in fide, Jac. 2.v.5.

2. *Diligenter vigila.* De Pastoribus Bethlehemiticis dicitur: quod nocte vigilaverint excubantes excubias, super gregem suum. His Pastoribus Dominus omnium primis nativitatem suam manifestat, ut indicet, se esse verum Pastorem, & Episcopum animarum nostrarum, 1. Petr. 2. v. ult. qui diligat omnes, qui in functione sua assidui sint: Mundus enim est, cujus rectum est opus, Prov.21.v.8.

In Papatu religiosi in cœnobiis sibi magnam sanctimoniam vendicant: sed si rem penitius inspiciamus, sæpe simplex aliquis Mechanicus, aut famulus, qui in vocatione sua fidelis est, & Deum timet, iis palmam præripit, majorique fruitur solatio quam qui meriti opinione turgidi in cellas se abdunt, & Christum cum justitia sua dimittunt.

Anthonii Eremitæ exemplum, quomodo in sanctimonia sutori Alexandrino, ut vitam severam duxerit comparatus sit, ex Historia Ecclesiastica notum est. Quilibet proinde, quæ muneris sui sunt, fideliter peragat, nec desperet in vocatione sua: Vilissimis enim in terris, quando pii & seduli in functione sua sunt, Christus vel maxime adesse vult, utpote, qui elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, Jacob. 2.v.5.

Quamvis itaque pauperrimus & abjectissimus in mundo sis, non te tamen Jesulus recens natus despiciet: sed præsidio atque tutela ejus semper gaudebis, custos enim Israëlis nec dormit, neque dormitat, Psal.121.v.4. tum & virtute dexteræ pollet, ut possit te adversus lupum infernalem & omnes hostes tuos defendere. Ipse siquidem ait: Oves meæ vocem meam audiunt, & cognosco eas, Joh.10.v.27.seqq.

3. *Præsepe visita.* Hîc Angelum Domini Pastores Bethlehem ablegare audimus, quibus & signum suppeditat, quo infantem dignoscant, nimirum, inventuros illos cum pannis involutum, & positum in præsepio.

In Papatu sæpe multæ impensæ itineri impenduntur, in Palæstinam, quam curiosi adeunt, ut oppidum Christi natalitium, cum præsepi contemplentur, in quo ille tempore nativitatis requieverit.

Verum nos hoc itinere molesto, & periculi pleno, supersedere possumus, & nihilominus cum Pastoribus Bethlehem adire: *non pedibus, sed moribus, non corpore, sed*

fide, quando nempe præsepe Christi intuemur,

1. *Corporaliter*, ut in Domini domo sedulo convenientes devote perpendamus, quam profunde se exinaniverit Filius Dei, nostri causa, quod præsepi arcto contentus fuerit, quem aliàs cœli cœlorum non capiunt, 1.Reg.8.v.27.

2. *Spiritualiter*. Adhuc hodie enim in præsepio verbi & Sacramentorum reclinat, ibi quæramus, & inveniemus eum, juxta promissum, Ioh.14.v.23.

Eant igitur filii hujus seculi, ad domum convivii, Eccl.7.v.3. aut ambulent in via meretricis, Prov.7.8. aut in concupiscentia oculorum, carnis & superbia vitæ delectentur, 1.Ioh.2.v.16. Nos Bethlehem profecturi Filium osculabimur, quem Deus Pater in præsepi nobis posuit, Psal.2.v.12.

Osculemur *suave os ejus*, ex quo verba vitæ stillant, Ioh.6.v.68. *lucidos oculos*, quibus occultissimos angulos inspicit, Sir.23. v.27. *aures benevolas*, quibus suspiria & preces nostras exaudit, Psal.145.v.19. *manus teneras*, quibus cœlum & terram fecit, Ioh. 1.v.3. & hodietenus omnia portat, Hebr.1. v.3. *pedes sanctos*, quibus in augustiis nobis succurrit, Ioh.14.v.18. sternamus quoque ipsi in cordibus nostris *mollem lectulum*, *culcitra* sit *spes*, quæ non confundit, Rom.5. v.5. *tegumentum amor*, qui necessitatibus Sanctorum communicat, Rom.12.v.13. Esa.58.v.7. Matth.25.v.40. *pulvinar fides*, quem oculi ejus potissimum respiciunt, Ier.5.v.3. sic divertetur apud nos, & omnibus cœlestibus Thesauris beabit, semitæ enim ejus stillant pinguedinem, Psal.65.v. 12. quin & aliquando nos assumet sibi, ut cum omnibus Angelis & Electis, Gloria in Excelsis Deo canamus in æternum. Hoc votum nostrum: Iesu annue votis! Amen.

DOMINICA POST NATIVITATEM CHRISTI.

Evangelium Luc. 2. *v.* 22. 32.

EXORDIUM.

Risum fecit mihi Deus, dixit olim Sara, cum Isaac Filius ei natus esset: Ismaël vero ludificabat filium hunc ejus recens natum, & promissionem Dei Abrahamo factam, quod in semine ejus benedicendæ sint omnes Tribus terræ, Gen.21.v.6.9.

Nativitas Isaaci typus fuit nativitatis Christi, quæ commode cum hâc comparari potest:

1. *Ratione promissionis*. Abraham & uxor ejus Sara ambo senes provectæque ætatis erant, ut naturaliter liberos progignere non possent, attamen Deus illis filium promit-

mittebat, qui ex utroque nascendus esset. Id credidit Abraham, Rom. 4. vers. 20. 21. 22.

Ita & Christus Servator noster promissus mundi Messias est, de quo Deus Protoplastis jam tum in Paradiso prædixit, qui ex virgine in plenitudine temporis præter naturam nasceretur, Luc. 1. v. 34. 35. hoc miraculum majus est, quam quod Isaac ex matre sene & effœta natus, & tamen utrumque à Deo est, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, Rom. 4. v. 17. & potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus, aut intelligimus Eph. 3. v. 20.

2. *Ratione exultationis.* Risum mihi fecit Deus, inquit Sara, & quicunque audierit corridebit mihi, Gen. 21. v. 6.

Ita gaudium ortum est in cœlo & in terra, quando Christus natus fuit. Luc. 2. v. 14.

3. *Ratione contradictionis.* Quemadmodum enim derisor Ismaël risum Saræ ludibrio exponebat, despiciens Isaacum & promissionem Dei ei factam: Ita & ante & post nativitatem Christi duo hominum genera sese obtulerunt, qui fideli & infideli risu hunc gloriæ Dominum exceperunt, & partim tum anima, tum corpore ei se manciparunt, partim vero in eo offenderunt & in Barathrũ infernalem præcipitati sunt, sicut audimus, senẽ Simeonẽ de eo vaticinatũ in prælecta Pericope, quando ille parentibus ejus benedixit, & in specie ad Mariam ait: Ecce, positus hic est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicitur. Hæc particula est, de insidiis, qua antiquus ille serpens calcaneo ejus insidiatus est, quia caput ejus contrivit, Gen. 3. v. 15.

Videbimus nos pro instituti ratione

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

JJ.

Exegesis.

CUm Imperator Augustus, cujus in Evangelio Christi natalitio mentio fit, in mundum hunc natus esset, parens ejus Octavius serius aliquanto curiam accedebat, hoc ipso excusans se, quod uxor ejus filium sibi peperisset, quod moram sibi injecisset. Continuo Publius Nigrinus è situ astrorum genesin ejus delineavit, & Dominum terrarum toti orbi natum esse, pronunciavit, Suetonio teste.

Quamvis igitur Augustus ad amplissimas dignitates evectus fuerit, attamen toti orbi non imperavit, sed hoc Messiæ reservatum est, sub Augusto nascituro. Huic enim Pater ejus cœlestis gentes hæreditates dedit, & possessionem terminos terræ, Psal. 2. v. 8. ut dominaretur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum, Psal. 72. v. 8. in medio inimicorum, Psal. 110. v. 2. sicut propterea Rex Regum & Dominus Dominantium dicitur, Apoc. 19. v. 16.

Ad hoc prædestinatus fuit, non per astra, sed ab æterno, priusquam astra creata fuerunt, ideo acquiescimus nos in vaticiniis Prophetarum, qui scrutati sunt, in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuncians eas, quæ

quæ sunt in Christo passiones,& posteriores glorias,1.Petr.1.v.10.11.

In prælecto Evangelio Senex Simeon exsurgit,qui & ipse spirituProphetico prædictus fuit,& significat parentibus Christi prædictionem Esaiæ,de lapide offensionis, petra scandali,in eo impletum iri , Esa.8. v.14.inquiens: Ecce! positus hic est in ruinam, & in resurrectionem multorum Israel,& in signum cui contradicitur,ut pluribus porro audiemus.

Querela erit,si consideretur

1. *Lapidis vivi abusus* , quem Deus tanquam cœlestis Architectus , lapidem angularem , probatum, electum , pretiosum posuit,lapis vero offendiculi & petra scandali factus est,ad quem multi offenderunt & adhuc offendunt , non sua culpa , est enim per se pretiosus adjutorii lapis,1.Sam. 7.v.12. qui omnium mortalium salutem exoptat, & quantum in se est,procurat:verum inde , quod multi lapidem hunc despiciunt, nec vera fide excipiunt, neque per eum resurgere volunt , 2. Thess. 2, v.10.11.

Offendunt igitur ad hunc lapidem

1. *Oculi caliginosi*,qui palpant sicut cœci parietem,& quasi absque oculis attrectant, Esa.59.v.10.

Hoc inde est,quia tenebras magis diligunt,quam lucem,Joh.3.v.19.qui igitur in tenebris ambulat,nescit,quo vadat , Joh. 12,35. sed facile offendere & in foveam cadere potest,Luc.6.v.3.idem illis evenit, qui verbum Dei despiciunt, quod est lucerna pedibus nostris,& lumen semitis nostris, Psal.119.v.105. ut in devia aberrent , & in lacum incidant,in quo non est aqua,Zach. 9.v.11. ex quo nulla unquam redemtio. Psal.49.v.15.

2. *Oculi ambitiosi*.Qui semper plus ultra meditantur, exemplo Nebucadnezaris,Esa.14.v.14.

Sicut igitur homines , qui semper suspiciunt,facile titubare & cadere possunt : Ita etiam Deus Spiritus ambitiosos punit , & oculos superborum humiliat, Psal.18. v. 28.ut non modo impingant , sed &plane conterantur ab hoc lapide,ut in Nebucadnezare videre est,Dan.4.v.30.

3. *Oculi curiosi*, qui aliena curant, sua negligunt. Ita Saul Samuëlis munus affectabat,dum immolabat, 1.Sam.15. v 15. Absolon Patris Regnum invadebat , Regem se constiturus, 2.Sam.15.v.10. Usias adolere volebat incensum super altare Thymiamatis,quod ipsi minus conveniebat,2.Chron.26.v.16. omnibus tribus id male cessit,ut dictis locis videre est. Hinc Siracides,cap.3.v.24.25.

Hac in parte adhuc multi hodienum peccant,ubi cum Davide dicendum esset: Oculi mei semper ad Dominum , Psal. 25. v. 15. respiciunt cisternas , cisternas dissipatas , quæ continere non valent aquas , verùm fontem aquæ vivæ derelinquunt, Jer.2.v.13.

Alii omnia ad rationis stateram appendunt,nihil credituri,nisi cum ratione consentiat. Alii in ipsum cœlum adscendere,& Dei secreta scrutari satagunt. Hic omnes graviter impingunt , & fidei naufragium faciunt.Beati qui non vident , & credunt, Joh.20. v.29.

2.Con-

II. *Contradictionum pelagus.* Hic enim, inquit Simeon, ponitur in signum cui contradicetur.

Multa & varia signa in mundo occurrunt. Nonnulla apparent in cœlo & in terrâ in admonitionem nostram, ut beneficio eorum ad frugem redeamus, & cognoscamus, diem ultimum non longè abesse, ut Christus ipse eò nos relegat, Luc. 21. v. 25. Quædam verò Deus ideò ordinat, ut de gratiâ & veritate ejus certiores reddamur, sicut iridem in nubibus posuit, in signum, quod ulterius mundum diluvio perdere nolit, Gen. 9. v. 13. Ejusmodi signum Gideoni quoque dedit, Jud. 6. v. 37. seqq.

Aliàs milites signum suum habent, quod est vexillum, quod sequi coguntur, si semel Sacramento se ad illud obstrinxerint, exemplo sit Urias, 2. Sam. 11. v. 11.

Viatores habent signum suum, quod observent necesse est, nisi à rectô calle aberrare velint, sicut Deus Israelitis olim in columna nubis & ignis præivit, Exod. 13. v. 21.

Sagittarii habent signum sive metam suam, ad quam collineare coguntur, si brabeium assequi velint, sicut olim in Tribu Benjamin septingenti viri fortissimi inventi fuerunt, qui sinistrâ manu pro dexterâ utentes, sic fundis lapides ad certum jecerunt, ut capillum quoque possent percutere, Jud. 20. v. 16.

Christum si spectemus, ille 1. *Signum divinæ potentiæ est.* Citrà enim controversiam magnum est pietatis mysterium, Deus manifestatus est in carne, 1. Tim. 3. v. 16. Mirabile nomen est Jesuli recens nati, Jud. 13. v. 18. Mirabilis persona, ejus Verbum enim caro factum est, quis hoc unquam audivit? Joh. 1. v. 14. mirabilis ejus scientia, Psal. 139. v. 6. mirabile ejus Evangelium, quod occulta sapientia, Psal. 51. v. 8. & admirabile lumen vocatur, 1. Petr. 2. v. 9. sic & mirabilem habet justitiam, juxta quam nos, justos & sanctos reputat, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus, Tit. 3. v. 5. sed ex indebita misericordia & gratiâ, ratione plenissimæ propitiationis, quam pro peccatis totius mundi præstitit, 1. Joh. 2. v. 2.

Id Judæis scandalum & Ethnicis stultitia est, 1. Cor. 1. v. 23. unde doctrina Christiana secta dicitur, cui ubique contradicitur, Act. 28. v. 22.

2. *Signum necessariæ pœnitentiæ.* Hæc enim prima ejus vox erat: Pœnitentiam agite & credite Evangelio, Marc. 1. v. 15. qui igitur nomen Christi nominat, ab omni iniquitate discedat, aliàs Regnum cœlorum ingredi nequit, 2. Tim. 2. v. 19.

Id verò Filii hujus seculi non faciunt, sed illudunt peccatum, Prov. 14. v. 9. dicentes cum auditoribus Jeremiæ: Sermonem, quem locutus es ad nos, in nomine Domini, non audiemus ex te &c. Jer. 44. v. 16. & seqq.

3. *Signum divinæ clementiæ.* Sicut enim Moses exaltavit serpentem in deserto &c. Joh. 3. v. 14. 15.

Hic iterum mundus contradicere amat. Judæi dicunt: quî ille juvaret nos, qui seipsum juvare non potuit? Matth. 27. v. 42. Lucianus ethnicus ille sycophanta Christum suspensum Sophistam vocat. Averroës scribit se malle infamem quàm Christianum esse. Hi inimici crucis Christi sunt, quorum finis interitus est, Phil. 3. v. 19. Nec hoc modò: sed & in exilium aguntur

Christiani, & propelluntur de civitate in civitatem, sicut Apostolis id contigit. Imprimis vero hoc tempore postremo negotiosus est Sathanas, quia scit, quod modicum tempus habet, Apoc.12 v.12.

Genuini Christiani minus hoc ipso offendantur: sed potius, quæ de Jesulo recens nato audiunt, piè credant, & in corde sincero conservent. Suo tempore emolumentum sentient, quando semen verbi divini in cordibus eorum radicabitur & fructum feret, Luc.8. v.15. juxta illud Esa.55. v.10.11.

III. *Afflictionis gladius.* De quo Simeon B. Mariæ prædicit, quod ejus animam pertransiturus sit. Hoc ipso notat persecutionem Domini, quomodo Judæi ipsum odio, invidentiâ, calumniis persecuturi & tandem in crucem acturi & occisuri sint, id ait Simeon, animam B. Virginis, instar gladii ancipitis vulneraturum esse, proptereà ipsam non nimium lætitia efferri debere, nec vaticinia Prophetarum, quibus de hoc puerulo speciosa prædicantur, quomodo Reges terræ & omnes gentes ipsum adoraturi sint, terreno modo, de mundana gloriâ intelligere: non enim defuturas ipsi tribulationes, quin tantis eam mœroribus, & angoribus animi immersum iri, ratione Filii sui, ut gladius quasi animam ejus pertransiturus videatur: sicut & David ait: Tanquam gladius in ossibus meis, Psalm. 42. v.11.

Hîc Maria idea Ecclesiæ est, quæ mater omnium nostrûm dicitur, Gal.4. v.26. & ab exordio mundi, potissimum post adscensionem Domini, crudelissimas persecutiones ab Imperatoribus Ethnicis, & posteà à Nestorianis, Arianis, & Eutychianis, nec non ab Antichristo sustinuit, sanguine Christianorum velut aquâ effusô; Psal.79. v.3. hinc de meretrice Babylonica dicitur, quod ebria facta fuerit, de sanguine Martyrum Jesu, Apoc.17. v.6. Sicut enim Christus sponsus sanguinum est, Exod. 4. v.25. ita vult ut Christiani crucem ejus tollant & se sequantur, Matth.16. v.24. Esa.8. v.18.

Similiter & Johanni magnum signum apparuit, in muliere Sole amictâ, & coronâ duodecim stellarum in capite ornatâ. Hæc Ecclesia est, quam serpens antiquus usque in desertum persequitur, mittens aquam, tanquam flumen ex ore suo, ut eam faciat trahi à flumine, Apoc.12. v.1.12. Præcipuè verò Ecclesiæ ministros in acie stare & cum Jeremia queri oportet: Posuisti me, quasi signum ad sagittam, Thren.3. v.12. Confer, 1.Cor.4. v.9. seqq. Hoc hodiè adhuc omnibus accidit, qui munus suum fideliter obeunt. Non enim est conventio Christo ad Belial; 2.Cor.6. v.15.

Sed & hæc consolatio annexa est, quod hoc ipso ex multorum cordibus cogitationes revelentur. Id B. Taulerus eleganter exposuit. Nam ubi crux, inquit, ibi lux: non modò ita, ut vexatio det intellectum, Esa.28. v.19. sed & lux oritur in Ecclesiâ, ubi manifestum fit, quis probatus sit, vel minus, 1.Cor.11. v.29.

De Secundo.

Egimus de *Querelâ*, sequitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex rivulo benedictionis Ecclesiasticæ:* quæ hic à Sacerdote Simeone B. Mariæ, ejusq; Filiolo

Filiolo impertita est, & adhuc hodie super omnes Christianos finitâ concione effunditur. Id ita à Deo mandatum est, Num. 6. v. 23.

Ex quo patet, benedictionem apud Israëlitas non nudum sonum fuisse, qui aërem verberarit, sed potius efficax medium, quo Deus beneficia animæ & corporis ipsis exhibuit, hinc Lyra: Sacerdotes benedicebant populo ministerialiter, verba benedictionis proferendo, sed Deus benedicebat effectum benedictionis causando. Hinc legimus Ecclesiam Israeliticam hanc benedictionem non modò debitâ reverentiâ expectasse, Luc. 1. v. 21. sed & corde fideli excepisse, ita ut non absurdè ex Psal. 67. v. ult. colligi possit, quando Sacerdotes benedictionem pronunciarunt, totam multitudinem ex verâ fide respondisse: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus; & metuant eum omnes fines terræ. Totus Actus dilucidè exprimitur, Sir. 59. v. 22. seqq.

Non verò putandum est, ritum hunc Ecclesiam in publico conventu benedicendi, abolitam & antiquatam esse: Neutiquam. Sed potius pars promissionis Dei est, quam Ecclesiæ impertivit, quod gratia & benedictione suâ semper ei præstò futurus sit, vi verborum, Exod. 20. v. 24.

Hæc promissio non desiit, sed continuè durat, sicut D. Paulus, ipsa formalia, quibus Deus, Levit. 26. v. 12. utitur, ad Ecclesiam N. Test. accommodat, inquiens: Inhabitabo in illis: & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus: & ipsi erunt mihi populus, 2. Cor. 6. v. 16.

Laudabilis igitur hodienum mos est, quod cætus Ecclesiæ, finito cultu benedictione hâc afficitur, & dimittitur. Deus enim, quæ de labiis suis procedunt, non irrita faciet, Psal. 89. v. 35. Dona Dei sunt ἀμεταμέλητα, Rom. 11. v. 29.

II. *Ex rivulo spiritualis resurrectionis.* In prælecto enim Evangelio, non modò Christum positum in ruinam: sed & in resurrectionem multorum in Israel, asserit. Hoc de illis intelligendum est, qui in peccata prolapsi sunt, hi in lapide angulari electo, quem Deus in Sion posuit, resurgere debent, sustentat enim Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos, Psal. 145. v. 14. Psal. 37. v. 24.

Quotiescunque igitur in delicto aliquo occupamur, maturè resurgamus per pœnitentiam seriam, hinc ipse Deus: Revertere aversatrix Israel &c. Jer. 3. v. 12. 13. Id Christus nobis promeruit, extrà Christum enim Deus ignis consumens est, Deut. 4. v. 24. sed jam cum Paulo dicere possumus: Justificati fide pacem habemus cum Deo, Rom. 5. v. 1. Act. 10. v. 43.

III. *Ex rivulo profundissimæ exinanitionis.* Veluti enim de Isaac dicitur: Crevit puer & ablactatus est, Gen. 21. v. 8. De Samuele: magnificatus est puer Samuel, 1. Sam. 2. v. 21. de Samsone: crevitque puer, & benedixit ei Dominus, Jud. 13. vers. 74. Ita Christus Servator noster ab hora Nativitatis non perfectam corporis staturam habuit: sed naturali modô crevit in virum perfectum, Ephes. 4. v. 13. Id nostro bono factum est.

Per se Christus est Deus, qui omnia creavit, Joh.1.v.3. Deus super omnia benedictus, Rom. 9. v. 5. est Dominus, quem omnes Angeli & Archangeli adorant, Hebr. 1.v.6. proprius Dei Filius, Rom.8.v.32. & unigenitus, Joh.1.v.18. splendor gloriæ, & character substantiæ ejus, Hebr.1. v.3. attamen adeò profundè demittit se, ut tanquam alii pueri lacrymetur & ploret, crescat & augeatur, nobisque in omnibus similis fiat, excepto peccato, Hebr.2.v.17.

Adamum Deus in ipsa creatione in perfectâ viri statura formavit, Gen.1. v.27. idem & hîc facere potuisset. At quo amorem & φιλανθρωπίαν ejus eò penitius perspiceremus, Messiam nobis in humanissima & amabilissima formâ elegantissimi pueruli, cui nemo non favet, Bethlehemi in præsepio reclinavit.

In terris nihil jucundius neque blandius est, quàm infantulus; licet enim ad iram excitetur, tamen mox idem placari potest, modò amicè compelletur. Sic & nos nil nisi blanditias à Jesulo recens nato expectemus, non venit ad terrendum, sed potius ad exhilarandum.

Moses terribilis est, pronuncians maledictos omnes, qui non omnia in lege Dei servant, Deut.27. v.26. Verùm Servator noster sub specie infantuli suavissimi apparet, ne terrore afficiamur, sed cum fiducia ad cunas accedamus, ipsumq; osculemur, juxta Davidis admonitionem, Psal. 2. v. ult.

Quodsi Jesulo recens nato obviaverimus osculo amoris & obedientiæ: ille vicissim osculabitur nos hic osculo gratiæ, ibi verò osculo gloriæ, quando ad eum perveniemus in cœlestem Hierosolymam, ubi misericordia & veritas obviabunt sibi, justitia & pax osculabuntur se, in æternum, Psal.85. v. 11.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quam tribus includemus Regulis, quarum

1. *Magnalia Dei admirare.* De Josepho & Maria subinitium Evangelii dicitur: Et erat pater ejus, & mater ejus mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Hoc ipso Evangelista relegat nos ad præcedentem historiam. Simulac enim puerulum in templum detulerant, ut eum Domino præsentarent: ecce! Simeon venit in Spiritu in templum, auferens infantulum ex manibus Sacerdotis, à quo primogenitus redimendus erat, in ulnas suas, dilucidè affirmans: non esse hîc opus redemtione ulla, sicut ratione aliorum primogenitorum, esse enim hunc ipsum τὸ σωτήριον, sive salutis fontem, quem Deus paraverit ante faciem omnium populorum; lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis Israel.

Propterea parentes Christi in summam admirationem rapti, hinc occasionem capiebant, omnia repetendi, quæ præcesserant, illique partim ab Angelo ante conceptionem, partim à Zacharia & Elisabethâ, post conceptionem, partim etiam à Pastoribus Bethlehemiticis, & Magis ex Oriente post Nativitatem audierant.

Utrumque inter se conferunt, & quia omnia ad amussim impleri deprehendunt, mirantur sapientiam & veritatem Dei, ita ut omnem intellectum captivent, 2.Cor. 10. v. 5. nec dubitent, quin quæ restent ad-

adhuc, suo tempore certissimè impleturus sit. Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera ejus in veritate, Psal. 33. v. 4.

Nos & ipsi quoque Magnalia Dei admiremur, quæ olim fecit, adhuc facit, & porrò facturus est, vi promissionis suæ, cui firmiter insistamus, certissimè credentes, quod de omnibus verbis bonis, quæ se Dominus præstiturum esse, pollicitus est, unum non præteriturum sit incassum, Jos. 23. v. 14.

Quando igitur audimus, Deum proprio suo Filio non pepercisse, sed pro nobis omnibus tradidisse eum, Rom. 8. v. 27. meritò in fide id admiremur, cum Johanne dicentes: In hoc apparuit charitas Dei in nobis &c. 1. Joh. 4. v. 9. Firmo quoque solatio nos fulciamus in omnibus tribulationibus, quod si enim Deus Filium suum donavit, panem quoque quotidianum non denegabit nobis, nec in cruce derelinquet, sed ita nos adjuvabit, ut omnes annuncient opus ejus, Psal. 64. v. 10.

Quando audimus, quod tantos peccatores in gratiam recepetit, Petrum se abnegantem, Paulum se persequentem, Thomam per incredulitatem nefariè peccantem: Admiremur magnam ejus gratiam & misericordiam, indubiè credentes, quod & nos resipiscentes in gratiam recepturus sit, 1. Tim. 1. v. 16.

Quando audimus, quod contemtores gratiæ suæ tandem puniverit, dum primum mundum diluvio inundavit, Gen. 7. v. 23. Sodomam & Gomorrham igne & sulphure cœlitus delevit, Gen. 19. v. 24. Pharaonem cum omni exercitu in mari rubro suffocavit, Exod. 14. v. 28. admiratione justitiæ ejus moveamur, pœnitentiam eò levetius maturantes, ut quiescamus agere perversè, discamus benefacere, Esa. 1. v. 16. cogitantes, quod DEus non irridetur, Gal. 6. v. 7. Sir. 5. v. 7.

Quando audimus, Deum mortuos aliquot resuscitasse, nempè filium viduæ Sareptanæ per Eliam, 1. Reg. 17. v. 23. filium Sunamitidis per Elisam, 2. Reg. 4. v. 36. adolescentem Nainiticum, filiam Jairi & defunctum Lazarum per filium suum dilectum, Luc. 7. v. 15. Matth. 9. v. 25. Joh. 11. v. 44. Tabeam per Petrum, Act. 9. v. 41. Eutychum per Paulum, Act. 20. v. 10. in admirationem divinæ ejus omnipotentiæ rapiamur, dicentes cum Jobo: Scio quod Redemtor meus vivit? Job. 19. v. 25. seqq.

Quando Deum, Enochum & Eliam vivos & animâ & corpore in cœlum adsumsisse audimus, Gen. 5. v. 25. 2. Reg. 2. v. 11. quod Christus clarificatus fuerit in monte Thabor, Petro propterea lætitiâ exultante, Matth. 17. v. 2. 3. admiremur futuram gloriam, quam Deus præparavit diligentibus se, 1. Cor. 2. v. 9. ideoque libentius compatiamur, ut & conglorificemur, Rom. 8. v. 17.

Ex adverso caveamus, ne mirari nostrum rimari sit, ut mysteria divina captum superantia curiose scrutari satagamus. Scrutator enim Majestatis opprimetur à gloriâ, Prov. 25. v. 27.

II. *Hannam imitare.* Quæ egregio elogio decoratur, & est

1. *Speculum virginale.* Illibatam enim virginitatem suam servaverat, dum à Deo & parentibus suis ad matrimonium vocata fuit. Intueantur hoc speculum omnes

omnes quæ virginitatem suam libidinosè prostituunt, Ezech. 23. v. 21.

2. *Speculum conjugiale.* Septem enim annis vixerat cum viro suo, quâ in parte rectè fecit. Qui enim fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos, Matth. 19. v. 4. quod his abundantius est, à malo est, Matth. 5. v. 37.

Videant Christianæ mulieres, ut non modò malo, sed & specie mali abstineant, 1. Thess. 5. v. 22. ne famæ suæ labeculam adspergant, quæ nunquam deleatur, Sir. 23. v. 36.

3. *Speculum viduale.* Erat enim vidua usque ad annos octoginta quatuor, & ita viduatum suum duxerat, ut nemo esset, qui loqueretur de eâ verbum malum, ut de Judith dicitur, Judith. 8. v. 7.

Sic Christianæ viduæ, si ad secunda vota transire nolint, quod ipsis tamen concessum est, 1. Cor. 7. v. 9. 39. modestiæ & pudicitiæ studeant, antè omnia verò in Deo sperent, quæ enim in deliciis est, vivens mortua est, 1. Tim. 5. v. 6.

In æde quoque Domini sedulò compareant, jejuniis & obsecrationibus Deo servientes nocte ac die. Quia enim in mundo plerumque derelictæ sunt, eò magis ad Deum convertere se debent, non dubitantes, quin Deus miseriam suam intuiturus sit, Psal. 10. v. 14.

In genere verò hîc omnes Christiani exemplum habent, ut & ipsi Hannam in pietate sequantur, dicentes cum Davide: Unum petii à Domino &c. Psal. 27. v. 4.

Hoc qui fecerit, benedictionem consequetur, juxta illud, Matth. 6. v. 33.

III. *Redemtionem præstolare.* Hîc de Hannâ dicitur, quod locuta fuerit omnibus, qui exspectabant redemtionem Jerusalem. Horum tùm paucissimi erant. Synedrion constabat ex LXXII. Senioribus: verùm unus hic saltem adest, qui Jesuli recens nati curam agit. Cui adjungunt se Joseph, Maria, Hanna, & fortassis aliquot alii, quorum Evangelista mentionem non facit. Hi sunt dispersæ oviculæ in domo Domini, qui velut rosa inter spinas angustiantur, & singulis momentis cùm propter tyrannidem Herodis, tùm Pharisæorum fermentum in extremo animæ & corporis periculo versantur.

Ejusmodi Sanctos & Martyres expetit Deus, qui sancti & pii manent in ipsâ impiorum corona, sicut Noah inter Cainitas & Lamechitas, Gen 6. v. 8. Loth inter Sodomitas, Gen. 18. v. 20. Josephus in Ægypto, Gen. 40. v. 3. seqq. Daniel Babylone, Dan. 1. v. 6. seqq. Hinc scitè Augustinus: *Genus Martyrii est, inter sontes conservare decus innocentiæ.* Et Bernhardus: Lilium esse inter lilia magnum non est, sed lilium esse inter spinas, hoc verè magnum. Fascinatio enim intellectus obscurat bona, Sap. 4. v. 12.

Cæterum omnes Expectantes sumus, præstolantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri JEsu Christi, Tit. 2. v. 13. qui nos liberabit ab omni opere malo, & salvos faciet in Regnum suum cœleste, 2. Timoth. 4. v. 18.

Hîc quasi custodimur in carcere tribulationis, ubi multa sustinere nos oportet, Psal. 34. v. 20. Psal. 80. v. 6. Verùm confidite Dilecti! Non in æternum id perseverabit: Redemtio in limine est, ubi Dominus calicem crucis auferet, & dili-

diligentibus se calicem refrigerii propinabit, ut non amplius aquam lacrymarum, sed vinum defecatum bibant, Esa. 25. v. 6. & præ exultatione cordis jubilent in æternum, Esa. 65. v. 14.

Intereà exspecta Dominum, Psalm. 27. v. ult.

Maria, Imperatoris Ferdinandi I. filia, Wilhelmi Ducis Cliviæ conjux pro insigni gessit arborem fructu & foliis denudatam, qualiter arbores, hyeme esse solent, quando folia deciderunt, cum hâc inscriptione: Gaudium meum spes est.

Quamdiu in mundo hoc vivimus, multæ nos tribulationes affligunt, nudi & inopes incedimus, pietas quasi demortua, & charitas in cordibus hominum refrigiuit, Matth. 24. v. 12. sed jucundissimam æstatem præstolamur, dicentes: Gaudium meum spes est.

Quilibet det operam, ut bonam militet militiam, fidem & bonam conscientiam habeat, 1. Tim. 1. v. 19. sic de redemtione prorsus securus, cum Paulo dicere potest: Bonum certamen certavi, 2. Tim. 4. v. 7. 8. Adjuvet id nos JEsus Christus, Amen.

DOMINICA POST CIRCUMCISIONEM DOMINI.

Evangelium Matth. 2. v. 13. usque ad fin.

EXORDIUM.

DEdit DEUS Israëlitis inter alia hanc quoque legem: Non coques hœdum in lacte matris suæ, Exod. 23. v. 19.

Id mysticè intelligendum,

Christus Servator noster verus hœdus expiatorius est, in quo cœlestis Pater peccata totius mundi reposuit, eaque in montem Calvariæ perferri jussit, ubi ipse ea pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, 1. Petr. 2. v. 24.

Jacobus benedictionem à patre suo Isaac consequuturus, pelliculas hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit, Genes. 27. vers. 16. Eodem modo cœlestis quoque Jacobus, Servator noster pientissimus JESUS Christus semen Abrahæ assumsit, & quia pueri participarunt carni & sanguini: & ipse similiter participavit eisdem, Hebr. 2. vers. 14. 15. Hoc modo in gentes benedictio Abrahæ facta est in CHRISTO JESU: & nos pollicitationem

tionem Spiritus accepimus per fidem. Gal. 3. v. 14.

Propterea optimus Servator multa sustinere coactus fuit. Herodes in ipsa infantia vitæ ejus insidiatus est, ut ideò fugâ sibi consulere, ut Jacob, inque Ægyptum secedere necessum habuerit. Hœdus enim non mactandus erat, dum lactabatur, in infantiâ: sed tempus attingere debebat, quod in decreto S.S. Trinitatis passioni & morti ejus deputatum erat, Act. 2. v. 23.

Hâc de re instruimur in prælectâ Pericope, quomodo Deus pro Filio suo vigilaverit, & de insidiis Herodis sanguinariis, Iosephum, patrem Christi putativum præmonuerit, per Angelum inquiens: Surge & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum: & esto ibi, usque dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum, ad perdendum eum. Cui mandato Joseph fideliter obtemperavit, & ita periculum indemnis evasit.

Videbimus nos pro instituti ratione:

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Quando sacras Scripturas evolvimus, in iis varias similitudines invenimus, sub quibus vita humana delineatur. David eam fœno, & flori agri comparat, Psal. 103. v. 15. Hiskias texenti, Esa. 38. v. 12. Paulus τὸ νῦν vocat, sive momentum, Rom. 8. v. 18. Hinc ille Philosophus interrogatus quid esset vita? oculos clausit & mox aperuit, indicans, quod subitaneæ ea mutationi obnoxia esset.

Alii Tragœdiæ eam conferunt, ubi ultimus Actus semper mortem repræsentat. Quamvis enim Medicus multum laboris in curando morbido corpore insumit: tamen hodie Rex est, & cras moritur, Sirach. 10. vers. 11. 12. alii candelæ, quæ aliis lumen præbet, & seipsum consumit. Quotidiè enim propius ad sepulchrum accedimus, ad quod multum conferunt curæ & labores, quos in serviendo proximo suscipimus. Unde Siracides cogitationes hominum, timores cordis, adinventionem exspectationis & diem finitionis conjungit, c. 40. v. 2. Confertur & Organo pneumatico, quamprimùm enim aër deficit, qui per folles in fistulas defertur, vox quoque deficit: sic quando Spiritus hominis aufferatur, vita ejus deficit, & in pulverem revertitur, Psal. 104. v. 29.

Imprimis verò Jobus eleganter eam depinxit, his verbis: Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & abscinditur, & fugit velut umbra, & non stat, Job. 14. v. 1. 2.

Exemplum habemus in prælecto Evangelio, ubi Joseph è somno excitatur, ut cum Maria & puerulo in Ægyptum fugiat, & ita gladium Herodis effugiat.

Querela proponit

1. *Christi exilium.* Vix enim nato, Herodes insidias vitæ ejus tendebat, ut per Angelum admonitus in Ægyptum auffugere teneretur.

Magna

Magna hæc fuit miseria, imprimis quando tempus inspicimus. Nam ut ex Evangelio patet, noctu id factum, quæ ut Proverbio dicitur, nemini amica est. Idem adhuc hodie piis quandoque accidit:

> Exulerat Christus, comites nos exulis hujus.
> Esse decet, cujus nos quoque membra sumus.

Idipsum accidit Eliæ ab Isabel fugienti, 1.Reg.19.v.4. Amoso, Amos.7.v.13. Apostolis, 1.Cor.4.v.11. Tribus prioribus post adscensum Domini seculis, persecutio persecutionem pressit, ut Christiani in sylvis, foraminibus petræ, & terræ hiatibus delitescere coacti fuerint, quo vitam conservarent: nomen eorum adeo exosum erat, ut à Paganis non aliter quam Asinarii, item Sarmentitii appellarentur: & si forte Tiberis exundaret, aut Pestilentia grassaretur, aut aliud malum ingrueret, Christianis id imputabatur, ideoque vel exilio multabantur, vel alio inaudito martyrio & tormento trucidabantur. Nostra ætate quoque non semel factum est, ut pii Christiani, bellica tempestate, vel iniqua Reformatione adacti, solum vertere, adeoque facultates suas relinquere, coacti fuerint.

Hæc miseria non leviter æstimanda est. Nam οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος. Quando vero ædes propriæ deserendæ, & in peregrinatione vita degenda est, multæ injuriæ devorandæ sunt, quolibet insultante & dicente: Pone in terram corpus tuum, & in plateas transeuntibus, Esa.51.v.23.

Cum Isaac peregrinus in Palæstina esset, Palæstini invidebant ei, quod Dominus benedixerat ei, ut inveniret in ipso anno centuplum, & obstruebant ipsi puteos, Gen 26.v.12. Lotho Sodomitæ objiciebant: Unicus ille venit ad peregrinandum, & judicaret nunc nos? Gen.19.v.9.

David peregrinus erat cum Mesech, & habitabat cum tabernaculis Cedar, id valde affligebat ipsum, hinc dicit: Multum animæ meæ habitare cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis, Psal. 120. vers. 6.7.

Adhuc hodie alienigenæ, ubi degunt, parum grati & accepti sunt, ideo DEUS ipse in verbo suo eorum rationem habet, eosque lædi prohibuit, Deut.27.v.19.

Quodsi igitur & tu propter Evangelium in exilium migrare cogeris, solatio hoc sustenta te, quod Christus tibi comes adsit, & dic cum B. Luthero: Si terra nos non capiet, cœlum capiet, ubi firmam mansionem habemus, quam Christus nobis per abitum suum ad Patrem paravit, Joh.14.v.3. unde nemo nos expellet, aut exturbabit, sed erimus cum Christo semper, 1.Thess. 4, v.17.

2. *Herodis ingenium*, quod Evangelista ita describit: Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Hoc omnium Tyrannorum ingenium & proprietas est, ut sanguinem sitiant, & arbitrentur, se cultum præstare Deo, Joh. 16. v.2. Id factum est in ipso Ecclesiæ primordio. Stephanus protomartyr fuit, quem Judæi lapidibus obruerunt, Act.7. v.57. Hunc multa millia secuti sunt, propterea à Veteribus vocatur, primicereus, quia cæteris quasi cereum prætulit. Quid Apostolis

lis accidit? Paulus & Jacobus decollati, Act.12.v.2. Petrus & Andreas cruci suffixi sunt, Bartholomæus vivus excoriatus est. Alii vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, &c. Hebr. 11. v.36. seqq.

Non suffecit id. Verum Imperatores Ethnici Domitianus, Trajanus, Diocletianus, Maximinus aliique tantam Tyrannidem exercuerunt, ut Christianorum sanguis tanquam aqua effusus, Psal.79.v.3. ita ut Eusebius scribat, die quodam carnifices homicidiis delassatos, & gladios eorum hebetatos fuisse, ideoq; eos reliquos Christianos gregatim in aquas propulisse & suffocasse. Postea per Mahometem in Oriente, & Anti-Christum in Occidente id ita continuatum est.

Cum Solymannus A. C. 1529. urbem Viennam obsideret, adeò sæviebat, ut infantes frustulatim dissecaret, fœminas vero & senes palis & hastis suffigebat, ut summo cruciatu vitam finierint. Tandem, ubi re infecta discedere coactus fuit, sexaginta Christianorum millia secum in tristissimam servitatem abduxit, ut non incommode huc applices: Comederunt adipem in saturitatem, & biberunt sanguinem in ebrietatem, Ezech.39.v.19.

Quantus Christianorum sanguis sub Pontificis Romani Tyrannide effusus est in illis, qui Deum suum Maozim venerari noluerunt, Dan.11.v.38. D. Saccus alicubi recenset, intra triginta annos, nempe ab anno 1550. usque ad annum 1580. novies centena millia hominum, in Germania, Britannia, Gallia, Hispania & Italia propter Evangelii professionem occisa esse: quos inter 39. Principes, 148. Comites, 235. Barones, 147518. Nobiles, ex plebeis vero septuascentena millia & sexaginta fuisse. Nuptiæ Parisienses Anno 1572. viginti, vel ut alii volunt, triginta Christianorum millia absumserunt.

De Duce Albano refertur, quod è Belgio discessurus, epulas magnificas apparaverit, in quibus dixerit, si quæratur quid in Belgio gesserit, responderent modo, se manu carnificis octodecim millia Belgarum necasse. Ita purpurata est universa terra sanguine Martyrum.

> Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine crevit,
> Sanguine succrevit, sanguine finis erit.

Christus sponsus sanguinum est, Exod. 4.v.25. hic præcedit, qui minister ejus esse vult, non gravetur eum sequi, non modo quando panes distribuit, Joh.6.v.2. aut nuptias frequentat, Joh 2. v.2. sed etiam, quando in horto Oliveti sudorem sanguineum emittit, vel plane ad montem Calvariæ procedit. Interea hoc certum est, si commortui fuerimus, & convivemus, 2. Tim.2.v.12.

3. *Triste hospitium*, quod Evangelista innuit, inquiens: Fuge in Ægyptum. Hæc quasi Diaboli spelunca fuit, ubi cum idololatria omnis generis peccata & flagitia invaluerant, eò Jesulus recens natus se conferre, populorumque horum barbarorum hospitio uti jubetur: ita Deus mirabile fecit consilium, & magnificavit sapientiam, Esa. 28. v.ult.

Nos dilecti! in mundo habitamus, qui totus

totus in maligno positus est, 1. Joh. 5. v. 19. quid is aliud est, quam Barbarica & desolata Ægyptus, ubi opera tenebrarum sine propudio exercentur, Eph. 5. v. 11. Bernhardus ait; Mundus est, ubi malitiæ plurimum, sapientiæ parum. Lutherus noster vocat ***stabulum pessimorum hominum.*** Hic inveniuntur homines idololatræ, ut Aaron, Exod. 32. v. 5. Homines, qui nomen Dei adhibent in vanum, sicut blasphemus ille filius Israëlitidis, quem pepererat de viro Ægyptio, Levit. 24. v. 10. Homines, qui Sabbathum prophanant, ut ille, qui ligna colligebat, ideoque lapidatus, Num. 15. v. 32. seqq. Homines qui Parentibus & Magistratui sese opponunt, ut Absolon, 2. Sam. 16. v. 7. 22. Homines, qui cædibus & adulteriis se contaminant, instar Davidis, 2. Sam. 11. v. 4. Homines, qui furtum committunt, ut Achan, Jos. 7. v. 20. Homines, qui falsum testimonium dicunt, ut Judices illi nequam, Hist. Sus. v. 34. Homines, qui proximi facultates concupiscunt, ut Achab, vineam probi Naboth desiderans, 1. Reg. 21. vers. 2.

Augustinus scribit, Ægyptios Regnum suum cœlo contulisse, & æquasse, adeò verò fallaces fuisse, ut si hominem impostorem denotare velimus, eum αἰγυπτιάζειν in Proverbio dicamus, ut Erasmus exponit. Ita non pauci inter nos occurrunt, qui fallacem hujus mundi Ægyptum, loco cœli sui æstimant, & sapientes sunt ut faciant mala; bene autem facere nescierunt, Jer. 4. v. 22.

Magna hæc miseria est, quod ita cum spinis & scorpionibus habitare teneamur, Ezech. 2. v. 6. ideo accurata cautione opus est, ne & ipsi inficiamur, sed luceamus sicut luminaria in mundo, in medio nationis pravæ atque perversæ, Phil. 2. v. 15.

Cum Moses grandis factus esset, negavit se esse filium Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalem peccati habere jucunditatem, Hebr. 11. v. 24. seqq.

Nos vestigiis ejus insistentes, seculum hoc non diligamus, uti Demas, 2. Tim. 4. v. 10. sed omnia, quæ in eo sunt, pro detrimento & stercore habeamus, ut Christum lucrifaciamus, Phil. 3. v. 8. Mundus enim transit & concupiscentia ejus, 1. Joh. 27. v. 1.

De Secundo.

Sequitur *Triplex Medela*, quæ fluit

1. *Ex Angelica excubatione*, qua pro Jesulo recens nato vigilant. Hinc Evangelista: Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.

Hic verum esse deprehendimus, quod David ait: Custos Israel non dormit, neque dormitat, Psal. 121. v. 20. Joseph nullius periculi conscius erat, & haud dubiè in manus Herodis devenisset, nisi ab Angelo præmonitus fuisset. Ita adhuc hodie Deus Angelis suis mandavit de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris, Psal. 91. v. 11. Sunt enim Spiritus administratorii, Hebr. 1. v. 14.

Impii Sodomitæ fores pii Lothi effringere volebant noctu: Verum Angelus Domini tuebatur ipsum, eosque cæcitate percussit,

cussit, ut ostium invenire non possent, Gen. 19. v. 11.

Syri Elisæum in oppido Dothan circumdederant, eumque non elapsurum putabant: Verum S. Angeli in circuitu Elisæi in forma equorum & curruum ignitorum erant, ne damnum ipsis inferretur, 2. Reg. 6. v. 14. 18.

Socii Danielis in medium furnum ignis ardentis mittebantur: Verum Angelus Domini descendit cum eis in fornacem: & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, ideo indemnes exibant, quin & odor ignis non transiverat per illos, Dan. 3. v. 25. seqq.

Hoc solatium nos quoque manet, si Deum timemus, & peccatis valedicimus, quibus sancti Angeli abiguntur, sunt enim Spiritus sancti, & qui patrocinio eorum gaudere vult, nunc & ipsam sanctimoniam sectari oportet, sine qua nemo videbit Deum, Hebr. 12. v. 14.

2. *Ex fugæ limitatione.* Ita enim Angelus: Esto ibi, usque dum dicam tibi.

Hanc consolationem quilibet Christianorum arripere, sibique applicare debet. Quia non repellit in sempiternum Dominus, Thren. 3, v. 32.

Equidem tempus quandoque nimis longum videtur, ut animis cadamus, cum Davide dicentes: Nunquid in æternum projiciet Deus, & non amplius placabilis erit, Psal. 77, v. 8.

Verum in Dei oculis modicum saltem est, teste Christo, Joh 16, v. 16. momentum in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus, Psal. 30. v. 6. ideo acquiescamus in voluntate ejus, reputantes nobiscum, satius esse hic temporaliter corripi, quam cum mundo damnari, 1. Cor. 11. v. 31. Ibi enim nulla redemtio est, Psal. 49. v. 9. sed hic scimus, non in æternum daturum esse afflictionem justo, Psal. 55. v. 23. verum post lachrymationem & fletum exultationem infundit, Tob. 3. v. 22.

3. *Ex Tyrannorum degradatione.* Defuncti enim sunt, dicit Angelus, qui quærebant animam pueri. Sic tandem Herodes mortuus est, & quidem morte perquam horrenda ut Josephus testatur. Ipsa verba Josephi, quæ exstant lib. 17. cap. 8. Antiq. Jud. non gravabor adscribere: Regi inquit, morbus factus est gravior, pœnam impietatis exigente Numine. Lento enim calore torrebatur, qui non tam externo tactu deprehenderetur, quam intus depopularetur viscera. Aderat vehemens voracitas, cui necesse esset, continuo cibos suggerere, simulque vexabatur intestinorum exulceratione, & colicis compassionibus. Pedes tumebant Phlegmate humido & pellucido, similiterque inguina: ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fœda nec minus molesta tentigine, non sine fœtore gravissimo: super hæc omnia nervorum contractione laborabat, & difficultate anhelitus. Quamobrem constans erat inter viros divinos & fatidicos opinio, *Regem læsæ tot modis pietatis Deo pœnas expendere.*

Plura exempla facile adduci possent, quomodo Deus Tyrannos tandem præcipitarit, & virgam, qua fideles suos castigavit igni mancipaverit. Verum hac vice opera hac supersedemus, hoc solatio freti, quod licet gentes fremant, & adsistant Reges terræ, & Principes consultent adversus

versus Dominum, & adversus Christum ejus, Psal.2.v.1. excelsior excelso sit custos, Eccles.5. v.7. qui Tyrannis illis resistere possit, Furor hominum est laus, ejus reliquiis furoris accinget se, Psal.76.v.11.

Quoties adhuc hodie accidit, ut hic vel ille Magnatum Tyrannidem in suos exerceat, hoc Symbolo utens: Quod libet, licet,

Sunt arma, vis, potentia.
Statuta nostra sint rata
Culpare quis præsumet?

Sed ex improviso à Deo abripitur, ut dicere possis: Defuncti sunt. Interea vero patientia nobis necessaria est, Hebr.10.v.36. ut præstolemur cum silentio salutare Dei, Thren.3.v.26. dum placeat ei fidelibus suis succurrere:

Scit ipse tempus optimum,
Nobisque nullum dat malum,
Spes hæc reposta nobis.

Ipse faciet, Psal.37.v.4.

De *Tertio*.

Restat Cautela, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

I. *Deo obtempera.* Josephus sat causæ habuisset, cum Angelo disputandi: mirum enim mandatum erat, quod cum tenero puerulo in Ægyptum fugere deberet. Quomodo hæc sibi respondebunt, dicere potuisset, hiccine infantulus futurus est Dominus, ut Angelus Pastoribus Bethlehemiticis annunciavit, Dominus gloriæ, Psal.24.v.ult. Immanuël, Esa.7.v.14. salus Dei, usque ad extremum terræ, Esa.49.v.6. Qui fit igitur, ut Herodem metuere, & ad effugiendam ejus Tyrannidem in Ægyptum abire debeamus, ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, Eccles.5.v.6. non opus est fuga, quia Dominus pro Omnipotentia sua puerulum servabit.

Verum id Josephus non fecit, sed continuo se in pedes conjiciens fugæ se accinxit, prout Angelus mandaverat.

Hoc ipso nobis Joseph ad exemplum propositum est, ut quilibet in vocatione sua mandatis Domini sese subjiciat, & sine tergiversatione voluntatem ejus expediat. Obedientia enim melior est victimis, 1. Sam.15.v.22. Esa.1.v.19.20.

Quando terreni Magnates subditis suis quicquam præcipiunt, debitum suum reverenter observant, & sæpe plus faciunt, quam debent. Siquidem Fulgosus scribit, in Persia populos quosdam esse, qui dicuntur Assasini, qui Regem suum Senem appellant, eique tanta obedientia inserviunt, ut vel de rupe se ad libitum ejus præcipitent, vel ea præstent, quæ sine vitæ periculo efficere nequeunt.

Quantò magis nos Regi Regum, & Domino Dominantium obedientiam præstemus, in omnibus, quæ nobis præcepit. Mandata enim ejus gravia non sunt, 1.Joh.5.v.3. sed quod præcipit nobis, ipse ante fecit nobisque exemplo suo præivit, ut insistamus vestigiis ejus, 1. Petr.2.v.21.

Quod si id minus facimus, nil nisi iram & indignationem expectemus, necesse est. Deus enim noster fortis Zelotes est, qui non modo corpus, sed & animam

h & cor-

& corpus perdere potest in gehennam, Matth.10.v.28.

Cum Scipionem Majorem in Sicilia percontaretur quidam, quâ re fretus classem educere pararet in Africam? ostendit viros armatos trecentos sese exercentes, præterea turrim excelsam mari imminentem & ait: Nullus horum est, qui non conscensa turri semet in mare præcipitaturus sit, si jussero.

Quid ni magis nos Deo nostro obedientiam præstemus, qui scimus, quid bonum sit, & quid Dominus requirat à nobis, Mich.6.v.8. ne Deus querelam Esaiæ repetere teneatur: Cognovit bos possessorem suum, Esa.1.v.3.seqq.

Hoc si præstiterimus benedictione ejus ornabimur, & corpore & anima, hic temporaliter & ibi in æternum, Deut.28,3. seqq. Pietas enim ad omnia utilis est, 1.Tim. 4.vers.8.

2. *Mutationem expecta.* Hic audimus Angelum Josepho indicare, quamdiu in Ægypto perseverare debeat, nempe usque ad obitum Herodis.

Id consolatione plenum est. Deus enim unicuique quasi demensum suum dedit, quanta pati debeat propter nomen ejus, Act.4.v.16. tempus quoque definivit, quousque duraturum sit, Dan.9.v.24. Imprimis vero Tyrannis certos limites præscribit, quos transilire non possunt. Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos, Job.38.v.11.

Nos quando hora auxiliatrix ventura sit, non novimus, hoc vero exploratum est prorsus, quod non emanebit. Dominus enim fidelis est, nec sinit quenquam tentari supra id, quod potest, 1.Cor.10.v. 13. Interea expecta Dominum, Psal.27. v.14. hoc bonum est, Thren.3.v.26. fide & patientia enim hæreditamus promissiones, Hebr.6.v.12. Hinc David, Psal.94.v. 12.seqq.

Requiritur hic

1. *Cor Davidicum,* quod omnia terrena alto supercilio despiciat, & unicè Deum suspiciat. Inquit enim: Quid enim mihi est in cœlo? Psal.73.v.25.26. Hoc modo omnia adversa facile superabimus. Qui enim clementem Deum in cœlis habet, non multum recordatur dierum vitæ suæ, eò quod Deus occupet gaudio cor ejus, Eccl.5.v.19.

2. *Cor Jobicum*, quod tribulationes à Deo non avertant, sed sit spe gaudens, in tribulatione patiens, Rom.12.v.12. Exemplo sit Jobus, c.1, v.21.

3. *Cor Jacobicum*, quod oratione instet, & nunquam desistat, dum benedictio sequatur, Gen.32.v.26. Matth.7. vers.7.

III. *Scripturam pondera.* Eò Evangelista nos relegat, quando in calce Evangelii indicat, quare hoc factum sit, nempe ut impleatur, quod per Prophetam dictum est, dicentem: Ex Ægypto vocavi Filium meum.

Id quidem literaliter de Israëlitis intelli-

telligendum est, qui sæpe in Scripturis Filius Dei, Filius Dei carissimus, Jer. 21. v. 20. Filius Dei primogenitus appellantur, Exod. 4. v. 22. De hoc Filio suo dicit Deus: quod eum Ægypto eduxerit, & in terram Canaan introduxerit, sicut Historia illa prolixe describitur Exod. 3. 4. 5. cap. & seqq. Verum mystice hic notatur Jesulus recens natus, cujus typus populus Israeliticus fuit, ut in aliis ita præcipue in hoc, quod Dei primogenitus Filius vocatur, ille quidem in Palæstina natus, sed qui postea tempore Josephi, ob annonæ caritatem in Ægyptum migravit. Ita Christus unigenitus in sinu Patris etiam in Palæstina natus, verum in ipsa infantia, propter Herodem in Ægyptum fugere coactus est, ut ibi asylum inveniret, & gladium Herodis, quod jam tum acuerat, effugeret.

Quemadmodum vero Israëlitæ post obitum Pharaonis, vicissim per mare rubrum ex Ægypto in Palæstinam deducti sunt: Ita & Christus Servator post mortem Herodis ex Ægypto revocatus est, & in terra Canaan opus redemtionis perfecit, sicut potissimum propter Judæos in mundum hunc venerat, Matth. 15. v. 24.

Nos Scripta Mosis & Prophetarum in majori pretio habeamus, quia audimus, quod quæcunque scripta sint, ad nostram doctrinam scripta sint, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, Rom. 15. v. 4.

Sancti Prophetæ & passiones & posteriores glorias prænunciarunt, quæ in Christo Jesu sunt, 1. Petr. 1. v. 11.

Sicut igitur prædictiones de passione Christi & fidelium ejus impletæ sunt: ita minus dubitemus, quin suo tempore implendum sit, quod nobis Dominus de futura gloria & beatitudine promisit, utrumque enim provenit ab uno Spiritu, qui est Spiritus veritatis, Joh. 15. v. 17. & mentiri nequit, Hebr. 6. v. 18. Hinc Christum semper ad Scripturas se referre, audimus, Luc. 10. v. 26. Matth. 21. v. 42. Matth. 22. v. 29. Hoc ipso Doctoribus Ecclesiæ præbuit exemplum, ut ea, quæ loquuntur ad populum, non propriis præsumta sententiis, sed divinis munita testimoniis proferant, ait Origenes. Hic enim est firmus ille sermo Propheticus, cui recte facimus attendentes, 2. Petr. 1. v. 16. Ad legem & testimonium, Esa. 8. v. 20.

Oremus Deum ut pretiosum hoc verbi sui depositum clementer inter nos custodiat, est enim in gaudium & in lætitiam cordis nostri, Jer. 15. v. 16. sic lumine hoc collustrati inoffensi in via hujus peregrinationis progrediemur, & tandem feliciter appellemus, in cœlesti patria, ubi nobis Christus πολίτευμα morte & sanguine suo acquisivit, Phil. 3. v. 20. Sit ipsi laus & gloria nunc & in æternum, Amen.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Evangelium Luc. 2. v. 41. 52.

EXORDIUM.

POstquam Deus servo suo Mosi in vertice montis Phasga Palæstinam ostenderat, mortuus est ibidem, & sepelivit eum Dominus in valle terræ Moab: nemo autem invenire potuit sepulchrum ejus, usque in præsentem diem, Deut. 34. v. 6. Et addit S. Judas, Diabolum cum Michaële Archangelo altercatum de Mosis corpore, Epist. v. 9.

Hæc Historia admiratione digna est. Nusquam enim legimus, Deum humatoris officio alias functum. Imprimis memorabile est, quod de altercatione Judas recēset, quæ inter Diabolum & Michaëlem Archangelum de corpore Mosis contigerit. Chrysostomus scribit, hanc litem inde ortam, quia Diabolus sepulchrum Mosis manifestare, Judæisque ansam idololatriæ ministrare voluit, ut reliquias ejus venerarentur, & adorarent, sicut cum serpente æneo magnam quoque Idololatriam exercuerunt, id prohibuisse Michaelem, quia mandatum à Deo habebat, ut Diabolo resisteret: & sepulchrum in occulto conservaret. Probe enim sciebat Deus, quam proclives Judæi ad idololatriam essent, & quia Moses vir sanctissimus fuerat, qui cum Deo coram locutus, multa præclara miracula patrarat, post mortem ejus cavere voluit, ne ansam delinquendi per hoc ipsum haberent, ideo ipse eum humavit, & nemini sepulchrum ejus manifestavit, nec dubium est, quin eum suo tempore ex mortuis resuscitatum, in cœlestem gloriam transtulerit: sicut ipsum cum Enocho & Elia in transfiguratione Christi in monte Thabor in majestate apparuisse legimus, dicentem excessum ejus, quem completurus erat in Hierusalem, Luc. 9. v. 31. Matth. 17. v. 3. Marc. 9. v. 4.

Quando perpendimus, Dilecti! de Jesuli recens nati verbis atque operibus, quæ in pueritia sua egit, Spiritum sanctum nihil plane consignari voluisse, ratio hæc fortassis dari potest, ne hæc crepundia plus, quam opus redemtionis respicerentur, ad quod præcipue missus erat, à Patre suo cœlesti. Alias non improbabile est, optimum hunc puerulum ab ipsis incunabulis radios Divinitatis suæ ostendisse, nec modo in verbis: sed & in factis mirandum sese exhibuisse, quod B. quoque Lutherum probabiliter adseruisse, constat.

Verum hoc ipsum, uti dictum, ad curiositatem & superstitionem præcavendam, literis non consignatum est, quæ æque ac cum corpore Mosis, fraude Diaboli inter homines facile institui potuisset.

Ideo

Ideò nihil movere nos debet, quod de annis puerilibus Servatoris nostri, nihil scriptum est. Prælectum Evangelium quasi compendium est omnium, quæ tempore illo cum ipso acta sunt. Cum enim factus esset annorum duodecim, ecce parentes ejus eum secum adduxerunt Hierosolymam, ubi gloriam suam ostendit. Sedebat enim in medio Doctorum non modò audiens eos, sed & interrogans, quomodo hoc & illud intelligerent, quod de Messiâ prædictum esset. Attamen cùm eum parentes ejus amissum in Templo invenirent, descendit cum ipsis Nazaretham, fuitque subditus illis. Proficiebat quoq; sapientiâ & ætate, & gratia apud Deum & homines.

Videbimus nos

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

HOdierna Pericope non inconcinnè Postilla domestica appellari potest, ex quâ quilibet lectionem suam discere potest. *Conjuges*, quomodo Dei cultum studiosè invisere, amicè cohabitare, & crucem, quæ à Deo immittitur, conjunctim ferre debeant, hoc probatum est coràm Deo & hominibus, Sir. 25. v. 1. *Parentes*, quomodo liberos suos ad Templum & Scholam mittere, & ab ineunte ætate in disciplinâ & admonitione Domini educare debeant, Eph. 6. v. 4. *Liberi*, quomodo parentibus obsequium præstent, si benedictionem, quam Deus quarto præcepto annexuit, quod ejusmodi liberis benè futurum sit, hic & in æternum, hæreditare velint, Eph. 6. v. 3.

In genere verò discant hîc omnes Christiani, si cruce visitentur, & hoc ipso sæpè in tantas angustias conjiciantur, ut non aliter opinentur, quam Christum se planè amisisse, quale remedium adhibendum sit. Nempè ædem Domini frequentent, sollicitè eum quærentes, quem apparenter amiserunt, nec dubitent, quin eum reperturi sint. Quia non repellet in sempiternum Deus, etiamsi affligit, Thren. 3. v. 31. seqq.

Querela exhibet

I. *Parentum incuriam.* Exemplum habemus in prælecto Evangelio. Josephus & Maria, cum puero suo duodecenni Paschatos Festum Hierosolymis celebraverant. Dum igitur domum revertuntur, sine dubio magno in comitatu eorum qui pariter ibidem sacris interfuerant, non studiosè filium suum observant, mater cum patre, & pater cum matre eundem esse opinantur: siquidem si Bedæ credimus, viri & mulieres seorsim iter fecerunt. Dum igitur vesperi in diversorio conveniunt, filiolum suum non adesse deprehendunt. In quantum mœrorem & animi sollicitudinem conjecti tùm fuerint, optimi parentes, facilè conjicere licet. Hic enim puerulus salus mundi erat, de quo Angelus ad Pastores Bethlehemiticos dixerat: Ecce annuncio vobis gaudium magnum, Luc. 2. v. 10. Hic B. Maria proculdubio recordata est, quæ hactenus de filio suo viderat & audierat, quod animi angorem magis in eâ auxit.

Fit istud adhuc hodie, si rem considerayetis,

1. *In sensu literali.* Sæpè parentes tempore belli, ex improviso à militibus in fugam conjecti, liberos suos relinquere coguntur, Jer. 47. v. 2. 3. Multos secum invitis parentibus militatum abduxerunt, & ita neci tradiderunt:* reluctantes, vel elapsuros, contrà jus gentium ab arboribus suspenderunt, ut luctuosa ejusmodi exempla in propatulo sunt.

Idem fit, ubi Jesuitæ Reformationes suas instituunt. Quando enim Parentes à veritate Evangelicâ desciscere nolunt, liberos vi ipsis eripiunt, quibus alimenta illi procurare tenentur, ut ad idololatriam educati, corpore & animâ pereant. Id quidem ejusmodi parentes graviter angit: attamen præstat, liberos relinquere, quàm Christum abnegare, Matth. 19. v. 29.

2. *In sensu spirituali*, quâ ratione Jesulus noster sæpè amittitur

1. *In tentatione*, quando Deus nostrûm oblitus, Christusque cum merito suo nihil ad nos attinere videtur, quod Job, David, Hiskias aliique Sancti experti sunt. Id B. Lutherus prægustum inferni, nec non infernum ipsum appellat. Nulla enim gravior afflictio in toto mundo est, quam si quem torrentes Belial conturbent, & periculum est, ne ab iisdem supereris, Psal. 18. v. 5.

2. *In persecutione.* Quando Christus propter fœdam ingratitudinem & contemtum verbi sui candelabrum movet de loco suo, Apoc. 1. v. 5. & exit de templo, Joh. 8. v. 89.

Quot florentes Ecclesias Apostoli in Palæstinâ, Italiâ, Græciâ, alibique locorum passim plantarunt? Sed ubi sunt illæ hodie? Nonne Machometes in Oriente, & Anti-Christus in Occidente miserè omnia devastarunt, ut miserrimi illi Jesulum amiserint, & in operationem erroris inciderint, ut credere cogantur mendacio, quia ante charitatem veritatis non receperunt, 2. Thess. 2. v. 10.

3. *In maledictione*, quando pacem, patrocinium, benedictionem suam à nobis aufert Deus, & ex adverso maledictionem immittit, ubi omnia sub manibus dilabuntur, juxtà illud Hagg. 1. v. 6. Hinc ipse ait: Væ illis, ubi ego discessero, Os. 9. v. 12.

II. *Consequentem miseriam.* Ubi enim Parentes Christi Filium suum non adesse vident, anxiè discurrentes quærunt eum, primò in comitatu, deindè Hierosolymas revertuntur, inter cognatos & amicos eum inquirentes: prorsus vita acerba est, dum Filium inveniant. Verùm licet nullam non diligentiam adhibeant illi, tamen usque in diem tertium in hâc animi perturbatione permanere coguntur, donec eum in medio Doctorum inveniunt, audientem & interrogantem eos.

Idem piis Christianis adhuc hodiè non rarò accidit, ut sub cruce constituti cum dolore quærant, quem diligit anima sua, & non inveniant, Cant. 3. v. 1. Sæpè se dicto quodam Scripturæ involvit, & expectat, dum eum inveniamus, hinc David: Tibi dixit cor meum, quære faciem meam, faciem tuam Domine requiram, Psalm. 27. vers. 8.

Has ejus horas & moras æquo animo feramus oportet, expectantes, dum hora auxilii adveniat, quæ accelerari nequit. Omnia enim ordinavit in numero, pondere & mensurâ, Sap. 11. v. 22. Quando igi-

igitur alicui crucem imponit, tempus suum habet, quousque durare, habet mensuram suam, qualis esse, habet pondus suum, quàm grave esse debeat: id omne impleri oportet dum constitutum suum terminum attingat. Hinc Christus ad Ananiam de Saulo: Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati, Actor.9. v.16. Ita patienter nos expectemus, quod Deus immittere nobis decrevit, non dubitantes, quin ut fidelis ille est, non passurus sit nos tentari suprà id quod possumus, 1.Cor.10. v.13. Thren.3. v.31.

III. *Naturalem ignorantiam*, quæ nobis omnibus connata est, ut non percipiamus ea, quæ sunt Spiritus Dei, stultitia siquidem est nobis & non intelligimus, 1.Cor.2. v.14. Hîc audimus, Mariam dum Filiolum suum in Templo in medio Doctorum reperit, eumque objurgat, quod se insciis remanserit, hocq; ipso in hanc animi sollicitudinem conjecerit, ut usque in diem tertium eum quærere coacta fuerit, hoc responsum ferre: Quid est, quod quærebatis me? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Hoc sublimius erat quàm ut capere potuerit. Interim omnia hæc verba conservabat in corde suo.

Discimus hîc, quomodo mysteria divina, quorum in Scripturis plurima occurrunt, tractanda sint. Nempè quod ratione nostrâ assequi non possumus, non despicere, sed fide apprehendere debemus. Beati enim, qui non vident, & credunt, Joh.20. v.29.

Audi B. Lutherum de Mysterio S.Cœnæ dicentem: Mein lieber HErr Christe / es hat sich ein Streit erhoben / über deinen Stifftungs-Worten / und wollen etliche / sie sollen anders verstanden werden / als sie lauten. Aber / weil sie mich nichts gewisses lehren / sondern nur verwirren / und ihren Text in keinen Weg behaupten können / so bin ich blieben bey deinen Worten / wie sie lauten / ist etwas finster darinnen / so hast du es so finster haben wollen. Denn du hast keine andere Erklärung drüber gegeben / noch zu geben befohlen / so findet man auch in keiner Schrifft noch Sprache / daß / Ist / sol bedeut / und mein Leib / Leibes Zeichen heissen: wäre nun eine Finsternüß drinnen / so wirstu mirs zu gute halten / ob ichs nicht treffe / wie du deinen lieben Aposteln zu gute hieltest / da sie dich in vielen Stücken nicht verstunden. Hactenus Lutherus,

Hæc ita optima ratio est, si literæ inhæreamus, & rationem nostram captivemus in obsequium Christi, credentes contrà spem in spem, plenissimè scientes, quia quæcunque promisit Deus, potens quoque sit facere, Rom.40.21.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Jesuli amissi repertione.* Joseph & Maria triduum discurrere & Filiolum suum quærere cogebantur: tandem inveniebant illum, propterea que magno gaudio superfundebantur.

Ita

Ita Dominus non in æternum dabit afflictionem justo, Psal. 55. v. 23. Sed licet tempore calamitatis abscondat se, tamen vultum suum amabilem rursum ostendere vult, hinc ipse ait: Ad punctum in modico dereliqui te &c. Esa. 54. v. 8. 9.

Equidem tempus quandoque longiusculum videtur, ut cum Davide queramur: Nunquid in æternum projiciet Deus? Psal. 77. v. 8. 9.

Mulier illa habuit spiritum infirmitatis decem & octo annis, ut esset incurvata, nec omninò posset rursum respicere, Luc. 13. v. 12.

Vir ille ad lacum Bethsaida triginta & octo annos habuit in infirmitate sua, Joh. 5. v. 5.

Claudus ille ad portam Templi quadraginta annos claudicare coactus est, Act. 3. v. 2. Ita adhuc hodie multi clamant in doloribus suis: Usque quò Domine clamabimus, & non exaudies? Habac. 1. v. 2. Lang/lang/das macht dem Hertzen bang.

Verùm si tribulationem penitius inspiciamus, nihil aliud illa est, quàm nubecula citò transitura, teste Athanasio: Veluti enim Sol obnubilato cœlo, sub nubibus abscondit se: Ita Sol justitiæ rebus adversis stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, Cant. 2. v. 9. Quando omnia desperata esse censemus, prodit ipse, & exhilarat nos, pro diebus, quibus nos afflixit, Psal. 90. v. 16. Tob. 3. v. 22. seq.

II. *Ex operis peracti devotione.* Invenit enim Maria Jesulum in medio Doctorum, audientem & interrogantem eos.

Ita puer hic duodecennis jucundum spectaculum præbuit, dum inter Rabbinos senectute & canitie venerabiles sedit, & ex sacris literis cum iisdem contulit.

Procul dubio vaticinium Iacobi de Schilo, è Tribu Iudâ oriundo explicuit, Gen. 49. v. 10. Idem, quæ ratio sit hebdomadum septuaginta Danielis, c. 9. v. 24. nec non, quid de Messiâ statuendum, quo tempore adventurus, & annon jam tùm in limine sit. Hæc & ejus generis alia adeò ingeniosè ventilavit, ut nemo non super prudentiâ & responsis ejus obstupuerit.

Nos certissimè persuadeamus nobis, id non modò tùm temporis esse factum, sed Christum adhuc hodie locum suum habere in medio Doctorum. Ipse enim est, qui Jerusalem Evangelistas dat, Esa. 41. v. 27. & dat verba in ore eorum, Jer. 1. v. 9. ut cum fiduciâ testificent majoribus & minoribus, quid agere quidque omittere debeant, Act. 26. v. 22. Ipse quoque est qui Ecclesiam suam adversus Diabolum & satellites ejus defendit, ut portæ inferorum non prævalere possint adversus eam, Matt. 16. v. 18.

Hoc solatio freti in omnibus calamitatibus dicamus: Deus noster refugium & virtus, Ps. 46. v. 1. seqq.

III. *Ex Jesuli accretione.* Jesus enim proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Hoc in solatium omnium piorum & morigerorum liberorum scriptum est. Quando enim & ipsi ad exemplum pueri hujus duodecennis præprimis Deum timebunt, tùm & parentes suos honorabunt, in opere & sermone, & in omni patientiâ, superveniet

eis

eis benedictio Dei copiosa, quoad corpus & animam, Sir. 3. v. 3. seqq.

Sicut igitur obsequentes liberos larga remuneratio manet: sic contra maledictio immorigeros prosequitur, quod vel unicum Abfolonis exemplum satis probat, 2. Sam. 18. v. 9. seqq.

Optima & largissima remuneratio sequetur die novissimo: ubi illos Deus longitudine dierum replebit, Psal. 91. v. 16. ubi in perpetuâ sanitate ut palma virebunt, etiam in senectute frugiferi erunt, germinabunt, & virebunt, Psal. 92. v. 13. 15.

De Tertio.

Restat *Cautela*, cujus tres sunt Regulæ, quarum

I. *Dies festos celebra.* Id parentes Christi fecerunt. Ibant enim omnes annos in Hierusalem. Ad hoc soli viri obstricti fuerunt, ut constat ex Exod. 23. v. 12. Deut. 16. v. 16. Quod verò Maria quoque cum puerulo suo duodecenni se comitem Josepho adjungit, id devotioni ejus adscribendum est, quam in visitatione cultus divini ostendit. Nos hinc exemplum capiamus, ut antè omnia quæramus Regnum Dei & justitiam ejus, & juxtà promissionem Christi, cætera omnia adjicientur nobis, Matth. 6. v. 33.

Quamvis enim ad Judæorum solemnitates obstricti non simus, in N. Test. attamen Ecclesia alia Festa ordinavit, quæ salvâ conscientia negligere non possumus, sed debitâ devotione celebrare tenemur.

In locum Judaici Sabbathi successit dies Dominica, quem Apostoli ex libertate Christianâ illi substituerunt, quia eo ipso Servator ex mortuis resurrexit, unde etiam ἡμέρα κυριακὴ appellatur, Apoc. 1. v. 10.

Loco Judaicorum festorum solennium, nos tria alia nunc celebramus, nempè Festum incarnationis, Paschatos, & Pentecostes. Festum Incarnationis gratiâ Dei præteriit: reliqua duo suo tempore sequentur: quæ quidem nihil aliud sunt, quam anniversariæ commonefactiones beneficiorum, quæ nobis Deus per incarnationem, passionem, mortem, & resurrectionem Filii sui parta, ex gratia exhibet & donat. Imprimis, ubi in Festo Pentecostes Spiritum sanctum promissum specie visibili super Apostolos effudit, Actor. 2. v. 4. qui adhuc hodie habitat in cordibus fidelium, 1. Cor. 3. v. 16. & adjuvat infirmitatem eorum, Rom. 8. v. 26. Ne sub cruce desperemus, sed bonam militemus militiam, habentes fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 19. & tandem finem fidei reportemus, salutem animarum, 1. Petr. 1. v. 9.

His adjuncta sunt Festa Apostolorum, quæ non ideò celebramus in Ecclesiis A. C. ut honore divino eos mactemus, qui honos soli Christo debetur, sed ut meminerimus Præpositorum nostrorum, qui nobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitemur fidem, Hebr. 13. v. 7.

Sicut igitur parentes Christi longo illo itinere non absterriti, quotannis Paschatos Festum Hierosolymis inviserunt, & cultui divino à principio usque ad finem interfuerunt: Ita & nos Dominicâ die, aliisque diebus festis nihil aliud agamus,

sed transeamus cum catervâ, & ambulemus ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis, & cum sono festivitatis, Psal. 42. v. 5.

Judæis magnâ cum molestiâ iter faciendum fuit, aliis quinque, aliis decem, aliis viginti milliarium, siquidem hic de parentibus Christi audimus, quod Nazarethâ Hierosolymam sedecim, vel ut alii volunt, viginti milliaria profecti sint. Alii longius adhuc dissiti fuerunt, siquidem in Festo Pentecostes, Hierosolymis, Parthos, & Medos, & Elemitas, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum & partes Lybiæ, quæ est circà Cyrenem, & Romanos, Cretes & Arabes, adfuisse legimus, Act. 2. v. 9. 10.

Nos tantis sumtibus & molestiis supersedere possumus, qui præ foribus & in propinquo habemus, quod ad salutem nobis necessarium est. Eccur igitur tàm socordes sumus, ut eandem negligamus? O dilecti! unum est necessarium, Luc. 10. v. 42. Nempè pietas infucata. Oremus igitur cum Davide: In unicum hoc dirige cor meum, ut timeat nomen tuum, Psal. 86. v. 11.

Judæi septem diebus continuis Festa sua celebrare tenebantur. Nos quoque compendio utentes, biduo vel triduo ea absolvimus: Et tamen multi ex præposterâ negligentiâ cultui divino vacare nolunt; quin sæpè non expectatâ benedictione è templo se subducunt, ut non immeritò illis applices illud Davidis; Dilexit maledictionem, & veniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo, Psal. 109. v. 18.

Judæi sumtuosa Sacrificia de bobus, ovibus, vitulis, arietibus, capris, vino, oleo, similâ, ejusque generis aliis afferre tenebantur, in genere verò nemini vacuo apparere licuit: sed unumquemque offerre oportebat, secundum quod habebat, juxtà benedictionem Domini DEI sui, quam dederat ei, Deut. 16. v. 17.

Nobis sumtibus & Sacrificiis hisce minus opus est: interim manet hoc morale, quod hilarem datorem diligit DEUS, Hebr. 9. v. 7. Tob. 4. v. 9. ideò eò promtius ad Dei cultum properemus, simus populus spontaneus, in decore sancto, Ps. 110. v. 3. 1. Sam. 2. v. 30.

II. *Jesulum amissum recupera.* Hic Josephum & Mariam Jesulum amissum tamdiu quærere audimus, donec inveniant eum.

Hæc imago Ecclesiæ est. Sæpè fit, ut Christus amittatur; neque enim loco, populo, aut personæ certæ adstrictus est, sed quisquis timet eum, & operatur justitiam, acceptus est ei, Act. 10. v. 35.

Opus proindè est, ut illi, qui Christum adhuc habent, operam dent, quò retineant eum, orantes cum Ambrosio: Da Domine, ut sic te possideamus, ut nunquam amittamus. Et cum discipulis Emaunticis: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies, Luc. 24. v. 29.

Qui verò ipsum amiserunt, vel apparenter, uti David, qui in trepidatione suâ dixit: Projectus sum à facie oculorum tuorum, Psal. 31. v. 23. vel verè per varia pec-

peccata & flagitia, ut Publicanus, Luc. 18. v. 13. vestigia ejus observent oportet, donec inveniant, quem diligit anima sua, Cant. 2. v. 4.

In prælectâ Pericope ostenduntur nobis

1. *Vestigia pœnitentiæ.* Joseph enim & Maria quæsiverunt Christum ὀδυνώμενοι. Ita nos cum Publicano pectus percutiamus, Luc. 18. v. 13. cum Petro amarè fleamus, Matth. 26. v. 75. cum Hiskia sicut grus, & hirundo garriamus, Esa. 38. v. 14. Talis tristitia, quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem, cujus neminem pœniteat, operatur, 2. Cor. 7. v. 10. Psal. 51. v. 19.

2. *Vestigia confidentiæ.* Parentes mœsti non dubitant, quin Jesulum suum reperturi sint, quæ spes etiam non decollavit. Ita etiam illi, qui fraude Satanæ in delicto aliquo præoccupati sunt, Gal. 6. v. 1. fiduciam suam non abjiciant, Hebr. 2. v. 13. sed nitantur juramento Dei, quâ contestatus est, se nolle mortem peccatoris, Ezech. 33. v. 11. ideò bonæ spei fecit filios suos, deditque locum pœnitentiæ, Sapient. 12. v. 19. exemplo sit perditus filius, Luc. 15. v. 20.

3. *Vestigia novæ obedientiæ.* Jesulus enim repertus est in iis, quæ Patris sui sunt, quin & descendit cum eis Nazareth, fuitque parentibus suis subditus.

Hoc necessariò pœnitentiam sequi debet, 1. Joh 2. v. 6. Christi nomen & impia vita non concordant. Discedat ab omni iniquitate is, qui nominat nomen Domini, 2. Tim. 2. 19.

Qui hoc modo Christum quærit, & vestigia ejus investigat, is non frustra quæret: sed inveniet eum, quem diligit anima sua, Cant. 2. v. 4. Deut. 4. v. 29. Qui vero hunc Dominum invenit, invenit thesaurum toto mundo pretiosiorem, ut Bernardus ait, & cum Assaph dicere potest: Quid mihi est in cœlo? Psal. 73. v. 25.

III. *Parentibus obtempera.* De Jesulo dicitur, quod fuerit subditus parentibus. Id adhuc hodie liberi imitentur: Filii obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est, Eph. 6. v. 2. 3.

Jesulus obedientiam suam probavit

1. *Reverenter.* Modestè enim respondet matri objurganti: Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Habebat enim Patrem superiorem in cœlis, qui eum ad evangelizandum afflictis miserat, Esa. 61. v. 1.

Discite hinc, quomodo & vos, ô filii, parentes vestros debitâ reverentia prosequamini, sicut Isaac, Gen. 22. v. 7. Salomo, 1. Reg. 2. v. 20.

Hoc decorum est. Quod si enim in genere honore nos invicem prævenire debemus, Rom. 12. v. 10. quanto magis liberi parentes, quos Deus illis præ aliis ad honorandum proposuit, juxta quartum præceptum, Eph 6. v. 2.

2. *Decenter.* Jesulus non invitus cum matre sua Nazareth descendit. Ita similiter liberi parentibus debitam obedientiam præstent necesse est, ne pœnam DEI temporalem & æternam incurrant: Oculum qui subsannat patrem, & qui contemnit obedire matri suæ, effodient eum corvi in torrentibus, Prov. 30. v. 17.

3. *Patienter.* Puerulus JEsus parenti-

 bus

bus suis subditus fuit. Hoc est, operam suam in re familiari, ubicunque potuit, iis fideliter præstitit. Imprimis verò Patri suo putativo diligenter inserviisse eum, consentaneum est, quia non modò à conterraneis suis filius fabri, Matth. 3. v. 55. sed & faber appellatur. Marc. 6. v. 3.

Ita adhuc hodie laudabile est, si liberi labori se dedant: ita enim in maturâ ætate honestè se alere possunt: Ubi contra multam malitiam docet otiositas, Sir. 33. v. 29. & egestatem & pauperiem parit, Prov. 6. v. 11.

Dirigat nos DEUS in viis rectis, Amen!

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Evangelium Joh. 2. v. 1. -- 11.

EXORDIUM.

POstquam Deus Opt. Max. Aaroni & filiis ejus certum salarium constituerat, quid de Sacrificiis, Levandis atque Anathemate habere deberent, tandem ita concludit: Hoc pactum salis est æternum coràm Domino, Num. 18. v. 19. sic & de David memoratur, quod Deus ipsi & filiis ejus, Regnum super Israel dederit, in pactum salis, 2. Chron. 13. v. 5.

Hoc peculiare genus loquendi est, & adhibetur de ejusmodi pacto, quod nunquam desiturum: sed semper in vigore suo incorruptè conservandum est. Quemadmodum enim sal hâc virtute præditus est, ut carnes sine putredine conservet; Ita Deus hoc ipso Aaronem & Davidem certiorem redere voluit, quod omnia, quæ illis promiserit, sanctè & incorruptè servaturus esset. Dona enim DEI sunt ἀμεταμέλητα, Roman. 11. vers. 29.

Quando pactum conjugale spectamus, quod inter maritum & uxorem contrahitur, & per manum Ecclesiæ ministri confirmatur, illud non absurdè pactum salis vocari potest. Amicus enim & sodalis in tempore convenientes, & super utrosque mulier cum viro, Sir. 41. v. 23. hi per vitam suâ cohabitare, & multa modia salis comedere tenentur in prosperis & adversis, nil nisi morte ipsos tandem dirimente, Matth. 19. v. 6.

Sicut igitur sal acredine pollet, & tamen cibos sapidos reddit, carnemque à putredine conservat: Ita pii conjuges in hoc salis pacto ita cohabitare debent, ut amorem nunquam corrumpi, sive putrescere sinant: sed sale gratiæ & modestiæ verba & opera sua semper condiant, Col. 4. vers. 6. Ita ut viri secundum scientiam coha-

cohabitent uxoribus: uxores vero debita reverentia viris occurrant, sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans, 1. Petr. 3. v. 6.

Hoc si ita fit, Deus quoque fœdus suum servare vult, quod cum iis pepigit. Etsi enim sal nunquam deficiat, siquidem conjuges pii tribulationem carnis habebunt, 1. Cor. 7. v. 28. attamen Deus omnia in bonum finem dirigit tandem sicut Paulus dicit, Rom. 8. v. 28.

Exemplum consolatione plenum proponitur in prælecta Pericope, ubi Christus ipse in nuptiis Cananæis præsentia sua comparet, & contestatur, salis pactum inter Neo-Nymphos contractum, Deo gratum & acceptum esse. Et sicut rum, ubi vinum defecit, aquæ imperavit, ut in vinum commutata fuerit: Ita hoc ipso innuere voluit, se Christianos conjuges non desertutum, sed aquam tribulationis, licet usque ad animam penetret, Psal. 69, 2. justo tempore in vinum solatii jucundissimum transmutaturum esse: ut post tempestatem tranquillum fiat, & post lachrymationem & fletum exultatio infundatur, Tob. 3. vers. 23.

Videbimus nunc ex Evangelio
I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

II.
Exegesis.

VEnerandi Veteres dicere consueverunt, tria esse, quæ hominem post beatificam Dei cognitionem felicem constituant: Primum, bene nasci: secundum, bene nubere, & tertium, bene mori. Magna enim profecto gloria est, si vere de aliquo dicere possis, ut Raguel de Tobia: Boni & optimi viri filius es, Tob. 7. v. 7. Nec minus verum est, quod Siracides ait: Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex, Sirac. 26. v. 1. Et mors beata ad perfectum bonum deducit. Beati mortui, qui in Domino moriuntur, à modo Apoc. 14. v. 13.

Hodiernum Evangelium speculum proponit nobis, in quo cernimus quomodo feliciter conjugium inire possimus.

Ad *Querelam* pertinet,

I. *Conjugii odium*, quod Diabolus adversus conjugium semper exeruit. Etsi enim divina ordinatio est, quæ jure reprehendi nequit: attamen adversarius hic omnem movet lapidem, quomodo Statui huic labeculam adspergat. Id fecit

1. *Oblique*. Sic post ipsum lapsum primo Parenti Adamo inspiravit, ut omnem culpam peccati in mulierem devolveret, quod & fecit, Gen. 3. v. 13.

Sic Lamech ad πολυγαμίαν introducendam persuavit, Gen. 4. v. 19.

Quod & factum est, ubi homines ante diluvium eo deduxit, ut in conjugii contumeliam acceperint sibi uxores ex omnibus, quas elegerant, intellige ex mera libidine, contra jus & honestatem, Gen. 6. vers. 2.

Ipse quoque est, qui Apostolis, postquam Servator ipsis de divortio concionatus, non posse idem locum habere, nisi interveniente vel adulterio vel morte, has cogitationes inspiravit, ut dixerint: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Matth. 19. v. 10.

Factum tandem est, & adhuc fit, quando hostis hic malignus homines eò adigit, ut in inimicitia, odio, invidentia, & Zelotypia vivant, & alter alteri miseriam suam exprobret, Tob.2.v.ult. Ubi enim Zelus & contentio, ibi confusio, καὶ πᾶν φαῦλον πρᾶγμα, Jac.3.v.16.

2. *Directè*, semel per Romanum AntiChristum, de quo Paulus dudum prædixit: quod prohibiturus sit nubere, 1. Tim. 4.v.3. Deinde per Epicureos, qui non verentur ignominiosissime de matrimonio loqui, cujusmodi scommata passim feruntur.

Sed grande id peccatum est. Laus enim & magnificentia opus ejus, Psal.111.v.3. Honorifice igitur de eo sentiamus, dantes gloriam Deo, ejusque sanctæ ordinationi nos submisse subjicientes, quia melius est nubere, quam uri, 1.Cor.7.v.9.

Id Diabolus non ignorat, ideo multis fastidium connubii movet, ut sumtus matrimonii & rei familiaris aversentur, & ita incidant in fornicationem, immunditiem, libidinem, & concupiscentiam pravam, & jacturam *fortunarum & facultatum* faciant, qui enim nutrit scorta perdit substantiam, Prov.29.v.3. Perdunt *sanitatem*: qui enim se jungit fornicariis, erit temerarius, putredo & vermes hæreditabunt illum, Sir.19. v.3. Amittunt *rationem*. Nam fornicatio, & vinum & mustum aufferunt cor, Hos.4.v. 11. Profligant *bonam famam*, Prov.6. vers. 32. Quin & vitam profundunt, Prov.7. v.22. Nec non animæ salutem disperdunt, Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus, Hebr.13. v.4. Apoc.21. v.8. 1. Cor.6.v.9.

II. *Intercessionis repudium*. Ubi enim Maria vinum deficere animadvertit, ne novi nupti ignominiam incurrant, aperit id filio suo, inquiens: Vinum non habent. Verum ille intercessionem ejus non accipit, sed matri durum responsum dat, inquiens: Mulier, quid mihi tecum?

Ita Deus adhuc hodie ratione piorum & fidelium opem suam quandoque differre solet, ut non opituletur, ubi ipsi desiderant: sed relinquit eos in calamitatibus, in angore & dolore, ut in seipsos descendant, & cogitent, quod & Deus aliquamdiu expectare cogatur, dum admonitioni ejus locum relinquamus, & pœnitentiam agamus, ut ipse indicat, Zeph.3. v.8. Verum hæc mora commodo nostro inservit, primo *ad nostri abnegationem*, ne in nobis ipsis, vel alia aliqua creatura confidamus, sed cum Jeremia dicamus: Vere in Domino Deo salus nostra Israel, Jer.3.v.23. Deinde *ad fidei probationem*, ut fides nostra multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem & gloriam, & honorem, in revelatione Jesu Christi, 1. Petr.1.v.7, qui omnibus dabit secundum opera ipsorum, Apoc.20.v.12. Tertio, *ad devotionis excitationem*, non enim saltem petendum, sed & quærendum & pulsandum est, si exaudiri velimus, Matth.7.v.7. Tandem, *ad auxilii impetrati commendationem*. Hinc Augustinus: Desiderata diu dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt. Sic solet Deus differre exauditionem, ut in posterum cautius mercari discentes, non facile peccato assentiamur, quod omnis mali fons & origo est, Jer.2.v.19. sicut Hiskias ex morbo reconvalescens dixit: Leniter incedam per omnes annos meos, super

super amaritudine animæ meæ, Esa. 38. vers. 15.

Interea hoc solatium certum est, quod Deus semper exaudit orationem nostram, si non ad nostram voluntatem, tamen ad nostram utilitatem; Augustino dicente: cogitationes DEI non sunt cogitationes nostræ, Esa.55. vers.8. Ideo horas & moras ejus æquo animo expectemus, nec desperemus, si exauditio non statim sequatur.

Spes præstolatur optimum
Tempus Deo promissum:
Non qua futurum gaudium
Id sit die, decisum.
Scit ille tempus optimum,
Nullumque nobis dat malum,
Hæc spes reposta nobis.

III. *Amicorum deliquium.* Quod probat architriclinus, qui sine dubio quidam ex sponsi agnatis fuit, quia ipsi munus Promi-Condi concreditum: attamen adeo suspicax est, ut sponsum in suspicionem trahat, quasi studio deterius vinum in principio apposuerit, nunc vero saturatis generosius propinet: quo ipso tacite quasi invidiam, avaritiam & tenacitatem ejus arguit. Id sponsum surdis auribus præterire oportet, dum innotescat, unde vinum Cos veniat, quodque non sponsus, sed Christus id largitus sit.

Ita adhuc hodie varia præjudicia offerunt se, quibus probi Christiani subjecti esse coguntur. Suspicio enim malus hospes est, & sæpe inimicum fingit, ubi nullus adest, vel de alterius facultatibus & reditibus multa garrit, quorum qui possidet, optimus testis est. Præcipue id locum habet in censu atque tributis, ubi omnia ad rationes revocantur, & ad amussim exiguntur.

Mordet hoc viros honestos, ubi non modo commiserationem nullam sentiunt: sed & inopiam suam pro divitiis venditari audiunt. Commendent proinde Deo rem suam, qui cordium scrutator est, 1. Reg.8.v.39. & scit opera cujuslibet, & ubi habitet, Apoc.2,13. qui suo tempore educet quasi lumen justitiam eorum, & judicium eorum, tanquam meridiem, Psal. 37.v.6.

Quodsi igitur & tu ejusmodi amicos habeas, qui magis proditores, quam benefactores tui sunt, & verbo onerosi consolatores, Job.16.v.2. cogites velim, non novum hoc esse, & Deo tuo confide: Bonum enim est confidere in Domino, quam confidere in homine, Psal.118. v.8. Profecto filii hominum sunt vanitas, filii viri sunt mendacium, Psal.62. v.10. Sed Deus noster custodit veritatem in seculum, Psal. 146.v.6.

Secundo.

SEquitur *Medela,* quæ fluit

I. *Ex Conjugii æstimio,* quod Christus ipse eo confirmat, quod cum matre & discipulis in nuptiis Cananæis comparet. Id fecit, ut veteres recte observarunt, primo ideo, ut innueret, conversationes honestas sibi non displicere, nec improbari sibi, si cum viris justis convivemur, in timore Dei, Sir.7.v.23. Deinde ideo, ut hoc ipso matrimonium approbet, quod sit *Status sanctus,* qui sibi & Patri & Spiritui sancto probetur. Non enim est bonum hominem esse

esse solum, Gen. 2. v. 8. *Status utilis*, quo Dei Ecclesia & cœlum augeatur, & in aliis quoque Statibus utiliter serviatur. Hæreditas enim Domini, filii: merces fructus ventris. Beatus vir, qui implevit pharetram suam ex ipsis: non confundetur, cum loquetur cum inimicis suis in porta, Psal. 127. v. 4. seqq. *Status necessarius*, ad vitandam fornicationem, & vagas libidines, quas abominatur Deus, hinc Paulus: Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum habeat, 1. Cor. 7. v. 2.

Tertiò ideò, quia spiritualem desponsationem cum assumta humana natura, & Ecclesia sponsa hoc ipso delineare voluit. De prima desponsatione ait Johannes: Verbum caro factum est, Joh. 1, 14. nempe in utero Virginis, ubi conjuncta sunt duo, Sponsus Verbum, & Sponsa caro, ut Augustinus ait. Et hoc est ὁμολογουμένως μέγα τῆς ἐυσεβείας μυςήριον, 1. Tim. 3, 16. in quod & Angeli desiderant prospicere, 1. Petr. 1, 12.

De altera desponsatione ipse ait: Desponsabo me tibi in æternum, Ose. 2. v. 19. Et Paulus: Mysterium magnum est, dico autem de Christo & Ecclesia, Eph. 5, 32. 33.

Id iterum pro peculiari dilectione & gratia habendum est, Magnum prorsus erat, quod Rex Ahasverus, qui regnavit super centum viginti septem provincias, orphanam Esther in conjugem sibi adscivit, Esth. 2. v. 9. sed quid hoc respectu ejus, quod æternus Dei Filius, tanquam sponsus nobilissimus, Luc. 19. v. 12. sponsam despectissimam, Psal. 123. v. ult. sponsus formosissimus, Psal. 45. v. 3. sponsam inquinatissimam, Ezech. 16. v. 6. sponsus ditissimus, cui Pater omnia subjecit sub pedibus ejus, Psal. 8. v. 7. nihil omisso, Hebr. 2. v. 8. sponsam pauperrimam, quæ nihil habet, nisi fuerit ei datum de cœlo, Joh. 3. v. 27. sponsus sanctissimus, Dan. 9. v. 24. sponsam improbissimam, quæ vitiis scatet, & in cujus carne nihil boni habitat, Rom. 7. v. 18. sibi desponsavit, & immobile ejusmodi salis pactum cum eo iniit, ut ipse dicat: Juravi tibi, & ingressus sum pactum tecum, & facta es mihi, Ezech. 16. v. 8. Et iterum: Montes commovebuntur, & colles loco movebuntur, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non movebitur, Esa. 54. v. 10.

Cape hinc solatium, mi Christiane! & dilige conjugem tuum, sicut Christus dilexit Ecclesiam, Eph. 5. v. 25. & certus sis, quod opus facias probatum coram Deo & hominibus, Eccl. 25. v. 1.

II. *Ex opis divinæ articulo.* Dominus ait ad Mariam: Hora mea nondum venit. Non plene abnuit opem suam Neogamis, sed nondum, ait, quo ipso tacite innuit, tandem in tempore horam auxilii adfuturam. Non enim in sempiternum Dominus repellet, Thren. 3. v. 31. Hora, de qua hic Christus loquitur, est quidem hora tarda, quæ sæpe multos dies, hebdomades, menses & annos differtur, ut lamentandum cum Propheta: Usquequo Domine clamabo, & non exaudies? Habac. 1. v. 2. sed tamen hora certa est, quæ non aufferetur. Tob. 3, 22.

Quando aurum satis diu in fornace excoctum est, aurifaber id eximit, projicitque in aquam, refrigerans illud: Eodem modo Deus cum fidelibus suis agit, quando eos satis probabit & purificabit, in furno tribulationis, & invenit illos dignos se, quasi holocausti hostiam accipit, Sap. 3. v. 6.

v.6.& exhilarat eos,pro diebus, quibus eos afflixit, Psal.90.v.16.

III. *Ex Christi honorario.* Erant enim ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas, has impleri aqua Jesus jussit, usque ad summum, & procuravit divina sua omnipotentia, ut hæc aqua in vinum nobilissimum transmuratum fuerit. Hoc dono affecit novos nuptos, ut & convivas suos pro dignitate tractare, & sibi potiunculam reservare quoquepotuerint.

Hoc præclarum fuit miraculum, ex quo patet, Christum non vacuum apparere, si ad nuptias invitetur, sed plus dare, quam concupiscimus: semitæ enim ejus stillant pinguedinem, Psal. 65. vers.12.

Minus igitur animum abjiciamus si de nobis quoque verum sit: Vinum non habent. Cœlestis Elisæus enim vacua vasa affatim replere potest, ut oleo & vino redundent, ut exemplum viduæ Prophetæ probat, 2 Reg.4.v.5. Id anniversariè adhuc facit, dum nonnunquam benedictionem suam effundit, ut flumen, Gen.49. v. 22.26.ut & vasa nonnunquam deficiant,& aliorum quoqueindigentiæ consulere possimus, Eph.4.v.28.

Præterea non vilibus & vulgaribus donis nos cibat,sed satiat nos adipe tritici, Psl. 147. v.14. & flore vini, ut satis laudari nequeat, lætatur enim ad benefaciendum nobis, Jer.32.v.41.

Hoc probe notate Dilecti! Habemus omnipotentem Servatorem, qui aquam in vinum commutare novit: Quidni liberaverit, si torrentes Belial conturbaverint nos, Psal.18 v.5.aut abyssus abyssum invocet ad strepitum canalium suorum, Psal.42. v.8. Verbum ejus penetrantissimum, & manus omnipotens realiter nobis concionatur, quod sit cœlestis Noah, qui adhuc hodie vineas plantat, Gen.9.v.20 & tenue vitium lignum benedictione afficit, ut succum suavissimum proferat, Psal.104. v.15 qui lætificat Deum & homines, Jud.9. v.13. & verus Melchisedec, qui panem & vinum profert, Gen.14.v. 18.& cœlestis Josephus, qui nobis & nostris in annonæ caritate prospicere potest, Gen. 45. usque dum aliquando nuptiæ agni incipient, Apoc.19. v.7. ubi non amplius vinum deficiet: sed bibemus cum Christo novum, in Regno Patris, Matth.26.n.29.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quam tribus absolvemus Regulis, quatum

I. *Christum invita.* Id quod Neogami Cananæi probe observarunt, qui Jesum cum discipulis suis vocarunt ad nuptias.

Id adhuc hodie à Neonymphis fieri debet, si in conjugio benedictione & salute frui velint. Christus enim gratiosissimus est conviva, qui non vacuus accedit, sed affert benedictionem suam, qua se invocantes largissime cumulat, hic temporaliter,& ibi in æternum. Merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo, Esa.62. v.11. Ubi vero Christus, ibi quoque tota S. Trinitas est. Tres enim sunt, qui testimonium perhibent in cœlis, 1. Joh.5.v.7.

Deus Pater ejusmodi piorum conju-

gum & corpus & animam largiter curabit, sicut Protoplastos curavit, iisque universum orbem cibarium constituit, Gen. 1. vers. 28.

Deus Filius subventurus est illis, si inopia rei familiatis premit, ut idem de ipsis dicas, quod hic de his nuptiis Evangelista dicit: Vinum non habent: pecuniam non habent: sanitatem non habent. Mutatio enim dexteræ ejus est, Psal. 77. vers. 11.

Deus Spiritus sanctus corda eorum in vera dilectione conjugali combinabit, ut sicut una caro sunt, sic & unum cor, & una anima sint, Actor. 4. vers. 32.

Est enim Spiritus dilectionis, 2. Tim. 1. v. 7. & simul quoque Spiritus veritatis, qui deducet eos in omnem veritatem, si Deum precibus sollicitent, Joh. 16. v. 13. ut crescant in scientia Dei de die in diem, Col. 1. v. 11. & liberis quoque suis præcipiant, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam, ut Abraham fecit, Gen. 18. vers. 19. quin & instaurabit, confortabit, roborabit, fundabit eos, 1. Petr. 5. v. 10. ut militent bonam militiam, habentes fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. vers. 18. & aliquando reportent finem fidei, salutem animarum, 1. Petr. 1. vers. 9.

In Historiis quidem multæ nuptiarum solennitates inveniuntur, quæ pompose admodum celebratæ sunt.

Verum nauci æstimandæ veniunt, respectu nuptiarum, quarum in hoc Evangelio mentio injicitur. Hic enim Rex Regum & Dominus Dominantium cum matre beata & discipulis dilectis apparet, quod in tota Scriptura nunquam alias factum legimus, ut non abs re in hæc verba erumpas: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra, Psal. 113. vers. 5.

Quod si igitur vultis, ut Christus in nuptiis vestris appareat Dilecti! piis precibus ipsum invitate, date simul operam humilitati & modestiæ, ne efferamini ratione donorum, quæ accepistis à DEO. Libentissime enim habitat cum contrito & humili spiritu, Esa. 57. vers. 15.

II. ***Horam expecta.*** Christus hic Matri duriusculè respondet: Mulier, inquit, quid mihi tecum, hora mea nondum venit: interim non animum abjicit, sed firmiter credit, quod in tempore vini deficientiæ consulturus sit, modo hora advenerit, quam divina ejus providentia constituerit.

O dilecti! sæpe fit, ut nobis Christus in ærumnis constitutis austeram faciam ostendat, simulans devotas nostras preces surda aure se præterire. Verum id non reprimat nos, sed potius horam definitam expectemus. Etiamsi moram fecerit Dominus, expecta eum, veniens veniet, & non tardabit, Habac. 2. vers. 3. Speciosa misericordia DEI in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis, ait Siracides, cap. 35. vers. 26. Tandem post nubila Phœbus.

bus. Ipse faciet. Mutatio dexteræ Excelsi, Psal.77.v.11

3. *Obsequium præsta.* Maria Ministris dicit, quodcunque vobis dixerit, facite. Hanc instructionem nobis quoque reliquit. In fidei enim rebus non faciendum, quod nobis recte videtur, sed quod Deus præcepit, Deut.12.v.8. Ideo ipse Deus cœlitus mandat: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, hunc audite, Matt. 3. vers. 17.

Nos equidem voluntatem DEI in verbo ejus nobis præscriptam habemus, ut non ignoremus, quid à nobis fieri & omitti velit: sed non sufficit hoc. Nostrum est, vitam nostram pro virili ad eandem componere. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea, ait ipse Servator, Joh.13. vers. 17.

Hoc nisi factum fuerit, damnatio nostra eò major erit in die novissimo. Servus enim, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis, Luc.12.v.47.

Imprimis vero nostrum erit, in mysteriis divinis, in captivitatem redigere omnem intellectum, in obsequium Christi, 2. Cor. 10. v.5. nec multum disputare de modo, sed faciamus quæ Dominus jussit: cætera sapientiæ, veritati & omnipotentiæ ejus commendemus, cum Ezechiele dicentes: Tu nosti modum Domine, Ezech.37.v.3.

Sane ex hac ipsa ratione illa sunt mysteria, ut ratione ea comprehendere non possimus, quod si vero viderentur, non opus esset, ut crederentur, Augustino scite dicente. Beati, qui credunt & non vident, Joh.20 v.29.

Non parum igitur peccant illi, qui quando quicquam in divinis ratione assequi non possunt, à fide continuo resiliunt, & ad rationis trutinam appendunt. Sicut & illi, qui sibi ipsis cultum effingunt juxta quem Deo servire velint.

Sumus quidem omnes Dei servi & ministri, creati in Christo Jesu ad bona opera, ut in iis ambulemus, Eph.2.v.10. Habemus autem instructionem nostram, quid bona opera sint, & quomodo ea fieri debeant. Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & humiliter ambulare cum Deo tuo, Mich.6.v 8. Huic Regulæ inhæreamus non declinantes, neque ad dexteram, neque ad sinistram, Esa.30. v.21. In Ecclesia non valet, hoc ego dico, hoc tu dicis, hoc ille dicit, sed, hoc dicit Dominus, ait Hieronymus. Ita verbis ejus innixi, non concedamus speciosa aliqua glossa ab iis nos abstrahi, sic & ille promissionem suam in nobis implebit, nobisque oviculis suis, qui vocem ejus audierimus, dabit vitam æternam, Joh.10. v.27.

Sit ipsi cum Patre & Spiritu sancto gloria nunc, & in æternum, Amen.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Evangelium Matth.8.v. 1.-13.

EXORDIUM.

Quando cœlestis ſponſus, Servator noſter pientiſſimus imaginem ſponſæ ſuæ, quæ Eccleſia in his terris eſt, nobis proponere vult, confert eam Paradiſo, in quo varia aromata inveniantur: Cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum, cum univerſis lignis Libani; poſt quæ exclamat: Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Cant.4.v.16.

Hic tria conſideranda veniunt:

1. *Horti appellatio.* Vocat enim hic Chriſtus ſponſam ſuam hortum concluſum. In Principio Deus elegantem hortum plantaverat in Eden, in quo Protoplaſtos noſtros poſuerat, ut eum colerent: Verum lapſi, exterminati ſunt ex hoc horto, qui deinde per generale diluvium devaſtatus eſt, ut hodie veſtigia ejus non appareant: attamen Deus alium hortum plantavit, nempe Eccleſiam Iſraëliticam, hæc vocatur h.l. hortus concluſus, quia gentiles in V.T. alienati fuerunt à Repub. Iſraël, Eph. 2.v.12. Pſal.147.v.19. Verum nunc hortus ille, hoc modo concluſus non eſt. Chriſtus enim & delitiæ gentium eſt, Hagg.2.v.8. & medium parietem materiæ ſolvens utraque fecit unum Eph.2.v.14, ut gentes quoque nunc Deum ſuper miſericordia honorent, Rom.15.v.9. & qui ante vocabantur Loammi, non populus meus, Oſ.1.v.10. facti nunc ſunt, genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, 1.Petr.2.v.9.

2. *Aquilonis & Auſtri vocatio.* Quemadmodum enim hi duo venti ſibi contrarii ſunt, Aquilo enim flat à Septentrione, & eſt frigidus & ſiccus, qui omnes plantas terret, ut langueſcant & intereant: Auſter vero calidæ & humidæ qualitatis eſt, qui à Meridie veniens, bonam tempeſtatem affert: unde Servator: Cum videritis Auſtrum flantem, dicitis, quia æſtus erit, & fit, Luc. 12.v.55. Ita vult cœleſtis ſponſus, ut venti hi duo contrarii, viridarium ſpirituale Eccleſiæ perflare, & per externam tribulationem, & internum Spiritus ſancti ſolatium, temperiem ſuaviſſimam in cordibus fidelium excitare debeant. Quod ſi enim Aquilo ſemper flaret, h.e. ſi Eccleſia ſemper perſecutione infeſtaretur, multi in continua illa tribulatione ſcandalizarentur, Matth.13.v.21. & contra: Si Auſter perpetuo flaret, hoc eſt, ſi Eccleſia ſemper pace & tranquillitate frueretur, multi tepidiores efficerentur, & refrigeſceret caritas in cordibus eorum. Matth.24.v.12.

Unde

Unde Ecclesia: Wenn es gieng nach deß Fleisches Muth &c.

3. *Consequens operatio.* Persla hortum meum, & fluent aromata illius.

Quando ventus hortum perflat, arbores quæ florent, imprimis aromaticæ, gratum odorem de se spirāt. Ita, quando Deus crucem & adversitates immittit, & Spiritu suo duro orientali fideles suos affligit, Esa. 27. v. 8. sed & grato Spiritus sancti afflatu & refrigerio infirmitatem nostram adjuvat, Rom. 8. v. 26. aromata fluere incipiunt, fides, caritas, spes, patientia, & qui plures fructus Spiritus sancti sunt, Gal. 5. v. 22. Afflictio enim dat intellectum, Esa. 28. v. 19.

Hujus rei duo egregia exempla habemus in prælecta Pericope, in leproso, qui Judæus, & Centurione qui Gentilis fuit, quomodo illos Deus mediante Austro ad Christum perduxerit, ut ejus auxilium imploraverint, & aromata fidei & orationis ita stillarint, ut Christus odore fragranti motus, precationi eorum annuerit.

Nos pro instituti ratione meditabimur

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Quemadmodum olim ignis cœlitus delapsus in altari holocausti nunquam exstinctus est, Levit. 6. v. 12. Thymiama insuper compositum, opere unguētarii mistum diligenter & purum, adolendum erat incensum super eo, suave fragrans, manè & vesperi, Exod. 30. v. 7. 35. Ita verus Christianus, cujus cor templum Spiritus sancti est, 1. Cor. 3. v. 16. ante omnia de fide sollicitus sit oportet, & sedulâ cultus divini visitatione semper lignum apponat, quo ignis hic in corde foveatur & alatur. Fides enim ex auditu est, Rom. 10. v. 17. Sed & oratio negligi non debet, quæ per Thymiama præfigurata fuit. Hinc David Psal. 141. v. 2.

Hæc duo, fides scilicet & precatio semper conjuncta sunt. Quodsi fides sincera est & ardens, suffitum quoque orationis ad Deum mittet, & contrà si suffitus orationis Deo placere debeat, ex verâ & salvifica fide derivari eam oportet, quod enim non ex fide est, peccatum est, Rom. 14. 23.

In prælecto Evangelio geminum prostat Exemplum. A leproso orationem, à Centurione fidem discere possumus.

Querela respicit

I. *Populi dissipationem.* Miserrima enim tùm in Judæâ conditio erat. Super Cathedram Mosis sedebant Scribæ & Pharisæi, qui fermento falsæ suæ doctrinæ omnia corruperant, ut miseri Auditores omni salutari solatio destituerentur, Matth. 23. v. 2. Erant enim omnes cœci & cœcorum Duces, Matth. 15. v. 14. quando verò cœcus cœcum ducit, ambo in foveam cadunt, Luc. 6. v. 39. ideò summo desiderio Christi audiendi flagrant, ubi ille docere incipit ὡς ἐξουσίαν ἔχων, & non sicut Scribæ & Pharisæi, Matth. 7. v. ult. ut eum certatim insequantur, cum jam concionem prolixam in monte habuisset, nihil magis in votis habentes, quàm ut plura de eo audirent. Ad eundem modum, ut Petrus ait: Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, Joh. 6. v. 68.

Discimus hîc, quomodo Diabolus sæ-

pè eò rem deducit, ut ii, qui verbum Dei alios docere debent, ipsi apostatent, & venena sua misceant, quò simpliciores à veritate avertantur. Neque enim sufficit, nudum Ecclesiæ titulum præ se ferre, sicuti Judæi cum Deo in gratiâ se opinabantur esse, quia ignem & caminum apud eos habebat, Esa.31.v.9. unde nunquam non in ore habebant: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, Jer.7.v.4. sed pura verbi divini concio,& usus Sacramentorum præcipuè observari debet. Ubi illa desunt, Ecclesia quoque Dei non est, licet illa externo splendore fulgeat. Nam testimonia tua fidelia sunt valde: Domus tua est habitatio sancta, Domine, Psal.93.v.ult.

Quæ Ecclesiæ facies B.Lutheri temporibus fuit? Nonne sermo Dei pretiosus in diebus illis,1 Sam.3.v.1. Pontifex Romanus indulgentiarum nundinatores emisit, qui simplicioribus persvaserunt, largius pecunias erogandas, quò citius è Purgatorio liberentur: quin & remissionem non præteritorum modò, sed & futurorum peccatorum pollicebantur, unde publicè versiculos hosce affixos fuisse legimus:

Si dederis marcas, nostrasq; impleveris arcas,
Culpâ solveris, quacunq; ligatus haberis,
Hîc si largè des, in cœlo fit tua sedes.

Intereà homunciones miseri, de Christo nihil sciebant,& erant sicut oves,pastorem non habentes, Matth.6.v.34. Unde non immeritò D. Fleckius B. Lutheri Theses, contrà indulgentias publicè Wittebergæ affixas,legens,præ gaudio exultavit,dicens: Is profectò faciet, venit, venit, quem diu expectavimus.

Nobis Deo gratiæ agendæ sunt, quod nos è tenebris istis Cimmeriis ereptos in veram viam reduxerit, ut jam non amplius simus sicut oves errantes,sed sciamus cui credamus,certi, quod depositum nostrum servare possit in diem illum, 2. Tim.1.v.12. Sed & oremus Deum,ut usque ad finem nos in verbo conservare,& ad posteros idem propagare dignetur.Melius enim est margaritis, & omne desiderabile ei non potest comparari,Prov.8.v.11.

II. *Morborum Congregationem*, quibus homo ab utero matris usq; in sepulchrum subjectus est. Hic leprosi & paralytici mentio fit. Uterque gravis morbus est. Leprosi in V. T. à commercio aliorum hominum exclusi erant,Levit.13.v.45. Paralysis quoque morbus molestissimus est, nervos enim &corporis membra constringit, ut ejusmodi homines movere se non possint, & juxtà dolores acerbissimos sentiant, sicut hîc Centurio de servo suo ait, quod malè torqueatur, velut malefici, qui tormentis excarnificantur, & cruciatus similes infernalibus patiuntur,Luc.16.v.24.

Neque his saltem,sed multis aliis morbis subjecti sunt homines, adeò, ut numerari omnes nequeant. Mephiboseth claudicavit,2.Sam.4.v.4. Tobias cœcus, Tob.2. v.11. Zacharias mutus,Luc.1.v.22.Lazarus plenus ulceribus fuit, Luc.16.v.27. Sunamiridis filiolus caput queritur, 2.Reg.4. v.19. Hiskias pestilentia laboravit, Esa. 38.v.21. Socrus Petri febri, Matth.8.v.14. Paulo datus est stimulus carnis: Angelus Satanæ,qui colaphizabat ipsum,2.Cor.12. v.7. Sic adhuc hodie morborum tanta copia est, ut rectè dixerit B. Lutherus: Quot membra,tot mortes: quæ hominem tam-

tamdiu arrodunt, donec prosternant. Hinc Siracides c.40.v.2. c.10.v.13.

Hæc mera verbera Diaboli sunt, quæ propter peccata sustinere cogimur. Quodsi Protoplasti de ligno scientiæ boni & mali non comedissent, nunquam mortui, nec ullis morbis aut calamitatibus obnoxii fuissent. Verùm quamprimum peccatum in mundum intravit, mors quoque sequuta est, & in omnes homines pertransiit, quandoquidem omnes peccaverunt, Roman.5.v.12. Hujus prænuncii varii morbi sunt, qui nobis, ut disponamus domui nostræ, annunciant, nempè *domui corporali*, ut sic omnia dissidia, quæ post mortem obvenire possunt, præcaveamus: *& domui spirituali animæ*, ut & illa sciat ubi diverti debeat, non in inferno, sed in cœlo, ubi πολίτευμα nostrum est, Phil.3.v.20. Quia enim constat nobis, mortem effugere nos non posse: Terra enim es, & in terram reverteris, Gen.3.v.19. eò magis laboremus necesse est, ut animam conservemus, & sani simus in fide, in doctrinâ, in vita, in omnibus vitam nostram ad Christi regulas componentes. Quodsi enim secundum carnem vixeritis, moriemini, Rom.8. v.13.

III. *Judæorum reprobationem*, de qua Servator: Filii Regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.

Per filios Regni intelliguntur Judæi, quos Deus præ omnibus gentibus in peculium sibi elegerat, Rom.9.v.4.5.

Sed propter fœdam ingratitudinem, & nefanda peccata, quibus verbum Dei repellebant, indignos se judicantes æterna vitâ, Act.13.v.46, Servator templo eorum exivit, Joh.8.v.59. & in Romanorum potestatem tradidit eos, qui urbem & templum eorum vastarunt, illosque partim trucidarunt, partim captivos abduxerunt, & in omnem terram dispersserunt, tanquam populum vastatum & direptum, sicut adhuc hodie in execrationem, & in stuporem, & in maledictum, & in opprobriũ in oculis nostris apparent, Jer.42.v.18.

Hoc gentilibus in emolumentum cessit, qui in locum Judæorum à Deo adoptati sunt, ut jam non amplius hospites & advenæ, ut anteà: sed cives Sanctorum & domestici Dei sint, Eph.2.v.19.

Hæc subitanea metamorphosis fuit, quæ miserrimis nobis Japhitis & gentilibus accidit. Sed non ex parte Dei, qui non mutatur, Mal.3.v.6. & custodit veritatem in seculum, Psal.146.v.7. sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio ejus, Roman.11.v.29. sed ex parte nostrûm. Non enim simpliciter cum Ecclesia suâ huic aut illi populo adstrictus est: sed quisquis Deum timet, & operatur justitiam, acceptus est illi, Actor.10 v.35. sive Judæus sit, sive Græcus, Gal.3.v.28.

Quando igitur homines ab eo deficiunt, fœdus frangentes, quod cum illis feriit, dimittit illos, & ad aliam gentem convertit se, meliores fructus facientem, Matth.21.v.43.

Ita factum est cum vocatione gentium. Judæos enim, qui anteà Dei populus fuerunt, reprobavit ob incredulitatem suam, Rom.11.v.20. Ethnicos verò qui ante Dei populus non erant, in locum eorum elegit, & ordinavit, ut qui invocaverit nomen Domini, salvus fiat, Joël.2.v.32. Non enim simpliciter Judæi à gratiâ

rejecti

rejecti sunt: & gentiles non simpliciter electi sunt, ut non possent reprobari: sed totum rei momentum versatur in fide, quam oculi Dei vel maximè respiciunt, Jer. 5. v. 3. Est enim Regula universalis: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, Marc. 16. v. 16.

Nos miseros Japhitas & gentiles Deo gratias agere decet, quod nobis gratiam hanc exhibuerit, & probè caveamus, ne more Ethnico peccatis indulgeamus, sed prout vocationem nostram decet, ambulemus. Si quis enim in Christo, nova creatura est, 2. Cor. 5. v. 17.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex promto auxilio.* Leprosus ait: Domine, si vis, potes me mundare: & extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: volo, mundare. Centurio similiter miseriam suam ipsi exponit, inquiens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Cui Dominus non minus promtum se exhibet, ajens: Ego veniam, & curabo eum. Et ubi Centurio replicat, non se dignum esse, ut intret sub tectum suum, sed si dicat modò verbum unum, sanatum iri puerum suum: Christus fidem ejus admirans dicit: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi, & sanatus est puer in illâ hora.

Hic concurrit

1. *Prona Voluntas.* Volo, inquit, ad leprosum, & ad Centurionem, Ego veniam. Hoc magnum solatiũ est. Nam adhuc hodie Servator multò promtior est ad dandũ, quàm nos ad accipiendum. Vide Es. 65, 24. Rehabeam olim subditis suis supplicantibus nimis durum responsum dedit, 1. Reg. 12. v. 10 11.

Sed ita Christus in nos affectus non est. Verùm orantibus nobis respondet: Volo. Propè enim est Dominus omnibus invocantibus se, Psal. 145. v. 18. id solatium nostrum sit in omnibus calamitatibus, Psal. 13. v. ult.

2. *Divina facultas.* Quamprimùm enim Servator manum suam extendit, & tangit leprosum, confestim mundata est lepra ejus. Hoc supernaturale miraculum fuit. Nullus enim Medicorum tantâ arte polluit, ut morbum hunc curare potuerit. Id solius Dei est, qui occidere & vivificare potest, 2. Reg. 5. v. 7. Confidamus igitur Servatori nostro, nec desperemus, si humanum auxilium deficiat, mutatio enim est dexteræ ejus, Psal. 77. v. 11. Psal. 10. v. 17. Psal. 91. v. ult.

II. *Ex fideli consilio*, quod Christus leproso dat, ait enim: Vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moses, in testimonium illis.

In V. T. Sacerdotibus injunctum erat, ut lepram cognoscerent, Levit. 13. v. 2. seq. Quando igitur leprosi mundi renunciabantur, Sacrificium illi offerre tenebantur, unde Sacerdotes partem capiebant, quam Deus pro salario ipsis deputaverat, Levit. 14. v. 10. seqq.

Eò respectat Christus, quando hunc leprosum ad Sacerdotem mittit. Imprimis miraculo hoc ipsis ostendere vult, quod nunc tempus immineat, quo Magister salvationum, ut Messias appellatur, advenerit, Esa. 64. v. 1. ne aliquando excusationẽ haberent, de ignorantia suâ, Joh. 15, 22.

Ex

Ex hoc apparet, quod non modo in Christo habeamus ejusmodi Medicum, qui omnes nostras infirmitates sanare potest, Psal. 103. v. 3. sed præscribit quoque nobis in verbo suo varias vitæ Regulas, de tuendâ valetudine, imprimis v. vult, ut Sacerdoti nos ostendamus, h. e. ad ædem Dei pergamus, reddentes, quæcunque vovimus, salutem Domini, Jer. 2. v. 10.

Hoc consilium salutare est: quod si fecerimus, nunquam pœnitebit nos, sacrificans enim laudem, honorificabit me, Psal. 50. v. ult.

III. *Ex Centurionis encomio*, quo eum Christus ornat, dicens: Amen dico vobis: non inveni tantam fidem in Israel. Id ad laudem ejus prædicatur, in toto Christiano orbe, usque ad diem novissimum. Tale nomen melius est, quàm divitiæ multæ, Prov. 22. v. 1. Sir. 41. v. 15. 16.

Simili laude à Spiritu sancto commendantur Noë, Gen. 6. v. 9. Jobus, c. 1. v. 1. Tobias, Tob. 7. v. 7. Horum laus adhuc hodie durat, & durabit, usque ad finem seculi. Tale nomen melius est, quàm unguenta pretiosa, Eccl. 7. v. 2.

Adhuc hodie nihil gloriosius est, quàm si juvenes laudem Josephi, Gen. 39. v. 9. Matronæ laudem Judith. c. 8. v. 7. Virgines laudem B. Virginis Mariæ, Luc. 1. v. 34. Conjuges laudem Zachariæ venentur & adipiscantur, Luc. 1. v. 6.

De Maximiliano Imperatore refertur, quod tumulum Eberhardi Barbati Ducis Wurtebergici lacrymis humectaverit, eumque hoc encomio mactaverit: Hic situs est sapientissimus Imperii Princeps.

Hæc præclara laus fuit, ad quam nos omnes contendere debemus, ita ut honestæ vitæ studeamus, potissimùm verò fidem & bonam conscientiam servemus, 1. Tim. 1. v. 19. Hoc optimum medium est, quo bonum nomen assequi possumus. Pulcherrima sepultura pietas, dixit Basilius & Petrarcha ait: Virtutem cole dum vivis, & famam habebis in sepulchro. In memoria æternâ erit justus, Psal. 112. v. 6.

Die extremo Christus ipse coràm Patre & Angelis, pios ejusmodi homines laudibus ornabit, iisque coronam vitæ imponet, quam repromisit diligentibus se, Jac. 1. v. 12.

De Tertio.

Superest *Cautela*, quæ tribus includitur Regulis, quarum

1. *Christum sequere*. Exemplo est populus in Evangelio, de quo Evangelista: Cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. In scholâ Nazarenâ Servator egregiam concionem habuerat, quâ tamen parùm gratiæ invenit, verum populares ejus ejecerunt illum extrà civitatem, de rupe eum præcipitaturi, Luc. 4. v. 16. 29. Ideò aliorsum se movebat, docens populum, qui eum ubique sequebatur, nec concionibus ejus exsaturari poterat.

Hîc montem adscendit, habetque prolixam concionem, Matth. 5. 6. & 7. finitâ concione descendit de monte, cumque turba tãto fervore insequitur, ut cibi quoque & potus obliviscantur, nobis in exemplum: ut & nos cultum Dei studiosè frequentemus, & nullâ re eo nos abstrahi patiamur. Sicut enim tùm Dominus prædicavit, ita adhuc hodie per Ministros suos prædicat. Qui vos audit, me audit, Luc. 10. v. 16.

Montes conscendere grave est, nec omnibus commodum. Sed hanc molestiam turba hæc non refugit, modò occasionem habeat, concionis Dominicæ audiendæ.

Hodie hic fervor ferè refriguit: sed cum multorum damno. Unum enim est necessarium, Luc. 10. v. 42. Nimirum Regnum Dei ante omnia quærendum est, Matth. 6. v. 33.

Hæc turba ad finem concioni Christi, quamvis prolixiori, interfuit: Hodie multi tœdio afficiuntur, si conciones ultrà consvetum terminum extendantur. Verùm malum hoc ipsum est indicium: Auris enim bona audit cum omni concupiscentia sapientiam, Sir. 3. v. 31. læraturque, sicut qui invenit spolia multa, Psalm. 119. v. 162. quem verò ejus nausea capit, ut Israelitas Mannæ, Num. 21. v. 5. ipse eandem cum ingratis convivis sententiam audiet: Dico, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam, Luc. 14. v. 24.

Imprimis verò hic observandum, quod Christus non modò turbæ prædicat, sed & posteà ipsam præcedit, & illa sequitur eum. Ita & verbi Præcones exemplum gregi se præbeant, in Sanctis operibus, ne cum aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficiantur, 1. Cor. 9. v. ult. Nam

Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Qui prædicas, non furandum, furaris, Rom. 2. v. 21. quo ipso Ecclesia scandalizatur & ministerium despicitur: sicut tempore Eli, propter filios ejus degeneres Hophni & Pineas cultus Dei planè decrescebat, 1. Sam. 2 v. 17.

Auditores verò ovium naturam induentes, pastorem suum verbi & vitæ puritate ipsos præeuntem, sequantur. Imitatores mei estote, inquit Paulus, & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis nos pro exemplari, Phil. 3. v. 17. Id quod turba hæc probè notavit, dum vestigia Christi presso pede secuta est. Nos adhuc hodie vestigia ejus videmus in verbo ejus, quæ ideò nobis reliquit, ut insistamus iis, 1. Petr. 2. v. 21. Non igitur, neque ad dextram, neque ad sinistram declinemus, Esa. 30. v. 21. Qui enim me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ, ait ipse Servator, Joh. 3. v. 12.

II. *Humilitati stude.* Id nos Christus docere voluit, quando ad leprosum ait. Vide, nemini dixeris. Quo ipso non prohibuit ei publicam fidei professionem: Corde enim creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem, Rom. 10. v. 20. Multò minus gratiarum actionem Deo debitam interdixit ei, hanc enim mandavit Deus, Psal. 50. v. 15. sed exemplum humilitatis eo nobis proponere voluit, ne nostram, sed Dei gloriam in omnibus quæramus, dicentes: Non nobis Domine, non nobis, Psal. 115. v. 1. Idem inculcat Paulus, inquiens: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, Phil. 2. v. 7. Quod si hoc exemplum secuti, humiliemur sub potenti manu Dei, ille nos exaltabit in tempore visitationis, 1. Petr. 5. v. 6.

Leprosus porrò voluntatem suam Dei voluntati modestè subjicit, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Idem & nos faciamus. Non enim Deus vult sibi præscribi tempus & modum in juvando: ideò unicè in voluntate ejus acquiescamus, Domine fiat voluntas tua, sicut in oratione Do-

Dominicâ petimus, Matth.6.v.9. Voluntas ejus sit pro imperio. Si sanos nos esse velit, placeat nobis; sin minus, neque id displiceat, & laudemus Dominum. Talis modestia Deo pergrata est, quâ movetur, ut nobis plura largiatur, quam oravimus, ut exemplum Salomonis probat, 1.Reg.3. v.12.13.

Tandem quoque hanc humilitatem Centurio nos docet, quando indignitatem suam agnoscens, dicit: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbum, & sanabitur puer meus.

Inveniuntur homines, qui quando ad honores adspirant, non nisi alta sapiunt, & alios alto supercilio despiciunt.

Verùm insignis stultitia hæc est, quam veri Christiani studiosè declinare, & ex adverso humilitati studere debent. Hæc ejusmodi virtus est, quâ tota SS. Trinitas delectatur.

Deus Pater, quamvis altissimus est, tamen humilia respicit in cœlo & in terra, Psal.113. v.5.6.

Deus Filius formam servi induit, Phil.2. v.17. & proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemtâ, Hebr.12. v.2. propterea nos ad similem humilitatem hortatur, Matth.11.v.29.

Deus Spiritus sanctus libenter habitat cum humilibus, unde & humilitas fructibus ejus annumeratur, Gal.5.v.22.

Quodsi igitur societatem habituri sumus cum Patre & Filio, 1.Joh.3.v.3. nos quoque humilitati studeamus oportet. Deus enim resistit superbis, humilibus verò dat gratiam, 1. Petr.5.v.5.

III. *Majoribus te subjice.* Id in prælecto Evangelio trifariam nobis indicatur, juxtà tres Hierarchias, quas Deus ordinavit.

Leprosus Sacerdoti se ostendere jubetur, hæc obedientia est, quæ Ministerio S. debetur.

Centurio exemplo suo nos docet, quomodo Magistratui subjecti esse debeamus.

Servus vero Centurionis omnibus, servis, famulis, & ancillis exemplum præbet, quomodo heris suis & Dominabus simili fide inservire debeant. Unum æque necessarium est, atque alterum.

De verbi Ministerio ait Paulus: Obedite Præpositis vestris, &c. Hebr.13.v.17.

Certè non expedit. Pro Christo enim legatione fungimur, 2.Cor.5.v.20. Sicut itaque terrenus Princeps indignè fert, si legati ejus lædantur: sic nec Deus idem ferre potest. Qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit, Zach.2.v.8.

De obedientiâ, quæ Magistratui debetur, Paulus dicit: Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, Rom. 13. v.12. Hoc ipsa æquitas requirit, sunt enim patres patriæ, Gen.41. v.13. quibus ut liberi parentibus subjecti esse tenemur, Sir.3. v.2. in omnibus, quæ Deo non adversantur, Act.5.v.29.

Dicimus in Proverbio:

Arbor honoretur, cujus nos umbra tuetur:

Atqui ejusmodi arbor umbrosa est Magistratus, Dan.4.v.17. Ingratitudo ergò esset, debitam iisdem reverentiam denegare.

Scaliger scitè ait: Is spuit in se, qui spuit adversus Olympum.

Ita qui Magistratui repugnat, non modò

in Deum peccat, sed & sibi ipsi multùm incommodat, & grave erit illi, adversus stimulum calcitrare, Act.9. v.5.

Tandem de famulitio ait Apostolus: Servi, obedire per omnia Dominis, Col.3. v.22. additque in fine, *timentes Dominum:* Timor enim Domini expellit peccatum, Sir.1. v.27.

Quando igitur Christiani servientes Deum ante oculos habent, recordantur hoc ipso, quod à Deo in hoc statu positi sint, videnturque sibi Deo servire, non hominibus, Eph.6. v.7.

Meminerunt, quod nihil sine mercede relinquat, sciuntque, si fideles inveniantur, aliquando laudem sibi fore à Domino, 1. Cor.4. v.5.

Cogitant, Deum severum judicem esse, qui nullam personam respiciat, sed unicuique pro merito retribuat, sive sit servus, sive liber, Eph.6. v.8.

Sciunt coràm oculis Dei omnia nuda & intimè patentia esse, Hebr. 4. vers. 13. esse eos lucidiores Sole, & videre omnia, quæ homines agunt, etiam in occultissimis angulis, Sir. 23. v. 27.28.

Hoc si Gehasi perpendisset, non propter infidelitatem leprâ percussus fuisset, quæ ipsi & omnibus ejus posteris adhæsit, 2. Reg.5. v.27.

Adhuc hodie nihil adeò occultè peragi potest, quod non fiat manifestum. Es wird nichts so klein gesponnen / es kompt endlich an die Sonnen.

Ideò servientes ita Dominis suis inserviant, ut ejus gloriam apud homines consequantur: sic & Dominus eos aliquando super multa constituet, Matth.25. v.23. ut & ipsi suæ domui suo tempore provideat, uti Jacob, Gen.30. v.30. & ex servis Domini fiant, uti Joseph, Genes.41. v.43. Verè enim gloriam præcedit humilitas, Prov.15. v.33. Beatus, qui probatus invenietur, accipiet enim coronam vitæ, Jac.1. v.12.

Quam Jesus ex gratiâ nobis largiatur, Amen.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Evangelium Matth. 8. v. 23. -- 27.

EXORDIUM.

CUm Simon Petrus, & Thomas, qui vocatur Didymus, & Nathanaël, qui erat à Canâ Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex discipulis ejus duo per noctem totam in mari navigassent, & frustrà laborassent: stetit Jesus, mane facto in litora, non tamẽ cognoverunt discipuli, quia Jesus est: Ille monstravit ipsis, quorsum rete mitterent, nempè in dextram navigii. Hoc cum fecissent, ceperunt centũ quinquaginta tres magnos pisces, ut non valerent rete trahere præ multitudine piscium, Joh. 21. v.2.

Hoc allegoricè exponemus.

Nos

Nos Dilecti! omnes in mari hujus mundi procelloso navigamus, multosque labores & calamitates devorare tenemur. Id quod sæpe magnum in nobis efficit mœrorem & perturbationem, ut lamentemur cum Spirituali Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei, Esa. 49. v. 14.

Verum quando penitius nos circumspicimus, Christus in littore adsistit, & videt quid nobis accidat, scit opera nostra, & ubi habitemus, Apoc. 2. v. 13. numerat fugam nostram, & ponit lachrymas nostras in utrem suum, Psal. 56. vers. 9. & quando momentum iræ præteriit, post lachrymationem & fletum exultationem infundit, Tob. 3. v. 23. Etiamsi enim affligit, miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum, non enim extrudat homines ex corde suo, Thren. 3. vers. 31.

Hoc solatio semper erigamus nos, si forte in calamitates & adversitates incidamus, expectantes Dominum, nec dubitantes, quin qui laceravit, sanaturus sit nos, & qui percussit, curaturus sit nos, Os. 6. vers. 1.

Præclarum exemplum proponitur nobis in hodierna Pericope, ubi Apostoli inter Scyllam & Charybdin navigant, propter procellam magnam venti, quæ fluctus mittebat in navim, ut jam impleretur, & pene fluctibus operiretur, Christo interea in puppi super cervicali dormiente. Hoc ipso angebātur ut clamaret alius: Domine, salva nos, perimus! Alius, ut Marcus recenset: Magister non ad te pertinet, quia perimus, Marc. 4. v. 38. Alius: Præceptor perimus, Luc. 8. v. 24. Donec Dominus somno solutus increpat ventum, & tempestatem aquæ, ubi cessavit, & facta tranquillitas est.

Spectabimus nunc pro instituti ratione

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

DE Messia dicitur, quod Pater ejus cœlestis positurus sit manum ejus in mari, & in fluminibus dexteram ejus, Psal. 89. v. 26. quo innuitur, quod & mari imperaturus sit, ejusque tumultuantes undas reprimere possit. Usque huc pervenies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos, Job. 38. v. 11. Psal. 93. v. 3.

Specimen hujus rei edidit in prælecto Evangelio, ubi manum suam miraculosam adeo probavit, ut ab increpatione ejus fluctus quiescere, & ventorum turbines aufugere oportuerit, qui ita sæviebant, ac si naviculam conquassatam submergere vellent.

Querela respicit

I. *Fluctuantem naviculam*, in quam Christus cum discipulis suis descendit. Qualis navis fuerit, non diserte exprimitur: attamen circumstantiæ indicant, non onerariam, aut præsidiariam fuisse, qualibus hodie uti solent, sed exiguam scapham, qua Dominus mare trajicere voluit.

Hæc idea Ecclesiæ est, quam Deus sibi per ministerium verbi & Sacramentorum è

mundi multitudine colligit, & in peculium eligit, quo aliquot ex illis ad salutem conserventur.

Sicuti igitur navigium in anteriori & posteriori parte acuminatum, in medio vero laxum & latum est: Ita etiam in Principio Ecclesia arcta & quasi acuminata fuit, si spectamus tenuem assensum, quem Christus habuit, ubi in his terris in servi forma circumcivit, venit enim in propria & sui eum non receperunt, Joh. 1. v. 11. Deinde & quasi in medio laxior & amplior facta est, & dispersit se per totum orbem ad omnem Creaturam, quæ sub Cœlo est, Col. 1. v. 23. Jam vero denuo, variis sectis & persecutionibus quasi coarctatur, ut non abs re vocetur, pusillus grex, Luc. 12. v. 32. populus pauper & egenus, Soph. 3. v. 12. Seductio enim magna est. Alius dicit, hic est Christus. Alius ibi est, est in deserto, est in penetralibus. Idque Pseudo-Prophetæ tanto fervore & zelo agunt, ut si possibile foret, & in errorem abducantur electi, Matth. 24. v. 24.

Navicula non multum quiescit, sed semper progreditur, quorsum Nauclerus dirigit, & à vento impellitur. Ita Ecclesia nulli certo loco adstricta est, sed migrat de una regione ad aliam, prout à vento ingratitudinis & contemtus agitatur. Principio Servator navicula sua appulit in regionibus orientalibus, ibique aliquamdiu commoratus est. Quia vero tenebras magis dilexerunt quam lucem, Joh. 3. v. 19. inde discessit & venit ad Græcos, quorum Apostolus Paulus fuit. Cum hi quoque Evangelii nausea caperentur, tandem naviculam suam adduxit in Regiones occidentales, ad Romanos, & denique etiam in Germaniam, ubi adhuc manet. Verum & abhinc avectu rum eam esse videtur, quia parum curatur, sed temporalia æternis præferuntur, Luc. 14. v. 18. seqq. Ideo res ipsa postulat, ut cum Discipulis Emaunticis oremus: Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, Luc. 24.

Navis habet gubernatorem suum, pyxidem, vela, malum, remiges, anchoram, & quæ plura ad navigationem requiruntur.

Sic & Ecclesia gubernatorem seu Nauclerum suum habet, qui est Christus. Habet pyxidem magneticam, quæ est sacra Scriptura, malum suum, qui est crux Christi, & quod nobis ea acquisivit. Habet vela sua, quæ sunt fides. Remiges sunt sancti Angeli, ut & fideles Ecclesiæ Doctores & verbi Præcones, qui omni studio cursum hujus naviculæ promovere tendunt. Anchora spes est. Fundamentum in quo anchora hæc nititur, est promissio Dei. Ventus, qui naviculam agitat & propellit, est Spiritus sanctus, & qui se ab eo agi sinunt, Filii Dei sunt, Rom. 8, 14. Thesauri & bona quæ in navicula illa vehuntur, sunt gratia Dei, meritum Christi, remissio peccatorum, vita & salus. Portus ad quem navigamus, est Paradisus, insula fortunata, ubi abundantia gaudiorum cum vultu Dei, & delectationes in dextera ejus, in æternum, Psal. 16. v. ult.

Quemadmodum vero navicula in qua Christus cum Discipulis suis vehebatur, valde periclitabatur & fluctibus pene operiebatur, ut inter decumanos fluctus videretur sepelienda & submergenda: Sic & Ecclesia in his terris est misera, tempestate convulsa, absque omni consolatione, Esa. 54. v. 11.

54. v. 11. Diabolus enim minus feriatur, sed turbines certatim excitat, quibus naviculam hanc quassare satagit. Id non moleste feramus obstupescentes tanquam ad rem peregrinam, 1. Petr. 4. v. 12. Omnes enim, qui pie vivere volunt, in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2. Tim. 3. vers. 12: Verum gloria quæ sequetur, erit δόξα καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, 2. Cor. 4. v. 17.

II. *Christi incuriam.* Dormit enim securus, quasi Discipulorum angor nihil ad se attineret. Id adhuc hodie non raro accidit, ut Deus tempore calamitatis abscondat se, & simulet, quasi neque audire neque juvare velit. Hinc clamor & lamentatio: Domine, serva nos, perimus.

Hæc non exigua tentatio est. Verus enim Christianus optimum solatium in Deo repositum habet, 2. Chron. 20. v. 12. hoc vero deficiente, facile conjicere licet, in quantas angustias tum homo conjiciatur, quod & exempla Jobi, c. 7. v. 11. Davidis, Psal. 13. v. 1. seqq. 77. v. 8. seqq. 88. v. 8. Jeremiæ, c. 14. v. 8. seqq. aliorumque satis probant.

Hic vero non tacendum, & à precibus cessandum: sed potius pergendum est, instandum est, ut Christus mandat: Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate & aperietur vobis, Matth. 7. v. 7. Confer, Luc. 18. v. 2.

Dicamus igitur cum Jacobo: Non dimittam te, donec benedixeris mihi, Gen. 32. vers. 26. Josephus initio austerum se fratribus suis exhibebat, tandem cor ejus fraternum ardebat, ut non ultra se cohibere posset, quin se eis manifestaret, Gen. 45. v. 1. seqq.

Ita Deus quandoque nobis quoque austerum vultum ostendit, ut in crudelem mutatus nobis videatur, Job. 30. v. 21. Verum quando non desistimus vociferari, conturbantur viscera ejus, ut miserans misereatur nostrûm, Jer. 31. v. 20. Expecta proinde Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & expecta Dominum, Psal. 27. v. ult.

Mirabile facit consilium & magnificat sapientiam, Esa. 28. v. ult.

III. *Discipulorum angustiam*, quam ipsi produnt, dicentes: Domine, serva nos, perimus.

Equidem periculosissima res est navigatio, quæ in magnam consternationem conjicit navigantes, præsertim quando sub æstu maris turbulentis aquilonibus modo ad cœlos usq; efferuntur, modo ad abyssos usq; dejiciuntur, ut consilii inopes, sicut ebrii fluctuent, Psal. 107. v. 25. Ubi enim navis colliditur, vel submergitur, omnibus pereundum est, ut mireris, inveniri homines, qui tam exiguo ligno committant animas suas, Sap. 14. v. 5. Quod dum recte secum perpendunt discipuli, non temere exclamant: Domine, serva nos perimus.

Nos quoque in hoc mundo, velut in procelloso pelago navigamus, ubi certe multis tempestatibus obnoxii sumus. Abyssus abyssum invocat, ad strepitum canalium DEI, omnes undæ & fluctus ejus super nos transeunt, Psal. 42. v. 8.

Supra nos habemus DEUM iratum, quem quotidie peccatis nostris offendimus, unde movetur, ut turbinem suum è locis occultis emittat, qui vitæ & vocationis naviculam undiquaque impellit, & erran-

errantes circumagit, ut consilii inopes portum invenire nequeamus, Psal. 107. vers. 24.

Circa nos sæviunt Tyranni & persecutores, qui instar immanium balænarum naviculam subvertere, & hiante rictu deglutire satagunt, quia putant, se hoc ipso gratum præstare cultum DEO, Joh. 16. v. 2.

Infra nos habemus Diabolum, magnum illum Leviathan, qui in mari hujus mundi dominatur, & quasi Navarchus est, unde etiam Princeps, Joh. 14. v. 30. & Deus hujus mundi vocatur, 2. Cor. 4. v. 4. Quando igitur tollit se, timent fortes, non movetur ad lanceam, arma, & loricam, Job. 41. v. 16. seqq.

Ita undiquaque cincti, in magno discrimine versamur, ut non immerito Apostolorum querelam ingeminemus: Domine, serva nos, perimus! sive cum Davide: Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ, usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est statio. Veni in altitudinem aquarum, & alveus inundatione circumvenit me, Psal. 69. vers. 1. 2.

Verum quando suavissimas illas promissiones recordamur, quos Deus fidelibus suis dedit, certi esse possumus, quamvis fidei & vitæ nostræ navicula labascat, neutiquam tamen eam submersum iri, quia Dominus ei dabit in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam, Sap. 14. v. 4. Fidelis enim est, nec sinit unquam tentari, supra id quod potest, sed facit cum tentatione evasionem, 1. Cor. 10. v. 13, dum in portum veniamus, & feliciter appellamus, in cœlesti patria, ubi λαίλαψ non amplius erit, sed γαλήνη αἰώνιος, Psal. 16. v. ult.

Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Christi præsentia.* Sicut enim cum discipulis in navi fuit, ita nec hodie nos Orphanos relinquet, Joh. 14. v. 18. Quam amice compellat nos? Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo. Meus es tu. Cum transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te, Esa. 43. v. 12. Psal. 91. v. 15.

Propterea enim ipse conscendit navem, & fluctus iræ divinæ sustinuit, ut tentaretur in omnibus, sicut & nos, & compati possit infirmitatibus nostris, Hebr. 4. v. 15. ideoque animam non despondeamus, quando Tyranni desæviunt, instar venti hujus, ut evertant atque submergant naviculam Christi. Christus submergi & perire nequit. Quomodo nos fluctus ejus sepelirent, qui ab utero ejus portamur? Esa. 46. v. 3. Certe qui nos impugnat & persequitur, ipsum persequitur, Zach. 2. v. 8. & grave erit ei adversus stimulum calcitrare, Act. 9. v. 5.

Quod si igitur hunc Navarchum nobiscum habemus, plane in portu navigamus: Ringat Satanas, aquam & ignem evomat, frustra desæviet, hic enim Immanuël est, Esa. 8. v. 10.

II. *Ex Christi Clementia.* Non enim Christus discipulos suos ob fidem infirmam abjicit, sed objurgat eos, & hoc ipso in gratiam recipit.

Hoc exemplo confirmemus nos, quando tempore tentationis nos quoque imbecil-

becillitatem nostram sentimus, & Draco infernalis tela sua ignita in nos torquet, ut sæpe sine fide videamur esse. Hoc idem Apostolis accidit, Christum invisibili & corporali specie secum habentibus & verba vitæ ex ore ejus dulcissimo quotidie audientibus, quare compellavit eos dicens: Quid timidi estis ὀλιγόπιστοι? Verum sicut hoc ipso non abjecit ipsos, sed potius confirmavit, & roboravit, ita nec hodie calamum quassatum confringet, nec linum fumigans exstinguet, Esa. 42. v. 3. Virtus enim ejus in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. vers. 9.

Hæc nostra fiducia esto, nec omnino desperemus, si fides nostra quandoque infirmior sit: sed cum D. Crucigero dicamus: Invoco te Domine, fide, licet infirma, attamen fide. Interim cum Discipulis Christi oremus: Domine adauge nobis fidem, Luc. 17. v. 5. Et cum patre Lunatici: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam, Marc. 9. v. 24. Sic Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam, in Christo Jesu, modicum passos, ipse nos instaurabit, confortabit, roborabit, fundabit, 1. Petr. 5. v. 10. Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, Eph. 4. v. 13. ubi non amplius ambulabimus per fidem, sed per speciem, 2. Cor. 5. vers. 7. & quod hic credidimus, plene possidebimus in requie securitatis, in sempiternum, Esa. 32. v. 18.

III. *Ex Christi potentia*, quam hoc ipso probat, quod verbo tempestatem sedat. Increpavit enim ventos & mare, & secuta est tranquillitas magna.

Eadem virtute adhuc hodie pollet Servator. Ventus, qui naviculam Christi ita impugnavit, à Marco vocatur λαῖλαψ, quod turbinem notat, c. 4. v. 37. & eodem nomine insignit Petrus Pseudo-Prophetas, qui spiritu vertiginis in acie stant, & naviculam Christi submergere satagunt: ad hoc non parum conferunt Tyranni, imprimis vero Anti-Christi in Oriente & Occidente, qui hactenus vehementer naviculam Christi impugnarunt: Siquidem Bajazetes I. Turcius ille Imperator nomen λαῖλαψ gessit, quod & opere ipso probavit, dum sicut fulmineis aper dentibus adversus Ecclesiam desæviit. Attamen Diabolus naviculam Christi superare non potuit, sed inter decumanos fluctus sarta tecta servata est, & servabitur, usque ad diem extremum, ut pleni fiducia cum Paulo dicere possimus: In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, &c. 2. Cor. 4. v. 8.

Xerxes Rex Persarum, potentia sua superbiens, Græcos magno cum exercitu invasit: sed infelici cum successu, nam ex decies centenis millibus vix pauci elapsi sunt, quin & ipse scapha piscatoria vitæ suæ consuluit.

Sic adhuc hodie hostes Ecclesiæ potentiam suam ostentant, sed nolunt animadvertere, quod Domino Spiritus in naribus est, Esa. 2. v. 22. Furor hominum est laus ejus, reliquiis furoris accinget se, Psal. 76. v. 11. Quis igitur pertimesceret? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. v. 31. Hi in curribus: & hi in equis: nos autem nominis Domini Dei nostri recordabimur, & vexilla erigemus, Psal. 20. vers. 6. 8.

m De

De Tertio.

RESTAT *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

I. *Navem intra.* Hic Discipulos Christi navem cum Domino conscendisse, & cum eo navigasse, audimus. Ita, si Christi discipuli esse velimus, in navicula ejus degamus necesse est. Extra Ecclesiam non est salus.

Tempore diluvii omnia in aquis perierunt, excepto Noë, & qui cum eo in arca fuerunt, Gen. 7. v. 7.

Idem eveniet die novissimo, quando Dominus fluctus iræ suæ mittet super mundum: ibi nemo servabitur, nisi qui in Ecclesiæ navicula, & verum Christi membrum per fidem factus fuerit. Nam in monte Sion & in Jerusalem, hoc est, in Ecclesia erit salvatio, Joël. 2. v. 32.

Ideo opus est, ut Deo gratias agamus, quod & nos in naviculam suam adsciverit & in communionem Sanctorum vocaverit, Nunc non amplius hospites & advenæ, sed cives Sanctorum, & domestici Dei sumus, Eph. 2. v. 19. genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, 1. Petr. 2. v. 9.

Aliæ naves magnitudine, pulchritudine & potentia excellant, sicut de nave Cleopatræ, qua in Siciliam navigavit, memoratur, quod vela purpurea, remos argenteos, & sericos funes habuerit, quem luxum & Tyri habitatores olim in navibus suis ostendisse, constat ex Ezech. 27. v. 5.

Nos felices existimamus nos, quod in horiola Ecclesiæ navigamus, nec offendimur, quod coram mundo spreti & abjecti in ea fere inveniantur, qui non ignoramus, quod David ait: Consumti sunt fideles, à filiis hominum, Psal. 12. vers. 2. Et iterum: Afflictus & inops laudabunt nomen tuum, Psal. 74. v. 21. Confer Matth. 7. vers. 13. Laudemus igitur Deum, qui nos in naviculam Ecclesiæ adsumsit, quo ipso Iudæis, Turcis & gentilibus palmam præcipimus, cum Davide dicentes: Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus, Psal. 103. vers. 1. seqq.

II. *Christum excita.* De discipulis Christi Evangelista refert, quod excitarint Dominum è somno, qui & statim surrexit, & divinam suam virtutem & omnipotentiam ostendit.

Nos melius medium non habemus, quo Dominum suscitemus, quam orationem, hoc ipso clamorem edere, Dominumque ad misericordiam movere possumus, ut auxilio suo subveniat nobis. Multum enim valet deprecatio justi assidua, Jac. 5. v. 16. Psal. 145. v. 19.

Fiat hæc

1. *Cordialiter.* Deus enim cor intuetur, 1. Sam. 16. v. 17. si cor absit, Deo abominatio est, Matth. 15. v. 8.

Sicut igitur in V. T. omne primogenitum tam hominum quam pecorum Deo sanctificandum fuit, Exod. 13. v. 2. Sic & in N. T. cor requirit. Da mihi fili, cor tuum Prov. 23. v. 26. hoc vera primogenitura est, primum vivens & ultimum moriens, ut Aristoteles ait. Hoc semper adesse oportet, si oratio, & cultus noster ab eo suscipi debeat. Ne sis inobediens timori Domini, & ne

ne accesseris ad eum duplici corde, Sir. 1. vers. 32.

2. *Communiter.* Hic Discipulos conjunctim Dominum inclamare audimus: Domine, serva nos, perimus. Sic & nos unanimi concentu preces nostras ad Deum deferamus. Vis enim unita fortior. Dico vobis, inquit Servator, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est, Matth. 18. v. 19.

3. *Conformiter*, juxta verbum Dei, quod unice ad Deum nos relegat, ut eum piis precibus sollicitemus, sicut & Discipuli hic fecerunt. Est enim Rex ille, qui operatur salutem in medio terræ, Psal. 74. v. 12.

Si ita preces nostras fuderimus, Christus mox excitabitur, & auxilio suo aderit nobis, ut homines annuncient opus ejus, & opera ejus prudenter considerent, Psal. 64. vers. 10.

III. *Meliora spera.* Apostolis præsentissima mors obversabatur: verum continuo ad preces eorum cessavit tempestas, & facta est tranquillitas magna.

Hoc ipso conditio præsentis vitæ delineata est, ubi non semper Sol radiis suis refulget, sed & nonnunquam turbidæ nubes nimbis & grandine gravidæ apparent, qui facile ad mandatum Domini terræ damnum inferre possunt. Ideo ad utrumque parati simus, ut in die bona fruamur bonis, & malum diem videamus, sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, Eccles. 7. v. 15.

Cum Romæ tempore Domitiani Imperatoris omnia in extremo discrimine versarentur, & interitum minarentur, Cornix in Capitolio sedens identidem clara voce clamabat: Ἔϛαι πάντα καλῶς.

Idem & nos meminerimus, si in hoc mundo res adversæ oboriantur:

- - Post nubila Phœbus.

Quia non repellet in sempiternum Dominus, etiam si affligit, & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum, Thren. 3. v. 31.

Cum Nebucadnezar expeditionem susciperet adversus Judæam, ut eam bello peteret, jubebatur Jeremias agrum emere, in Anathoth, hoc ipso populum confirmaturus, ne omnino animum abjicerent, fore enim tempus, quo domus, agri & vineæ emerentur in terrâ illâ, Jer. 32. v. 7. Hâc spe nos quoque erigamus, si forte res adversæ ingruant, quod melior rerum facies futura sit, & nunquam confundemur, Rom. 5, 5. Sicut enim anchora navim sustentat, ne à fluctibus vesanis concutiatur: Ita spes Christianos cruce pressos fovet, ne fluctibus persecutionum & tribulationum omnino commoveantur. Hinc eam Apostolus anchoram tutam & firmam animæ appellat, Hebr. 6. v. 19.

- - Credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore, semper ait.

Quod Ecclesia eleganter ita exprimit:

Spes præstolatur optimum
Tempus Deo promissum:
Non qua, futurum gaudium
Id sit, die, decisum.
Scit ille tempus optimum,
Nullumque nobis dat malum,
Hæc spes reposta nobis.

Id si fecerimus, aliquando in portu vitæ æternæ feliciter appellemus, ubi habebimus societatem cum Patre & Filio, 1. Joh. 1. vers. 3.

Cum Regina Arabiæ Hierosolymam ad Salomonem accederet, & sapientiam ejus audiret, non continere se ultra potuit, quin dixerit: Verus est sermo, quem audivi in terra mea, de rebus tuis, & super sapientia tua. Major est sapientia tua, & bonum, quã rumor, quem audivi, 1. Reg. 10, 6. seq.

Similiter nos quoque navigatione vitæ hujus feliciter exantlatâ, ubi ad insulas Fortunatas appellemus, quorsum vela dirigimus, plus boni accipiemus, quam in hoc mundo putavimus. Erit enim abundantia gaudiorum cum vultu ejus, & delectationes in dextera ejus, in æternum, Psal. 16. v. ult.

Id quod nobis obtingat per Christum, Amen.



DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Evangelium Matth. 13. *v.* 24.-30.

EXORDIUM.

Cum Isaac in Palæstinâ degeret, sevit in illâ terrâ, & invenit in ipso anno centuplum, quia benedixit ei Dominus. Ob hoc invidentes ei Palæstini, omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo, Gen. 26. v. 12. seqq.

Isaac typus Christi fuit:

I. *Ratione seminationis.* Sicut enim Isaac semen suum terrenum juxta Gerar sevit, quæ interpretative est civitas peregrinationis, & benedictionem divinam tempore messis expectavit: Ita & cœlestis ille Isaac, Servator noster JEsus Christus, semen incorruptibile verbi sui in hoc mundo disseminavit, qui vere civitas peregrinationis est, in qua non habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus, Ebr. 13. v. 14. potissimum ubi ipse in diebus carnis suæ pertransiit, benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, Act. 10. v. 38. certissimâ spe fretus, copiosissimam tandem filiorum Dei messem secuturam, & semen verbi, quod egressum de ore suo, non reversurum esse vacuum, Esa. 55. v. 11.

2. *Ratione benedictionis.* Sicut enim Dominus Isaac benedixit, ut semen ejus centuplo fructificarit: Sic & semen verbi divini, quod Christus è sinu Patris attulit, & enarravit nobis, Joh. 1. vers. 18. aliud centuplum, aliud sexagecuplum, aliud trigecuplum fructum dedit,

Matth.

Matth.13. v.18. Deus enim erat cum illo. Joh.3.v.3. ut ita multi fideles, per verbi semen, quod sparsit, geniti sint, qui deindè vicissim bonum semen facti, sicut pii vocantur, Matth.13.v.38. & Rom.9. v.29.

3. *Ratione æmulationis.* Palæstini videntes, Dominum benedicere Isaac, invidebant illi, obstruentes omnes puteos, ne adaquare posset agros suos. Sic infernali Palæstino Diabolo sudes in oculis fuit, semen verbi divini, quod Christus à primordio mundi sparsit, ita crescere: propterea ipsi quoque invidebat, ut non modò fontes obstrueret eidem, quos in diebus carnis, ubi in valle lacrymarum transivit, fecerat, Psal. 84. v.7. quod fecit non modò obdurando corda hominum, ut Spiritui sancto resisterent, Act.7. v.51. sed & zizania falsæ doctrinæ, hypocriseos, scandali & omnis impietatis, spargit ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, h. e. inter filios Dei, ne illi crescerent & in fide proficerent: sed potius incrementa zizania caperent, & triticum suffocaretur.

Exemplum nobis Servator noster proponit in prælectâ parabola, ubi antiquus ille hostis inter bonum semen filiorum Dei, zizania sua, h.e. hæreticos, hypocritas & blasphemos disseminavit, qui etiam cum bono semine enati, creverunt, & usque ad finem mundi permixti erunt, ubi tùm demùm triticum à zizaniis separabitur, & hæc igne comburentur, ut prælecta Pericope probat. Videbimus pro instituti ratione.

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

IN primâ illâ Evangelica promissione, de benedicto semine mulieris, contrituro caput serpentis, inter alia mentio fit inimicitiæ, quæ inter semen mulieris & serpentem versetur, Gen.3. v.15. illa ab initio huc usque duravit, ut nulla conventio Christo ad Belial, 2.Cor.6.v.15. sunt enim sibi invicem contrarii, dum Christus colligit, & Satanas dispergit: qui igitur non cum Christo est, contra eum est, Luc.11. v.23.

Christi scopus semper ad bonum tendit: Sicut omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum, Jac.1.v.17. Satanas vero uti ipse πονηρὸς est: ita semper ad malum tendit, & gaudet coràm eo mœror, Job.41.v.13. Unde etiam Abaddon dicitur, Apoc.9.v.11.

Specimen hujus rei habemus in prælecto Evangelio, ubi Spiritus ille malignus, ex inimicitia adversus Christum, ejusque asseclas, bonum semen deperditum it, per zizania, quæ hominibus dormientibus dispersit.

Querela respicit

I. *Hominum securitatem.* Cum enim seminatum esset bonum semen, dormiverunt homines. Somnus hic est securitatis & negligentiæ, ad quem naturaliter proclives sumus, & nihil aliud est quam socordia & torpor in functione & vocatione illa, quâ quisque à Deo creatus est. Talis enim pro dormiente habetur: unde Paulus omnes illos, qui hoc modo somno indulgent, exsuscitat, inquiens: Hora est jam nos de somno surgere, Rom.13.v.11.

Tales dormientes occurrunt *in Choro*, ubi dormiunt

1. *Doctores.* Quando illi officio neglecto assimilantur canibus mutis, non valentibus latrare, jacent & amant somnum, Esa. 56. v. 10. non attendentes sibi, & universo gregi, in quo Spiritus sanctus eos posuit Episcopos, pascere Ecclesiam Dei, quam acquisivit proprio sanguine, Act. 20. v. 28. quin & causantes, ut auditores dormiant, & in pietate languescant, cogitantes: Peccavi, & quid accidit mihi triste? Sir. 5. v. 4. Psal. 94. v. 7. exemplo esto Aaron, Exod. 32. v. 25. Vide Jer. 6. v. 14. Psal. 75. v. 7.

Idem adhuc hodie evenire amat, inveniuntur enim ejusmodi Pastores, qui vitia rarò taxant: sed loquuntur placentia, Esa. 30. v. 10. ne idem sibi obtingat, quod Amos. c. 7. v. 12. 13.

Verùm Deus æternum ipsis væ annunciat, inquiens: Væ, qui consuunt pulvillos, sub utraque axillâ &c. Ezech. 13. v. 18.

2. *Auditores.* Quando negligentius conciones & cultum divinum invisunt, aut in ipsa æde stertunt, & terrenis cogitationibus occupati sunt, unde Paulus eosdem excitat, dicens: Surge, qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus, Eph. 5. v. 14.

In Foro dormit Magistratus, quando blasphemos, scortatores, adulteros, fures, & id genus homines justo supplicio afficere debet. Nec minus somno dediti sunt, quando viduas & orphanos audiri, eosque contra adversarium defendi fas esset. Item, quando inopes contrà ditiorum impetum non tuentur.

Sed surgite de somno securitatis & negligentiæ, Vos Christiani Magistratus! Quærite judicium, subvenite oppresso, judicato pupillo, defendite viduam, Esa. 1. v. 17. audientes parvum ut magnum, ne timeatis à facie viri, Deut. 1. v. 17. quoniam vobis data potestas à Domino est, estisque Ministri Regni illius, & Altissimus aliquando interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, Sap. 6. v. 4. 5.

In Thoro dormiunt parentes, non contrahentes frontem contra filiorum malitiam, 1. Sam. 3. v. 14.

Liberi dormiunt, noluntque educari in disciplinâ & admonitione Domini, Eph. 6. v. 4.

Famulitia quoque somno correpta, heris debitam fidelitatem præstare nolunt. Non itaque mirandum est, tantam zizaniorum in orbe messem inveniri. Quia enim homines adeò securi sunt, & in diem stertunt, Satanas liberè zizania sua disseminare potest. Vigilate igitur & orate, quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret. Cui resistite fortes in fide, 1. Petr. 5. v. 8. Beatus ille servus, quem cum Dominus venerit, inveniet sic facientem, Matt. 24. v. 46.

II. *Diaboli sedulitatem.* Cum enim dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici. *Vigilat hostis, & vos dormietis!* exclamat hîc Augustinus.

Quam negotiosus sit ad agrum Dei zizaniis suis perdendum, dicta & exempla Scripturæ sat indicant nobis. Idque à primordio mundi ad nostra hæc tempora facere non cessavit. Circumit enim & per-

perambulat terram, ut ipse ait Job. 1. v. 7. estque *Episcopus maximè sedulus*, ut Latimerus Episcopus & Martyr Angliæ eum appellat, cui nemo in vigilantiâ par censeri potest, aliis enim dormientibus ipse vigilat.

Semper proinde vigilemus & oremus, ne intremus in tentationem, Matth. 26. v. 41. Interim hoc solatium restat nobis, quod non dormitet, neque dormiat, qui custodit Israël: sed custodiat introitum & exitum nostrum, Psal. 121. v. 3. 8.

III. *Zizaniorum pravitatem.* Per zizania intelliguntur filii nequam, sicut per bonum semen filii Regni, ut Christus ipse explicat, v. 38. In Græco appellantur, υἱοὶ τοῦ πονηροῦ, quia juxta desideria patris sui Diaboli faciunt, Joh. 8. v. 44. Veniunt sub hoc nomine, partim hæretici, qui non acquiescunt sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est doctrinæ, 1. Tim. 6. v. 3. partim hypocritæ, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, 2. Tim. 3. v. 5. partim quoque scandalosi, qui fascinatione nugacitatis obscurant bona, Sap. 4. v. 12.

Hæc zizania omnis impietatis Diabolus à principio ad hæc usque tempora disseminavit. In primordio creationis Deus bonum semen seruerat, dum primum hominem ad imaginem suam, quæ consistebat in justitiâ & sanctitate, creaverat, Genes. 1. v. 27. Verùm mox adfuit hic inimicus, & sparsis zizaniis suis, bonum semen corrupit, ut ex Dei imagine, quam homo gerebat, fœda peccati imago fieret, dum perverso mandato divino, Evam persuasit, ut ad arborem vetitam manum extenderit, Gen. 3. v. 4.

Idem fecit post lapsum, quando Cainum ad parricidium stimulavit, Gen. 4. v. 8. cujus & ipsi posteri, tanquam corruptus ager, zizania Diaboli, propagarunt: videntes enim filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant, nec Spiritui sancto locum reliquerunt, Gen. 6. v. 2. 3.

Idipsum quoque pòst diluvium continuavit, ubi juxtà bonum Dei semen, quod erat Noah, impium Cham, velut zizania excitavit, Gen. 9. v. 22.

Tempore Lothi zizania adeò invaluerant, ut Sodomitæ, filii nequam, ad bonum semen radicitùs exstirpandum, sese pararent, Gen. 19. v. 9.

Idem Spiritus ille malignus machinatus est, tempore Eliæ, ubi adeò zizania florebant, ut triticum fermè non appareret, & propterea Elias quereretur: Derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, ut auferant eam, 1. Reg. 19. v. 10. Et quamvis Dominus parùm seminis reliquit, Rom. 9. v. 29. sicut & Eliæ ætate factum, ubi reliquit sibi in Israel septem millia hominum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, 1. Reg. 19. v. 18. attamen inimicus ille exivit, factus mendax in ore omnium Prophetarum, ut tempore impii Regis Achab, 1. Reg. 22. v. 2. & ita zizania sua plantat, ut tritico suffocato, pretiosus fiat sermo Dei, ut tempore Samuelis, 1. Sam. 3. vers. 1. & cum Davide querendum: Defecit sanctus, Psalm. 12. vers. 2. seqq. Confer Mich. 7. v. 2. 4.

Neque

Neque minus nocet inimicus ille, bono semini filiorum Dei zizaniis hypocriseos, sicut id Eva cum omnibus posteris, irreparabili suo damno experta est, dum serpens ille antiquus, blandimentis suis illam seduxit, Gen. 3. v. 1. seqq. & sicut hâc in parte in Angelum lucis ille transformavit se: sic & omnes Pseudo-Apostoli & operarii subdoli transfigurant se in Apostolos Christi, & in Ministros justitiæ, 2. Cor. 11. v. 13. seqq. in hypocrisi loquentes mendacium, & cauteriatam habentes conscientiam, 1. Tim. 4. v. 2. Tales tempore Christi erant Pharisæi & Scribæ, quos propterea hypocriseos nomine Servator graviter perstringit, Matth. 23. v. 15. Idem fit in Papatu, ubi Clerici rationem habent sapientiæ, in electitiis cultibus & humilitate, Colos. 2. v. 23. quo ipso multos ad se alliciunt, qui deinde circa fidem & salutem naufragium faciunt, 1. Tim. 1. v. 19. Hinc Servator præmonet nos: Cavete à Pseudo-Prophetis, Matt. 7. v. 15. 1. Joh. 4. v. 1.

Deinde quoque zizania hypocriseos occurrunt in vitâ communi, quæ hostis ille malignus in omnibus statibus inter semen filiorum Dei disseminavit: Multi enim offerunt se falsi fratres, qui blandiores sunt ore suo, quàm butyrum, & ipsi sunt gladii, Psal. 55. v 32.

Talis fuit Cain, sub prætextu amicitiæ Abelem occidens, Gen. 4. v. 8. nec non Joab, 2. Sam. 3. v. 27. 2. Sam. 20. v. 9. item Judas Proditor Christi, Matth. 26. v. 48.

Quia igitur mundus plenus est zizaniis insidiarum, Sir. 11. v. 31. pii Christiani tempori inserviant oportet, ut sint prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, Matth. 10. v. 16. h. e. ut Siracides idem explicat: multi sint illis pacifici, consiliarius autem unus de mille, c. 6. v 6. Confer Prov. 26. v. 25.

Spargit quoque Satanas zizania scandalorum, quibus nobile triticum si non penitus supprimitur, tamen ad minimùm inficitur.

Ejusmodi scandalum excitavit, per idololatriam Aaronis, cujus occasione triginta tria millia hominum ceciderunt, Exod. 32. v. 23.

Ejusmodi zizania adhuc hodie per varia peccata & flagitia spargit, & Regnum suum amplificat, ut non abs re moneat Apostolus: Attendite vobis &c. Actor. 20. v. 28.

De *Secundo*.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex seminantis humanitate*, qui in prælecto Evangelio vocatur homo, & in explicatione parabolæ hujus, filius hominis: is est Christus ipse, qui ita appellatur, quia est semen mulieris, Gen. 3. v. 15. natus ex Maria virgine. Hic prædicat in præsenti Pericope, ut & in quatuor Evangelistis. Et ante adscensionem suam homines ad ministerium verbi ordinavit. Hoc ipso Altissimus nobis singulare beneficium exhibuit: quodsi enim immediatè ipse nobis concionaretur, Majestatem ejus minimè ferentes, potius ab ipso fugeremus, quàm ad ipsum appropinquaremus, ut ex promulgatione legis patet, Exod. 20. v. 19.

Et quamvis in verbi ministerio per Angelos nobiscum ageret, nec Angelicam claritatem sustinere possemus. Angeli enim Spiritus sunt, non habentes corpora,

sicut

ſicut nos homines: unde & metus atque terror oritur, ſi homo Spiritum talem conſpiciat. Vide Judic.6.v.22.23. Tob. 12.v.15.16.

Φιλανθρωπίαν ſuam in eo igitur nobis probavit, quod homines nobis præcones conſtituit, qui confratres noſtri ſunt, & theſaurum verbi divini in vaſis fictilibus habent, 2.Cor.4.v.7. & ita in Spiritu lenitatis reſtaurare nos poſſunt, ſi præoccupatus fuerit homo in delicto aliquo, Gal.6.v.1. quia enim & ipſi infirmi & peccatis obnoxii ſunt, poſſunt eò melius patientia in Auditores uti: Auditores quoque commodius inſtructionem eorum ſuſcipiunt, quam ſi Deus ipſe vel Angelus cum illis ageret. Agnoſcite igitur hoc beneficium, obedientes Præpoſitis veſtris & parentes eis &c. Hebr.13.v.16.17.

Quamdiu Deus per homines & verbi miniſterium nobiſcum agit, gratiam ſuam offert nobis: Quando verò homines præ malitiâ, homines verbum annunciantes audire renuunt, Deus alio modo prædicare incipit, ſive per horrenda prodigia in cœlo, in aere, & in aquis: ſive per Cometen, quod peculiare iræ divinæ indicium eſt, & certiſſimas pœnas, quin & ſæpe exitium temporale & æternum pòſt ſe trahit.

Celebramus igitur meritò ingentem Dei gratiam, quod nobis ex fratribus noſtris Doctores conſtituit, dicentes: Quid eſt homo, quod memor es ejus? & filius hominis quoniam viſitas eum, Pſal.8.v.5. Quod & Filius ejus ipſe homo & hominũ præco factus, eô fine humanitatem induit, ne ab ipſo metueremus, ſed potius per gratioſa ſuà labia nos ad ſe attraheret. Diligit Deus populos! cum ſtupore exclamat Moſes, Deut.33.v.3.

II. *Ex ſeminis bonitate.* Chriſtus ipſe ait: Bonum ſemen ſunt filii Regni, h.e. pii Chriſtiani, qui hæreditariò accepturi ſunt paratum ſibi Regnum à conſtitutione mundi, Matth.25.v.34.

Hi igitur bonum ſemen ſunt, non per naturam, ſed per gratiam. Naturâ enim nemo bonus eſt, niſi unus Deus, Matth.19. v.17. Contrà verò omne figmentum cogitationum cordis tantummodò malum eſt omnibus diebus, Gen.6.v.5.c.8.v.21. Peccatum enim originale, quod omnibus innatum eſt, efficit, ut malum ſemper nobis, renatis quoque adjaceat, Rom.7. v.20. ex hoc velut ſcaturigine derivatur peccatum actuale, quando enim concupiſcentia concepit, parit peccatum, Jac.1. v.15. & ita ſumus populus, gravi iniquitate, ſemen nequam, Eſa.1.v.4. verùm per ſemen incorruptibile verbi divini, quod eſt verbum veritatis, genuit nos voluntariè, Jac.1.v.18. ut jam viciſſim ſimus bonum ſemen, quod gratificavit ſibi in dilecto, Eph.1.v.6.

Hoc bonum ſemen conſervabit ſibi Deus ad conſummationem ſeculi,

1. *Per regenerationem*, quæ fit in baptiſmo: Quicunque enim in Chriſtum Jeſum baptizati ſunt, Chriſtum induerunt, Gal.3.v.27. & cum eo fecerunt ſtipulationem bonæ conſcientiæ, 1.Petr.3.v.21.

2. *Per Spiritus ſancti myſticam communicationem*, quæ pluviæ confertur, Pſal.68. v.19. per hanc enim pluviam Chriſtiani bonum ſemen parantur, ut ſint arbores

n juſti-

justitiæ, plantatio Domini, ut glorificetur, Esa. 61. v.3. producunt quoque varios fructus Spiritus quales sunt: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas, Gal. 5. v.22.

Quemadmodum vero bonum semen fructum non fert, nisi prius emoriatur in terrâ, in quâ sepelitur: sic & vetus homo, in nobis emoriatur necesse est, qui corrumpitur secundum desideria erroris: Deindè renascitur novus homo, qui secundum Deum creatus est, in justitiâ & sanctitate, Eph. 4 v.22.

Quia verò in mundo hoc imperfecto perfectionem non assequi valet, sed in fine vitæ seminatur in corruptione: tamen surget in incorruptione, 1. Cor. 15. v. 42. & tùm virebit ut palma, & sicut Cedrus Libani crescet, Psal. 92. v.13.

III. *Ex divinâ longanimitate.* Ubi enim famuli zizania animadvertunt, Dominum suum accedunt, dicentes: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde igitur habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt illi: Vis igitur, imus & colligimus ea. Et ait: Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.

Hic Christum zizania non eradicari, sed crescere velle audimus, usque ad messem, h. e. usque ad diem ultimum, tùm demùm triticum à zizaniis congregandum & in horreum vitæ æternæ perferendum curabit, ubi zizania in inferno igne inextinguibili comburentur.

Intereà videant impii, ut bonitate & longanimitate Dei ad pœnitentiam adducantur, Rom. 2. v.4. ex hac ipsâ enim causâ oriri facit Solem suum super bonos & malos: & pluit super justos & injustos, Matt. 5. v. 45. ut omnes ad pœnitentiam revertantur, 2. Petr. 3. v.9.

Tali patientia invitavit Deus primum mundum, Genes. 6. v.3. nec non Ninivitas ad pœnitentiam, Jon. 3. v.4. quâ longanimitate nos hodiè quoque expectat, est enim clemens, & misericors, patiens, & multæ miserationis, Jon. 4. v.2.

Hæc consolatio tua esto, mi Christiane! si forsan ex innatâ infirmitate in aliquo delicto præoccupatus es, Gal. 6. v.1. non propterea statim projicieris, quia Dominus sustentat manum tuam, Psalm. 37. v. 24.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Hostem observa.* Quod fiat sedulâ vigilantiâ. Cum enim dormirent homines, venit hostes ejus, & seminavit zizania inter triticum. Sicut igitur somnolentia causa est sparsorum zizaniorum inter triticum: ita spirituali vigilantiâ inimico aditus intercludi potest: unde Petrus, vigilate, 1. Petr. 5. v.8.

DEus tanquam supremus vigiliarum præses, qui neque dormit, neque dormitat, Psal. 121. v.4. alios vigiles, alios circuitores constituit, ideò quilibet sedulò excubias agat, ut in quâ vocatione vocatus est, in eâ permaneat, 1. Cor. 7. v.20.

Vigilias agunt Verbi Ministri, qui quando hostem, zizaniis falsæ doctrinæ, hypocri-

criseos & scandali adventare, animadvertunt, quasi tuba vocem exaltate, & populo transgressionem & peccata eorum annunciare tenentur, Esa. 58. v. 1. quodsi peccatorem seriò resipiscentem ostendunt, velut amicum dimittant. Sin tales qui corda sua instar Pharaonis obdurant, renuentes accipere disciplinam, Jer. 5. v. 3. peccata eorum tantisper ligent oportet, dum resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur, ad ipsius voluntatem, 2. Tim. 2. v. 26.

Vigilias quoque agunt Christiani Magistratus, qui & ipsi hosti zizania sua sparsuro in tempore resistere tenentur, ut malum sine personarum respectu eradicetur, non enim sine causa gladium portant, Rom. 13. v. 4.

In communi quoque vita quilibet excubias suas agit, ideoque Diabolo zizania sua disseminaturo in tempore obviet, eumque repellat, juxta illud: Resistite Diabolo, & fugiet à vobis, Jac. 4. v. 7.

Ita Dilecti! hostem observare tenemur, ne aget Dei zizaniis perdatur. Qui vero dormit & hostem negligit, ei Dominus miscebit Spiritum soporis, Esa. 29. v. 10. ut dormiat somnum sempiternum, & non consurgat, Jer. 51. v. 39.

II. *Importunitatem vita.* Christus vult zizania crescere usque ad messem, ne simul cum eis triticum eradicetur. Hoc ipso Dominus importuno Discipulorum zelo occursurus est, qui ex rigore agere volebant, si paululum zizaniorum animadvertebant, sicut Jacobus & Johannes ignem de cœlo descendi petebant ad perdendam civitatem Samaritanorum, quia Christo hospitium denegaverant, Luc. 9. v. 54. Quo intempestivo zelo & Petrum abreptum, ideoque à Christo objurgatum, legimus, Luc. 22. v. 51. Matth. 26. v. 52. Non igitur hic Christus igne, ferro & vi corporali zizania exstirpari vult, ne & triticum fidelium simul eradicetur.

Intereà nec Magistratui facinorosos ultimo supplicio afficere prohibitum est, siquidem gladium non sine causa portat, Rom. 13 v. 4. 1. Petr. 2. v. 14.

Nec verbi præconibus officium elenchticum interdicitur, qui jubentur vocem exaltare ut tuba, Esa. 58. v. 1.

Neque etiam parentibus prohibetur, quò minus liberos castigent, contrarium jubetur, Prov. 22. v. 15.

Sed hîc potissimùm Christus loquitur de zizaniis falsæ doctrinæ, quod vi corporali eradicari non debeat, quia aliàs triticum simul eradicaretur.

Si ingrati Samaritani, ad petitum discipulorum Christi igne cœlitus delapso absumti fuissent: Samaria deinde verbum Dei recipere non potuisset, Act. 8. v. 14.

Tùm & ad bonum finem Deus zizania tolerat, quod Paulus indicat, ajens: Oportet hæreses inter eas esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis, 1. Corinth. 11. v. 19.


III. *Messem exspecta.* Hic meminit Christus messis, quod dicturus sit messoribus, ut colligerent primùm zizania, & alligarent ea in fasciculos, ad comburendum: triticum autem cógregent in horreum suum.

In hoc mundo zizania non rarò tritico vim vegetativam præripiunt, & fœcunditatem ejus impediunt. Hoc est, impii & heterodoxi plerumque felices sunt, & incrementa capiunt, ut David testatur,

Psal. 144. v. 12. seqq. Verum pii flagellantur totâ die, & castigatio eorum in matutinis Psal. 73. v. 14. quin & impii premunt pios, ne crescant, dicentes: Venite, & disperdamus eos, ne sint gens, Psal. 83. v. 5. hinc dolore afficiuntur pii, ut dicant: Heu mihi, eò quod peregrinus sim cum Mesech, Psal. 120. v. 1. 6. Confer Psal. 55. vers. 7. quod conspicimus ex exemplo Eliæ, 1. Reg. 19. v. 4. & Pauli, Philip. 1. vers. 23.

Verùm confidite Dilecti! messis filiorum Dei brevi orietur: tùm zizania, h.e. impii Tyranni & persecutores in fasciculum alligati, igne infernali comburentur: ex adverso verò justi, tanquam nobile triticum in fasciculo viventium collecti, 1. Sam. 25. v. 29. in horreum æternæ gloriæ & lætitiæ assumentur: tunc illi, qui hîc seminarunt in lacrymis, cum exultatione metent, Psal. 126. v. 5.

Id quod nobis JEsus largiatur, Amen.



DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Evangelium Matth. 17 v. 1. -- 8.

EXORDIUM.

CUm Moses pasceret oves Jethro soceri sui, Sacerdotis Madian: & minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb, apparuitque ei Angelus Domini, in flammâ ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur, Exod. 3. v. 1. seqq.

Hic rubus procul dubio, præter incarnationem Servatoris nostri, ubi mirabilis utriusque naturæ personalis unio facta est, simul præfiguravit præcellentem transfigurationem Christi in monte Thabor.

Rubus ardens est θεάνθρωπος. Rubus suo modo humanam naturam, ignis verò divinam repræsentat, Deus enim ignis consumens est, Deut. 4. v. 24. Unio ignis cum rubo est combinatio divinæ & humanæ naturæ. Ignis per totum rubum se diffundens, significat, totam plenitudinem Divinitatis in Christo inhabitare corporaliter, Col. 2. v. 9. Et veluti ignis rubum non consumsit, sed clarificavit: Ita nec Divinitas Christi inhabitans humanitatem læsit, multò minus planè destruxit, sed potius radiis divinæ Majestatis suæ illustravit, ut visa gloria ejus, gloria quasi unigeniti à Patre, plenus gratiæ & veritatis, Joh. 1. v. 14.

Maximè verò gloriam suam, in transfiguratione, præsentibus quibusdam discipulis demonstravit, quò in fide eosdem confirmaret, ne scandalū ex profundissimâ ejus

ejus exinanitione & servi forma caperent: propterea radios gloriæ & Majestatis suæ ipsis commonstrat, ad quam post statum exinanitionis perventurus erat, & transfiguratur cotã ipsis, quoad humanam naturam, non quidem *substantialiter*, sicut Uxor Lothi in statuam salis versa, Gen. 19. v. 26. sed *accidentaliter*, ut nulla servi forma in eo amplius appareret, sicut rubus Mosis quoad substantiam non in ignem commutatus, sed per eum tantummodo illustratus fuit: Sic & Christi facies resplenduit sicut Sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut lux, ut præsentes discipuli, non minus ac Moses, rubi ardentis & non comburentis admiratione ideo ducti, in votis habuerint, hanc Christi clarificationem perpetuo conspiciendi.

Videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

JJ.

Exegesis.

ABundantia gaudiorum est cum vultu tuo: delectiones in dexterâ tuâ usque in æternum, ait Dominus Messias ad Patrem suum cœlestem, Psal. 16. v. ult. hoc ipso confirmans se in passione, fore, ut post eam ad abundantiam divini gaudii exaltatus ad dexteram Dei Patris perventurus sit.

Idem solatium veri Christiani arripere, & ex prælecta Pericope certi esse possunt, quod abundantia gaudiorum, & delectationes in dexterâ Dei usque in æternum futura sint, quorum & ipsi exantlatis vitæ hujus miseriis compotes fient, cum nimirum die ultimo, universalis clarificatio Filiorum Dei futura est, cujus præclarum præludium nobis in ipso Evangelio proponitur, in Petro, qui voluptate ejus mirifice perfusus est, ubi saltem prægustum quendam in transfiguratione Christi habuit. Interea æquo animo gloriosa hæc revelatio Filiorum Dei expectanda nobis est, Rom. 8. v. 19. Patientia enim necessaria est nobis, ut reportemus præmissionem, Hebr. 10. v. 36. nec ægre feramus, cum Christo primum in statu exinanitionis vivere, dum ad statum exaltationis pertingamus. Post sexiduum enim demum ad glorificationem pervenimus, hoc est, post tribulationes exhilaramur, juxta illud: per aspera ad astra, per angusta ad augusta.

Querela respicit

I. *Dierum crucis multitudinem*, post quas corporum nostrorum clarificationem impetramus. Post sex enim dies, inquit Evangelista, assumsit Jesus Petrum & Jacobum, & Johannem fratrem ejus: & duxit illos in montem excelsum seorsim: & transfiguratus est, ante eos.

Quomodo hi sex dies alias ad senarium mundi millenarium transferantur, alibi ostensum est. Hâc vice ad sex calamitatum dies homini subeundas applicamus, priusquam ad cœlestem glorificationem ille perveniat.

1. *Est dies conceptionis*, qui vere miserabilis est, si rem accurate trutinamus. Illo enim in peccatis concipimur, Psal. 51. v. 7. super quæ verba Ambrosius: *Antequam nascimur maculamur contagio, antequam usurum lucis, originis ipsius excipimus injuriam. Meritò ergo David flebiliter deploravit in seipso inquina-*

menta natura, quod prius in homine inciperet macula, quam vita. Hanc ob causam omnes natura filii iræ sumus & in peccatis mortui, Eph.2.v.1.3. nec non sub peccato divenditi, Rom.7.v.14. ut cuilibet cum Bernhardo lamentandum: De parentibus illis venio, qui ante me fecerunt damnatum, quam natum. Quicquid enim ex carne natum, caro est, Joh.3.v.6. ne dicam de incommodo, quod die conceptionis nostræ inchoatur, ratione obscuri carceris in quo inter stercora & urinas, sepulti ante quam nati delitescimus.

2. *Dies nativitatis.* Sicut in peccatis concipimur, ita & in peccatis nascimur, Ps. 51.v.7. propterea omnibus calamitatibus subjecti. Homo enim nascitur ad laborem, ut avis ad volatum, Job.5.v.7. Unde simulac in lucem editur, miseriam suam deflet, est enim prima ejus vox, quam emittit, Sap.7.v.3. nec abs re dies mortis melior die nativitatis habetur, Eccl.7.v.3. Die enim nativitatis miseria nostra incipit, quæ die mortis demum finitur, tunc gaudium vitæ æternæ succedit, quando in fide Christi mundo huic valediximus. Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur à modo, Apoc.14.v.13.

3. *Dies vitæ.* Ubi occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super Filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium, Sir.40.v.1.2.& militia est vita hominis, dum vivit, super terram, Job.7.v.1. Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem, hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque velimus, illa faciamus, Gal.5,17. Et licet condelectemur legi DEI secundum interiorem hominem, videmus tamen aliam legem in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ, & captivantem nos in lege peccati, quod est in membris nostris, ut vitæ pertæsi exclamemus cum Paulo: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Rom.7.v.22. seqq.

Præterea dies vitæ nostræ ærumnis & calamitatibus adeo miscetur, ut licet brevis, tamē mala illa sit, Gen.47,6. Ps.90,11.

4. *Dies mortis.* Equidem Salomo ait: Dies mortis melior die nativitatis est, Eccles.7.v.2. attamen quia mors stipendium peccati, Rom.6.v.23. non cum voluptate, sed cum dolore & cruciatu nobis obrepit. Interea perpetuum est fœdus hoc mortis quod morieris, Sir.14,18. Hic nemo prorsus excipitur, in omnes enim homines mors pertransiit, quandoquidem omnes peccaverunt, Rom.5.v.12. Job.30.v.23.

5. *Dies corruptionis.* Homo pulvis est, & in pulverem revertetur, Gen.3.v.19. id quidem homini horrificum videtur, quod ita corruptioni obnoxius, à vermibus, serpentibus & bufonibus devorandus est, Sir.10.v.13. interim si instar tritici reviviscentis ê tumulis nostris die ultimo propullulare volumus, corruptio minus exhorrescenda est.

6. *Dies judicii,* quo de omni verbo otioso, quod homines locuti sunt, rationem reddent, Matth.12.v.36. Nam quæ fiunt, cuncta adducet Deus in judicium, etiam omne occultum, sive bonum, sive malum sit, Eccles.2.v.ult. cujus recordatione etiam justus pavescit, non enim comparatur Deo homo justificatus: Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum de mille, Hiob.9.v.2.3. Psal.143.v.3.

Quia vero hominibus semel statutum est

est mori, post hoc autem judicium, Hebr. 9. v. 27. & Christianus Advocatum desiderat, ostendit eundem Johannes inquiens: Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum, justum &c. 1. Joh. 2. v. 1. 2.

Hi ita sex illi afflictionum dies sunt, qui querelam nobis movere possunt, ubi tamen simul hoc solatium advertendum est, quod pòst hos sex dies Christus nos sibi adsumturus, & in excelsum cœli montem seorsim ducturus sit, ut eum in gloria sua intueamur, & ipse transfiguret corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ, qua etiam potest subjicere sibi omnia, Phil. 3. v. ult.

Cum Moses cum Deo in monte Sinâ esset, gloria Domini texit illum nube sex diebus: septimo autem die vocavit eum Dominus de medio nubis, locutusque cum eo est, Exod. 24. v. 16. Sic dies illi sex prædicti absconditi sunt obscura tribulationum nube: dum septimo die Dominus loquatur nobiscum, & in plenariam gloriam introducat, tum é sex tribulationibus liberabit nos, & in septima non tanget nos malum, Job. 5. v. 19.

II. *Humana carnis ægritudinem*, quæ inde elucescit, quod quamprimum discipuli Christi vocem Dei de cœlo audierunt, proni in faciem ceciderunt, & timuerunt valde. Hanc divinam & Majestaticam vocem humana natura ob imbecillitatem post lapsum ferre nequit.

Equidem ante lapsum Protoplastorum vox Dei adeo horribilis non fuit, & si in statu innocentiæ perseveravissemus, Dei vocem & loquelam minime horruissemus, sicut Adam ante lapsum, Dei vocem bene ferre potuit, vide Gen. 1. v. 28. 29. 30. Verum quamprimum homo â Deo per peccata defecit, inquit Adam: Vocem tuam Domine audivi in Paradiso, & timui, & abscondi me, Gen. 3. v. 10. Peccatum igitur in culpa est, quod Deum, velut Numen sanctissimum cum loquela sua ferre non possumus.

Quo vero tanquam φιλόψυχος infirmitatem nostram adjuvaret, alium quem sine horrore audire possumus, commendavit nobis, nempe Filium suum dilectum, in quo diebus novissimis locutus est nobis, Hebr. 1. v. 2. is nunc nos non terret voce sua, sed reficit labiis suis mellitis, Matth. 11. vers. 28.

In promulgatione legis populus Dei vocem minime sustinere quibat, ideo dicebat: Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur, Exod. 20. v. 19. Quæ causa? Dei Majestas & humana infirmitas non invicem consistere possunt, ideo Deus ad salutem nostram promovendam Christum, unicum illum Mediatorem Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. nobis proposuit, ut indicet nobis, quid bonum sit, & quid Dominus requirat à nobis: nempe judicium facere, & diligere misericordiam, & humiliter ambulare cum Deo, Mich. 6. v. 8. ex hâc ipsâ causâ humanitate vestitus est, quo minus eum metueremus, estque magnus ille Propheta, de quo Moses prædixit, Deut. 18. v. 15.

III. *Discipulorum cum Christo solitudinem.* Ut enim discipuli post consternationem aliquantum se colligentes neminem viderunt nisi solum Jesum: Ita omne gaudium

eva-

evanescebat, & Christus in pristina servi forma apparebat.

Unde patet, nullum in hoc mundo gaudium esse perpetuum, sed mox interrumpi Christus in sinu Patris cœlestis, nil nisi gaudium & lætitiam habuit: sed simulac in hunc mundum venit, mœror comes ejus fuit. Et quamvis in diebus carnis, imprimis in transfiguratione hâc, gloriam suam nonnihil manifestavit, attamen continuo actum fuit de ea. Ut enim Apostoli eam per nebulam quasi adspexerunt, vix gaudium hinc concipientes, rursus eo privati sunt, soli cum Christo, ut antea, variis ærumnis expositi.

Similem gloriam Jacob per somnium vidit, ubi scalam cœlestem conspexit, quo gaudio tamen & ipse post breve intervallum, ut evigilavit, caruit, Gen. 38. vers. 10. seqq.

Idem Paulo quoque accidit, raptus enim est in Paradisum & audivit verba ἄῤῥητα, 2. Cor. 12. v. 4. sed mox solus relictus, stimulum carnis, Angelum Satanæ colaphizantem se sensit, ne magnitudine revelationum extolleretur, 2. Cor. 12. v. 7. Quamdiu igitur carne peccatis infecta onerati sumus, nullum constans gaudium cœleste expectare licet.

Eodem modo comparatum est, cum externo mundi gaudio & felicitate, quæ inopinatò derelinquit nos, sicut Hiob id expertus est, qui principio gloria & divitiis inclytus, c. 1. v. 3. paulo post in ærumnis ab omnibus amicis suis desertus est, ut ipse conqueritur, c. 19. v. 13. seqq. ut non abs re Siracides dicat: In infortunio etiam amicus secedit, Sir. 12. v. 9.

Quia igitur hîc nullum perpetuum gaudium sperare possumus, cur igitur filii hujus seculi in eo confidunt? cum tamen vanitas vanitatum & omnia vanitas, Eccles. 1. v. 1. Quilibet proinde æternum illud gaudium anhelet, quod Deus præparavit his, qui diligunt illum, 1. Cor. 2. v. 9.

Quæcunque mundus suspicit,
Aurum licet transcenderit,
Mundana gloria,
Durat momento vix brevi
Obest beatitudini.

Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex suavi cum Sanctis consortio*, ad quod in vitâ æternâ perveniemus. Cum Petrus Mosen & Eliam in claritate suâ conspiceret, præ gaudio vox eum ferme deficiebat.

Quanto magis nos gaudio exultabimus, quando non duos Sanctos duntaxat, sed multa millia Angelorum, & electorum, qui ab exordio mundi vixerunt, intuituri sumus, ibi dicemus: Hic mandavit Dominus benedictionem & vitam usque in seculum, Psal. 133. v. ult.

Ibi offendemus Protoplastos nostros Adamum & Evam, sanctos Patriarchas, Abraham Isaac & Jacob, pios Judices, Reges & Prophetas, nec non B. Mariam, sanctos Apostolos, & in genere omnes majores, parentes, cognatos, liberos, amicos & notos nostros, qui ante nos beate in Domino obdormierunt, unde dies novissimus dies plenariæ restitutionis dicitur, Act. 3. v. 21.

Nec modo conveniemus, sed & mutuo agno-

agnoscemus & compellabimus nos, licet visu corporali nunquam in his terris conspexerimus nos, sicut hic Petrus Mosen & Eliam nunquam sibi visos agnovit. Hinc maximum in nobis excitabitur gaudium, absterget enim Deus omnem lacrymam ab oculis nostris, Apoc.7.v.ult.

Maximo vero afficiemur gaudio, quod societatem habebimus cum Christo, sanctorum sanctissimo, Dan.9.v.14. quem videbimus à facie ad faciam, 1.Cor.13.v.12, & sicuti est, 1.Joh.3.v.2.

Augustini votum fuit, videre: Romam in flore, Paulum in ore, Christum in carne. Quis hoc ultimum, ut Servatorem suum in carne videret, non similiter optaret? Verum quia in hâc vitâ id nunquam fiet, ideo in alteram vitam hoc votum differamus oportet: ubi videbimus eum *sine modo*, *sine tædio, sine termino*, Augustino dicente.

Cum Jacobus cum Christo in assumtâ humanitate luctatus esset, præ gaudio exultavit, dicens: Vidi Dominum, & salva facta est anima mea, Gen.32.v.30. Quanto magis anima nostra salva fiet, quando Christum in propriâ specie, sicuti est, visuri sumus, non diem duntaxat, sed in æternum, tum exultabimus lætitiâ inenarrabili, & gloriosâ, reportantes finem fidei nostræ, salutem animarum, 1.Petr.1.v.8.

II. *Ex dulci sequentis vitæ gaudio.* Maximo gaudio delibutus est Petrus, ubi transfigurationem Christi, ipse non transfiguratus vidit. Quanto nos gaudio superfusum iri existimatis, quando Christus transfigurabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, Phil. 3. v. ult.

Gaudium erit *supra nos*, videbimus enim Deum à facie ad faciem, 1.Cor.13, v.12.

Gaudium erit *infra nos*. Quando impios in inferno cum Diabolis juste torqueri conspiciemus: ibi stabimus in magnâ constantiâ, adversus eos, qui nos angustiaverunt, & qui abstulerunt labores nostros, Sap.5.v.1.

Gaudium erit *circa nos*, ratione jucundissimi consortii. Cincti enim erimus choro Angelorum, Archangelorum, & omnium electorum, in quorum societatem adsciscemur.

Gaudium erit *intra nos*, quando pulcherrimum illum ornatum intuebimur, quo Deus & anima & corpore nos decoravit. Ibi locum habebit: Beatus populus, qui scit jubilationem, Psal.89.v.16.

Gaudium quoque erit, quia omnibus potiemur, quæcunque desideraverimus.

Desideras *sapientiam*? ibi perveniemus ad fontem sapientiæ, visuri in Deo omnia, quæ oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adscenderunt, 1.Cor. 2. vers.9.

Delectaris *quiete & pace*? ibi hospitium habebis in habitatione pacis, & in requie securitatis, Esa.32.v.18.

Afficeris *suavi Musica*? Ibi Angelorum τρισάγιον & Beatorum Alleluja audies & concentu tuo ornabis, Esa.6.v.3.

Cõcupiscis *cibum & potum*? ibi vesceris de ligno vitæ in Paradiso Dei, bibes de fluvio puro aquæ vivæ, splendido, tanquam crystallo, procedente de sede Dei & agni, Apoc.22. v.1.

Delectaris *conversatione Doctorum*? Ibi accedemus ad civitatem Dei viventis, Hierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam

O pri-

primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, & spiritus perfectorum justorum, Hebr. 12.v.23.

Aves *gloriam & honorem*? Ibi ad amplissimos evehemur, futuri cives Sanctorum, & domestici Dei, Eph.2.v.19.

Appetis *speciosa ædificia*? Ibi perveniemus in domum Patris cœlestis, in qua Christus nobis locum paravit, Joh.14.v.2.

Anhelas *elegantes vestes*? Ibi nos cœlestis sponsus cooperiet byssino splendenti & candido, Apoc.19.v.11. & immarcessibili gloriæ coronâ decorabit, 1.Petr.5.v.4.

Ubi sunt gaudia
Nirgend mehr denn da/
Da die Engel singen
Nova Cantica,
Und die Schellen klingen/
In Regis curiâ,
Eja wärn wir da.

III. *Ex insigni Christi encomio.* Sic enim Pater cœlestis de Filio suo ait: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui hunc audite.

Nos homunciones alias etiam filii & filiæ Dei appellamur, verum non id fit per naturam, quâ sumus filii iræ, Eph.2.v.3. Rom.3.v.23. sed per gratiam, in quam nos per baptismum adsumsit, & potestatem dedit Filios Dei fieri, Joh.1.v.12. De ejusmodi gratiæ filio hic sermo non est, sed de filio naturali, quem Deus ab æterno ex essentia sua genuit, Psal.2.v.7.

Hunc Filium suum diligit Pater

1. *Per essentiam*, quia unum est cum Patre: Joh.10.v.30.

2. *Propter obedientiam*, quia voluntatem ejus fecit, Psal.40.v.9. factus ei obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil.2.v.8.

Hinc magnum nobis fluit solatium. Paulus ait: Sunt Christi, qui carnem suam crucifixerunt, cum affectibus & concupiscentiis, Gal.5.v.24. Et Johannes: In hoc cognoscimus, quoniam de spiritu suo dedit nobis, 1.Joh.4.v.13.

Quodsi igitur Christi sumus, & ipse in nobis est, nosque in ipso sumus, nos quoque Pater ejus diliget. Utique diligit nos, elegit enim nos in Christo ante jacta fundamenta mundi, Eph.1.v.4.

Sumus Christi, ratione baptismi, in quo Christum induimus, Gal.3.v.27.

Sumus Christi, ratione cœnæ, in qua nobis carnem edendam & sanguinem suum bibendum exhibet, & consortes divinæ naturæ facit, 2.Petr.1.v.4.

Sumus Christi, quia nos genuit voluntarie verbo veritatis, Jac.1.v.18.

Et tandem quoque Christi sumus, quia ipsius genus sumus, Act.17.v.28. & ipse vicissim nostri generis, frater & Immanuel noster, Ebr.2.v.14.

Quia igitur tot modis Christi, in quo Patri cœlesti complacuit, sumus, nihil jam condemnationis in nobis est, qui in Christo Jesu sumus, Rom.8.v.1.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis quarum

1. *Amorem mundi linquito.* Hâc in parte Petrus exemplo nobis est, qui ubi saltem in transfiguratione Christi prægustum vitæ æternæ capit, omnium terrenorum oblivione capitur, & unice cœlestibus intentus inquit:

inquit: Domine, bonum est, nos hîc esse, si vis faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, & Mosi unum, & Eliæ unum.

Imitemur hoc exemplum Petri, quærentes ea, quæ sursum sunt, Col.3.v.1. præterit enim figura hujus mundi, 1. Cor. 7. v.31. In Gr. est vox σχῆμα, quæ habitum Comicorum denotat. Vita enim nostra nihil aliud quam fabula aut Comœdia est. Mundus Theatrum est, duo habens ostia: per alterũ ingredimur nascentes, per alterũ egredimur morientes. Sicut igitur fabula brevi finitur: sic & figura hujus mundi, tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, est: cujus, cum præterierit, non est vestigium, Sap.5.v.10.

Si quis brevi intervallo pecuniam numerat, Summa non magna est. Atqui Satanam Christo in deserto omnia Regna orbis terræ ἐν στιγμῇ χρόνου ostendisse legimus, Luc.4.v.5, hinc facile colligere possumus, mundi gloriam adeo magni æstimandam non esse. Eccur igitur gloriam mundanam tantopere affectamus, qui hic non habemus civitatem manentem, Ebr.13.v.14. Potius quilibet suspiret:

Cœli bona
Perstant rata,
Præ priver his
Vitâ bonis:
Vincam juva Deus me.

Fecêre hoc David, Psal.42.v.1. Assaph.73. v.25. Paulus Phil.1.v.23.

Horum vestigiis insistentes, mundana promte dimittamus, siquidem transitoria quidem amittimus, sed duratura cum CHRISTO invenimus, ubi non destituemur omni bono, Psal.34. vers.11.

II. *Sequentem vitam credito.* Quid vita alia post hanc vitam futura sit, verbum Dei sufficienter probat. Pii enim post mortem nanciscentur vitam gaudio plenissimam, sicut Moses & Elias ex hoc mundo in vitam æternam assumti sunt: ille quidem per mortem temporalem: hic vero curru & equis ignitis. Impii vero & ipsi vita æterna potientur, verum in perpetuo angore & cruciatu, ita vivent ut semper moriantur, & morientur ut semper vivant, mors depascet eos in æternum, Psal.49.v.15.

Epicurus, gentilis ille Philosophus animam cum corpore interire statuit, hinc Symbolum Epicuri de grege porcorum:

Ede, bibe, lude, post mortem
nulla voluptas.

Cum his conspirarunt Sadducæi, qui dixerunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum, Act.23. v.8.

Verum horum impietas veritatem non evertit, experientur illi cum damno irreparabili, quod hic credere noluerunt, quando vermis eorum non morietur, & ignis non exstinguetur, Esa.66.v.ult.

Pii vero Christiani hinc maximo solatio superfunduntur, quia tum omnium miseriarum finem & refrigerium sentient. Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt &c. Sap. 5.v.1.seqq.

Impiis sane millies melius esset, si & anima & corpore interirent, nullaque resurrectio futura esset: sed pii consolantur se futura resurrectione, & cõsequente vita æterna, dicentes cum Jobo: Scio quod Redemtor meus vivit, Job.19.v.25.seqq.

Qui igitur vita æterna potiri cupit, corde & ore confiteatur: Credo resurrectionem carnis & vitam æternam. Moses enim & Elias, ceu Candidati æternitatis, testantur de vita beata, eaque æterna. Dives vero epulo de æterna infelici vita & tormentis, dum exclamat: Crucior in hac flamma, Luc. 16. v. 24.

III. *Sermonem Christi capito.* Sic enim Pater cœlestis: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui, hunc audite. Quo ipso Filium suum toti mundo tanquam universalem Doctorem commendat, ut ei obediamus, Deut. 18. v. 15.

Audite igitur eum, eique obedite, omnes homines, quando ait: Quiescite agere perverse, discite bene facere, Esa. 1. v. 16.

Audite eum omnes, qui laboratis, & onerati estis: & venite, ut vos reficiat, Matt. 11. v. 28.

Audite & obedite verbo ejus, quia salvare potest animas vestras, Jac. 1. v. 21.

Audite & obedite ei, quando de cruce prædicat, ajens: Tollite jugum meum super vos, & discite à me, Matt. 11. vers. 9.

Postquam vero Servator præsentiam visibilem subtraxit nobis, & in cœlum adscendit, & verbi Præcones loco suo ordinavit, ut verbum prædicent, Marc. 16. v. 25. illos non aliter, ac si ipse præsens foret, audiamus. Qui enim vos audit, me audit, ait ipse Luc. 10. v. 16.

Joatham Sichemitas allocuturus, stetit in vertice montis Garitim, elevataque voce clamavit, & dixit: Audite me, Optimates Sichem, ita, ut audiat vos Dominus, Jud. 4. v. 7.

Similiter si & vos Christum, ejusque Ministros audieritis, vos vicissim, quando ad eum clamabitis, audiet, vosque ut obsequentes oviculas, quæ vocem ejus audierunt eumque sequuti sunt, Joh. 10. v. 27. ad se suscipiet, ut eum in vitam æternam sequamini, & ad facie ad faciem intueamini, 1. Cor. 13. v. 12.

Id quod JESUS nobis largiatur, Amen!

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Evangelium Matth. 20. v. 1.-16.

EXORDIUM.

FUit olim Naboth Israëlitæ vinea, juxta palatium Achab Regis Samariæ. Hanc expetit sibi Achab permutandam in hortum olerum, quia vicina erat & prope domum ejus. Quia vero Naboth id renuit facere, Jezebel uxor Regis produxit adversus eum duos viros falsum testimonium dicentes: Benedixit

Deum

Deum & Regem, quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt, 1. Reg. 21. v. 1.

Hâc in parte Naboth typus Christi fuit. Naboth enim idem est ac ὁ ἰσχύμων, quo nomine Servator noster sæpius appellatur. Imprimis verò Baptista discipulos suos instruit; ut quærant Dominum: Tu es ὁ ἰσχύμων, an alium expectemus? Matth. 11. v. 3.

Vinea notat Ecclesiam quæ & in veteri & novo Testamento vineæ confertur, imprimis verò Esa. 5. v. 2. Psal. 80. v. 9. Cant. 1. 2. 6. 7. cap. & alibi passim, quò & parabola hodierni Evangelii referri potest.

Sicut igitur Naboth vineam suam noluit permutare, ut hortus olerum fieret, quia eam hæreditariò à parentibus suis acceperat: Sic & cœlestis Naboth, Servator noster pientissimus justo vineæ suæ zelo percitus, concedere noluit, ut in hortum olerum mutaretur, h. e. Pharisaicis traditionibus & falsâ doctrinâ corrumperetur, quia eum Pater ejus cœlestis plantaverat, Psal. 80. v. 9. eique hæreditatem & possessionem dederat, Psal. 2. v. 8. Omnis enim, inquit, plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur, Matth. 15. v. 13. propterea sæpè cum Scribis & Pharisæis conflictatus est, donec tandem, non quidem ut Naboth lapidibus obrutus, sed occisus, & in ligno suspensus est, Act. 10. v. 39.

Attamen inter Naboth & Christum hoc discrimen occurrit, quod ille vitam cum vineâ amiserit: Christus vero tertio die resurgens, vineam suam adversus Diabolum & satellites ejus defendit, & defensurus est, ne eripiatur ei in æternum.

Hoc fine adhuc hodie exit cum primo diluculo, in seram usque noctem, ad conducendum operarios, qui eam colere tenentur, ne sylvescat, sed uvas ferat, hîc in tempore gratiæ, fidem, caritatem, spem, & alios fructus Spiritus, Gal. 5. vers. 22. ibi verò æternum gaudium & salutem: Ubi non amplius bibemus de genimine vitis, Matth. 26. v. 29. sed de fluvio puro aquæ vivæ splendido, tanquam crystallo, procedente de sede Dei & agni, Apoc. 22. v. 1. jubilantes præ exultatione cordis in æternum, Esa. 65. v. 14.

Videbimus nunc

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.
Exegesis.

QUi vineas possidere, iisq; cum emolumento frui vult, nulli labori, nec operæ parcat, sed tempestiva culturâ omnia adornet, necesse est, aliàs fieri amat, quod Salomo dicit: Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam stulti: & ecce, totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ, Prov. 24. v. 30. 31.

Id probè perspexit Paterfamilias hic in prælectâ Pericope, de quo Christus ait, quod primo manè, deindè circà horam tertiam, pòst circa horam sextam & nonam, quin & circà undecimam exierit, conducere operarios in vineam suam, ne quid negligeretur, sed omnia tempestivè efficerentur: sicut & operarii haud inviti in vineam abeunt, ad mandata Patrisfamilias exantlanda.

Querela erit, si consideraveris

I. *Laboris œconomici molestiam.* Hic Patremfamilias per totum diem occupatum esse, percipimus, ut modò operarios conducat, qui in colendâ ejus vineâ operam suam ei locent. Hæc idea est curarum & molestiarum, quæ in œconomiâ occurrunt. Postquam enim Deus propter lapsum Adamo ejusque posteris pœnam & maledictionem imposuit, ut in sudore vultus vescantur pane suo, Genes.3.v.19. jam locum habet illud Salomonis: Cunctæ res laboriosæ: non potest eas homo explicare sermone, Eccl.1.v.8.

Licet enim nec velocium est cursus, nec fortium bellum, nec sapientium panis, nec intelligentium divitiæ, nec artificum gratia: sed tempus casusque in omnibus, Eccles.9.v.11. attamen debita cura adhibenda, nullusque labor fugiendus est, si utiliter rem expedire velis, sicut Jacob exemplo est, qui die noctuque æstu urgebatur, geluque, fugiebatque somnus ab oculis ejus, Gen.31.v.40.

Hinc Salomo: Manè semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua: quia nescis, quid magis oriatur, hoc aut illud: & si utrumque simul, melius erit, Eccles.11.v.6.

Equidem insignis Dei benedictio est, & gratiarum actionem meretur, si quis rem familiarem, ab agricultura, vinearum culturâ & re pecuariâ instructam habeat: sed & curæ, labores, pericula, & molestiæ non desunt, si omnia prout decet, administrari, & conservari debeant. Summa, labor & dolor, ut Moses testatur, Ps.90.v.11.

II. *Vulgi otiantis catervam.* Paterfamilias hic distinctis vicibus, uno die nonnullos in foro offendit otiosos, qui torpore & otio totum diem terunt, ideò tandem indignabundus ait: Quid hic statis totâ die otiosi?

Idem hoc vitium adhuc hodiè familiare est senioribus & adolescentulis. Si causam quæras, culpa hæret penes parentes, qui plerumque liberis in juventute nimium indulgent, nec eos ad orationem & honestos labores, neque ad pietatem adsuefaciunt, sed moribus suis vivere permittunt. Hinc est, ut adulti laborem fugiant, & ad varia vitia sese componant, quorum tantum abest ut rubore suffundantur, ut potius illudant peccatum, Prov.14.v.9. & iniquè agendo sese fatigent, Jer.9.v.5.

Hoc quò vitetur, veri Christiani otium declinent, liberos quoque suos, à teneris, ut dici solet, unguiculis ad laborem perducant, ne otio pascantur, & in eo languescant. Otia enim dant vitia, Sir.23.v.29. Hoc inde est, quia *mens otiosa nihil cogitare novit, quàm de escis aut de ventre*, ut Leo dixit. Sive ut Chrysostomus loquitur: *Nihil boni facere, hoc ipsum est malum facere.* Cor enim hominis nunquam quiescere potest, si non bene, male agit: Sicut molendinum, nisi frumentum molat, seipsum conterit: Sic homo otio indulgens, seipsum perdit. Quilibet igitur illud Hieronymi observet: *Semper aliquid operis facito, ne te Diabolus inveniat otiosum.*

Præterea otium hoc incommodum affert cultoribus suis, ut tandem ad inopiam & men-

& mendicitatem illi redigantur. Qui enim stertit æstate, filius confusionis est, Prov. 10. v. 5. & vestietur pannis dormitatio, Proverb. 23. v. 21. Prov. 6. v. 9.

Hinc tot mendici hodiè occurrunt, qui variis prætextibus hoc vitæ institutum palliant: sed si penitius rem inspicias, desidia in culpa est, quia laborem fugiunt, & otio se ab incunabulis manciparunt. Hi quia inordinatè ambulant, & curiosè agunt, in Ecclesia minus ferendi essent, 2. Thess. 3. v. 11. Memento dicti Siracidis: Fili, noli mendicare; melius enim est mori, quàm mendicare &c. c. 40. v. 29. seqq.

III. *Operariorum malorum ideam.* Sicut enim in Evangelio audimus, eos operarores, qui circà primam horam conducti erant, cum Patrefamilias expostulare, dicentes: Hi novissimi unâ hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstus: Sic adhuc hodie ejusmodi mercenarii, servi & ancillæ inveniuntur, qui non contenti sunt mercede promissa, sed si opus extraordinarium fortè obeundum ipsis committitur, peculiarem mercedem prætendunt, hinc non rarò cum heris suis expostulant, eos passim traducunt, aliosque à ministerio eorum prohibent. Hujus farinæ mercenarii sæpè Dominos ad justam iram & indignationem irritant, sicut Hagar Saræ repugnantis, Gen. 16. v. 4. Et Zibæ Dominum Mephiboseth traducentis, exempla probant, 2. Sam. 16. v. 4.

Quodsi Patres- & Matresfamilias petulantiæ eorum sese opponunt, eosque ratione repugnantiæ objurgant, mercede postulatâ, iisdem valedicere & abitum parare non verentur. Quæ res non immeritò pios heros, herasque mordet, iisque non rarò lacrymas exprimit, nec tamen eorum operâ carere possunt. Illa enim jam ætas agitur, quâ superbit puer contra senem, & homo inhonorabilis contra virum gravem, Esa. 3. v. 5.

Verùm aliquando aliud judicium sequetur, ubi Dominus servum ejusmodi nequam divider, partemque ejus cum infidelibus ponet, Luc. 12. v. 46. ubi unusquisque, quodcunque fecerit boni sive mali, hoc recipiet, sive servus, sive liber, Eph. 6. v. 8.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex repetitâ vocatione.* Paterfamilias enim exit primo manè & vocat operarios de hora ad horam, quod & totum diem continuat, ne quis causam habeat justè conquerendi: miserationes enim ejus diluculo novæ, Thren. 3. v. 23. nec delectatur perditionibus nostris, Tob. 3. v. 22. sed ideò exiit, ut nos introiremus, æternæque salutis participes evaderemus, quam Christus sanguine & morte suâ acquisivit nobis. Ideò idipsum piè agnoscamus, videntes, ne in vacuum gratiam DEI receperimus, 2. Corinth. 6. vers. 1.

Multi occurrunt, qui facilè sequuntur si lactentur à peccatoribus, dicentibus: Veni nobis-

vobiscum, insidiemur sanguini, marsupium unum sit omnium nostrûm, Prov. 1. v. 11. 14. aut quando ipsis Diabolus ostendit omnia Regna mundi, & gloriam eorum, Matth. 4. v. 8. aut à propriâ carne pelliciuntur ad peccata, quæ semper concupiscit adversus Spiritum, Galat. 5. v. 17. At Deo vocanti nemo auscultaturus, nemo obtemperaturus est, sed quilibet quasi in diem stertit, sive graditur in viâ non bonâ, post cogitationes suas, Esa. 65 v. 2. Tales homines omni salutari solatio destituuntur, spernunt enim consilium Dei contra seipsos, Luc. 7. v. 30. qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum, 1. Pet. 2. v. 9. ipsi autem in luce ambulare renuunt, communicantes operibus infructuosis tenebrarum, Eph. 5. v. 11. idipsum verò simul consistere nequit, nulla enim est conventio Christo ad Belial, 2. Cor. 6. v. 15.

Genuini Christiani in vocatione hâc lætantur, & ambulant in luce, ut filios lucis decet, Luc. 16. v. 8. & certi sunt, quod in hoc lumine aliquando visuri sint lucem æternam, Psal. 36. v. 10.

II. *Ex vineæ plantatione.* Exiit enim Paterfamilias ad conducendum operarios in vineam suam: hæc vinea est Ecclesia, sicut Esa. 5. v. 1. Psal. 80. v. 9. & alibi passim vocatur.

Naturâ fuimus omnes vites sylvestres, de vineâ Sodomorum, & de agro Gomorrhæ: uva nostra erat uva fellis, & vinum nostrum fel Draconum, Deut. 32. vers. 32. quâ de re Deus ipse conqueritur, inquiens: Ego te plantaveram vitibus generosis, & totam optimo semine. Quomodo igitur conversa es mihi in palmites degeneres vitis alienæ? Jerem. 2. v. 21. Verùm per Christum omnia meliorata sunt. Postquam enim in baptismo, tanquam uvæ sylvestres, ipsi insiti sumus, novâ nunc virtute potiti, non amplius labruscas, sed uvas justitiæ producimus, ut ille glorificetur, Esa. 61. v. 3.

Id quod ipse Deus promovet, quando hanc vineam ita providentia sua fovet, ut non modò murus ignis in circuitu ejus sit, Zach. 2. v. 5. sed tempestivè rore & pluviâ irrigat, & vicissim Sole collustrat, & irradiat, & ut semel dicam, facit, quod facere debet, Esa. 5. v. 4. tanquam magnus ille Paterfamilias cœli & terræ, qui nos curat, custodit & conservat. Er sorget für uns/ hüt und wacht / es steht alles in seiner Macht.

Ubi iterum perspicimus, ex propriis viribus nihil nos efficere: gratia autem Dei sumus quod sumus, 1. Cor. 15. v. 10. ideoque nihil causæ est, ut superbiamus cum operibus nostris bonis. *Væ hominum vitæ, quamvis laudabili, si remotâ misericordia judicetur*, ait Augustinus. Quilibet potius oret cum Davide: Ne intres Domine in judicium, cum servo tuo, Psalm. 143. v. 2.

III. *Ex laboris compensatione.* Cum enim serò factum esset, dicit Dominus vineæ Procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à novissimis usque ad primos. Id quoque ille fecit, cuilibet dans denarium, sicut Paterfamilias cum iis pactus fuerat.

Hæc gratiæ merces est, quia non ad proportionem meritorum distribuitur, aliàs plus meriti fuissent primi, qui pondus & æstum diei portaverant, quàm qui uni-

unicam duntaxat horam in vineâ laboraverant. Iccircò parabola hæc non ultrà scopum extendatur, sicut in Papatu fit, ubi per hunc denarium vita æterna intelligitur, & simpliciores persuadentur, quod quilibet suis bonis operibus eam promereri de condigno possit, quod tamen prorsus absonum: sequeretur enim, quod & murmurantes & invidentes eam accepturi sint, sicut & hîc murmurantibus denarius datur, qui tamen expresse excluduntur, Galat. 5. v. 21.

Optimum est, ut analogiæ fidei ratio habeatur, quæ hæc est, quod coràm judicio Dei, nemo de operibus & dignitate sua gloriari possit, siquidem omnia bona, quæ Deus homini præstat, & præstare promisit, merum gratiæ opus sunt, quod nō promereri possumus; sed derivatur ex fonte misericordiæ Dei nostri, in quâ visitavit nos Oriens ex alto, Luc. 1. v. 28.

Exultate hinc ex animo, Dilecti! quodsi vestrum meritum inane, Christi tamen sufficientissimum est, & propter eum cœlestis Pater gratiæ hunc denarium largietur, si vespera ingruet, h. e. die ultimo, ubi Dominus unicuique reddet, juxta opera sua, Psal. 62. v. ult. Nam super peccatores pluet Dominus laqueos, ignem, & sulphur & Spiritus procellarum, Psal. 11. v. 6. Verùm vobis, credentibus in nomen ejus, alia merces proposita est, nempè vita æterna, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab illo, Tob. 2. v. 13.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quam tribus tractabimus Regulis, quarum

1. *Vocanti obtempera.* Hic audimus, operarios extemplò abiisse, & Patrisfamilias labores ita exantlasse, ut optimè cum ipsis contentus fuerit.

Deus noster adhuc hodie providentissimus ille Paterfamilias est, qui operarios vineæ suæ adhibet: Et sicut labor non idem, sed diversus est: Vites enim putandæ, pastinandæ, ablaqueandæ, pedandæ pampinandæ, impinguandæ, verbô, probè colendæ sunt, si messis opima sequi debeat: Sic omnes Hierarchiæ operam dent, ut vinea Domini cultura suâ fruatur.

In statu Ecclesiastico Verbi Ministris inspectio debetur, ut attendant sibi ipsi & universo gregi, in quo eos Spiritus sanctus posuit Episcopos, Actor. 20. v. 28. simul quoque ædificent & plantent, Jer. 1. v. 10. arguendo, increpando, exhortando, opportunè importunè, 2. Tim. 4. v. 2. non dubitantes, quin Deus incrementum daturus sit. 1. Cor. 3. v. 7. ne labor suus inanis sit in Domino, 1. Cor. 15. v. 58.

In statu Politico munus quoque suum observent Christiani Magistratus, tanquam nutricii & nutrices Ecclesiæ, Esa. 49. v. 23. ut gladio, quem illis Deus accinxit, palmites pampinarios, qui fructus non ferunt, sed fructuariis succum subtrahunt, præcidant, quo mala puniantur, & bona remunerentur, non enim sine causa gladium portant, Rom. 13. v. 4.

In statu quoque oeconomico Christiani parentes, habent quod agant: ut novas virgas substituant, quò si veteres vites deficiant, semper novæ propagentur, & ita vinea in esse suo conservetur.

Palmites quoque teneros palis alligari convenit, ne à vento decutiantur, aut alio modo damnum patiantur. Hoc de puerorum educatione intelligatur, quam Deus parentibus commendavit. Adolescens enim imbutus, juxtà viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab eâ, Prov.22.v.6.

Quilibet in functione nullum laborem subterfugiat, sed sicut Dominus vocavit eum, ambulet, 1.Cor.7.v.17.

De Ammonio Historia Ecclesiastica refert, quod in Episcopum electus, sibi ipsi dexteram præciderit, expresè significans, nisi mitterent se, linguam quoque decurtaturum sibi esse.

Saul abscondidit se apud vasa, cum Rex Israelitis designandus esset, 1.Sam.10.v.22. Multi ideò conjugium fugiunt, quò molestâ liberorum educatione supersedere possint. Hoc verò nefas est. Homo enim natus ad laborem, ut avis ad volatum, Job. 5.v.7. Atqui melius est laborare in vineâ Domini, quàm Satanæ Ministerio mancipare se; non oderis laboriosa opera, & rustificationem creatam ab Altissimo, Sir. 7.v.16. bonorum quippe laborum, gloriosus est fructus, Sap.3.v.15.

II. *Gratiam Dei expecta.* Hic operarios, qui diei pondus & æstus portarant, & à Solis ortu ad vesperam in vineâ Domini laboraverant, cum Patrefamilias expostulare, & murmurare audimus. Verùm hic respondet illis, quod liceat sibi in rebus suis facere, quod velit: & quia sibi libitum fuerit, posteriores prioribus adæquare, non esse, ut id molestè ferrent, sed cogitarent potiùs, mercedem hanc non ex merito, sed ex promissione pacti censendam esse. Jam verò conclusit Deus omnes in incredulitatem, ut omnium misereatur, Rom. 11. v.32. nempè propter Christum, quem toti mundo Servatorem dedit, ut omnes, qui credunt in eum, non pereant, sed habeant vitam æternam, Joh 3.v.16.

Id quod Apostolus passim in Epistolis suis inculcat. Arbitramur justificari hominem per fidem, sine operibus legis, Roman.3.v.28. Confer Ephes. 2.v.8. Luc. 17.v.10.

Hæc nostra quoque mens est, qui expressè profitemur, quod operibus nostris bonis, cœlum & æternam beatitudinem promereri non possimus: non enim perfectè bona sunt, quia peccatores sumus, & volentibus bonum facere, malum adjacet, Rom.7.v.21. quod verò boni præstamus, non à nobis fit, sed à Spiritu sancto, qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bonâ voluntate, Phil.2.v.13. ideò omnia in fide posita sunt, sine quâ impossibile placere Deo, Hebr.11.v.6. nam ut Gregorius ait: Quantum credimus, tantùm diligimus. Fides radix sive arbor est, opera sunt fructus è fide prodeuntes, hinc Ecclesia:

Quæ facta complacent Deo,
Verâ fide gignuntur;
Fidem improbamus meritò
Quam facta non sequuntur:
Fides tamen beat modò,
Fructus ministrant proximo,
Fidemque contestantur.

Hoc Pontificiis opponamus, qui operibus suis à seipsis excogitatis cœlum promereri satagunt. Verùm frustrà. Vita enim æterna est χάρισμα τῦ Θεῦ, Rom.6. v.23. quæ iis datur, qui non operantur, (non quærunt justificationem ex operibus,)

bus,) Rom. 4. v. 5. sed in Christum credunt, Johan. 3. v. 16. qui factus est nobis à Deo, sapientia, & justitia, & sanctificatio, & redemtio, 1. Cor. 1. v. 30. Si igitur gratia, jam non ex operibus: Alioquin gratia jam non est gratia, si autem ex operibus, jam non est gratia, quandoquidem opus jam non est opus, Rom. 11. v. 6.

III. *Solutionem præsta*. Hâc in parte Paterfamilias nobis bono exemplo præit, quando Procuratori operariis mercedem reddere mandat. Hinc Deus ipse: Non negabis mercedem indigentis, Deut. 24. v. 14. & seqq.

Inveniuntur, qui hâc in parte justitiam non observant, dum mercenarios vel debitâ mercede iniquè defraudant, vel ultrà tempus definitum differunt. Verùm hoc ipsum tale peccatum est, quod in cœlum clamat, ut Veteres hoc versiculo significarunt:

Clamitat in cœlum, vox sanguinis & Sodomorum,
Vox oppressorum, merces detenta laborum.

Operæ pretium videtur, idipsum latius deducere.

1. Peccatum in cœlum clamitans est *Vox sanguinis*, quando nimirum ille maliciosè & innocenter profunditur, quale exemplum legimus Gen. 4. v. 10. seqq. Cum enim Cain fratrem suum Abelem in agro occidisset, Deus eum interpellans ait: Vox fratris tui clamat ad me de terrâ. Sic sancti Martyres clamant voce magna dicentes: Usquequò Domine, sanctus & verus, non judicas & non vindicas sanguinem nostrum, de his, qui habitant in terra? Apoc. 6. v. 9. 10.

2. *Vox Sodomorum*, nempè effrenis illa & inhumana libido, quæ à Sodomitis perperrata est. Vide Gen. 18. v. 20. cap. 19. vers. 24.

3. *Vox oppressorum*, quales sunt viduæ & orphani, horum quidem lacrymæ ad maxillam descendunt, sed exclamatio eorum super deducentem eas, Sir. 35. v. 18.

4. *Merces detenta laborum*. De quo Jac. 5. v. 4. & Deut. 24. v. 15.

Quantum igitur peccatum est, si sanguis innocenter profundatur, Sodomia exerceatur, si viduæ & orphani offendantur: tantum quoque peccatum est si mercenarii promeritâ mercede defraudentur; non minus in cœlum illud clamat, quam justi Abelis sanguis, Gen. 4. v. 10. aut peccatum Sodomorum, Gen. 18. v. 20. aut suspiria afflictorum Israelitarum in Ægypto, Exod. 3. v. 7.

Caveant igitur sibi Christiani, ne operariis & mercenariis meritam mercedem intercipiant, æternum enim væ certissimè sequitur. Væ, qui ædificat domum suam cum injustitiâ, & cœnacula sua non in judicio, qui proximum suum servire facit gratis, & mercedem ejus non reddet ei, Jer. 22. v. 13. Contrà verò, quando operariis tempestivè promeritam mercedem largimur, merces quoque nostra eò copiosior erit in cœlis, Matt. 5. v. 12. Sap. 5. v. 17.

Id quod fiat, per & propter
Christum, Amen.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Evangelium Luc. 8. v. 4. -- 15.

EXORDIUM.

CUm Abraham pater ille Credentium Deo Sacrificium obtulisset, prout ille mandaverat: descenderunt volucres super cadavera, & abigebat eos Abram, Gen.15.v.11. Hâc in parte Abraham typus fuit omnium Christianorum.

Licet enim in N.T. ejusmodi Sacrificia irrationalia non amplius habemus, postquam Christus ipse venit, quem Sacrificia Levitica præfigurarunt, Hebr.10. v. 1. attamen officii nostri est ut spiritualia Deo Sacrificia offeramus, qualia sunt

1. *Sacrificium contritionis*, de quo David: Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus: cor contritum & confractum, Deus non despicies, Psal.51.v.19.

2. *Sacrificium precationis*, quod cum fraganti illo thymiamate confertur, quod summus Pontifex manè & vesperi incendere tenebatur, Exod. 30. vers. 8. Psal. 141. v. 2.

3. *Sacrificium gratiarum actionis*, nempè vituli labiorum nostrorum, Os.14.v.3. Maximè verò, & ante omnia, exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, Rom.12.v.1.

Sicut autem volucres, Abrahamo sacrificante, descenderunt super cadavera, quas ille abegit: Pari modo, si Sacrificia & cultum nostrum Deo offerimus, varia ingerunt se obstacula, quibus aut planè abstrahimur, aut in devotione impedimur. Ex unâ enim parte advolant *Corvi nigerrimi*, quales sunt Epicurei, qui peccatum suum quasi Sodoma prædicant, nec abscondunt, Esa. 3. v. 9. quò ipso præbent prava exempla, quæ obscurant bona, Sap.4.v.12. ex alterâ parte, *Accipitres infernales*, qui verbum planè ex corde rapiunt, ne radices agat, & fructificet, Matth.13.v.19. Ad quod multùm confert, si semen verbi divini vel in cor petrosum, vel inter spinas cadat, ubi radicari, vel, licet enascatur, ad maturitatem pervenire nequit, ut Servator ipse in prælecta Pericope innuit.

Opus igitur quàm maximè erit, ut volucres ejusmodi abigamus, cùm devotâ & fideli oratione, quâ Diabolus ejicitur, Matth. 17. vers. 21. tùm, sedula auscultatione & meditatione verbi divini, quod est *pravorum affectuum fugatorium instrumentum*, ut Justinus loquitur.

Horum adminiculo, caro crucifigenda est, cum affectibus & concupiscentiis, Gal. 5. v. 24. quò Deo rationalem cultum exhibea-

beamus, & verbum Dei in cordibus nostris fructum edat. Nulla enim conventio Christo est ad Belial, 2.Cor.6.v.15.

In prælecto Evangelio, semen verbi divini tertia ex parte perire audimus, in illis, qui non sedulo vigilant, sed infernalibus volucribus connivent, ut aut semen plane devorent, aut fructificationem ejus impediant.

Videbimus nos pro instituti ratione

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

DE Regum & mortalium Sapientissimo Salomone refertur, quod disputaverit super lignis à Cedro, quæ est in Libano, usque ad Hyssopum, quæ egreditur de pariete: & disseruerit de jumentis & volucribus, & reptilibus & piscibus, 1.Reg.4. vers. 33.

Id multo magis de cœlesti Salomone Christo Jesu adseverare possumus, in quo omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, Col.2.v.3. multas enim profecto elegantes Parabolas ille ex natura desumsit, in quibus simplicioribus mysteria Regni Dei dilucide explicuit, sicut & tota natura nihil aliud est, quam παιδαγωγεῖον agnitionis Dei, ut Basilius scribit, non abludens ab Apostolo, qui & ipse scribit, quod invisibilia Dei è creatione mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus potentia & divinitas, Rom.1.v.20.

Exemplum proponitur in prælecta Pericope, ubi Servator de seminante concionatur, ejusque semine, intelligit vero eo verbum Dei. Semen inquiens, est verbum Dei. Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono & sincero audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientiâ.

Querela respicit

I. *Ministerii picturam*, quod hic nobis in idea seminatoris proponitur. Sicut enim seminator mane & vesperi, hyeme & æstate omnes nervos intendere cogitur, si emolumentum ex agricultura capere velit: Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua, quia nescis, quid magis oriatur, hoc aut illud, & si utrumque simul, melius erit, Eccl.11.v.6.

Ita & verbi Præcones operam dent oportet, ut attendant sibi ipsi, & universo gregi, in quo eos Spiritus sanctus posuit Episcopos, pascere Ecclesiam Dei, quam acquisivit proprio sanguine, Act.20.v.28 ita ut cum Paulo non essent interdiu & nocte operarium inconfusibilem se exhibere Deo, 2.Tim.2.v.15. Hoc res ipsa ita requirit. Non enim Deus in vinea sua otiosos ferre potest, sed talibus delectatur, qui pondus & æstus diei portare non recusant, Matth.20.v.12.

2. Sicuti seminator justum tempus observare tenetur, quod Deus cuiq; proposito sub cœlo adsignavit, tempus enim plantandi est, Eccles.3.v.2. quod momentum rei est, Eccles.9.v.11. Sic verbi quoque ministri tempori inserviant, necesse est. Etsi enim Apostolus dicit, prædicandum esse verbum opportune, importune, 2.Tim.4. v.2. attamen non ita intelligendum id est, quasi illi temporis & auditorum rationem

habere non debeant, sed potius hæc ejus mens est, quod Pastoribus verbum sedulo prædicandum, sive auditores audiant, sive negligant, Ezech.3.v.11. Alias utique tempori serviendum est, ut pro captu Auditorum lac & cibus solidus iis subministretur: lac illis, qui rudes sunt, sermonis justitiæ: cibus autem solidus perfectis, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni ac mali, Hebr.5. vers.14.

Hoc ipsum vero summa indiget prudentia. Iccirco Servator Regnum cœlorum comparat homini Patrifamilias, qui profert de Thesauro suo, Nova & Vetera, hoc est, Legem & Evangelium, Matth.13. vers.52. Lex destinata est impœnitentibus, ut ad agnitionem peccatorum adducantur; Evangelium vero illis, qui propter peccata laborant, & onerati sunt, ne desperent, sed fide in Christum sese erigant, qui ipsis refectionem pollicitus est, Matth. 11.v.28.

3. Sicut Seminator multa incommoda sustinere, & sæpe in pluvia, vento & nive semen suum spargere tenetur, tempore & occasione id ita ferente: Ita & verbi Præcones inter seminandum multa adversa sustinere, & dum Christo fideles sunt, mundi ludibrium esse oportet. Odio enim habent corripientem in porta, & loquentem perfectè abominantur, Amos.5.v.10. sed minoris id pendentes, loquantur, quæ Deus mandavit, Jer.1.v.7. & merces eorum eò copiosior erit in cœlis, Matth.5.v.12. Dan. 12.v.3.

II. *Ecclesia mixturam*, quæ nunquam pura, sed semper bonis & malis permixta est, & ut Evangelium præsens ostendit, mali bonos plerumque exsuperant. Sicut enim semen, de quo Christus loquitur, ex tertia parte periit, dum cecidit partim secus viam, & conculcatum est: partim supra petram, & natum exaruit partim inter spinas, & à spinis simul exortis suffocatum est: partim vero in terram bonam, & exortum fecit fructum centuplum: Sic

Non omnes sancti, qui calcant limina templi:

sed multi quoque occurrunt hypocritæ, qui sermones quidem audiunt, sed non faciunt, & avaritiam suam sequitur cor eorum, Ezech.33.v.33. & nolunt reverti, Jer.5.v.3.

Hinc Ecclesia confertur lilio inter spinas, Cant.2.v.2. vineæ in qua uvæ & labruscæ, Esa.5.v.2. agro, in quo triticum & zizania promiscue crescunt, Matth.13. vers.26. domui magnæ, in qua non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam, 2. Tim.2.v.20. Civitati, Psal.46.v.5. in qua cives sanctorum & domestici Dei, Eph.2. v.19. & canes, qui foris sunt, & manent, Apoc.22.v.15.

Idipsum exempla tam veteris quam novi Testamenti abunde probant. In Ecclesia Adami fuit juxta pium Abel, parricida Cain, Gen.4.v.8. In arcâ Noë octo tantum animabus interfuit impius Cham, Gen.9.v.18. Abraham in Ecclesia sua habuit probum Isaac, & derisorem Ismaël, Gen.21.v.9. Isaac pium Jacobum, & sanguinarium Esau, Gen.27.v.41. Jacob inter duodecim filios, duos saltem frugi habuit, nempe Josephum & Benjamin, Gen.37.

v.2.c.42. v.38. Eliæ ætate credentes tam rari erant, ut ille se solum remansisse arbitraretur, 1.Reg.18.v.22.

Nonne Christus duodecim Discipulos elegerat, & unus ex illis erat Diabolus? Joh.6.v.70. In Ecclesia Corinthiaca fuit incestuosus, 1.Cor.5.v.1. Imo tot hæresi Sadducæorum infecti fuerunt, ut resurrectionem mortuorum non esse dicerent, 1. Cor.15.v.12.

Sic nos nihil gloriari possumus, nisi in infirmitatibus nostris, 2.Cor.12.v.5. egentes gratia Dei, Rom.3. v.23. In arcâ Noë fuerunt omnia animalium genera, pardus & hædi, lupus & agni. Sic in Ecclesia sunt peccatores & justi, ait Hieronymus. Quis potest dare mundum de immundo? Hiob. 14.v.4. Ecce, inter sanctos ejus nemo integer, & cœli non sunt mundi in conspectu ejus, quanto magis abominabilis & putridus homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem, Job.15.v.15.

Quid igitur blaterant Anabapistæ, Ecclesiam omnino puram in his terris asserentes? Certe inter homines immundos & frsgiles illa nunquam offendetur, sed ad futuram vitam pertinet: Ibi Servator Ecclesiam, quam hic lavacro aquæ in verbo sanctificat & mundat, exhibebit sibi gloriosam & irreprehensibilem, Eph.5.v.27.

Interea caveant pii, ne hoc Ecclesiæ statu offendantur, & à zizaniis suffocentur: sed sicut luminaria luceant, in medio nationis pravæ atque perversæ, Phil.2.v.15. Lilium enim inter lilia esse, magnum non est: sed lilium esse inter spinas, hoc est, inter malos bonum manere, hoc vere magnum est.

Exempla eorum, qui inter malos quoq; conscientiam & pietatem illibatam conservarunt, sunt: Noah, Gen.7.v.1. Loth, Gen.19.v.13. Jobus, Job.1.v.1. Daniel cum sociis, Dan.1.v.6.

Horum vestigiis insiste, nec sequere, si lactaverint te peccatores, Prov.1.v.10. sed persevera in probitate tua. Veniet aliquando tempus, quo Dominus triticum à paleis, aves ab hædis, bonos à malis separabit, Matth.25.v.32. ibi apparebit, quid sit inter justum & impium, & inter servientem Deo & non servientem ei, Mal.3.v.ult. Qui igitur nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc &c. Apoc.22.v.11.

III. *Hypocritarum naturam.* Qui quidem templum frequentant, confessionem edunt, sacra Cœna utuntur, quoad speciem tantum, de centro vero Christianismi non sunt solliciti. Exemplum apparet in turba, quæ quidem certatim Christum insequitur: at magno cum discrimine. Quidam enim ad finem perseverantes, explicationem Parabolæ expectant: alii vero concionem Christi, ut vulgarem & rusticam despicientes abituriunt, nullum proinde emolumentum hinc auferentes.

O quot inveniuntur eorum, qui si die Dominica semel duntaxat templum frequentent, se officio suo abunde satisfecisse, opinantur, hinc cæteras conciones diebus profestis dicatas, alto supercilio despiciunt, ubi tamen è re eorum foret, & illis interesse. Hoc vero minime probatur. Sicuti enim hodie non saturatus es, si pridie lauto & instructo convivio interfuisti, sed corpus quotidie alimentis suis indiget: Ita cum anima quoque comparatum est, quæ indies verbo divino reficienda est. In illis enim vivi

vivitur,& in omnibus illis est vita spiritus mei, ait Hiskias, Esa.38.v.16.

Equidem non semper in templo adesse, aut domi meditatione verbi occupati esse possumus, sed ut omnia tempus suum habent, Eccl.3.v.1.ita certæ horæ Christiano definiendæ sunt, ut cum ipso die praxin pietatis incipias,& lectum petiturus finias, sicut Isaac consuevit exire ad meditandum in agro, ut verbo & operibus Dei se oblectaret, Gen.24.v.63.

Verum exercitium hoc non plane omittendum est, sicut non pauci inveniuntur, qui rarius templum frequentant & sacra synaxi fruuntur, & tamen Christianos se profiteri non dubitant. Hæc sane insignis oscitantia, ex qua facile conjecturare licet, quam frigidi in Christianismo suo sint. Sermo enim Dei ipsis onus est, Jer.23.v.36. quem nolunt audire, Jer.6.v.10. sed terrena sapiunt, Phil.3.v.19.ideoque receperunt mercedem suam, Matth.6.v.2. quia enim repellunt verbum Dei, ideo vicissim repellet eos Deus, Os.4.v.6.

Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex simplici stylo.* Loquitur enim de Seminatore & semine ejus,& hoc ipso mera Mysteria cœlestia intelligit, ut ipse innuit quando discipulis interrogantibus, quæ hæc esset Parabola, dicit: Vobis datum est nosse Mysterium Regni Dei, cæteris autem in Parabolis.

Hæc antiquissima ratio docendi est, qua non modo saniores Ethnici, sed & S. Patriarchæ & Prophetæ Testamenti Veteris usi sunt. Legatur Testamentum Jacobi, in quo Filiis suis prædixit, quid cum ipsis, sequioribus temporibus futurum sit, Gen. 49.v.3.seqq. Item, Canticum Mosis, Deut. 32.v.1.seqq. Apologia Iothan, Iud.9.v.8. seqq. Concio pœnitentialis Nathan, quam ad Davidem habuit, 2.Sam.12.v.1.seq.& ejus generis alia,& apparebit, priscos peculiari artificio usos, dum res maximi momenti verbis allegoricis significarunt: Sicut & in Prophetis similitudines plurimæ inveniuntur, quibus Regnum Messiæ adumbrarunt & delinearunt. Eundem morem quoque Servator noster observavit, aperiendo ænigmata, ut de eo prædictum, Psal.78.v.2. Quia enim nos homunciones adeo stupidi natura sumus, ut non percipiamus ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1.Cor.2. v.4. optimus Servator quam simplicissime nobiscum loqui voluit, ut indicaret, nihil sibi gratius fore, quam si omnes homines ad agnitionem veritatis pervenirent 1.Tim.2.v.4.

Imperator Carolus V. D.Georg. Sigismundo Seldio aliquando absentibus omnibus ministris facem per gradus prætulisse, eumque ita allocutum esse dicitur: Hoc tibi monumentum cape à Carolo Imperatore, olim tot militib⁹ & custodibus stipato, hunc jam cernis ab omnibus ministris derelictum,& cui tot annos ministraist, is tibi vicissim ministravit,& lucernam prætulit.

Hæc humanitas Caroli Cæsaris meritò probanda est. Sed quid de Christo dicemus? Qui in diebus carnis suæ, multo magis se demisit, dum non modo labiis suis gratiosis nobis prædicavit, sed & hoc ipso lucernam Evangelii prætulit, ut nos, qui sedebamus in tenebris & in umbra mortis,

tis, viam ad cœlum invenerimus, & adhuc invenimus, si hanc ejus lucem sequamur, Joh.8.v.12.

Hoc plenum consolatione est. Nostrum esset, ut sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum respicerent, Psal.123.v.2. At ille descendit ad nos, & infirmitatem nostram adjuvat, Rom.8.v.26. Hoc clarum est judicium, quod patienter agat propter nos, 2.Petr.3. v.9. calamum quassatum non contriturus, nec linum fumigans exstincturus, Esa.42. v.3. sed ducturus usque ad mortem, Psal. 48. v. ult. dum eò nos transferat, ubi veniet, quod perfectum est, & evacuabitur, quod ex parte est, 1.Cor.13.v.10. Jer.31. vers.34.

II. *Ex Christi Zelo*, quem in eo contestatur, quod alta voce clamavit: Qui habet aures audiendi, audiat.

Solemus inclamare surdos, somno immersos, tumultuantes, & longe remotos.

Atqui multi spirituales surdastri inveniuntur, quibus furor est secundum similitudinem furoris serpentis; sicut aspidis surdæ, & obdurantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter, Psal.58 v.5.

Multi dormiunt in peccatis, sicut Simson in gremio Delilæ, Judic.16. v.19.

Multi, qui adeo mundanis irretiti sunt, ut præ jubilis & exultatione nequeant audire, quæ ad pacem suam pertinent, sed fascinantur iisdem, ut concurrant in eandem luxuriæ dissolutionem, 1.Petr.4. v.4. & circa fidem naufragium faciant, 1. Tim. 1. vers.19.

Multi longe sunt à justitia, Esa.46.v.12. iniquitates enim diviserunt inter illos & Deum, Esa.59.v.2.

Propterea adhuc hodie Legatos & verbi Præcones mittit, ut clament ex gutture, & quasi tuba exaltent vocem suam, Esa. 51.v.1. ut hoc ipso excitemur, ad quærendum Dominum, dum inveniri potest, Esa. 55.v.6.

Agnoscamus hinc fidelitatem Christi, quam adhuc hodie nobis exhibet. Sicut enim hîc clamavit: Qui habet aures audiendi, audiat: Ita adhuc hodie ad ostium cordis nostri stat, clamans & pulsans, dum audiamus vocem ejus, eique januam cordis aperiamus: & tum intraturus & cœnaturus est cum nobis, Apoc.3.v.20.

Caveamus modo, ne obruremus aures, ut Dominus frustra clamet, alias defetiscitur misereri, Jer.15.vers.6. Nec respiciet nos, juxta illud, Prov. 1. vers. 24. seqq.

III. *Ex fructu vario.* Fructum enim afferunt in patientia. Qualis hic fructus? Est salvifica agnitio Dei, ut & emendatio vitæ, quæ unice è concionibus fluit, hinc subinde inculcatur: Pœnitentiam agite; appropinquavit Regnum cœlorum, Matth.3. vers. 2. Quiescite agere perverse, discite benefacere, Esa.1.v.16. Nolite facere rem abominandam, quam odit Dominus, Jer. 44.v.4.

Posito hoc fundamento, Deus ulterius gratiam suam largitur, ut cum effectu precari, patienter sustinere, & tandem beate discedere queamus, juxta illud: Beati mor-

tui, qui in Domino moriuntur, à modo, Apoc.14.v.13.

. Semen variis tempestatibus subjectum est, frigori & æstui, pluviis & nivibus, ventis aliisque aëris inclementiis, dum fructus suos afferat, & ab agricola cum gaudio metatur: Ita etiam Evangelium, est sermo crucis, 1.Cor.1.v.18. & qui id profitentur, varias calamitates sustinere coguntur. Ideo patientia illis necessaria est, ut facientes Dei voluntatem, reportent promissionem, Hebr.10.v.36. Jac.1.v.12.

De Tertio.

RESTAT *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

I. *Ad Christum propera.* Id quod turba hæc fecit, factum enim est, ut turba plurima conveniret, & de civitatibus properarent ad eum.

Hoc exemplum probe observemus, ut & nos ad cultum Dei confluamus,

1. *In tali frequentia.* Hîc audimus magnum turbæ confluxum factum, non modo è pagis, sed & civitatibus, ut ex ore Christi audirent verbum Dei, quod tum pretiosum erat, 1.Sam. 3.vers.1. sine dubio inter illas multi Mechanici, & cives primarii alii fuerunt, qui negotia sua domi habuerunt: attamen Concio Christi adeo arridet illis, ut neglectis domi rebus suis œconomicis, illa nihil prius neque antiquius habuerint. Hoc ipsum nos quoque imitantes, Dei Ministerium pro unico necessario habeamus Luc.10.v.42. Quicunque enim primum quærit Regnum Dei & justitiam ejus, ei cætera omnia adjicientur, ὡς προσθήκη, Matth.6.v.33.

Monachi quondam dicere consueverunt:

Non unctura rotam, non tardat
Missa quietem.

Nos multo æquius de Concionibus verbi divini id asseverare possumus. Neque enim templi frequentatio negotiis nostris impedimento est, sed potius benedictionem Dei conciliat. In omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam, Sir.37.v.19.

2. *Cum tali appetentia.* Turba properavit ad Christum, ad audiendum sermonem Dei. Sic maxima voluptas nostra sit ituris in ædem Domini. Ibi enim audimus τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, 1. Petr.4.v.11. iisque instruimur ad salutem, 2.Tim.3.v.15.

Cum Abimelech, immani parricidio perpetrato, septuaginta fratres suos super unum lapidem trucidasset, quo solus imperium ad se traduceret, Joatham frater minimus natu, qui solus remanserat, stetit in vertice montis Garizim, elevataque voce clamavit: Audite me, Optimates Sichē, ita ut audiat vos Dominus, Jud.9,5.7.

Ita & verbi Præcones in suggestum adscendentes, clamant ex gutture, ut tuba exaltantes vocem suam & annunciantes populo peccata sua, Esa.58.v.1. Qui igitur illos audiet, eum vicissim Dominus auditurus est, Esa.1.v.19.20.

Sicut igitur Israëlitæ mane surrexerunt ad colligendum Mannam, quam Dominus illis mittebat de Cœlo, Exod.16. v.21. Ita verbum Dei, verum animæ cibum esse meminerimus, quam in Ecclesia quotidie dispertitur Deus; iccirco eò properabimus, ut quilibet particulam suam colligat, & in corbe

corde cordis domum deportet. Non enim solo pane vivit homo, Matth.4.v.4.

II. *Diligenter ausculta.* Christus sonora voce clamat: Qui habet aures audiendi, audiat. Ex auditu enim fides est, Rom.10.v.17. Quodsi igitur Spiritus sanctus in cordibus hominum fidem accendere debet, aures non obturandæ sunt, sed dicendum cum Samuele: Loquere, servus tuus attendit, 1.Sam.3.v.9.

Veri Christiani id non insuper habent, sed quando campanæ pulsantur, se mutuo excitant, dicentes: Venite, & adscendamus ad montem Domini, Esa.2.v.3. non quoque in templo hinc inde vagantur cogitationibus suis, sed omnibus terrenis curis valedicunt, cum Maria secus pedes Domini sedentes, quo verbum illius audiant, & optimam partem eligant, quæ non auferetur ab eis, Luc.10.v.42.

Quodsi mysteria occurrunt, de S.S. Trinitate, Persona Christi, cœna Domini, vita æterna aliisque captum nostrum transscendentibus, in captivitatem redigunt intellectum suum, 2.Cor.10.v.15. in promissionibus Dei non dijudicantes per diffidentiam, sed confortati in fide, dant gloriam Deo, Rom.4.v.29.

Quando ad pœnitentiam exhortantur, non resistunt, sed seipsos quasi cum discipulis Christi in examen vocant, Matth.26. v.22. & quando se sontes deprehendunt, ad frugem redeunt cum Jobo dicentes: Ultrà non addam, Job.34. v.32.

Admonitionem audientes, ei locum relinquunt, obedientes Præpositis suis & parentes iis, ipsi enim pervigilant pro animabus eorum, &c. Hebr.13.v.17.

Consolationes non minus corde læta-bundo, excipiunt, cum Davide dicentes: Secundum multitudinem cogitationum mearum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam, Psal.94.19.

Hoc si ita factum fuerit, verbum Dei non sine effectu erit, juxta illud, Esa.55. v.11.

III. *Verbum conserva.* Non enim nudum audire sufficit: sed verbum quoque auditum sedulo conservandum est, juxta illud: Estote factores verbi, & non auditores tantum, Jac.1.v.22.seqq.

Ubi Jacobus elegans simile de speculo desumtum, subjungit. Ubi quis ad speculum stat, & cicatricem sive maculam in facie gerit, hanc ipsi speculum ostendit, prout re ipsa est, ideo nihil rei est, ut speculo irascatur, quod faciem aliter præsentaret, si formosior esset. Sic & Auditores minus excandescant, quando Pastores illis legem prædicant, & ex ea peccata commissa oculis subjiciunt. Quid his imputares? Quodsi auditores meliores essent, Conciones quoque mitiores haberi possent. *Emendate mores vestros, & nos emendabimus nostros sermones*, ait Augustinus. Quia hoc vero raro fit, ideo Pastorum officium est, ut arguant, increpent, exhortentur opportune, importune, 2.Tim.4.v.2. Hoc nisi fecerint, væ illis, 1.Cor.9. v.16. omnem enim sanguinem deperditum Deus de manu eorum requiret, Ezech.3.v.18.

Quemadmodum vero homo, qui consideravit vultum suum in speculo, quando maculam in eo deprehendit, illam emendare enititur: Ita & nostrum erit, si per speculum verbi divini commonemur turpitudinis nostræ, ut seria pœnitentia eandem detergamus, secus enim non magnum emolumentum ex audito verbo re-

portabimus: sed verbum, quod locuti sumus, & non fecimus, judicabit nos in die novissimo, Joh.12.v.48.

Reperiuntur homines, qui leviter de Christianismo sentiunt, & omne punctum se tulisse putant, modo verbum Dei audiant, sacra Synaxi utantur, & externo cultui vacent. Verum periculosa hæc est persuasio: quæ multos in exitium præcipitavit. Ejusmodi homines procul sunt à Regno cœlorum, nec didicerunt, quid fides sit? quomodo ergo salvabuntur, siquidem sine fide impossibile est placere Deo, Hebr. II. vers. 6.

Fœminis superbientibus familiare est, ut duo specula adhibeant, alterum à fronte ponunt, alterum à tergo, ut utrobique fastu suo se oblectent.

Nostrum quoque est, in hoc speculo nos contemplari, & à frontispicio & à tergo, ut peccata commissa lachrymis deleamus, nec minus vitam nostram ad regulam mandatorum Dei componamus: qui enim habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me, inquit Servator, Joh.14. vers.21. Sic aliquando eum in locum veniemus, ubi hujus speculi in ænigmate non amplius indigebimus, sed videbimus Deum à facie ad faciem, in tanta gloria & lætitia, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit.

Largiatur id nobis Jesus Christus, Amen.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Evangelium Luc. 18. *v.*31.- 43.

EXORDIUM.

SPonsa spiritualis, quæ est Ecclesia, & quævis fidelis anima, ita de Sponso suo ait: Fasciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur, Can.I.v.13.

Hæc allegorica descriptio est, ubi tria notanda:

I. *Dilecti cum Myrrha collatio*, ait enim: Fasciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi. Per hunc Dilectum, nemo alius denotatur, quã Christus cœlestis Sponsus, & optimus & constantissimus amicus noster, qui dilexit suos ab initio in finem, Joh.13,1.c.14,14.

Quod vero cum Myrrha confertur, quin & fasciculus Myrrhæ appellatur, hoc ipso potissimũ Sponsa Christi temp⁹ quadragesimale respicit, ubi in Ecclesia de passione & morte huj⁹ Amici sui frequenter agitur. Quemadmodũ enim Myrrha amara est, & tamen gratũ odorẽ spargit, quin & ad vulnera medicina utiliter adhibetur: Ita etiam Servatori nostro passio sua non dulcis & jucunda, sed amara & dolorifica fuit, unde ipse ait: Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem, in iniquitatibus tuis, Esa.43,24. Verum hoc ipso odor suavitatis

vitatis non modò ad Deum adſcendit, ad eum expiandum, Epheſ. 5. v. 2. ſed & voce Evangelii diſperſus eſt in toto mundo, ita ut ubique innotuerit nomen Domini, quod velut odor optimorum oleorum corda fidelium replet, Cant. 1. v. 3. ut quaſi virtutem mutent, Eſa. 40. v. 31. & odore illo vitæ reficiantur ad vitam æternam, 2. Cor. 2. v. 16.

2. *Myrrhæ in faſciculum colligatio.* Sicuti enim cœleſtis Sponſus cap. 5. v. 1. hujus Cantici ait: Meſſui Myrrham meam: hoc ipſum ſpiritualis Chriſti Sponſa approbat, inquiens: Faſciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi q. d. ex meſſis illis Myrrhis faſciculum faciam. Quod fit, quando omnia, quæ Chriſtus in diebus carnis, propter nos fecit & ſuſtinuit, colligimus, & devotè conſideramus, nempè incarnationem, paſſionem, mortem, reſurrectionem, & in cœlo adſcenſionem &c.

3. *Faſciculi hujus inter ubera collocatio:* addit enim Sponſa: Inter ubera mea commorabitur, q. d. cordi meo innatus eſt, ut nequeam ejus obliviſci. Quemadmodum de medio uberum auferre, idem eſt, ac abolere, ac dimittere, Eſ. 2. v. 2. Ita per hanc phraſin, perpetua recordatio, quæ paſſioni Chriſti impenditur, denotatur, & fit

1. *Per intimam dilectionem.* Si quid in pectore portamus, idipſum nos diligere hocipſo profitemur. Sicut Johannes recubuit ſuper pectus JEſu, quia dilexit eum, Joh. 21. v. 22. ſic diligamus nos Chriſtum, quoniam prior dilexit nos, 1. Joh. 4. v. 19.

2. *Per fidei applicationem.* Non ſufficit, ut in genere ſciamus, Chriſtum mortuum eſſe & reſurrexiſſe: ſed quilibet ſibi id in individuo applicet, neceſſe eſt, dicens: Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me, Gal. 2. v. 20.

3. *Per quotidianam meditationem.* Quod inter ubera portamus, ejus ſemper recordamur. Ita ſemper paſſionis Dominicæ recordemur, ut per illam non modò à peccatis abſtrahamur: ſed & ad pietatem excitemur, & in virtute ejus Diabolo reſiſtamus, quo fine & ſacra Cœna à Chriſto inſtituta eſt, ut ejus occaſione mortem Domini ſemper annunciemus, 1. Cor. 11 v. 26.

Quia igitur Servator ipſe de paſſione ſua prædicare incipit, & eo ad ſalutarem paſſionis ſuæ meditationem nos excitat, ideò nos hoc ipſo initium facturi conſiderabimus pro inſtituti ratione,

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegeſis.

QUotidiana Chriſtiani lectio, ſit Dominica paſſionis meditatio, inquit devotus Bernhardus. Quodſi enim quis gratiam fidejuſſoris ſui obliviſci non debet: quia dedit animam ſuam pro eo, Sir. 29. v. 20. Quanto magis officii noſtri erit, ut quotidiè in memoriam nobis revocemus, immeritum illud beneficium Jeſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum, peculiarem zelotem bonorum operum, Tit. 2. v. 14.

Hâc de re Chriſtus Diſcipulis ſuis concionatur, ubi ultimo itineri Hieroſolymitano

tano se accinxit. Ecce, inquit, adscendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia &c.

Querela exhibet

1. *Crudelissimam Christi tractationem.* Traditus enim est gentibus, qui ipsum illuserunt, contumeliis affecerunt, conspuerunt, flagellarunt, & occiderunt. Hinc Esaias: Verè languores nostros ipse tulit, Esa.53. v.4.

Veros Christianos non melior fortuna manet: vivunt enim in hoc mundo, ut oves in medio luporum, Matth.10. v.16. ut lilium inter spinas, Cant.2.v.2. ut Daniel inter leones, Dan.6. v.16. ut Ezechiel inter scorpiones, Ezech.2.v.6. sunt purgamenta hujus mundi, omnium peripsema, 1.Cor.4. v.13. ludibria & verbera experiri coguntur, insuper & vincula, & carceres, Hebr. 11. v.36. Stephanus lapidatus, Paulus & Jacobus gladio percussi, Petrus & Andreas crucifixi, alii alia Martyria subierunt, & sanguine suo doctrinam Evangelii consignarunt. Verùm omnia minoris æstimanda sunt, respectu passionis Christi, in quo cœlestis Pater posuit iniquitatem omnium nostrûm, Esa.53.v.6. Cum tamen ex parte suâ esset sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus Hebr.7.v.26. Apostoli verò fuerunt peccatores, innocentes quidem coràm mundo, sed non coràm Deo. Propterea quoque passione suâ nihil nobis promereri potuerunt, quod Christi solius beneficium est. Hinc ait: Calcavi torcular solus, Esa.63. v.3. unde quoque unicus Mediator Dei & hominum insignitur, 1.Tim.2.v.5.

Dum verò Christus tantam ignominiam, tantos dolores, & mortem adeò acerbissimam perpessus est: idipsum ad patientiam nos exstimulet, ne murmuremus, si stigmata Domini Jesu in corpore nostro portare cogimur, Gal.6.v.16. Nam omnes, qui piè vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2.Tim.3.v.12. Qui suscipit pacem Salvatoris, inimicitiam mundi contrahit.

Regnum Christi est quidem in hoc mundo, sed non de hoc mundo, Joh.18. v.36. est Regnum lucis, Col.1.v.12.13. sed & Regnum crucis, Matth.16.v.24. est Regnum honoris, sed & Regnum doloris, 2.Tim.2. v.11. est Regnum pacis, Esa.9. v.6. sed & Regnum tribulationis, quod Pater cœlestis nobis disposuit, sicut disposuit Filio suo, Luc.22.v.29.

Dicitur in trito versiculo:

Ut tua prudenter portes mala, & sapienter,
Inspice Majores, aliorum sæpè dolores.

Hi non longè arcessendi sunt. Christus caput nostrum, ipse nobis in exemplum prostat, cujus tota vita, nil nisi crux fuit & Martyrium, ut Cyprianus loquitur. Qui nos meliorem sortem exoptaremus? O Dilecti! servus non major est Domino suo, Joh.15.v.20. Beatus verò vir, qui suffert tentationem, Jac.1.v.12.

II. *Apostolorum hallucinationem*, quam Evangelista triplici repetitione exaggerat, inquiens: Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum illud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.

Christus adeò perspicuè de passione, morte & resurrectione suâ locutus fuerat, ut vel puer septennis intelligere potuisset, attamen mera ænigmata illis sunt, ut non capiant, quid dicat.

Idem

Idem nobis quoque evenit. Inveniuntur inter nos quoque qui decem, viginti, triginta annos, plus vel minus Templum frequentarunt, & plures conciones de omnibus fidei articulis audiverunt, quos verò si interroges, non dubium est, quin cum Apostolis in eodem luto ignorantiæ hæreant. Naturâ enim multò cœciores sumus, quàm Bartimæus, de quo Evangelista h.l. memorat, quod secus viam sederit. Id quod & Paulus de irregenitis Ethnicis asserit, Eph. 4. v. 18.

Nicodemus Princeps Pharisæorum erat, & tamen de spirituali regeneratione nihil norat, Joh. 3. v. 10.

Eunuchus Reginæ Candaces prudentissimus erat Politicus, nec tamen verba Esaiæ c. 53. v. 4. nisi à Philippo instructus, intelligebat, Act. 8. v. 34.

Athenis multi acuti erant Philosophi, verùm concionem de Christo crucifixo, & de resurrectione mortuorum, habebant pro σπερμολογία, Act. 17. v. 18. 32. Quinimò Festus eò procedebat ut diceret: Paule insanis, Act. 26. v. 24.

Adhuc hodie nasutuli ejusmodi occurrunt inter nos, qui putant, se aliquid esse, qui tamen indigent, ut doceantur, quæ sint elementa exordii sermonum Dei, sicut infantes, qui lacte indigent, non solido cibo, Hebr. 5. v. 12. Ideò Deus orandus est nobis, ut aperiat nobis cor, sicut Lydiæ, Act. 16. v. 14. aliàs sunt & manent nobis verba Scripturæ, sicut verba libri signati: quem cum dederint scienti literas, & dicēt: lege istum, & respondebit: Non possum, signatus est enim, Esa. 29. 11. Christus verò aperire hunc librū, & signacula ejus solvere potest, Apoc. 5. v. 5. Quando igitur nobis sensum aperit, ut discipulis suis, Luc. 24. v. 45. invenimus in eo occultam sapientiam, quæ in eo abscondita est, Psal. 51. v. 8. habemusque tale verbum, quod corda nostra illuminare, Psal. 19. v. 9. & animas nostras salvare potest, Jac. 1. v. 21.

Intereà verò non abjiciamus animum, licet non omnia sciamus, sed in multis in clarissimâ Evangelii luce adhuc titubemus.

Apostoli diu scholam Christi frequentarant, & verba vitæ ex ore ejus dulcissimo hauserant, attamen adeò rudes sunt, ut nihil eorum intelligant, quæ ipsis Servator de Passione suâ prædicat. Sicut autem illos proptereà non abjecit, sed æquo animo imbecillitatem eorum tulit: sic nos solatio hoc sustentemus nos, quod hic per fidem ambulemus, non per speciem, 2. Corinth. 5. v. 7.

Intereà sicut Christus à Patre suo, inter alia quoque nobis factus est sapientia, 1. Cor. 1. v. 30. sic ab eo petere possumus, quod nobis deest, de plenitudine ejus accipientes gratiam, pro gratia, Joh. 1. v. 16.

III. *Affectatam mendicationem.* Hic refertur, cœcum Bartimæum secus viam sedisse, & mendicasse. Id quod ipsi vitio non vertendum, quia velut cœcus, victum acquirere sibi ipsi non potuit. Quo tamen exemplo minimè excusabunt se illi, qui sani & robusti, ex labore manuum se sustentare possunt. Nam si quis operari potest, & non vult, nec manducet, 2. Thess. 3. v. 10.

In V. T. ordinarat Deus, ut mendicus omninò nullus inter Israelitas esset, Deut. 15. v. 4. vi cujus præcepti adhuc hodie Judæi

Judæi pauperes suos alunt. Tempore Christi hæc ordinatio, ut tota lex Mosaica, fermento Pharisæorum, adeò labefactata erat, ut nullibi non mendicantes offenderentur. Lazarus jacebat ad januam divitis, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis: & nemo illi dabat, Luc. 16. v. 20. Cæcus quoque à Nativitate sedebat, & mendicabat, Joh. 9. v. 8. sic & claudus ad portam Templi petebat eleemosynam ab introeuntibus in Templum, Act. 3. v. 2. Id mandato divino consentaneum non fuit.

Licet autem nos hodiè legibus illis Ceremonialibus adstricti non simus, attamen quantum fieri potest, publicæ mendicationi obicem ponamus. Ubi enim multi mendici sunt, inquit Plato, ibi sunt fures, manticularii, latrones, sacrilegi, & ejus farinæ homines plurimi. Propterea non modò in Conciliis, sed & in Imperii Recessibus cautum est, ne robustis mendicis indulgeatur. Concilium Tursense ætate Pelagii 1. habitum Can. V. ita decernit: Unaquæque civitas pauperes egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires, quo fiet, ut ipsi pauperes per civitates alienas non fatigentur. Idem constitutum est in Concilio Arelatensi jussu Caroli M. A. C. 813. habito, Can. 48. Ejusdem Imperatoris prisca Constitutio ita habet: Mendici per regionem vagari non permittantur, suos quæque civitas pauperes alito. Illis, nisi manibus operentur, minus quicquam dato.

Idipsum Recessus Imperii, Augustæ Vindelicorum anno 1530. promulgatus jubet. Sicut igitur mendicis vitio corporis laborantibus, & senio confectis succurrere ipsa Christiana caritas jubet: ita contrà sani & robusti ad labores relegandi sunt. Vide Sir. 12. v. 4. seqq.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex dignitate patientis.* Hic non est nudus homo, sed Gigas geminæ substantiæ, Gott von Art und Mensch ein Held. Verus Deus à Patre ab æterno genitus, & verus homo ex Maria in tempora natus. Hic totus Christus pro nobis passus, sanguinem suum profudit, at non juxtà divinam, sed humanam naturam. Intereà hoc certum est, quemadmodum humana natura in subsistentiâ æterni Filii Dei consistit, ejusque propria natura facta est, in quâ tota divinitatis plenitudo habitat corporaliter, Col. 2. v. 9. ita etiam passiones humanæ naturæ ita sibi appropriavit, ut verè dicere possimus: DEus acquisivit sibi Ecclesiam proprio sanguine, Actor. 20. v. 28.

Id quod observandum est, contrà veteres & novos Nestorianos, qui concedere nolunt, totam personam Christi, quæ est Θεάνθρωπος, pro nobis passam & mortuam: hinc vox Nestorii: Noli gloriari Judæe, non enim Deum, sed hominem crucifixisti. Verùm hoc ipso efficacia Passionis Christi enervatur & infringitur. Quod si enim sola humana natura pro peccatis nostris satisfacere potuisset: non opus fuisset, æternum Dei Filium hominem factum. Perstat igitur Canon hic Concilii Ephesini: Si quis non confitetur, Verbum Dei passum carne, & crucifixum carne, & mortē carne subiisse, anathema sit.

Nobis

Nobis verò Christum prout se manifestavit, agnoscentibus, firmum hoc solatium affert. Quodsi enim sanguine Christi redemti, pretio emti sumus magno, 1. Cor. 6. vers. 20. Quare non dubitemus de redemtionis

1. *Firmitate.* Quilibet tuetur id, quod peculiariter acquisivit sibi, & si viribus & potestate pollet, non facilè id sibi eripi sinit. Id vestrum quoque solatium esto! Christus emit vos, non corruptibili auro & argento, sed sanguine suo pretioso populum peculiarem, Tit. 2. v. 14. Nec vires ei desunt. Data enim ei omnis potestas est in cœlo & in terrâ, Matth. 28. v. 18. propterea nos quoque velut peculium suum defendet, contrà omnes portas inferorum, Matth. 16. v. 18. Joh. 10. v. 28. seqq.

2. *Veritate.* Est enim, qui nos redemit, Θεάνθρωπος. Nudus enim homo pati quidem & mori, non verò satisfacere potuisset, neque pro seipso, multò minus pro aliis, nedum pro toto mundo. Idcircò æternus Dei Filius, in assumtâ carne, opus redemtionis exantlavit.

II. *Ex gloriâ resurgentis.* Die tertiâ, inquit Dominus, resurget. Id quod & verè ita factum est. Die enim Parasceves, nondum die finito sepultus est, sequenti Sabbatho in sepulchro quievit, & die sequenti resurrexit. Hoc triduum Christus in sepulchro quiescere, nec citius resurgere voluit, quo verè se mortuum ostenderet. Etsi enim primo die resurrexisset, hostes ejus prætendere potuissent, quod non verè mortuus fuisset. Quodsi vero ultra triduum in sepulchro commoratus fuisset, iterum regerere potuissent, impossibile ei fuisse, resurgere, maximè, quia tertio die se resurrecturum, receperat, Johan. 2. v. 19. Id quod & reipsa præstitit, nobisque acquisivit, ut si cum ipso varias afflictiones sustineamus, non modò in sepulchro securè quiescamus, sed & suo tempore ad vitam æternam resurgamus: Quoniam scimus, quod qui Jesum resuscitavit, & nos aliquando resuscitaturus sit per Jesum, 2. Cor. 4. v. 14. unde etiam primogenitus ex mortuis dicitur, Col. 1. v. 16.

Hoc solatium probè observemus

1. *Contra mortis rigorem.* Denn so derjenige / verba sunt Lutheri, der da heist Resurrexit, im Grab und Tod nicht blieben ist / so wird auch derjenige / der da sagt Credo, und ihm durch wahren Glauben anhangt / zu seiner Zeit hernach folgen. Quod solatium nostrum sit, si aut ipsi discedere, aut conjunctissimos nobis per mortem relinquere cogimur. Die novissimo omnes conveniemus vicissim, unde & dies restitutionis omnium, ille dicitur, Act. 3. v. 31.

2. *Contrà sepulchrorum fœtorem.* Christus enim tanquam Sanctus Sanctorum, Dan. 9. v. 24. corruptionem non vidit, Psal. 16. v. 10. & eo acquisivit nobis, quod & nos aliquando incorruptibiles è tumulis nostris prodituri simus, 1. Corinth. 15. v. 42. seqq.

3. *Contra conscientiæ tremorem*, quam Christus resurrectione suâ pacavit. Mors enim stipendium peccati est, Rom. 6. v. 23. Quia igitur Christus peccata nostra in se suscepit, mortem quoque sustinere debuit, quam peccatis nostris promerueramus. Hæc duo se invicem consequuntur. Per unius hominis inobedientiam, peccatum in mundum intravit, & per peccatum

r mors;

mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, quandoquidem omnes peccaverunt, Rom. 5. v. 12. Postquam verò Christus ex mortuis resurrexit, indè certò colligimus, omnia peccata nostra expiata esse. Nisi enim ipse resurrexisset, adhuc essemus in peccatis nostris, 1. Cor. 15. v. 17. ex quo ex adverso consequitur, quod postquam ex mortuis resurrexit, chirograhum deleverit, Col. 2. v. 14. & omnia nostra peccata in profundum maris projecerit, Mich 7. v. 19. ubi verò peccatorum remissio, ibi & vita & salus est, Psal. 32. v. 1. 2.

III. *Ex Harmoniâ Scripturæ consentientis.* Hic Christum ad scripta Prophetarum se referre, audimus, quando ait: Consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas, de Filio hominis. Quo respicit

I. Ad *Umbracula*

1. *Variorum typorum.* Qualis fuit Adam, cui Deus soporem immisit, cumque obdormivisset, tulit unam de costis ejus & replevit carnem pro eâ, Gen. 2. v. 21. quo indicatum est, quod Christo, qui expressè secundus Adam vocatur, Rom. 5. v. 12. 1. Cor. 15. v. 45. postquam in ârâ crucis obdormivit, latus aperiendum, & ex aquâ & sanguine, quæ inde emanarunt, mulier Sole amicta, h. e. Ecclesia propaganda & conservanda sit.

Tales quoque typi fuerunt, Abel à fratre occisus, Gen. 4. v. 8. Isaac à patre immolandus, Gen. 22. v. 13. Josephus à fratribus divenditus, Gen. 37. v. 23. seqq. Aaron stans inter mortuos & viventes, & populū Deo reconcilians, Num. 16. v. 48. Hircus emissarius, cui peccata totius populi imposita, Lev. 16. v. 21. seqq. serpens æneus, Num. 21. v. 8. Josua Israelitas in Palæstinam introducens, Jos. 3. v. 17. David Goliathum prosternens, 1. Sam. 17. 49. seq. Simson, Jud. 14. 15.

2. *Variorum Sacrificiorum*, quæ itidem Christum, semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis traditurum, præfigurarunt, Eph. 5. v. 2.

Sicut igitur Sacrificia super triplici altari, in V. T. oblata sunt: quorum primum factum de terrâ, pro holocaustis, & retributoriis, Exod. 20. v. 24. Alterum lapideum, etiam pro holocaustis, ib. v. 25. Deut. 17. v. 5. Tertium de ligno, in quo thymiama manè & vesperi erat adolendum, Exod. 30. v. 1. seqq. Ita & Christus se pro nobis immolavit:

1. *In arâ terreâ*, nempè in horto Oliveti, ubi cum morte luctans, sudorem sanguineum emisit, Matth. 26. v. 39. Luc. 22. v. 42.

2. *In arâ lapidea*, nempè in loco, qui dicitur Gabbatha, Joh. 19. v. 13. ubi à militibus vestibus exutus, flagellatus, spinis coronatus, consputus & illusus est.

3. *In ara lignea*, h. e. in cruce, ubi thymiama orationis adolevit, & velut verus Mediator Dei & hominum, nec non Pontifex N. T. lapsum genus humanum Patri suo cœlesti expiavit, Hebr. 5. v. 10. Hebr. 10. v. 14.

2. *Ad oracula*, quorum in V. T. passim multa inveniuntur: Spiritus quippe Christi, qui in Prophetis fuit, prænunciavit, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias, 1. Petr. 1. v. 11. Talia sunt: de benedicto semine mulieris, contrituro caput serpentis, Gen. 3. v. 15. De SILOH, lavaturo in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum, Gen. 49. v. 11.

Imprimis Psalterium ferax est horum Vaticiniorum. Ps. 2. prædicitur consilium

san-

sanguineum quod Judæi adversus Christum mierunt, Act.4.v.25. In Psal.8. de exinanitione ejus agitur, coll. cum Hebr.2. v.6. In 16. de morte ejus, Collat. Actor. 2. v.31. c.13. v.35. In 22. de illusione & crucifixione ejus, nec non vestimentorum partitione, Matth.27.v.35. Joh.19.v.24. In 31. de ultimo Christi verbo, Luc.23.v.46. In 41. de proditore Judâ, Matth.26. v.14. Marc.14.v.10. Luc.22.v.4. Joh.13. v.18. In 69. v.23. de fellispotione, Matth.27. v.48.

Plura vide, Esa.53.v.1.seqq.c.63.Dan.9. v.26. Zach.11. v.12. & passim.

Hæc omnia ad confirmationem fidei nobis inserviant, ut credamus, Jesum esse Christum, promissum mundi Messiam, & credentes vitam habeamus æternam, Ioh. 20. v.31.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quam tribus includemus Regulis, quarum

I. *Passionem Christi considera.* Cujus ansam Christus ipse in Evangelio nobis subministrat, quando discipulis particulatim enarrat, quid sibi Hierosolymis obventurum sit, quoipso nos ad sedulam passionis suæ meditationem excitaturus est.

Quando igitur Ahasverus in Annalibus, Esther 6.v.1. Alphonsus in M. Curtio, alii in Amadiso oblectant se, nos Passionis Dominicæ historiam, à quatuor Evangelistis conscriptam, sedulò evolvamus. Est enim

1. *Liber historiarum,* in quâ præcipua historia describitur, qualis ab orbe condito non facta est. Tàm in prophanis quàm Ecclesiasticis Historiis multas quidem præclaras res gestas legimus, quæ nos in admirationem rapiunt, Vide Gen.14.v.15. Iud.15.v.15. 1. Sam.17.v.49. 2.Sam.23. v.18.

Sed Satanam quempiam superasse, mortem in victoriam absorpsisse, atque captivitatem captivasse, & cœlum per peccata oppessulatum aperuisse, id in nullis Annalibus invenies. Christus enim solus est Vir Dominus, Gen.4.v.1. qui hæc omnia præstitit: extrà eum nulla est salus, Act.4.v.12.

In hoc libro exemplum devotè orandi, Matth. 26. vers. 39. Inimicis ignoscendi, 1. Petr.2.v.23. Rom.12.v.19. E calamitatibus eluctandi, & beatè moriendi nobis proponitur, Ioh.5.v.24.

2. *Liber doctrinarum*, in quo videmus, quomodo cœlestis Pater in nos affectus sit. Quia enim proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Rom. 8. v. 32. Cernimus ardentissimum Christi in nos amorem. Majorem enim dilectionem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat, pro amicis suis, Iohan. 15. v. 13. Iam verò pro nobis mortuus est, cùm adhuc peccatores & inimici ejus fuimus, Rom.5. v.8. caritatem itaque ejus ardentissimam ergà nos esse, necesse est, Ier. 31.v.3. Conspicimus quoque mundi fœditatem in oculis Dei. Quamobrem enim Christus illa omnia sustinuit? Ob peccata nostra: Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm, Esa. 53. v. 6. Hinc Bernhardus: Sine flagello non exivit, qui sine peccato venit: quomodo igitur flagello digni non erunt, qui in peccatis vivunt.

Ideò quilibet se examinet & perpendat, si judicium incipiat à domo Dei, quis finis eorum futurus sit, qui non credunt Dei Evangelio, 1.Petr.4.v.17.

3. *Liber Medelarum.* Etsi enim tota Scriptura ideò scripta est, ut per patientiam & consolationem ejus spem habeamus, Roman. 15. v. 4. attamen præcipuum solatium ex passione Christi haurire possumus. Ibi invenimus solatium contrà iram Dei, Rom.5.v. 10. contra maledictionem legis, Gal.3.v.13. contra peccata, Col.2.v.14. contra mortem & Diabolum, Hebr.2.v.14.15. contra infernum & damnationem, Rom.8.v.1.Os.13.v.14.

II. *Instanter ora.* Id Bartimæus fecit: Ubi enim Christum venire audit, sonorâ voce clamat: Jesu Fili David, miserere mei! Et quamvis essent, qui eum increpabant, ut taceret, ipse multò magis clamavit: Fili David, miserere mei.

Imitemur nos hoc ejus exemplum. Multa Christiano precaturo obstacula à Diabolo objiciuntur. Modò preces non necessarias esse inspiratiis, multi enim planè non oraverunt, & tentarunt Deum, & salvi facti sunt, Mal.3.v.15. modò indignitatem objicit, puræ enim manus levandæ sunt, 1.Tim.2.v.8. Joh. 9. v.31. modò impatientiam excitat, ut media prohibita arripiant, circa salutem naufragantes, 1.Timoth.1.v.19.

Per hæc offendicula etiam Sancti quandoque lapsi sunt. Exempla sunt Habacuc, Hab.1.v.2. David, Psal.88. v.5. Assaph, Psal.73. v.12. seqq.

Verum seponamus has cogitationes. Deus enim parens noster est, qui omnia in filiorum salutem dirigit, neminem patiens tentari, super id, quod potest, 1. Corinth. 10. v. 13.

Licet igitur quandoque auxilium suum longius differat, non tamen propterea impatienti animo nos exhibeamus, sed multò ardentius oremus. Ideò enim non vult DEUS citò dare, ut tu discas ardentius orare, Augustino dicente: tandem conturbantur viscera ejus, ut miserans misereatur nostrûm, Jer.31.v.20. Respicite nationes hominum & scitote, Sirach.2. v.13.

Moses per orationem Amaleckitas vicit, Exod. 17.v.11. Hanna fœcunditatem impetravit, 1.Sam.1. v.20. Samuel fragores tonitruum, quibus Philistiim exterruit, 1. Sam.7. v.10. Salomo sapientiam, divitias & gloriam, 1.Reg.3.v.13. Elias cœlum clausit & reclusit, Jac.5.v.17.18. Hiskias vitam prolongavit, Esa.58.v.5. Jonas è ventre cete eluctavit, Jon.2.v.11.

In omnibus igitur adversitatibus ad orationem, tanquam ad sacram anchoram & asylum confugiamus. Multum enim valet deprecatio Justi assidua, Jac. 5. v. 16.

III. *Gratum te præsta.* Hoc quoque Bartimæus fecit. Sequutus enim est Christum, magnificans Deum, & omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

Idipsum nostrum quoque debitum requirit. Non enim modò ad imaginem suam nos creavit, Gen. 1. v.27. sed & tantis beneficiis nos cumulat, ut misericordiam ejus non enarrare valeamus, Sir. 18. v. 4.

Quodsi verò laudis Sacrificium Deo gratum esse debeat, fiat oportet

1.Fe-

1. *Vocaliter.* Etsi enim Deus cordium scrutator est, 1.Reg.8. v.39. cui gemitus nostri non absconditi, Psal.38. v.10. attamen ex abundantia cordis os loquitur, Matt.12. v.34. Nisi itaque morbo aut alio obstaculo prohibeamur, Deo Canticum cantemus, ut Debora, Jud.5.v.16. Hanna, 1.Sam.2.v.1. Judith, Jud.16. v.1.. seqq. B. Maria, Luc.1.v.47.aliique fecerunt. Id placebit Deo super juvencum, cornua producentem & ungulas, Ps.69.v.32.

2. *Cordialiter*, ne queratur Deus: Appropinquat mihi hic populus ore suo & labiis me honorat: cor autem eorum longe est à me, Matth.15.v.9.

In V.T. omne primogenitum, de hominibus & jumentis, Deo sanctificandum fuit, Exod.13.v.2.

Hoc ipso respexit Deus ad cor, quod primum vivens & ultimum moriens est, ut Aristoteles ait, ideoque nunquam à DEI cultu separandum est. Hinc ipse ait: Da mihi fili cor tuum, Prov.23.v.26.

Non vox, sed votum, non Musica chordula, sed cor:
Non clamor, sed amor clangit in aure Dei.

Dic igitur animæ tuæ: Benedic anima mea Domino, Psal.103.v.1.seqq. Ps.147.v.1.Ps. 69.v.32.

3. *Realiter.* In hoc enim clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum adferatis, inquit Servator, Joh.15.v.8.

Jacobus ex Mesopotamia remeans adscendebat Bethel, faciens Deo in τεκμήριον gratitudinis altare, quod ab eo tam potenter protectus fuerat, ante vero Reformatione inita, Deos alienos domo sua exterminabat, Gen.35.v.1. seqq.

Sic & nos abrogemus, quæ variis peccatis contra Deum ejusque verbum admisimus, omnia enim peccata Dii alieni sunt, quibus sanctissimum Numen offendimus: ex adverso vero temperanter, justè & sobriè vivamus in hoc seculo, Tit.2. v.12.

Hoc ipso alii excitantur, ut videant opera nostra bona, & glorificent Patrem, qui in cœlis est, Matth.5. v.16. Ut enim pruna carbonem incendit, sic Christianus Christianum, ut exemplo sociorum Danielis patet, Dan.3.v.16.seqq. Hinc Jacob. 5.v.19.20. Tandem in vita æterna omnes conveniemus, & Alleluja, quod hic inchoavimus in gradu excellentiori continuabimus: qui enim habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te, Psal. 84.v.8. Id quod fiat per & propter Christum, Amen.

DOMINICA INVOCAVIT.

Textus.

Historia Passionis Dn. nostri Jesu Christi, secundum quatuor Evangelistas.

EXORDIUM.

HOdierna Dominica antiquitus appellata est *Invocavit*, quia olim in Ecclesia Latina in Introitu cantarunt ex Psal. 91. v. 15. *Invocavit me, & exaudiam eum.*

Nos quoque *Invocavit nostrum* celebremus, non modo tempore hoc Quadragesimali: sed & sine intermissione, imo singulis momentis, sicut præsens Evangelium, quod pii Veteres in præsentem Dominicam ordinarunt, nos admonet. Ex quo producimus.

I. *Triplicem Querelam*, considerantes

1. *Christianorum fortunam.* Statim post baptismum optimus Servator à Spiritu sancto ductus est in desertum, ut à Diabolo tentaretur. Idem evenit piis Christianis, ut continuo post susceptum Baptismum cum Diabolo in arenam descendere, adeoque perpetuam militiam agere teneantur, Iob. 7. v. 1.

2. *Solitudinis noxam.* Christum in deserto solum agentem, tentator accessit. Ita adhuc hodie solitudinem usui suo inservire novit. Propterea genuini Christiani sedulo ædem Domini frequentare, nec collectionem suam deserere debent, Hebr. 10. v. 25. Væ namque soli, Eccles. 4. v. 10, Exod. 20. v. 44.

3. *Multiplicem vexam.* Triplici enim tentatione Servatorem adoritur, primo diffidentia, secundo superbia & præsumtione, tertio avaritia & ambitione. Ita nec hodie Satanas feriatur, sed omnibus modis tentat, quomodo nos ad peccata seducat. Est enim mille artifex, qui retia sua explicat, instar Venatoris, feris insidiantis, Psal. 91. vers. 3.

II. *Triplicem Medelam*, quæ fluit

1. *Ex Christi jejunio.* Hoc ipso enim Protoplastorum immoderatam ingluviem expiavit, Gen. 3. v. 6.

2. *Ex Diaboli præcipitio.* Dixit enim ad eum Servator: Apage Satan, & statim eum relinquere coactus fuit. Cum fortis armatus custodit atrium suum &c. Luc. 11. v. 21. 22.

3. *Ex Angelorum servitio.* Secedente enim Diabolo, Angeli accesserunt & ministrarunt ei. Et adhuc hodie sunt administratorii Spiritus, Hebr. 1. v. ult.

III. *Triplicem Cautelam*, tribus Regulis inclusam, quarum

1. Cru-

1. *Crucem tibi ne fabrica.* De Christo dicitur, quod ductus fuerit in desertum à Spiritu, Spiritu nempe sancto, ut Lucas addit. Ita nemo sibi ipsi crucem imponere, sed tamdiu expectare debet, dum Deus eam immittat, hic enim est, qui onus imponit nobis, sed & Salus nostra est, Psal. 68. v.20.21.

2. *Scripturam diligenter pondera.* Hic Christum semper ad Scripturam se referre audimus, quando terna vice inquit: Ita scriptum est. Ita & nos ductum Scripturæ in vita & doctrina velut normam sequamur, juxta illud: Ad legem & Testimonium, Esa. 8. v. 20.

3. *Cum Christo jejuna.* De illo enim Evangelista memorat, quod quadraginta dies & noctes jejunaverit. Hoc nemo mortalium imitari potest. Ideoque nobis ad imitandum non proposuit. Interim non peccatur, si statis temporibus cibo potuque abstineamus, si cultus vel meriti opinio non accedat. Licet enim omnia fecerimus, tamen servi inutiles sumus, Luc. 17. v. 10.

Hæc brevis idea hodierni Evangelii est, quomodo pro instituti ratione explicari possit. Quia vero temporis ratio flagitat, ut passionis Dominicæ meditatione occupati simus, ideo sine longiori præambulo ad eam tractandam nos conferemus, propositione triplici jam explicaturi

I. *Passionis Dominicæ intimationem.*
II. *Agni Paschalis præparationem.*
III. *Symbolicam ultimæ recordationis manifestationem.*

JJ.

Exegesis.

QUemadmodum Dominus Messias ait: Ecce venio, Psal. 40. v. 9. ita etiam in plenitudine temporis ultro Hierosolymis apparens, hostibus suis obviam processit. Hinc Theophylactus: Si noluisset pati, utique devitasset, quia præsciebat. Sicut id in prima textus parte nobis innotescit, ubi quadruplex intimatio, qua passio Christi indicatur, nobis proponitur. Præcedit enim

I. *Intimatio verbalis*, ita enim Servator: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Ubi observanda

1. *Patientis Persona*, quæ hic appellatur *Filius hominis*, qui tamen in una Persona Θεάνθρωπος est. Totus enim Christus pro nobis passus est, & sanguinem profudit, secus enim passio ejus nihil nobis profuisset. Frater enim redimendo non redimet quenquam, Psal. 49. v. 8. Sed sanguis Jesu Christi, Filii Dei emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 7.

2. *Temporis nota*: passus enim est Paschate Judæorum, quod alias festum azymorum vocatur: hoc ideo factum, ut indicaret, se verum agnum paschalem esse, ad quem cæteri omnes collinearint. Etenim Pascha pro nobis immolatus est Christus, 1. Cor. 5. v. 8.

3. *Mortis forma*, quæ intimatur

1. *Per traditionem.* Tradetur enim, nempe gentibus, Luc. 18. vers. 32. Judæi enim salutem à se rejectam gentibus tradiderunt, ut & ipsæ partem cum Christo haberent,

rent, velut cives Sanctorum & Domestici Dei, Eph. 2. v. 19.

2. *Per crucifixionem.* Hoc nostro emolumento factum est. Quia enim omnes maledicti eramus, ratione legis, quam servare non potuimus, Deut. 27. v. 26. Ideò Christus pro nobis maledictum fieri voluit, quo nos de maledicto legis redimeret, Gal. 3. v. 13. Hujus semper nos memores, cum Paulo dicamus: Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, Gal. 6. v. 14.

2. *Intimatio realis*, ex parte Judæorum, qui catervatim confluunt, & consilium ineunt, ut Jesum dolo prehendant & occidant. Ubi notetur

1. *Cœtus*, qui non fuit fex vulgi, sed præpotentiores in Ecclesiastica & Politica Hierarchia, nempe Principes Sacerdotum, & Scribæ & Seniores populi.

Adhuc hodie Pontifici Romano ejusque Asseclis familiare est, ut Christum ejusque membra odio prosequantur prorsus irreconciliabili, & ubi ignem succendere potest, nihil diligentiæ intermittit. Ideo splendore eorum nullatenus fascinemur. Vera Ecclesia pusillus grex est, Luc. 12. vers. 32. & lampas contemta apud cogitationes divitum, Job. 12. vers. 5. Sed aliquando stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, Sap. 5. vers. 1.

2. *Locus*, ubi conveniunt, nempe in atrio Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: qui non de stirpe Aaronis fuit, sed à Præside Uglerio Grato sacerdotium emerat, ut Iosephus testis est.

Ex quo apparet, quod jam tum temporis summi Pontifices, in splendidis Palatiis habitaverint: ubi ex adverso Servator non habuit, quo caput suum reclinaverit, Matt. 8. vers. 20.

3. *Scopus*, fecerunt enim consilium, ut Iesum dolo tenerent, & occiderent. Servator ipsis vitia sua perspicue exprobraverat, id male habuit eos, ut cum Saule cogitaverint: Honora me coram populo, 1. Sam, 15. vers. 20. Quia vero officio Christi id non conveniebat, ideo more Majorem vitæ Christi insidiebantur, qui odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectê abominati sunt, Amos, 5. v. 10.

Sic adhuc hodie veritas mundo invisa est, ut verbi Ministros se corripientes aut lingua percutiant, Ier. 18, v. 18. aut in exilium abigant, dicentes: Heus tu videns, abi, Amos. 7. v. 12. Quid vero tandem sequitur? πανολεθρία, interitus æternus à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 1. Thess. 1. vers. 9.

4. *Modus.* Quia enim innocentiam Christi probe perspiciebant, tum quoque non ignari erant, quanta Servator autoritate apud populum valeret, ideo inter sacrum & saxum stant, incerti qua via rem aggrediantur, propterea inquit Evangelista: consilium fecerunt, quomodo Iesum prehenderent & occiderent,

1. *Fraudulenter.* Hoc Diaboli ingenium est, ut quando violentia non possit, fraudulentia efficiat. Est enim serpens directus, & serpens tortuosus, Esa. 27. v. 1.

2. *Latenter*, ideo dicebant: Non in die festo, ne forte tumultus fiat in populo. Verum

rum adversus Dominum non est consilium, Prov. 21. v. 30. Comprehendit sapientes in astutia, Job. 5. vers. 13. Ajunt illi: Non in die festo: Sed pati constituerat in die festo. Hoc decretum ratum manet.

Humana quod versutia
Molitur, haud moramur.
Qui dissipat, sedet supra,
Consulta queîs gravamur:
Magnas agant astutias,
Vadit Deus vias suas.
Manu sua retractans.

3. *Intimatio figuralis*, quæ facta per mulierem Christum ungentem. Ubi spectandus

1. *Hospes suscipiens*, cujus hospitio Jesus in Bethania usus est, is vocatur Simon leprosus, à priori, quia antehac lue hac infectus, à Christo verò sanatus fuerat, ideo ex infucato amore & ad declarandum gratum suum animum, ipsi quam potest, benigne facit in domo sua.

Judæi decreverant, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret, Joh. 9. v. 22. Id vero Simonem hunc non absterret: sed Christum velut exulem suscipit, in nostram instructionem, ut communicet, qui catechizatur in verbo, ei qui se catechizat, Gal. 6. v. 6.

2. *Mulier ungens.* Accessit enim ad eum mulier, habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Quæ hæc mulier fuerit, non indicatur, ex 3. vero & 12. cap. Johannis colligi potest, quod Maria Lazari & Marthæ soror fuerit: quamvis non desint, qui hanc peculiarem unctionem fuisse velint, ab illa distinctam, quia tum pedes modo Christi uncti sint, quod solus Judas ægre tulerit: hîc vero memoratur, quod mulier unguentum pretiosum effuderit super caput ejus, ut totum corpus inunxerit, quodque non modo Judas, sed & omnes discipuli propterea indignati fuerint.

Quicquid sit, non plebejam sane mulierem fuisse, quia Unguento adeo pretioso corpus Dominicum delibavit, consentaneum est.

Nos ad exemplum mulierculæ hujus, Christum adhuc hodie in membris suis ungamus. Honora Dominum de substantia tua, Prov. 3. v. 9. 10.

3. *Judas reprehendens.* Ad quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus. Joh. 12. v. 4. verba hæc Judæ Proditori soli adscribunrur. Sine dubio, quia ille Antesignanus fuit. Loculos enim habebat, ut ibi dicitur, ideo cogitabat, si aqua illa vendita, & ipse pecunia potitus fuisset, non parum lucri se inde sibi comparasse.

Iudas imago est avarorum, qui omnia, quæ Ecclesiæ & Scholis impenduntur, quasi perditum æstimant, & dicunt: Ad quid perditio hæc? Sed non dubitandum, quin & ipsi cum Iuda mercedem suam accepturi sint. Argentum & aurum eorum non liberabit eos, in die furoris Domini, Ezech. 7. v. 19.

4. *Christus defendens.* Ait enim: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me, &c.

Hæc elegans Apologia est, quam Servator pro muliercula hac instituit.

1. *Discipulos increpat*, quia beneficium hoc improbatum ibant. Quod enim ex caritate fit, non mala intentatione fieri pro-

babile est, Dilectio enim malum non operatur, Rom, 13. v. 10.

2. *Factum laudat*, opus enim inquit, bonum operata est, in me. Hoc plenissimum consolatione est, quod Dominus eos tueri vult, qui sibi & membris ejus honorem præstant. Quin & largiter aliquando remunerabit. Mutuo dat Domino, qui miseretur pauperis, Prov. 29. v. 17.

3. *Objectionem de pauperibus refutat.* Semper ait Dominus, pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis. Hoc non adversatur dicto Christi, ubi promittit Dominus, se nobiscum futurum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth. 18. v. 20. Est enim Christus adhuc hodie nobiscum, sed non eo modo, quo pauperes nobiscum sunt: visibilem enim præsentiam suam nobis subtraxit: sed eo modo, quo Deus nobiscum est, qui cœlum & terram implet, Ier. 23. v. 24. neque enim saltem in cœlum adscendit: sed sedet quoque ad dextram Dei Patris in ejusmodi throno, qui totum orbem replet, adeoque dominatur in medio inimicorum suorum, Psal. 110. v. 2.

4. *Causam indicat.* Mittens, ait hæc, Unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me, fecit. Quo docet Servator, opus hoc non velut nudum humanitatis officium intuendum esse, sicut alias Iudæis usitatum erat, ut convivarum pedes lavarentur & caput inungeretur: verum esse opus, quod peculiari Spiritus sancti instinctu perfecerit, in testimonium instantis mortis: Sicut alias corpora defunctorum pretiosis Unguentis inunguntur ut aliquamdiu à correptione præserventur. Ita & me, in vita adhuc versantem, mortti tamen vicinum inungere voluit.

Discimus hîc, quemadmodum Servator noster passionis, mortis & sepulturæ suæ sæpe recordatur: ita nec nos in diem vivamus, quasi cum morte fœdus percussissemus, & cum inferno pactum fecissemus, Esa. 28. v. 15. sed semper cum Davide oremus: Doce nos numerare dies nostros, ut applicemus cor ad sapientiam, Psal. 90. vers. 12. Qui enim semper memorabit novissima sua, in æternum non peccabit, Sir. 7. v. 39.

5. *Posteritati commendat.* Dicit enim, Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium, in toto mundo, dicetur, quod hæc fecit in memori ejus.

Bonum igitur facientes non defatigemur, id enim non modo honorificum nobis erit in hoc mundo apud Deum, & honestos homines, sed & die novissimo, ubi Servator noster, coram Patre suo cœlesti, omnibus Sanctis Angelis & electis id prædicabit, dicturus: Esurivi, & dedistis mihi manducare, Matth. 25. v. 35.

4. *Intimatio instrumentalis*, ubi simul Organi Diabolici, proditoris Iudæ mentio injicitur.

Circa hanc occurrit

1. *Nomenclatura.* Dicitur enim Iudas Iscariotes, qui erat unus de duodecim, præclaro nomine ornatus. Iudas enim significat confessorem: verum nihil minus erat, quin potius nefarius Apostata, qui pro eo quod Christum confiteretur, eum abnegavit, & morti tradidit.

Tales adhuc hodie passim occurrunt. Verum damnatio eorum olim eo gravior erit. Qui enim me negaverit coram hominibus, Matth. 10. v. 33.

2. Stru-

2. *Structura.* Incitatus enim eſt ad hoc facinus à Diabolo, qui eum obſedit, non corporaliter, ut mutum & ſurdum, Luc. 11. verſ. 14. ſed ob pertinaciam, quia magis Diabolo, quam Chriſti admonitioni locum reliquit, ſicut adhuc hodie omnia peccata à Diabolo originem trahunt, & qui peccatum facit, ex Diabolo eſt, 1. Joh. 3. verſ. 8.

3. *Cura*, nam

1. *Pontifices compellat.* Ubi enim Dominus opinionem ejus non approbat, ſed potius improbat, ira incitatus, tacite Bethania Hieroſolymam ſe confert ad ſummos Pontifices, quibus propoſitum de Domino illis tradendo, explicat. O Satanicam malitiam!

Quot eorum adhuc hodie occurrunt, qui cum hoſtibus veritatis colludunt? Verum, qui non eſt mecum, contra me eſt, ait Servator, Luc. 11. v. 23.

2. *Mercedem poſtulat.* Quid inquit, vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Hîc quanta vis avaritiæ ſit, perſpicimus. Radix enim omnium malorum eſt, 1. Tim. 6. verſ. 10.

3. *Triginta ſiclos acceptat.* Noſtro calculo forte decem Imperiales fuerunt, hos Judas acceptat, & prodit Chriſtum.

Hinc apparet, quod mundus Chriſtum ejusque Miniſtros in tenui pretio habeat. Verum quo viliores æſtimantur in oculis hominum, eo majores putantur in oculis Dei, qui illos tetigerit, pupillam oculi ejus tangit, Zach. 2. v. 8.

4. *De Chriſto prodendo cogitat.* Servator Judam in Collegium Apoſtolicum aſſumſerat & omni indigentia ita ſuſtentaverat, ut ipſe cum cæteris diſcipulis, nihil ſibi defuiſſe fateatur, Luc. 22. verſ. 35.

Jam mercedem ipſi perſolvit, dum anſam captat, ut eum prodat. Hæc fœda ingratitudo eſt, quam omnes pii Chriſtiani cane & angue pejus fugere debent. Non enim bene erit, beneficia non compenſanti, Sir. 12. v. 3.

Secundo.

SEquitur nunc *altera pars,* in qua conſiderabimus *Agni Paſchalis præparationem.* Ubi notandum

1. *Impulſus.* Hic ſpectabimus

1. *Apoſtolorum quæſtionem.* Ubi vis, inquiunt, paremus tibi comedere Paſcha? Recte faciunt hac in parte Apoſtoli, quod nihil contra voluntatem Domini aggrediuntur. Mundus eſt, cujus rectum eſt opus, Prov. 21. v. 8.

2. *Chriſti reſponſionem.* Miſit enim Petrum & Johannem, cum hac inſtructione: Ite in civitatem ad quendam, & dicite ei, &c.

Monſtrat hæc

1. *Locum paſſioni congruentem*, qui eſt Hieroſolyma. Non enim capit, Prophetam perire extra Hieruſalem, Luc. 13. vreſ. 33.

2. *Oculum Chriſti omnituentem.* Bethania diſtabat ab Hieruſalem quindecim ſtadia, quæ fere milliare dimidium faciunt, nihilo minus videt hominem vas teſtaceum portantem: ſicut & cœnaculum magnum ſtratum, & novit omnia, quæ ſibi ibi obventura ſint. In ipſo enim omnes ſapientiæ & ſcientiæ Theſauri abſconditi ſunt, Col. 2. v. 3.

Notetur hoc *in dehortationem.* Servator virum cum vase aquæ testaceo eminus videt. Ita etiam te in evacuandis vini amphoris, ut & aliis delictis occupatum videt. Propterea caute agas. Die novissimo omne occultum in judicium adducet, sive bonum, sive malum sit, Eccles. 12. v. ult.

Sed & in *consolationem* vestram adhibete. Christus cernit hominem cum vase aquæ testaceo. Ne dubites velim, mi Christiane, quin & tuam miseriam perspiciat, quando inter satis molestos labores sola aqua contentum te esse oportet. Perfer id in patientia. Veniet olim tempus, ubi præ exultatione cordis jubilabis in æternum, Esa. 65. v. 13. 14.

3. Virtutem Christi omnipotentem. Neq; enim precariò hospitiũ, sed satis pro imperio flagitat: Magister dicit: Tempus meum prope est; apud te facio Pascha, cum discipulis meis. Ita adhuc hodie sicut rivos aquarum, quocunque voluerit, corda inclinare potest, Prov. 21. vers. 1. Ideo animum minus abjiciamus quando fremunt gentes, & populi meditantur inania, Psal. 2. vers. 12. Nos ejusmodi gaudeamus Domino, qui vel verbulo omnes inimicos nostros ad pacem convertere potest, Prov. 16. v. 7. Classicum canite populi, & vincimini, Esa. 8. v. 9.

3. *Fidelem executionem.* Discipuli equidem multa obstacula prætendere potuissent, dicturi: Quî Domine, id congruet? Anne hominibus ignotis imperare debemus, ut te hospitio excipiant? Tu omnibus invisus es: & Pharisæi edictum promulgarunt, ut si quis norit, ubi degas, id indicet. Quid si hospes id deneget? quid si periculum vitæ incurreres? Verum hæc & similia alia seponentes, Domini sui præcepto inhærent, fideliter jussa ejus expedientes. Ita & nos seposita omni disputatione verbo scripto inhæreamus, licet rationi nostræ absonum videatur. Melior enim est obedientia, quam victima, 1. Sam. 15. v. 22. 23.

II. *Consessus*, qui describitur

1. *Ratione cœtus discumbentis.* Vespere enim facto discumbebat Jesus, cum duodecim discipulis suis.

Alias de agno Paschali mandatum est, quod Israelitæ illum stantes comedere debuerint, tanquam festinantes, Exod. 12. 11. Sed hoc de prima comestione intelligendum, unde postmodũ in omnibus locis, ubi Deus Pascha Israëlitis celebrandum injungit, stationis nulla amplius mentio fit, Lev. 23. v. 6. Num. 28. v. 17. Deut. 16. v. 2. Ideo nec Christus Ceremoniam hanc observavit, sed cum duodecim accubuit.

Nos hîc notamus

1. *Regulam malos ferendi.* Servatorem non latebant insidiæ Judæ, quod cum summis Pontificibus pactum fecisset, de prodendo Domino: Non vero propterea eum à comestione agni Paschalis excludit, sed cum reliquis Apostolis accumbere sinit: nobis in exemplum, ut & nos malos cum mansuetudine toleremus, 2. Tim. 2. v. 24. neque enormes peccatores, si peccatum eorum occultum sit, illique id pernegent, à sacra cœna excludamus. *De occultis enim non judicat Ecclesia.* Deus aliquando illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, 1. Cor. 4. v. 5.

2. *Licentiam cum bonis accumbendi.* Viri justi sint tibi convivæ, Sir. 9. vers. 23.

2. *Ratione sermonis intervenientis*, & quidem

1. *In poculi valedictorii propinatione.* Accepto enim calice, gratias egit, & dixit: Accipite hoc, & dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat.

Hoc poculum erat circulare, quo Servator indicat, non peccari, si amici ex cordiali gratulatione, potu se invicem salutent. Desiderium justorum profectò bonum est, Prov.11. v.23.

2. *In Cœna sacramentalis consecratione.* Postquam enim poculum valedictorium circulariter missum erat: Dominus aliam actionem incepit, & primò accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix est novum Testamentum, in sanguine meo, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

Hæc ita institutio S.Cœnæ est, in quâ nobis Servator mediante pane benedicto, corpus suum in cibum, & mediante calice benedicto, sanguinem suum in potum ordinavit, in plenariam certiorationem, quod remissionem peccatorum habere, & cum eo in æternum vivere debeamus, Joh.6. v.51.

O nunquam satis prædicandum beneficium, quod Servator nobis hâc in re exhibuit! Nam ut Hilarius scribit: *Hæc sumta & hausta efficiunt, ut Christus in nobis sit, & nos in Christo.* Ideòque in omnibus adversitatibus lætabundus cum Paulo dicere potes: Certus sum, quod neque mors neque vita &c, Rom.8.v.38.

De Tertio.

Restat ultima & III. pars, nimirum *Symbolica Valedictoriæ recordationis manifestatio*. Quæ facta

1. *Amicabili pedum lotione.* E cœnâ enim surgit, & ponit vestimenta sua. Et cum accepisset linteum, præcinxit se, deinde misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum &c.

Hîc perpendenda

1. *Autoris magnificentia.* Hic est Christus, Servator noster pientissimus, verus Deus à Patre ab æterno genitus, & verus homo ex Maria in tempore natus, hîc pedum hanc lotionem instituit, eoque indicat, non se venisse ministrari, sed ministrare, Matth.20.v.28.

2. *Operis vilipendentia.* Posuit enim vestimenta sua. Et cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim & cœpit lavare pedes discipulorum: & extergere linteo, quo erat præcinctus.

Hæc aliàs servorum opera fuit, quam Christus hîc exantlat, quò significet, se justum esse servum Dei, Esa.53.v.11. qui propter nos servi formam induerit, ut nos Reges & Sacerdotes faceret, coràm Deo & Patre suo, Apoc.1. v.6.

3. *Petri resistentia.* Hic principio lavari minimè vult. Postquam verò Dominus ei minatur, nisi laverit eum, non habiturum eum partem secum: non tantùm pedes, sed & pedes & caput lavanda offert.

Nos exemplo ejus cautiores facti, divinæ ordinationi minus refragemur, licet non intelligere aut comprehendere valea-

mus, quid Dei ergà nos consilium sit. Est enim sapientia ipsa, qui non indiget consiliario, Rom.11.v.34. neque vires ei desunt, quò minus efficere possit, quod ordinavit. Dictum enim, ejus est factum, Ps.33.v.9. Beatus qui in vocatione suâ manet, & voluntati ejus promtè obsequitur. In leges enim divinas impiè agere, impunè non cedit: sed hoc tempus sequens declarabit, 2.Macc.4.v.17.

2. *Usus demonstratione.* Voluit nimirum Christus ista pedum lotione præbere

1. *Exemplum humilitatis.* Dicit enim: Vos vocatis me Magister, & Domine, & benedicitis: Sum etenim. Si ergò ego lavi pedes vestros, Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Amen, Amen dico vobis, non est servus major Domino suo, neque Apostolus major est eo, qui misit illum.

Bene hîc advertit Augustinus: *Quæ superbia sanari potest, si Filii Dei humanitate non sanatur?* Sicut igitur Christus nobis prævivit, ita quilibet sequatur eum oportet. Hoc sentite in vobis, quod & in Jesu Christo, Psal.2.v.7. seqq.

2. *Exemplum caritatis.* Propterea ait: Exemplum dedi vobis, ut sicut dilexi vos, ita & vos diligatis invicem. In hoc impletio legis consistit, Rom.13.v.10. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est, 1.Joh.4.v.20.

3. *Tecta proditoris admonitione.* In quâ continetur

1. *Christiani hominis beatificatio.* Finito enim sermone de pedum lotione, in clausula elegans Morale subjungit, dicens: Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Nudum enim scire non sufficit, id Diabolis quoque competit, Jac.2.v.19. sed praxis adsit oportet, aliàs vanum & irritum erit. Hinc dicitur: Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi, Jacob.4. v.ult.

2. *Connexa nunciati limitatio.* Non de vobis omnibus dico, ego scio, quos elegerim. Hoc ipso proditorem suum notat, quò refert, quod scriptum est, Psal. 41. v.10. Qui manducat panem meum &c. Judas enim beneficiis Christi hactenus ornatus, jam proditionem ejus molitur.

Fugite Dilecti! ingratitudinem, flagitiorum μητρόπολιν, hanc enim temporales & æternæ pœnæ excipere amant, Prov. 17.v.13.

3. *Divinitatis Christi adseveratio.* Quæ cognoscitur

1. *Ex futurorum præscientia.* A modo, inquit, dico vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum. Quo innuit, quod propterea hoc de proditore suo ipsis prædixerit, quò agnoscant, se omnia scire, adeoque non nudum hominem, sed promissum mundi Messiam esse, super quo Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Esa.11.v.2. Joh.2. v.ult.

O quot inveniuntur, qui quando mala moliuntur, si modò coràm hominibus ea abscondant, nunquam manifestatum iri putant. Verùm seipsos illi decipiunt, Etsi enim nemo hominum novit, Deus tamen qui scrutator cordium est, exploratissimum sibi habet, 1.Reg. 8. v.39. Iccircò malum hominem esse oportet, qui consilium suum eum celare audebit, Job.42. v.3.

2. Ex

2. *Ex una eademque cum Patre essentia.* Eò collineat geminum hoc juramentum: Amen, Amen, dico vobis, qui accipit, si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.

Hoc *verbi Praconibus* magno est solatio. Quia enim pro Christo legatione funguntur, 2. Cor. 5. v. 20. ejus patrocinio niti & certi esse possunt, quod Dominus quæcunque sibi eveniant, visurus & requisiturus ea sit, 2. Paral. 24. v. 22.

Auditores verò caveant sibi, ne Christi legatos despiciant, sed eosdem accipiant, h.e. omnia bona exhibeant. Hoc Christo ipsi præstatur. Qui enim inquit, accipit, si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui misit me. O domum beatā! in quā ejusmodi hospites grati conveniunt. Quis Christum non susciperet? Quis non Patrem cœlestem? Atqui audis hîc, quod quando Christi Ministros accipis, id eodem ipsum loco habiturum esse, ac si Christum ipsum ejusque Patrem cœlestem accepisses. Ipse enim & Pater unum sunt, Joh. 10. v. 30. Quin & tales beneficos vicissim recipiet in æterna tabernacula, Luc. 16. v. 9. Ubi tùm demùm plenè experientur, quomodo Filius in Patre, & Pater in Filio sit, & summum hoc Mysterium cum omnibus Angelis & Electis venerabuntur in æternum.

Fiat id per Christum, Dominum & Servatorem nostrum, Amen.

DOMINICA REMINISCERE.

Textus

Historia Passionis juxta quatuor Evangelistas.

EXORDIUM.

HOdierna Dominica ab antiquis temporibus adpellatur Reminiscere, quia olim in Ecclesia Latinâ in introitu cantarunt ex Psalm. 25. Reminiscere Domine miserationum tuarum. Hoc ipso Majores nostri respexerunt prælectum Evangelium, in quo de muliere Cananæâ agitur, quæ Christi auxilium imploravit: Miserere mei Domine, Fili David: Filia mea malè à Dæmonio vexatur. Ille verò nullum principio ipsi verbum respondere voluit, donec tandem ad iteratas ejus supplicationes, misericordiâ suâ superatus, ipsi auxilium his verbis præstitit: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.

Et

Et ſanata eſt filia ejus ex illâ hora, ut Matthæus indicat c.15.v.21. ſeqq.

Nos quoque Reminiſcere noſtrum celebrare poſſumus, quando pro inſtituti ratione, juxtà manuductionem prælecti Evangelii conſideramus

I. *Triplicem querelam*, ubi nobis exhibetur

1. *Mundi ingenium*, qui veritatem ferre nequit. Cur enim Chriſtus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis? Non aliam ob cauſam, quàm quia Phariſæis & Scribis veritatem dixerat; id malè habuit eos, ut Servatorem odio infenſiſſimo proſequerentur, & conſilium de ipſo interficiendo inirent. Verùm Chriſtus inſidias eorum animadvertens, in tempore fugâ ſibi conſuluit. Idem piis Chriſtianis evenit. Quia enim de mundo non ſunt, ſed Chriſtus elegit eos de mundo, propterea odit eos mundus, Joh.15.v.19.

2. *Filiolæ periculum*, quæ malè à Dæmonio vexabatur. Id Deus ita permiſit, hodieque permittit, quando parentibus in memoriam revocare vult, quomodo in juventute vitam degerint. Quando enim patres comederunt uvas acerbas, dentes filiorum obſtupeſcunt, Ezech.18.v.2. adeoque parentum pœnam luere tenentur, quale in Davidis filiolo exemplum habemus, 2. Sam.12.v.14.

3. *Matris repudium*, quod tertiâ vice fert, idque propter peccata factum: erat enim mulier gentilis, ſicut adhuc hodie Deus peccatores non audit, Joh.9.v.31. Peccata enim nos & Deum noſtrum dividunt, Eſa.59.v.2.

II. *Triplicem medelam*, quæ fluit

1. *Ex orationis victoria*, quam & nobis commendatam habeamus. Multum enim valet deprecatio juſti aſſidua. Jacob.5. verſ.16.

2. *Ex fidei gloria*. Dicit enim Servator: O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Ita perpetuò oculi ejus reſpiciunt fidem, Jer.5.v.3. Ideo hæc præcipua noſtra cura ſit, ut habeamus fidem & bonam conſcientiam, 1.Timoth.1.v.19. 1.Joh.3. v.23.

3. *Ex miraculoſa ſanationis memoria*. Sanata enim eſt filia ejus, ex illâ horâ. Hinc apparet, quàm præſtantem Servatorem & auxiliatorem in Chriſto habeamus, qui non modò os veridicum, cujus opera ſunt in veritate, Pſ.33.v.4. ſed & manum omnipotentem habet, quâ omnia mutare valet, Pſal.77.v.11.

III. *Triplicem cautelam*, tribus Regulis incluſam, quarum

1. *Indeſinenter clama*, juxtà illud: Triſtatur aliquis veſtrûm? oret, Jac.5. v. 13. Hoc optimum medium eſt, à Deo ipſo præceptum, Pſal.50.v.15.

2. *Repulſam tolera*. Id mulier Cananæa obſervavit, à qua nos idem diſcere debemus, ne reſiliamus, ſi Chriſtus quandoque peregrinum ſe ſimulet, ſed auxilium patienter expectemus. Quia non repellet in ſempiternum Dominus, Thren.3. v.31. ſeqq.

3. *Catellum te præſta*. Quemadmodum enim catellus coràm menſa expectat & tamdiu latrat, dum offa panis ei objiciatur: Ita noſtrum quoque erit, ut coràm Deo nos humiliemus, dum micas miſericordiæ ejus accipiamus. Non enim ſibi poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo, Ioh.3.v.27.

Hæc

Hæc iterum hodierni Evangelii idea eſt, quam in Exordio hoc præmittere voluimus. Jam ad meditationem Paſſionis Dominicæ nos conferemus, cujus Propoſitio trimembris eſt:

I. *Chriſti contriſtatio.*
II. *Apoſtolorum litigatio.*
III. *Status futuri prænunciatio.*

J. J.

Exegeſis.

NUllum eſt gaudium, ſine dolore, trito proverbio dicitur. Id Chriſto Servatori noſtro accidit. Sicut enim in præcedentibus audivimus, ardenti flagravit deſiderio, diſcipulis ſuis valedicendi, & cum iisdem agnum Paſchalem comedendi: Sed gaudium illud non diuturnum fuit. Cum enim accumberet cum duodecim, & proditorem ſuum coràm conſpiceret, turbatus eſt Spiritu, triſtiſſimâ uſus querelâ, hiſce verbis: Amen, Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, manus tradentis me, mecum eſt in menſa.

Hîc notemus

I. *Ipſam querulationem*, quam Evangeliſtæ deſcribunt

1. *Ratione temporis.* Cum enim JEſus hæc dixiſſet, intellige, vos mundi eſtis, ſed non omnes, & videbat, Judam hæc omnia deſpicere, valdè perturbatus eſt, & nihilo minus in ejus commodum peculiarem actionem inſtituit, tentans, utrum ipſum ad frugem reducere poſſit. Non enim delectatur morte morientis, Ezech. 15. v. 32. ideò diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam, Sap. 11. v. 24. ſed apprimè cavendum eſt, ne divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnamus, Rom. 2. v. 4. Tàm citò enim iraſci poteſt, quàm miſereri, & ira illius in peccatores non deſinit, Sir. 5. v. 71.

2. *Ratione ponderis*, quod obſervabis, conſiderando

1. *Contriſtationis modum*, turbatus enim eſt Spiritu (ἐταράχθη) h. e. tanto dolore perculſus eſt, ut eum abſcondere non potuerit, & vehementer animum ejus anxit, quod nocentiſſimum ejusmodi colubrum in ſinu quaſi ſuo foverit, & proditorem ſuum hactenus commenſalem aluerit. Non leviter enim mordere ſolet, quando pro beneficiis è fido pectore profectis, nil niſi ingratitudinem recipimus. Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. Tu vero quaſi ordinis mei dux meus, & notus meus, Pſalm. 55. v. 13.

Hoc probè tenendum eſt. Adhuc hodie identidem in magnam animi perturbationem & triſtitiam conjicimur, aut, ratione commiſſorum peccatorum, quæ animum noſtrum angunt, aut quod clandeſtinum animi ſcrupulum habeamus, ratione multarum miſeriarum, quibus ab utero matris usque in ſepulchrum ſubjecti eſſe tenemur. Cibat enim nos Deus pane lacrymarum, & potat nos lacrymis copiosè, Pſal. 80. v. 6. Sed confidite, Dilecti! JEſus ſocius noſter factus eſt, & perturbatione ſuâ, Ordinem mœſtorum ſanctificavit, ut Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom. 8. v. 28. & cum venerit tempus

t refri-

refrigerii, Act.3. v 20. omnis noſtra triſtitia in gaudium vertetur, Iohan. 20. v. 20. Dominus enim abſterget omnem lacrymam ab oculis noſtris, Apoc. 7. v. 17. ut cum Iubilatione meſſuri ſimus, quæ in lacrymis ſeminavimus, Pſalm. 126. v. 5.

2. *Verborum ſonum.* Amen, Amen, dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, manus tradentis me, mecum eſt in menſa.

O quoties adhuc hodie accidit, ut Chriſtiani Parentes, Patres- & Matresfamilias Judam ſuum in menſa alant? Hi ſunt ſive filii degeneres, qui beneficia à parentibus accepta non agnoſcunt, iisque amaritudo Spiritus ſunt, ut Eſau, Gen. 27. v. 41. & Abſolon, 2. Sam. 15. v. 30. ſeqq. ſive infidelia famulitia, quæ cum Dominis menſæ accumbunt, ex eâdem patinâ edunt, & ſæpè beneficiis liberorum fruuntur, attamen ingratitudo eorum tanta eſt, ut heros & heras contumeliis proſcindant, imò ſi vitam eorum & opes cum ſanguine perdere poſſent, non intermitterent, veluti exemplum Zibæ demonſtrat, 2. Sam. 16. v. 4.

Hæc magna injuria eſt: Sed quicunque eam experiuntur, exemplo Chriſti ſe ſolari poterunt, qui idem à proditore ſuo Judâ, quem multis iisque ampliſſimis beneficiis affecerat, expertus eſt. Tandem certiſſima pœna ingratos illos cuculos manebit. Non enim bene erit beneficia non compenſanti, Siracid. 12. v. 3. Verè enim cum Juda tandem ad reſtim deveniunt, ſi non eo modo, tamen ita ut maledictione pediſſequâ infeſtentur per omnes dies vitæ ſuæ, Sir. 3, v. 7. Prov. 17, v, 13.

Docet verò nos Chriſtus exemplo ſuo, quod perturbationem in animo non fovere & abſcondere, ſed in ſinum fidi amici effundere debeamus, Vox enim amici vox Dei, Prov. 16. v. 24.

II. *Diſcipulorum perturbationem*, quam declarant

1. *Externo mœrore.* Contriſtati enim valdè, adſpiciebant ad invicem diſcipuli. Nos exemplo eorum inſtructi, ſi verbi Præcones de impœnitentiâ & ſecuritate hominum conquerentes audiamus, non inſuper id habeamus, aut ludibrio & riſui exponamus, ſed ex animo gemamus & doleamus, ſuper cunctis abominationibus, quæ in mundo hoc maligno perpetrantur, Ezech. 9. v. 4. Hoc ita Deo arridet, ut ſæpè hoc ipſo permoveatur ad parcendum toti urbi, imò integræ regioni. Convertimini ad me, in toto corde veſtro, Joel. 2. v. 12. ſeqq.

2. *Animi angore.* Animi enim angebant ſeſe. Hoc bonum eſt indicium. Filii hujus ſeculi illudunt peccatum, Prov. 14. v. 9. nullus eſt qui doleat, & agat pœnitentiam, ſuper peccato ſuo, dicens, quid feci? Jer. 8. v. 6. Verùm, qui ſincero ſunt corde, de peccatis contriſtantur, dicentes cum Jobo: Si erravi, & iniquitatem locutus ſum, ultra non addam, Job. 34. v. 32. Hæc optima eſt reſipiſcentia. Si impius egerit pœnitentiam, non morietur, Ezech. 18. v. 21.

Quem verò legis Præcones non poſſunt ad mentis angorem permovere, hîc in tempore gratiæ, illum aliquando dolores infer-

inferni circumdabunt, Psal. 18. v. 6. Esa. 66. v. 24.

3. *Verborum tenore*, ipsi enim cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Et cœperunt singuli dicere, Nunquid ego sum Domine?

Hic egregium exemplum habemus, quomodo conciones verbi divini non superficialiter, ut plerisque familiare est, audire debeamus, sed cum verâ animi devotione, ut conscientiam nostram examinemus, si peccata & flagitia ex suggestu reprehendantur, dicentes: Nunquid ego sum? Ejusmodi conscientiæ Examen multos ad pœnitentiam perduxit, qui aliàs in damnationem incidissent. Qui auditores verò verbi sunt, non verò factores, comparabuntur viro, consideranti vultum nativitatis suæ in speculo, Jac. 1. v. 23. ideoque nullum hinc emolumentum capiunt, sed verbum quod audierunt, nec fecerunt, judicabit illos in die novissimo, Joh. 12. v. 48.

III. *Proditoris manifestationem*, factam à Christo

1. *Generatim*, ubi observandum

1. *Indicium*. Dicit enim Dominus: Unus ex Duodecim, qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

Apostoli erant lumina mundi, Matth. 5. v. 14. sed non sine delicto fuerunt, quinimò ex illis unus Diabolus factus est, Joh. 6. v. 70. Id adhuc nobis inservire debet, ne efferamur, sed cogitemus: Si in viridi ligno hoc factum, in arido quid fiet, Luc. 23. v. 31.

2. *Supplicium*. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi, per quem Filius hominis traditur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

Quando Christus væ clamat, non vanum id est. Ῥήματα enim ejus sunt πράγματα, Ezech. 37. v. 14.

Atqui adhuc hodie per Ministros suos væ annunciat, quando eosdem in suggestu sistit, ut quasi tubam exaltent vocem & annuncient populo transgressiones eorum, Esa. 58. v. 1. ubi sanè quandoque dicitur: Væ vobis, viri impii, Sir. 42. v. 11. quod non minus efficax est, ac si Dominus ipse clamaret. Qui enim vos audit, me audit, Luc. 10. v. 16. Hinc meritò stimulum ejus in conscientia sentientes cum Væ respondeamus: Væ nobis, qui adeò peccavimus! Sic jucunda orietur Echo, & Deus ad misericordiam permovebitur. Irritata enim est anima ejus super miseria Israelis, Iud. 10. v. 16. Sap. 4. v. 15. Psal. 55. v. 23.

3. *Frontispicium*, Iudæ Proditoris. Cæteris enim discipulis Dominum alloquentibus & quærentibus: Nunquid ego sum Domine? ipse totus exhorrescere debuisset, sed perfrictâ fronte quærit, quasi nihil ad se attineret: Nunquid ego sum Rabbi!

Hic ingenium omnium hypocritarum nobis depingitur, qui animum suum malè feriatum pulcrè celare norunt. Sed seipsos fallunt. Væ, qui profundi estis corde, Esa. 29. v. 25. Insipientem enim esse oportet, qui Dominum celare audet consilium suum, Iob. 42. v. 3. cujus oculi multò lucidiores sunt ipso Sole, Sir. 23. v. 27.

2. *Speciatim.* Magis enim ad speciem descendit, discipulisque reliquis peculiaria indicia præbet, ex quibus hominem hunc nefarium & ingratum deprehendere debeant.

Ubi consideranda

1. *Petri cura.* Innuit enim Johanni, qui suprà pectus Jesu recumbebat, quia diligebat eum, ut exquireret, quis esset, de quo Jesus diceret, quod se traditurus esset.

Conspicimus hîc, quod & unus ex Apostolis majori zelo præditus fuerit, quam alter. Johannes recumbebat suprà pectus Jesu, sed non tanto fervore rem agebat uti Petrus, sed per eum ante commonendus erat, quàm proditorem investigaret. Ita dona diversa sunt, ut alius nutu suo plus efficiat, quàm alius objurgationibus & imprecationibus. Sed Auditores dissimiles sunt. Johannes actutum animadvertit, ubi Petrus innuit. E contratio alii repeziuntur, qui fulgura si minitentur, despiciunt. Percussisti eos, & non doluerunt, Jer. 5. v. 3.

2. *Christi tinctura.* Ubi enim Johannes quærit, Domine, quis est? Ecce, Dominus offam panis intingit, sine dubio embammati, quod juxtà agnum Paschalem comedere tenebantur. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ, Simonis Iscariotæ. Tum sentit Judas, quod manifestus esset, ideò pòst buccellam introivit in eum Satanas, non quod per buccellam hanc Satanas ipsi comedendus exhibitus fuisset: sed quia hoc ipso, quod Dominus eum manifestaverat, eò magis exasperabatur pessimum suum propositum in rem ipsam deducendi.

Hîc ideam habemus eorum, qui indignè sacrâ cœnâ utuntur. Licet enim & illi corpus & sanguinem Domini accipiant, cum pane & vino benedicto, attamen non ipsis ad vitam, sed in judicium & damnationem cedit. Hîc verò corpus & sanguis Christi minus in culpâ est: sed illi ipsi, qui illotis manibus & lævo corde corporis & sanguinis Dominici participes se reddiderunt. 1. Cor. 11. v. 27.

3. *Judæ ruptura.* Dixit enim ei JEsus: Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis, ad diem festum. Non enim precariò Christo quicquam dabatur, quæ edere volebat, emere tenebatur. Alii putabant, commonefacere eum Christum, hoc ipso, ut egenis aliquid daret. Verùm Iudas melius cæteris omnibus intelligebat, ideò iracundiâ percitus abibat, ejus exequiendi gratia, quod sibi proposuerat. Ubi Evangelistæ non sine causâ addunt: Erat autem nox. Utique Iudam nox occupavit, ut lucem vitæ non amplius cernere potuerit, sed à Christo ad Diabolum se contulerit, & è cœlo in infernum prolapsus fuerit, in quo hactenus ignis tormenta passus est, & ulterius patietur in æternum.

Videmus hic ingenium filiorum hujus seculi, quod libenter in abscondito & in tenebris degant. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, Iohan. 3. v. 20. seqq.

Inte-

Interim tamen nihil adeo abſconditum eſt, quod non manifeſtum fiat, quodſi in hoc mundo id non accidit, certe die fiet noviſſimo, ubi Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum, 1. Cor. 4. verſ. 5.

De Secundo.

Digredimur nunc *ad alteram partem, Apoſtolorum litigationem* contemplaturi. Ubi notanda

I. *Ipſa litigatio.* Ubi deſcribitur

1. *Tempus.* Verba enim antecedentia indicant, contentionem hanc factam eſſe Hieroſolymis, in cœnaculo ſtrato, ubi Servator cum diſcipulis agnum Paſchalem comederat, & ſimul ſacram Cœnam inſtituerat. Ideo merito aliis, iisque melioribus cogitationibus occupati eſſe debuiſſent. Verum hoc non attento, Diabolo morem gerunt, & de prærogativa contendunt.

Videmus hîc, Diabolum eo tempore, quando homo ad devotionem ſe parat, plerumque negotioſiſſimũ eſſe, & prohibere, quo minus ſemen verbi divini in cordibus germinet, radices agat, & fructum producat, dum auffert, quod ſeminatum eſt, Matth. 13, v. 14.

2. *Cœtus.* Facta enim hæc contentio eſt inter Apoſtolos, qui in vana hac perſuaſione hactenus fuerant, Dominum & Magiſtrum ſuum terrenum Regnum inchoaturum, Herodem & Pontium Pilatum abrogaturum, eorumque ſeſſiones ſibi diſtributurum eſſe, adeo ut hunc Pro-Regem, illum Cancellarium, iſtum Conſiliarium intimum conſtitueret, ideo de proëdria in Regno Chriſti terreno quod ſibi imaginabantur, diſceptant.

Hic conſpicimus nimiam Apoſtolorum ruditatem, & ſimul diſcimus, quod & inter ſanctos ejus nemo integer ſit, Job. 15. verſ. 15. ideo nemo viribus naturalibus confidere, ſed ſemper in vera animi humilitate vivere debet, cum Paulo dicens: Gratia Dei ſum, quod ſum, 1. Cor. 15. verſ. 10.

3. *Scopus*, quem intenderunt, nempe quis illorum videretur eſſe major. Quis piſcatores hoſce tanta ambitione percitos fuiſſe autumaſſet? Declinate hoc vitium Dilecti! Et in manſuetudine opera veſtra perficite, hoc ſuperat omnia, quæ ab hominibus diliguntur, aut deſiderantur, Sir. 3, v. 18.

II. *Secuta placatio.* Ubi ipſis explicat

1. *Regni ſui diſcrepantiam.* Inquit enim: Reges mundi dominantur, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic. Hic audimus, quale Servator Regnum habeat, nempe non terrenum, quale Judæi ſibi imaginantur, ſed ſpirituale, quod per ſpiritum oris ſui, verbum & Sacramenta propagat, diſpertitque Regni ſui conſortibus, juſtitiam, pacem, & gaudium in Spiritu ſancto, Rom. 14. v. 17.

Quicunque igitur pecuniam & opes apud Chriſtum quærit, ille neſcit, quid quærat, nec intelligit, quale Chriſtus Regnum habeat. Ideo ſpiritualiter affectos nos eſſe, & terrenas concupiſcentias abnegare oportet, ſi membra & Regni ejus conſortes eſſe velimus. Amicitia enim hujus mundi, inimicitia eſt Dei, Jac. 4. verſ. 4.

2. *Exempli ſui præſtantiam.* Nam quis, inquit, major eſt, qui recumbit, aut qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Hoc ipſo eos ad humilitatem invitare vult ut omnibus ſuperbis cogitationibus ex animo profligatis, exemplum ſuum ſequantur. Quod enim hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum, Luc. 16.v.15.

III. *Annexa conſolatio,* qua animum illis addit, ne de remuneratione officiorum ſuorum dubitent, dum

1. *Fideliter exaggerat.* Vos, inquit, eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Hoc merito patientiam in nobis excitare debet, ne ſeducamur à Filiis hujus ſeculi dicentibus: Vanum eſt ſervire DEO, Mal.3. v. ult. Hic Chriſtum fidelitatem & conſtantiam diſcipulorum ſuorum prædicare audimus. Attendit enim Dominus & audit, & ſcriptus eſt liber monumenti coram eo, Mal.3.v.16.17.

2. *Præmia deputat.* Diſponit iilis Regnum, ut edant & bibant ſuper menſam ſuam in Regno ſuo, & ſedeant ſuper Thronos, judicantes duodecim Tribus Iſraël. Hoc allegorice dictum, eoque indicatum eſt, quod vitam & abundantiam habere in æternum, Joh.10. verſ.11. quod mundum, qui hic nos judicavit, viciſſim judicare, & magna conſtantia ſtare debeamus adverſus eos, qui nos anguſtiaverunt, Sap. 5.verſ.1.

Eò igitur ſemper anhelemus, quando res adverſæ in hoc mundo nobis obtingunt. Quemadmodum agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat imbrem temporaneum & ſerotinum: Sic & nos patientes ſimus, & confirmemus corda noſtra, quoniam adventus Domini appropinquat, Jac.5. verſ. 7. 8. ibi locupletiſſimam remunerationem laborum accipiemus, reipſa compertientes, quod non ſint condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Rom. 8. verſ. 18.

De Tertio.

Supereſt *tertium membrum,* nempe *Status futuri prænunciatio,* ubi attendenda

1. *Valedictoria Concio,* quam Servator ad diſcipulos ſuos ante diſceſſum ex hoc mundo habuit. In qua agit

1. *De glorificatione,* de qua loquitur

1. *Subjectivè* dum indicat, quomodo ipſe glorificandus ſit, & quidem in præterito, quaſi jamdum factum ſit, ad modum S. Prophetarum, propter certitudinem, quia *dictum Dei habetur pro facto,* ut Rabbi Salomo ſcribit. Ejus ideam Petro, Jacobo & Johanni in monte Thabor oſtendit, Matth. 17. Sed per reſurrectionem & adſcenſionem ſuam, omnia in ſummo gradu conſummata ſunt. Sedet enim nunc ad dextram Dei, & dominatur ſuper omnem Principatum, Eph.1.v.21.22.

2. *Relative,* ut indicet, quomodo glorificatio hæc à Deo veniat, & viciſſim ad gloriam ejus referatur, nempe *ad clarificationem juſtitiæ ejuſdem,* juxta quam humanum genus in gratiam ante recipere non potuit, quam ſatisfactum ei eſſet: & quia nos ei ſatisfacere non potuimus, nō pepercit proprio ſuo Filio, ſed pro omnibus nobis tradidit, Rom.8. v.32. qui ſolvere coactus,

ctus, quod non rapuerat, Pſal. 69. v. 6. ut nos per enm redemtionem haberemus, per ipſius ſanguinem, & remiſſionem peccatorum, Col. 1. v. 14. *Ad clarificationem miſericordiæ ejus.* In hoc enim commendat Deus caritatem ſuam erga nos, Rom. 5. v. 8. 9. *Ad clarificationem veritatis ejus*, neſcit enim mentiri, Hebr. 6. verſ. 18. ideo omnia impleri oportuit, quæ ſcripta fuerunt per Prophetas, de Filio hominis, Luc. 18. verſ. 31.

Solatium capite ex clarificatione hac, Dilecti! Vos enim ejus quoque aliquando participes evadetis, nempe die ultimo, ubi Dominus transfigurabit corpus humilitatis noſtræ, Phil. 3. v. 21.

2. *De emigratione.* Filioli, ait, adhuc modicum vobiscum ſum; quæretis me: & ſicut dixi Judæis: Quo ego vado, vos non poteſtis venire.

Tria hîc notanda veniunt:

1. Eſt *blanda compellatio.* Vocat enim Chriſtus diſcipulos ſuos filiolos. Eſt enim Pater æternitatis, Eſa. 9. v. 6. qui nos gignit voluntarie verbo veritatis, ut ſimus primitiæ aliquæ creaturarum ejus, Jac. 1. v. 18.

Hoc noſtræ inſerviat *conſolationi.* Quia enim ipſe nos vocat filiolos ſuos, filialem fiduciam concipere poſſumus, quod nos non patiatur tentari, ſupra id, quod poſſumus, 1. Cor. 10, 13. ſed quomodo Pater miſeretur filiorum, ita & noſtrûm miſerebitur, Pſal. 103. v. 13. nec relinquet virgam peccatorum, ſuper ſortem juſtorum, Pſal. 125. v. 3.

2. *Abitus denunciatio.* Porro enim inquit: Filioli, modicum adhuc vobiscum ſum: hoc de paſſione & morte ejus intelligendum eſt. q. d. non moras agitabit proditor meus, & revertetur cum magna manu militum & ſervorum Sacerdotum, qui me prehendent, & tandem crucifigentes occident, ut aliquamdiu me non conſpiciatis.

Hæc triſtis valedictio, ad cujus auditum ſine dubio Apoſtoli lachrymas emiſerunt.

Nos cogitemus, quod & nobis aliquando Noſtratibus valedicendum ſit, ſtatutum enim eſt omnibus hominibus, ſemel mori, Hebr. 9. v. 27. Sic certiſſime aliquãdo per mortem divellemur: Sed hæc conſolatio nos manet, quod die ultimo viciſſim conventuri ſimus, ubi indiſſolubiles cohabitabimus ſemper, 1. Theſſ. 4. verſ. 17.

3. *Sequela negatio.* Quæretis me, & ſicut dixi Judæis, quo ego vado, vos non poteſtis venire. Hoc ipſo reſpicit acrem illam diſputationem, quæ ſibi cum Judæis interceſſerat, Joh. 8. v. 21.

Probe advertendum, quod Chriſtus ad diſcipulos ſuos ait: quo ego vado, vos non poteſtis venire, nondum enim temporis ratio requirebat, ut Apoſtoli paterentur & morerentur. Solus enim Sacrificium hoc propitiatorium exantlaturus erat, juxta illud: Torcular calcavi ſolus, Eſa. 63. verſ. 3. Sicut propterea unicus Mediator Dei & hominum dicitur, 1. Tim. 2. verſ. 5.

3. *De dilectione.* Hinc ait: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem: ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinvicem.

Hoc

Hoc nobis quoque dictum est. Dilectio enim maxima est virtutum omnium, 1. Cor,13,13. ideo apprime op⁹ erit, ut illi operam demus. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est, 1. Joh. 4. v. 20. 21.

II. *Immoderata Petri præsumtio.* Ubi observandum

1. *Quæsitum.* Audiens enim Servatorem dicentem: Quo ego vado, vos non potestis venire: Quærit ille: Quo vadis, Domine? Fuit hoc indicium

1. *Supinæ stupiditatis.* Dominus sane satis manifeste dixerat, quo vasurus esset: Quia vero id Petro, cæterisque Apostolis minus arridebat, idcirco nec intelligere volebant. Ita adhuc hodie multi conciones frequentant, & tamen nunquam ad agnitionem veritatis perveniunt, juxta illud, Hebr. 5. v. 12.

2. *Humanæ fragilitatis.* Vel justus enim in die septies cadit, Prov. 24. v. 16. Quinimo quis intelligit delicta? Psal. 19. v. 13. id agnoscamus oportet, adeoque cum omnibus sanctis pro remissione peccatorum Deum oremus, Psal. 32. v. 6.

2. *Responsum*, quod valde memorabile,

1. *Ratione argumenti*, quo

1. *Corrigit*, præsumtionem & temeritatem ejus, digito quasi ostendens

1. *Temporis differentiam.* Quo ego vado, inquit, non potes me modo sequi, sequeris autem postea. Coram Deo enim omnia demensa sunt, quodlibet tempus suum definitum habet. Petrus quoque crucifigendus erat, sed tempus nondum instabat, id æquo ipsi animo expectandum fuit. Nemo enim nostrûm sibi vivit, & nemo sibi moritur, Rom. 14. v. 8.

2. *Diaboli truculentiam*, Satanas, ait, expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum. Quando triticum purificare volumus, cribro id tam diu ventilamus, dum pulvis & cæteræ sordes separatæ sint, quamvis & nonnunquam bonum granulum pertranseat. Ita, ait Christus, Diabolum omnes Apostolos collectim quasi cribro indidisse & ventilasse, instar tritici, ea spe, ut unus vel alter pertranseat, ut naufragium salutis faciat, 1. Tim. 1. v. 19.

Certissime persuadeamus nobis, Dilecti! Diabolum adhuc hodie cum cribro suo circumire, & interitum nostrum quærere, coram eo enim gaudet mœror, Job. 41. v. 13. Sed limites à Deo ei permissos transire nequit, ideo assidue oremus:

Tentationem ne feras,
Cum nos malignus Satanas
Tentat, sinistre, dextere,
Da fortiter resistere,
Firma cataphractos fide,
Sanctique Spiritus ope.

Sed & hoc solatium teneamus, etiamsi Deus, ex sanctis suis causis, ejusmodi tentationem nobis immitteret, quod tamen Deum diligentibus omnia in bonum cooperabuntur, Rom. 8. v. 28. Nam quemadmodum cribratio & ventilatio tritico non incommodat, sed potius hoc ipso purificatur, & à paleis aliisque sordibus purificatur, ut postmodum instar flavi auri in area conspiciatur: Ita & nos per afflictiones & tribulationes varias quasi cribramur, ut qui foris est homo, corrumpatur, & is, qui intus

juſtus eſt,renovetur de die in diem, 2.Cor. 4.v.16,Sir.2.v.1.ſeqq.

2. *Erigit*.Ego autem, inquiens, rogavi pro te,ut non deficiat fides tua.

Hic videmus,cui acceptum ferre debeamus, ne Satanas nos in poteſtatem ſuam redigat,nempe Dn. noſtro Jeſu Chriſto, qui eſt ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis,Rom.8.v.34.Hinc Eccleſia:

Nil ecce! noſtris viribus,
Mox ille nos proſtravit,
Noſtris at eſt à partibus,
Quo Jova nos beavit.
Si quæris ille quis?
Jeſus vocatur is,
Rex gloriæ ſummus
Nec aliter eſt Deus,
Hic ſolus eſt invictus.

Oves enim, inquit, meæ vocem meam audiunt, & do eis vitam æternam, Joh.10. v.27.28.

3. *Dirigit*. Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos

Id noſtrum quoque debitum requirit, ut ſi hunc vel illum in delicto aliquo præoccupatum viderimus, eum inſtauremus ſpiritu lenitatis,Gal.6.v.1. Jac.5.v.ult.

II. *Ratione juramenti*. Ubi enim Petrus cedere nondum vult, ſed audaciter præſumit,inquiens: Animam meam pro te ponam: & iterum:Domine, tecum paratus ſum, & in carcerem & in mortem ire: Ipſi Servator indicat,quam parum temeritati huic tribuendum ſit.Nimirum nihil prorſus. Juratò enim adſeverat, Amen,Amen dico tibi Petre;non cantabit hodie gallus, donec ter abneges, noſſe me.

Unde pateſcit

1. *Chriſti veriloquentia*. Geminum enim juramentum jurat, Amen, Amen dico tibi, quo non opus fuiſſet, mentiri enim nequit, quo vero abundantius oſtenderet pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui,interpoſuit jusjurandum, Hebr.7.v.17. *O felices, quorum cauſa Deus jurat, ô infelices, ſi ne juranti Deo credimus*, ait Tertullianus. Certe durum illis erit adverſus ſtimulum calcitrare, Act.9.v.5.

2. *Chriſti omnipotentia*. Hic audimus, ſcire eum quando & quoties gallus cantaturus ſit.Ita ne dubita mi Chriſtiane, ſcit ille, quid facias, & ubi habites, Apoc.2.v. 13. Omnia in providentia ejus deſcripta ſunt,& ſicut gallus ſine voluntate ejus non cantat,ſic multo minus pecoribus tuis absque permiſſu ejus, incommodum oborietur. Ideo invoca ejus benedictionem, ſi ea indigueris, ipſe cuilibet ſimpliciter dat, Jac.1.v.5. & benedictio ejus ſine moleſtia ditat, Prov.10.v.22.

III. *Diverſa Apoſtolorum conditio*. Ubi ad animum ipſis Chriſtus revocat,

1. *Statum priſtinum*,

1. *Per propoſitam quæſtionem*, in qua agitur

1. *De ablegatione*. Dicit enim ſe ſæpe eos miſiſſe,ſine ſacculo,ſine pera & calceamentis,quo ipſo dubio procul ſe refert ad mandatum,quod ipſis antehac dederat:Nolite poſſidere aurum,neque argentum, Matth. 10.v.9.

Hic perſpicimus Chriſtum Miniſtros ſuos non inſtruere externis mediis, ut coram mundo in autoritate vivant: ſed mittit eos ſine ſacculo, ſine pera, & calceamentis, quæ enim nihil ſunt coram mundo,

do,elegit,ut ea quæ sunt obliteraret,1.Cor. 1. v.28.

Interea est & manet ille Dominus messis,Luc.10.v.2. Et si adhuc hodie pauperes & abjectos mittit,non Personam ejus Auditores respiciant,sed eum, qui misit illum, memores illius Christi: Qui vos audit, me audit,Luc.10.v.16.

2. *De sustentatione.* Simul quoque eosdem interrogat, nunquid aliquid defuerit ipsis.Equidem Divitiæ & copia non indicant , illos qui illis præditi sunt, in gratia Dei esse. Pauci enim offenduntur, qui illis recte uti queant,plurimi cor iisdem apponunt,Psal.62.v.11.dicentes obryzo:fiducia mea, Hiob.31. v.24. Ideo Jacobus ait: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo,divites in fide, Jac.2.v.5. Sed quando hîc Servator discipulis suis ait : Nunquid defuit vobis! Hoc ipso necessariam sustentationem respicit, quam illis per ordinaria media procuravit,per illos,qui eos receperunt, & hospitium largiti sunt. In quamcunque civitatem intraveritis & susceperint vos,manducate, Luc.10. v.7.

Hoc ita Deus ordinavit.Quia enim qui literis discendis incumbit, ab aliis laboribus vacare debet. Sir.38. v.25. æquum est, ut communicet is,qui catechizatur in verbo, ei, qui se catechizat,in omnibus bonis, Gal.6.v.6. Quis militat suis stipendiis unquam?1.Cor.9.v.7.seqq.

2. *Per datam responsionem.* Dicunt illi, quod nihil sibi defuerit. Idem multi experiuntur, qui licet curta sibi suppellex fuerit, tamen cum revolutione anni confiteri coguntur,nihil defuisse sibi.Hoc opus divinæ providentiæ est, qui modica benedictione sua auget,ut necessitati nihil deficiat,Prov. 30.v.8. exemplo est vidua Sareptana , 1. Reg.17.v.12.seqq.

2. *Statum futurum*,inque eo

1. *Imminens periculum*,quando dicit:Sed nunc,nunc ait,alia vobis conditio erit,non ulterius cibus & potus ministrabitur vobis , verùm injuria afficiemini , & persequentur vos de civitate in civitatem , Matth.23.v.34. Imo,omnis,qui interfecerit vos , arbitrabitur cultum se præstare Deo,Joh 16.v.2.

Hic apparet , in hoc mundo pios constans gaudium non habere : sed licet quandoque prosperis fruantur, ut inopia nulla laborent : attamen fortuna mox ipsis adversatur,ut cum Paulo querulari cogantur: Usque in hanc horam,& esurimus, 1.Cor. 4.v.11. sicut enim bonam diem, sic & malam fecit Deus , ut igitur in illa fruimur bonis , sic & in hac malum feramus moderate,necesse est , Eccles.7.v.14. Qui id facere non vult , ille Christo dignus non est.

2. *Fidele consilium*, quod Christus discipulis suis suppeditat , dicens : Sed nunc qui habet sacculum,tollat,similiter & peram. Et qui non habet , vendat tunicam suam,& emat gladium. Dico enim vobis ; quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me : Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea , quæ sunt de me , finem habent.

Hic duo consideranda occurrunt :

1. *Verborum sonus.* q. d. Ego hactenus vos alui, vosque protexi , ne quisquam vobis molestus esset. At jam admodum tristia & periculosa tempora instant: ut vobis opus esse videatur, ea quærere præsidia,quibus dum solenni more vobiscum eram , non

non indigebatis. Theophylactus ita: *Bella & pericula ſignificat, docens, ut ad omnia parati ſint.* Ideo vult ut ſacculum & peram neceſſariis alimentis inſtructam habeant, ſimiliter & gladios emant, quibus ſe adverſus injuſtam vim tueri poſſint. Verum non ſermo eſt de gladiis corporalibus, ſiquidem Petro gladio percutienti præcipit, ut gladium in vagina recondat, Matth. 26. v. 52. ſed commendat illis ſcutum fidei, & gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei, Eph. 6. verſ. 17. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, 2. Cor. 10. verſ. 4.

2. *Rationis pondus.* Quoniam ait, adhuc hoc, quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus eſt. Hoc ipſo Servator reſpicit inſtantem ſuam paſſionem & mortem, ubi vere cum iniquis deputatus eſt, primo in horto Oliveti, ubi Judæi, nocte intempeſta, velut maleficorum peſſimum eum invaſerunt, captum laqueis conſtrinxerunt, & ad ſummum Pontificem Caipham deduxerunt, ubi colaphis cæſus & ad mortem condemnatus eſt, Matth. 26. v. 47. ſeqq. Deinde in prætorio Pilati, ubi nequiſſimus latro Barrabas ipſi prælatus, & cum eo permutatus eſt, qui tamen velut latro & ſeditioſus, dupliciter mortis reus factus fuerat, Joh. 18. verſ. ult. & tertio in loco Calvariæ, ubi inter latrones medius ſuſpenſus, & velut bipedum nequiſſimus, crucifixus fuit, Luc. 23. verſ. 33.

Veluti igitur hoc Propheta Eſaias dudum prædixerat, c. 53. v. 4. ita ſignificat ipſis Chriſtus, hoc æque ac reliqua Vaticinia in ſe complendum eſſe. Et hoc optimum noſtrum ſolatium in omnibus adverſitatibus eſt, quod ſciamus, nihil nobis fortuitò obtingere poſſe, ſicut nec Chriſto Servatori quicquam acciderit, quod non per Prophetas prædictum ſit. Ideo dicamus: Fiat voluntas tua, Matth. 6. v. 10. Siquidem Deum diligentibus omnia in bonum cooperabuntur, Rom. 8. v. 28.

3. *Apoſtolorum ingenium*, qui ſenſum verborum Chriſti minus capientes, ſemper terrenis cogitationibus occupati ſunt, ideoque dicunt: Domine, ecce, duo gladii hîc. q. d. Optime Domine & Magiſter, ne ſis ſollicitus de gladiis, ecce hic duo parati ſunt, & ſi illi non ſufficiunt, facile plures comparabimus, quibus ita hoſtibus reſiſtemus, ut reipſa experiare, quod te in periculo non relicturi, ſed ſtrenue pro te dimicaturi ſimus. Dominus qui ruditatem eorum facile perſpicit, colloquium hoc abrumpit, dicens: Satis eſt. q. d. O quam ſiniſtrè verba mea interpretamini! quam parum ſenſum verborum meorum aſſequimini! ego de gladio ſpirituali loquor, & vos de corporalibus intelligitis. Satis eſt, ſufficiat hæc meminiſſe. Veniet utique tempus, quo verba hæc mea in memoriam vobis revocabitis, & plenius intelligetis.

Perſpicimus hinc, natura nos obtenebratum habere intellectum, Eph. 4. v. 18. nec percipere ea, quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 14. Idcirco oremus Deum oportet, ut det nobis illuminatos oculos cordis noſtri, Eph. 1. v. 17. quo videamus mirabilia in lege ejus, Pſal. 119. v. 18. & de die in diem creſcamus in ſcientia ejus, Col. 1. v. 11. in qua vita æterna conſiſtit, Joh. 17. v. 3. Imprimis vero conſolatione plenum eſt, quod Dominus diſcipulos ſuos propterea non abji-

cit, ſed infirmitatem eorum patienter tolerat. Similiter enim adhuc hodie affectus eſt erga te, me, & omnes peccatores: calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non exſtinguet, Eſa, 42. v. 3. Sed ſi benedictus Domini ceciderit, non projicietur, quia Dominus ſuſtentat manum ſuam, Pſal. 37. v. 24.

Vis infertur huic textui quando Pontifex hinc poteſtatem utriusque gladii, & ſpiritualis & politici ſibi adſtruere ſatagit. Neque enim Chriſtus Apoſtolos gladiis corporalibus ſe munire jubet, ſed hoc ipſo indicat ipſis futurum periculum, quod proxime inſtet, ubi tacite ipſis ſpiritualem armaturam commendat, quibus & nos hodie omnes & ſinguli indigemus. Vita enim noſtra perpetua militia eſt, Job. 7. verſ. 1. Atqui nemo coronatur, niſi legitime certaverit, 2. Tim 2. verſ. 5. ideo ferendum & certandum, ſi coronam vitæ, Apoc. 3. verſ. 13. coronam juſtitiæ, 2. Tim. 4. verſ. 8. immarceſſibilem gloriæ coronam aliquando reportare velimus, 1. Petr, 5. v. 4.

Quam nobis omnibus tempore ſuo largiri dignetur ex gratia, Deus cœleſtis Pater, per Jeſum Chriſtum, in Spiritu ſancto, Deus laudandus nunc & in ſecula, Amen!

DOMINICA OCULI.

Textus,

Ex Hiſtoria Paſſionis Jeſu Chriſti.

EXORDIUM.

HOdierna Dominica dicitur Dominica Oculi, quia olim in Eccleſia Latina in introitu cecinerunt ex Pſal, 25. Oculi mei ſemper ad Dominum. Hoc ipſo Majores noſtri reſpexerunt, ad hodiernum Evangelium, in quo de obſeſſo agitur, cui Diabolus linguam ligaverat, ut non potuerit loqui, aures, ut non potuerit audire, oculos, ut nequierit videre. Verum Servator Chriſtus miſerum hunc homuncionem reſpicit, & Dæmonem ab eo expellit, ut ex tempore reſtituatur & ſanetur, ſicut pluribus S. Lucas deſcribit, cap. 11. v. 14. - 28. Ideo recte dicitur Oculi, ſive aperi oculos, ut conſideres

I. *Triplicem Querelam*, quæ nobis in Evangelio proponitur, ubi ſpectes

1. *Obſeſſi ſpectaculum*, quod indicat nobis Satanæ truculentiam & tyrannidem, quam adhuc hodie exercet, ſi ipſi Deus id permittat. Ideo vocatur Abaddon, Apoc. 9. v. 11. O quot occæcat, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt

est imago Dei, 2.Cor.4.v.4. Quot surdos efficit, ut verbum Dei audire nolint, velut Judæi, Jer.6.v.10. Quot reddit mutos, ut justitiam non loquantur, Psal.58,v.2. sed stultiloquium & scurrilitatem, quæ non decent Christianos, Eph.5.v.4. si eò rem deducit, plenam potestatem habet, tandemque præcipitat in stagnum, ardentem sulphure & igne, quæ mors est secunda, Apoc.21.v.8.

2. *Recidivæ periculum.* Non enim otiosus est Diabolus, sed nocte & die circumit, quærens, quem devoret, 1.Petr.5. v.8. ideo non securi simus, si semel resipuerimus è laqueis ejus, 2. Tim.2. v.ult. & remissionem peccatorum consecuti fuerimus: sed qui stat, videat, ne cadat, 1.Cor.10.v.12. & salutem cum timore & tremore operetur, Phil.2.v.12.

3. *Consequens dispendium.* Quando enim homo in pristina peccata relabitur, hoc ipso Satanæ ansam ministrat, ut assumtis septem nequioribus spiritibus se ipso, in vetus hospitium lætabundus revertatur. Unde etiam ejusmodi homo difficillime ad frugem adduci potest: sed discit malum, ut non possit bene facere, Ier.13.v.24, transit de iniquitate ad iniquitatem, Rom.6.v. 19. dum mensura impleta, thesaurizat sibi iram Dei, in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, Rom.2.v.5.

II. *Triplicem Medelam,* quæ fluit

I. *Ex Christi miraculo.* Hoc ipso enim luculenter probavit, se promissum esse mundi Messiam, de quo prædictum, quod contriturus caput serpentis, Gen.3.v.15. giganti prædam erepturus, Esa.49.v.24. & in sanguine testamenti sui emissurus vinctos suos de puteo, in quo non est aqua, Zach.9.v.11.

2. *Ex Dei digito,* quo Dominus Diabolum expulit, & miraculum suum patravit, sicut expresse ait in hodierno Evangelio, se per digitum Dei Dæmonia ejecisse. Quod si igitur id Deus digito perficere potest, quanto plus præstare poterit dextera sua, quæ omnia mutare valet, Psal.77.v.11. & brachio suo, quo potentiam facit, Luc.1.v. 51. Ideo confidamus ipsi semper. Non enim impossibile est apud illum ullum verbum, Luc.1.v.37.

3. *Ex muliercula encomio,* ait enim de Christo clara voce: Beatus venter, qui te portavit! Quia vero Christus respondet & ait: Beati, qui verbum Dei audiunt & custodiunt, patescit hinc, quod pius Christianus, qui verbum Dei veneratur, & ad illud vitam suam componit, æque beatus sit, ac Maria, Domini Mater, quæ Dominum in utero portavit, & uberibus suis nutrivit. Non enim propterea beata est facta, sed quia credidit, Luc 1.v.45.

III. *Triplicem Cautelam,* tribus Regulis inclusam, quarum

1. *Diabolo resiste.* Hoc fiat per fidem, 1.Petr.5.v.9. Diabolus enim est Spiritus impudens, qui identidem corda pulsat, ubi vero cor fide munitũ & oppessulatũ est, ibi quidem requiem quærit, sed non invenit, & re infecta discedat oportet. Hinc Jacobus: Resistite Diabolo, & fugiet à vobis, Jac.4.v.7.

2. *Concordiam fove.* Id Christus mandat, inquiens: Omne Regnum in seipsum divisum, desolabitur: & domus supra domum cadit. Concordiâ enim res parvæ crescunt, discordia magnæ dilabuntur. Ideo

eo deponamus omnem dolum, & simulationes, & invidias, 1.Petr.2.v.1. contra vero solliciti simus servare unitatem Spiritus, in vinculo pacis, Eph.4.v.3. Psal.133. vers.2.

3. *Blasphemias fuge.* Nefandam blasphemiam commiserunt illi, qui dixerunt, Christum in Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicere Dæmonia. Fugiat id quilibet cui animæ salus curæ est. Levit.24.v.11. jussit Deus blasphemum lapidibus obruere. Non enim insontem habebit Dominus eum, qui assumserit nomen Domini in vanum, Exod.20 v.7.

Compendiosa iterum hodierni Evangelii Idea hæc est. Nunc absque ulteriori præambulo ad Passionis Dominicæ Declarationem accedamus. Partes sunt duæ:

I. *Horti ingressus.*
II. *Judæ accessus.*

J. J.

Exegesis.

Veniat Dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pretiosum suum: ita invitat sponsa spiritualis sponsum suum cœlestem, cui ipse respondet: *Venio in hortum meum, soror mea sponsa, messui Myrrham meam cum aromatibus meis,* Cant.5.v.1.

Hæc verba allegotica sunt, & quamvis per hortum hunc Ecclesia Judaica potissimum intelligatur, in quam Filius Dei venit, cum naturam humanam assumsit: attamen hortus Oliveti non excludendus est, in quo amaras Myrrhas adeo copiose messuit, sicuti tempore messis frumentum metere solemus, ut sudorem sanguineum, præ animæ dolore emiserit, & Angelo de cœlo ipsum confortare opus fuerit, ut prælecta Historia testatur.

In prima hac parte notandum est

1. *Tempus.* Accidit id, postquam agnum Paschalem cum discipulis suis Dominus comedisset, & hoc ipso Leviticis V.T. Ceremoniis finem imposuisset, loco autem ejus sacram Cœnam instituisset, quod Evangelista indicat hisce verbis: Et hymno dicto. Judæi enim peculiarem hymnum habebant, ex 8. Psalmis concinnatum, nempe à 111. usque ad 119. quem Alleluja Magnum vocabant, & quando agnum Paschalem comederant, finiebant cœnam illam hymno hoc: id quod & Servator noster cum discipulis suis observare voluit, ad instructionem nostram, ut & nos Deum cœli & terræ, pro omnibus beneficiis ejus, quibus nos copiose & indies cumulat, ex animo laudemus & celebremus. Psal.50.v.14.23. Eph.5.v.18.

Imprimis, quando comedimus, & satiati sumus, gratiarum actionem omittere minus debemus, ut Deus ipse præcipit, Deut.8.v.10. Omnia enim per preces sanctificantur, 1.Tim.4.v.5.

2. *Locus,* & quidem

1. *A quo.* Qui erat Hierosolyma, & cœnaculum in quo cum dilectis suis discipulis agnum Paschalem comederat. Ita discimus hinc, quod quidem salva conscientia convivia adire, & cum probis conversari hilariter possimus, sed & in tempore desinendum est. Tempestive à convivio recede, Sir.32.v.15.16.17.

2. *Per quem,* Hic fuit torrens Cedron, ut Johannes testatur, qui nomen accepit sive ab umbrositate loci, quia utrinque in litore

litore magnæ Cedri steterunt, quæ torrentem hunc inumbrarunt, ut aqua ejus subnigra visa fuerit; vel quod magis credibile est, à cœno & stercore, quod ex urbe in torrente hoc confluxit, unde torrens Kidron sive niger appellatus fuit. Hoc mystice interpretari possumus. Nos peccatis nostris promeriti fueramus, ut in infernalem torrentem Kidron æternæ damnationis abjiceremur. Verum Christus abitu hoc suo luctuoso nos ex illo redemit, ut jam cum gaudio exultare possimus:

Grates Deo, strata est via,
Nobis patescit cœlum:
Christi recludit gloria
Ante fuit quod clausum:
Hinc gestiat mens gaudio,
Quæ præparat se sedulo
Ad subsequendum Christum.

3. *Ad quem*, nempe ad montem Oliveti, & quidem in villam, quæ dicitur Gethsemane, id interpretativè est pressura Olivę, unde non sine causa factum, ut Christus prope Gethsemane, hoc est, Olivæ pressuram, internam passionem suam inceperit: sed hoc ipso innuere voluit, se eum esse, qui torcular iræ divinæ solus calcaverit, Esa, 63. v. 2, & stolam suam in vino, & pallium suum in sanguine uvæ laverit, Gen. 49. v. 11.

Nobis adhuc hodie sæpe cum Servatore nostro ad Gethsemane progrediendum est, juxta illud: In mundo pressuram habetis, Joh. 16. v. ult. Quilibet pressuram suam habet. Christus & S. Martyres pressuram sanguineam, quando velut oves ad mactandum ducuntur, & usque ad sanguinem resistere coguntur, Hebr. 12. v. 4. Pauperes pressuram bonorum & facultatum, veluti Lazarus, ad ostium divitis jacens, Luc. 16. v. 20. Tentati pressuram animi, veluti Paulus, quem Angelus Satanæ quotidie colaphizabat, 2. Cor. 12. v. 7. quod nihil aliud fuit, quam spiritualis tentatio, qua illum ob persecutionem, quam in Christianos exercuit, ad desperationem adigere tentavit. Quam mentis pressuram, Hiob, David, Lutherus, aliique plures compererunt. Verum non malo fine illa immittitur: sed ratione Filiorum Dei, nihil aliud est, quam efficax remedium, qua illi à peccatis præservati, ad vitam æternam conservantur, 1. Cor. 11. v. 31. 1. Petr. 4. v. 2. 12.

2. *Ratione consuetæ frequentationis*: frequenter quippe Jesus convenerat illuc, cum discipulis suis, unde & Judas, qui tradebat eum, locum hunc sciebat.

Nos hodietenus templa nostra habemus, in quibus ad preces Deo offerendas convenimus, unde & domus Orationis illa appellantur, Luc. 19. v. 46. Imo, quilibet Christianus cubiculum suum habet, ubi in abscondito orationem suam fundere, & cordis desideria DEO explicare potest, Matth. 6. v. 6. Æquum autem est, ut ad exemplum Christi, sæpe ad precationem conveniamus, sive etiam in precatorio nostro genua flectamus, & tam nostram ipsius, quam universæ Ecclesiæ calamitatem & desideria ad DEUM deferamus, non dubitantes, quin in tempore percepturus ea sit, & opem laturus. Prope enim Dominus invocantibus est, Psal. 145. v. 18.

Verum

Verum ſicut Judas quoque locum ſcivit, ubi Servator orationem ſuam exantlavit, ſed raro eum inviſit: Sic adhuc hodie multi tempus norunt, quando Chriſtiani ad orandum conveniunt: verum infrequentes iisdem interſunt: ideo hæc notitia ipſis inutilis, & damnatio gravior erit. Scienti enim bonum facere, & non facienti, peccatum eſt, Jac. 4. v. ult.

Quod vero Servator non alibi, quam in horto mortis ſui agonem aggredi voluerit, id non fortuito factum. In horto Paradiſi peccatum introductum erat, ideoque in horto Oliveti rurſum expiandum fuit. Ibi mandatum Dei fractum, hîc transgreſſionem viciſſim frangi æquum fuit. Ibi ira Dei inflammata, quæ hic exſtingui iterum debuit. Ibi mors in mundum intraverat, hîc vita ipſam abſorbere oportuit. Ibi morbus peccati inceperat, hîc ille rurſum angore Filii Dei ſanandus fuit. Ibi homo coram judicio Dei conſtitit, DEUS namq; vocabat eum, dicens: Adam ubi es? Gen. 3, 10. hîc homo per expiationem Advocati & Interceſſoris à judicio Dei redimendus fuit. Ibi homo ob inobedientiam condemnatus, hic per Chriſti obedientiam iterum abſolutus eſt. Hæ graves omnino cauſæ ſunt, propter quas Servator in horto Oliveti agonem ſuum incipere voluit. Semper propterea hoc meminerimus, quando in viridaria noſtra ambulamus: ſic ſane liliis convallium minus abutemur, nec peccabimus, Sir. 7. v. 40.

2. *Chriſti anguſtia*, quæ ſufficienter appatet

1. *Ex Apoſtolorum ſegregatione.* Aſſumſit enim Petrum & duos Filios Zebedæi, Iacobum & Iohannem. Petrum propterea quia ſe cum Chriſto in carcerem & in mortem iturum præſumſerat. Reliquos duos, quia, an poſſent calicem bibere, quem Dominus bibiturus eſſet, & baptiſmate, quo ipſe baptizaretur, baptizari, interrogati, nimis temerarie reſponderunt: Poſſumus, Matth. 20. v. 22. ut ſpectarent, qualem agonem hic exantlandum haberet Servator, quo parcius de ſe ſentientes, infirmitatem ſuam agnoſcerent.

Reliquos vero ad radicem montis relinquit, illisque mandat, ut ſedeant ibi donec orationem ſuam finierit. Quo ſimul exhibet nobis

1. *Crucis probam*, quæ piis à Deo immittitur, ubi unum propius adducit, quam alterum. Optime enim novit ille,

Quid valeant humeri, quid ferre recuſent.

Interea verum manet: Ubi multum crucis, ibi multum lucis & conſolationis, Chryſoſtomo adſerente, 2. Cor. 1. v. 5. Pſal. 126. v. 5.

2. *Solitudinis fugam.* Chriſtus non ſolus manet: ſed adſumit ſibi tres diſcipulos: Ante enim in deſerto ſatis compererat, quam commodo ſuo Satanas ſolitudinem aptare ſoleret, Matth. 4. v. 2. Nos igitur in tentationibus & mœroribus ſolitudinem fugientes, conventus Eccleſiaſticos & piorum conſortium ſedulo inviſamus, quo ex piis colloquiis ſolatium haurientes, doloris noſtri obliviſcamur, Væ ſoli! Eccleſ. 4 verſ. 10.

2. *Ex publicia conteſtatione*, quam edidit

1. *Corporis tremore.* Cœpit enim contriſtari, & pavere & angi. In Græco voculæ

culæ emphaticæ adhibentur. 1. λυπεῖσθαι, quæ de Davidis luctu, quo Absolonis mortem persequebatur, usurpatur, 2. Sam. 18. v. 2. 2. Ἐκθαμβεῖσθαι, quod est contremiscere, & de mulieribus, sepulchrum Christi visitantibus dicitur, Marc. 16. v. 5. 3. ἀδημονεῖν, quod est tanto angore, quanto moribundi & animam agentes infestari solent. Hæc omnia nostri gratia facta sunt. Peccatum enim ceu maximum malum, tandem nil nisi mortis & inferni cruciatus consequi solent. De his Christus liberavit nos, per contristationem, pavorem & angorem, quæ in horto oliveti sustinuit. Solatium igitur hinc hauriamus, quando in animi anxietatibus constituti, querulari cogimur: Tribulationes cordis mei dilatatæ sunt, Psal. 25. v. 17. imprimis vero caveamus, ne malitiose peccemus, & hoc ipso animi angorem nobis attrahamus. Voluntariè enim peccantibus nobis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, Hebr. 10. v. 27.

2. *Verborum tenore.* In quibus observanda

1. *Querela*, quando ad Discipulos ait: Tristis est anima mea usque ad mortem. Περίλυπος est in Græco, h. e. undique coangustatus sum, & mœrore adeò perturbatus, ut nihil nisi præsentissima mors ob oculos mihi versetur. Sancti Martyres lætabundi ad martyria properarunt, sicut imprimis de Stephano Poëta ait:

Ibat ovans animis, & spe sua damna levabat.

Idem de Laurentio, Babylâ aliisque historia Ecclesiastica memorat. Quæ igitur causa est, quod Christus adeò contristatur, pavescit, & angitur, ubi Passionem suam subiturus est? Ah Dilecti! ingens discrimen occurrit inter Servatorem & sanctos Martyres.

Sancti Martyres erant homines privati, & licet atrocissimam mortem, quam sustinuerunt, coràm mundo non meruerant, attamen apud Deum innocentes non erant, Exod. 34. vers. 7. Christus verò erat sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, Hebr. 7. v. 26. Nihilominus eum Pater ejus cœlestis pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, 2. Cor. 5. v. ult. Ideoque dorso suo bajulabat non modò unum atque alterum peccatum: sed totius humani generis inobedientiam: Omnia crimina, peccata & flagitia, quæ ab exordio mundi homines commiserunt, indies adhuc committunt, & in posterum commissuri sunt, sicut hanc ipsam ob causam vocatur Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Joh. 1. v. 29.

Ecce, hoc ipsum Christo hanc contristationem, pavorem & angorem effecit. Sed omnia nostro bono facta sunt: *Nisi timuisset Christus, nos liberati non essemus, nisi doluisset, dolores à nobis non abessent*, ait Cyrillus. Sed jam cum Paulo dicere possumus: Justificati fide pacem habemus cum Deo, Rom. 5. v. 1.

2. *Cautela.* Manete hîc ait, & vigilate mecum, & orate, ut non intretis in tentationem. Dupliciter ipsos in his verbis instruit,

1. *Ad vigilandum*, id & spiritualiter & corporaliter intelligendum est. Quia enim periculum instabat, præcipiebat ipsis

Christus, ut vigilarent, & somnum excuterent, maximè verò Spiritu vigilarent, ne Diabolus ipsis imponeret, qui noctu negotiosus esse, & hominibus dormientibus zizania sua disseminare solet, Matth. 13. v. 25.

Nobis quoque hoc observandum venit. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, nos autem qui diei sumus, sobrii simus, 1. Thess. 5. v. 7. Matth. 24. v. 43.

2. *Ad orandum.* Hoc unicum illud necessarium est, quo carere non possumus. Omnia enim per orationem sanctificantur, 1. Tim. 4. v. 5. Ideoque nulla vocationis opera nos abstrahere debent, quin omnia precibus ordiamur, peragamus & consummemus. Et solatium hoc restat nobis, quod labor noster in Domino non inanis futurus sit, 1. Cor. 15. v. 18.

3. *Ex trina supplicatione*, oblatâ Patri cœlesti,

1. *Ardenter.* Avulsus enim ipse est à discipulis, quantum jactus est lapidis, ut indicaret, se unicum esse Mediatorem Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5.

Interea nos hinc exemplum capimus, sicut Christus oraturus à Discipulis suis separavit se: ita & nos corda nostra à mundo & omnibus terrenis abstrahamus, & unicè ad Deum elevemus, quando efficaciter & cum successu orare volumus. Quemadmodum enim uno oculo non simul cœlum & terram spectare; ita nec uno corde simul Deo & creaturis adhærere possumus. Jac 4. v. 4.

2. *Reverenter.* Positus enim genibus orabat: Ita noli elato animo esse sicut Pharisæus Luc. 18. v. 11. sed agnosce cum Abrahamo, quod pulvis & cinis es, Gen. 18. v. 27. & humilia te sub potenti manu Dei, 1. Pet. 5. v. 6. humilium enim deprecatio semper ipsi placuit, Judith. 9. v. 16.

3. *Confidenter.* Deum enim in summa mentis conturbatione Patrem suum appellitat, quamvis ille durũ se ei exhibeat. Nos similiter nec murmurare, nec iniquo animo ferre debemus, quando Deus cruce nos affligit, Quos enim diligit Dominus, castigat, Hebr. 12. v. 6.

4. *Patienter.* Vocat enim passionem suam calicem. Hic calix tribulationis est, quem Deus in manu tenet, Psal. 75. v 9. ut omnes ex eo bibere, & portionem nobis deputatam ex eo capere teneamur. Christianus enim Crucianus: sed hoc solatium nos confirmare potest, quod & Christus ex eo biberit, & calicem hunc benedixerit, ut Deum diligentibus nunc omnia in bonum cooperentur, Rom. 8. v. 28. Deinde horam vocat, quamvis non horam duntaxat, sed noctem & diem continuam duraverit. Sed quia hoc modo in æternam gloriam intrabat utique hora tantùm æstimanda erat. Ideò nos eò semper respicientes, firmiter credamus, passiones hujus temporis non condignas esse, ad futuram gloriam, Rom. 8. v. 18.

Quodsi igitur & tu precaris, & exauditio desiderata non sequitur, recorderis velim potionem hanc calicis, & horam afflictionis, quam Christus expertus est: expecta Dominum, viriliter age, Psal. 27. v. ult. Veniens veniet, & non tardabit, Hab. 2, 3.

5. *Decenter.* Totus enim voluntati Patris cœlestis se tradit, inquiens: Pater si vis transfer calicem istum à me. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Sic & nos in temporalibus voluntati nostræ renunciancian-

ciantes, dicamus: Domine fiat voluntas tua, Matt. 6. v. 10. Ipse enim optimè novit, quibus indigeamus, Matth. 6. v. 32. & sicut Pater miseretur filiorum, sic ipse miseretur nostrûm, Ps. 103. v. 13. Noli cogitare, si Deus in corporalibus te non exaudit, quod odio habeat te: Nequaquam. Moses Deo gratissimus erat, & tamen prout precabatur, Palæstinam ingredi non poterat, Deut. 34. v. 5. David pro sanitate filioli intercedens frustrà orabat, moriebatur enim die septimo, 2. Sam. 12. v. 18. Paulus rogabat Dominum, ut Angelus Satanæ, qui colaphizabat eum, discederet à se, & respondebatur, ipsi: Sufficit tibi gratia mea, 2. Cor. 12. v. 9. Hinc Bernhardus: *Unum ex duobus indubitanter sperare possumus, aut dabit, quod petimus, aut quod noverit nobis esse utilius.* Id semper meminerimus nos. Commenda Domino vias tuas, Psal. 37. v. 5.

4. *Ex vehementissimâ colluctatione*, quam prodit

1. *Angelica confortatio.* Apparuit enim illi Angelus de cœlo, confortans eum. Non dubium est, quin sancti Angeli Servatori assiduè ministraverint, Matth. 4. v. 11. Sed hîc peculiaris Angeli mentio injicitur, qui eo fine venit, ut confortaret Dominum. Sine dubio Archangelus Gabriel fuit, ut vocula *ἐνισχύων* indicat, Gabriel enim est fortitudo Dei: & mirandum sanè est, eum hîc ab Angelo confortari, qui omnia portat verbo potentiæ suæ, Hebr. 1. v. 3. Sed nos solatium hinc hauriamus. Quia enim ejusmodi Pontificem & Servatorem habemus, qui tentatus est, sicut & nos in omnibus, de misericordia ejus ne desperemus, sed firmiter cōfidamus, quod compassurus sit infirmitatibus nostris, Hebr. 4. v. 15. nec quenquā eorum, qui ei confidunt, passurū tentari, supra id quod potest, 1. Cor. 10. v. 3.

2. *Sudoris cruentatio.* Et factus in agoniâ prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis, decurrentes in terrā.

Si hîc decem Galeni, viginti Avicennæ, triginta Hippocrates, & ut breviter dicam, omnes Medici & Philosophi in toto mundo omnem artem & sapientiam suam conferrent, nunquam tamen explicabunt, quâ ratione hoc factum sit.

Aliàs naturaliter fieri amat, si homo malè se habere incipit, ut sanguis ad præcordia se retrahat, & externa hominis membra pallescant, utpote ex quibus sanguis se subduxit. Hic verò in agoniâ Servatoris, guttę sanguineæ cumulatim è corpore ejus prorumpunt, & in terram decurrunt.

Alii moribundi gelidum aquæ sudorem emittunt: at Christus gelidum sanguinis sudorem. Alexandro Magno oculi sanguine stillabant, quando in aciem progrediebatur. Scanderbegio labia sanguine purpurabant, quando in prælio contrà Turcas irâ effervescebat. Christus verò majori fervore & zelo contra hostes salutis nostræ depugnat, propterea sudor sanguineus de toto ejus corpore largissimè manat. Hic videmus SILOH, qui in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum lavit, Genes. 49. v. 11. Hic conspicimus eum in labore molestissimo, quē ei fecimus in peccatis nostris, Es. 43. v. 25. Hic vermiculus coccineus est, Ps. 22. v. 7. cujus rubrâ tinctura nomina nostra in cœlo scripta sūt, Luc. 10, 20.

O Christiane! ne permittas guttas has sanguineas in terram cadere, sed excipe easdem, corde contrito, & quando Satanas ob peccata te infestat, noli desperare: quot

ſanguinis guttulas Chriſtus ſtillavit, tot teſtes habes, qui acclamant tibi: Nulla condemnatio eſt in omnibus iis, qui in Chriſto JEſu ſunt, Rom.8.v.1.

Hoc verò meritò deplorandum eſt, quod peccata noſtra Servatori Optimo ſudorem ſanguineum expreſſerint, nobis verò ne quidem lacrymulam aquæ exprimere poſſunt, ut lacrymatemur, ſicut David, Maria Magdalena, & Petrus, & doleremus, de peccatis commiſſis. Hæc nefanda eſt obduratio. Ah deplorate, deplorate peccata veſtra, & gratiam quærite lacrymis, ſicut cives Bethulienſis, Judith.7. v.18. & miſericordiam conſequemini. Irritata enim eſt anima ejus ſuper miſeriâ Iſraelis, Jud.1.v.16.

3. *Apoſtolorum incuria*. Tàm altè enim ſtertunt, ut Dominus eos excitare opus habeat, attamen fruſtrà id fit, & ſimulac Dominus diſcedit, in ſomnum relabuntur, & oculi eorum erant gravati ſomno, ut neſcirent, quid reſponderent ei. Iccircò objurgat eos Servator, & primò quidem in ſpecie Petrum: Simon dormis? Non potuiſti unâ horâ vigilare! Deinde ad reliquos: Dormite jam & requieſcite: ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce, appropinquavit, qui me tradit.

Tria hic nobis perpendenda occurrunt:

1. *Chriſti dehortatio*. Nullos enim dormitores vult habere, ſed vigilantes, qui ſemper alacres ſint, Luc.21.v.36. & contendant ad ſalutem, Luc.13.v.24. Petrus audacter præſumſerat, ſe vitam & ſanguinem pro Chriſto profuſurum eſſe: Sed jam jacet & dormitat. Ideò Dominus eum in ſpecie alloquitur, inquiens: Non potuiſti unâ horâ vigilare mecum, q.d. ut Chryſoſtomus explicat: Vigilare mecum non potuiſti, & mecum mori voluiſti. Quilibet caveat, ne ſomno peccatorum & ſecuritatis corripiatur. Nox enim abſceſſit, dies autem appropinquavit, Rom.13.v.12. ideò jam bona operari oportet, donec dies eſt, antequam nox veniat, quando nemo poteſt operari, Joh.9.v.4.

2. *Annexa ratio*. Spiritus enim promptus eſt, caro autem infirma. Per ſpiritum intelligitur homo renatus, qui delectatur lege Dei, ſecundum interiorem hominem, ſed carnem & ſanguinem in ſinu gerit, videtque aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, Rom.7.v.14. Hæc pugna carnis & ſpiritus eſt, de quâ Paulus agit, Galat.5.v.17. Sed cavendum eſt, ne carni frena laxemus. Qui enim ſeminat in carne ſua, de carne metet corruptionem, Gal.6.v.7.8.

3. *Periculi inſtantis ſignificatio*. Dormite jam, & requieſcite, ait. Hoc ironicè capiendum eſt, quô Chriſtus innuere vult, non jam tempus dormiendi & ſterrendi eſſe. q.d. Dormite modò in utramvis aurem, mox novellas experiemini, Judas non procul abeſt, qui armata militum manu adveniens ſomnum vobis excutiet, quia bonis verbis & admonitionibus efficere nequeo, ut horam mecum vigilaſſetis.

Hoc tandem evenire ſolet, ſi verbis locum relinquere nolimus, ſed continuò in peccatis & ſecuritate pergamus, quod Deus poſteà cataphractarios immittit, qui ſecuros ejuſmodi homines tandem haſtis & gladiis excitant. Ne erretis, non irridetur Deus, Gal.6.v.7.

De

De Secundo.

Progrediemur nunc ad *alteram partem*, Judæ accessum perpensuri.

Hic occurrit

1. *Judæ malitia*, quam clarius perspiciemus, si intueamur,

1. *Sodalitium*. Non enim solus venit, sed cum eo turba multa, cum gladiis & fustibus, missi à Principibus & Senioribus populi.

Hîc imaginem habemus *Ecclesiæ malignantium*, quæ semper in more habuit, externa vi & armis errores propagandi. Exemplum adhuc hodie habemus in Pontificiis, qui velut Saulus minas & cædes spirant, adversus discipulos Domini, Act. 9. vers. 1. quod à Patre suo Diabolo didicerunt, qui homicida & mendax est ab initio, Joh. 8. v. 44.

2. *Artificium*. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, ait Evangelista. Metuebant, ne proditorem prehenderent, ideo Judam conduxerant, ut daret sibi signum, ne in capiendo Christo aberrarent. Insignis sane oscitantia! Christus quotidie cum ipsis conversatus docuerat in Templo & Synagogis eorum, & ipsi ignorabant ipsum. Quod clarum est indicium quod non multum Conciones ejus audierint, aut eas in pretio habuerint, sicut adhuc hodie inter medios Christianos reperiuntur, qui aliquamdiu Templum frequentarunt, & tamen Christum nesciunt, sic ara ignoti Dei in medio Christiano orbe hodie invenitur, Actor. 17. vers. 23. Sane flagitium est, hæc à Christianis audiri, in tam clara verbi luce. Hæc namque vita æterna est, ut cognoscant te solum verum Deum, Joh. 17. v. 3.

2. *Christi fiducia*. Scivit enim Jesus, quæ eventura sibi essent, ideo obviam hostibus procedens, dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei, Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum: Si ergo me quæritis, sinite hos abire, &c.

Hinc elucescit

1. *Prompta Christi obedientia*, de qua Augustinus: Non mortuus est ex necessitate, quia omnipotens, neque ex debito, quia sanctus & immaculatus, sed ex libera voluntate, quia misericors, & miserator Dominus. Quis non hîc consisteret, cum Mose exclamans: Diligit populos, Deut. 33. vers. 3.

2. *Immensa Christi potentia*, si inspiciamus

1. *Hostium lapsum*. Dicente enim Christo, ego sum; abierunt retrorsum, & ceciderunt, quasi fulmine prostrati, in terram. Hoc luculentum indicium, quod major fuerit comprehensi virtus, quam comprehendentium, ut Leo ait.

Exhorrescite hinc vos Ecclesiæ hostes & Tyranni! Si protector noster verbulum modo loquitur, pereundum vobis est. Quod si enim in statu exinanitionis, passionem jamjam aggressurus, hostes suos ita pessundare potuit: quid putatis, jam præstitutum eum, ubi ad dextram Dei sedet, instar Majestatici Regis dominans super omnem principatum & potestatem, Eph. 1. v. 21.

Vobis vero vos mei! in solatium id cedit. Quando fremunt gentes & Reges terræ consultant adversus Dominum & adversus Christum ejus, Psal. 2. v. 2.

Nos ejusmodi Salvatore gaudemus, qui ipsis par est ad resistendum, Furor hominum est laus ejus, reliquiis furoris accinget se, Psal. 76. v. 11. Esa. 40. v. 26.

2. *Salvum conductum.* Pontificum & Scribarum mens erat, Christum cum discipulis exstirpandi. Verum Servator frenum injicit truculentiæ, mandatque ut discipulos suos missos faciant.

Adhuc hodie deprehendimus, quod Deus Ecclesiæ suæ providentiam agens, metam figat hostibus, ultra quam illis progredi non licet. Usque hûc venies & non procedes amplius, Job. 38. v. 11. Hæc tua esto fiducia, qui te tangit, pupillam oculi ejus tangit, Zach 2. v. 9.

3. *Osculi impudentia.* Accedens enim Jesum dixit: Ave Rabbi, & osculatus est eum. Jesus non ignorabat, quid osculum hoc sibi vellet, propterea dicit ad Judam: Amice, ad quid venisti? Osculo Filium hominis tradis? q. d. hæccine gratia est, quod te in Collegium Apostolicum assumsi, quæstorem constitui, quadriennium ferme in mensa mea alui, & in Schola mea adeo fideliter institui? Sane non abs re queri teneor: Etiam homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, petit me calce, Psal. 41. v. 10.

Hic exhibetur

1. *Exemplum amoris fucati*, quale quid etiam in ultima hac mundi fece valde familiare est, juxta Adagium:

> Mel in ore, verba lactis,
> Fel in corde, fraus in factis

Vide Jer. 9. v. 5. Psal. 55. v. 22.

2. *Exemplum discipuli ingrati.* Judas per quadriennium fere scholam Christi frequentarat, sedulo ab eodem institutus: jam vero mercedem pessimam ei persolvit.

Idem multi fideles Præceptores ab ingratis suis discipulis experti sunt, & hodietenus experiuntur. In Prophanis occurrunt Aristoteles, Hercules, Galeacius, Sfortia, Nero aliique. Sed, qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus, Prov. 17. v. 13.

4. *Militum sævitia.* Accesserunt namque & manus injecerunt in Jesum & tenuerunt eum. Perpendite rem ex æquo Vos mei! & intelligetis, quam malitiosi hi homines fuerint. Non fugiebat illos, Christum multa signa in cœcis, surdis, mutis, leprosis, obsessis, &c. patrasse. Oculis suis viderant, quomodo se omnes verbo prostraverat. Audebant item quomodo proditorem monuit, & ut Dominus omniscius consilia ejus nefaria manifestavit: attamen adeo obdurati sunt, ut hæc omnia susque deque habeant, & osculo Christum notatum, vi invadant, & vinciant, ne ipsis vicissim elabatur.

Conspicimus hîc, quod sæpe homines propter pecuniam delinquant. Milites hi opinabantur, quia Pontificum stipendia merebantur, se ab omni ratione reddenda immunes fore, licet Christum inique prehenderent. Verum die extremo unusquisq; pro se rationem reddet Deo, Rom. 14. v. 12. Gal. 6. v. 5.

Quod vero Servator sua sponte se prehendendum obtulit, in nostrum emolumentum factum est. Captus quippe est, ut nos à captivitate Dæmonum liberaret, Augustino dicente, Col. 1. v. 12. Hebr. 2. v. 15.

5. Pe-

5. *Petri audacia*, judicanda

1. *Ex ipso facto.* Reliquis enim Apostolis quærentibus: Domine, si percutimus in gladio? ipse responsum non expectavit: sed stricto gladio percussit Pontificis servum, & abscidit auriculam ejus dexteram.

Hæc insignis temeritas fuit, quod misser hic Piscator universæ turbæ exercitatorum militum se opponete non dubitavit. Eò pertraxit eum ira, quæ in sinu stulti requiescit, Eccles. 7. v. 10. nihilque aliud est, quam brevis furor. Noli igitur iracundiæ frenum laxare, justitiam enim Dei non operatur, Jac. 1. v. 20.

2. *Ex Christi responso.* Non enim hæc audacia ei probatur, sed displicentiam desuper contestatur,

1. *Verbaliter*, dum gladium mittere jubet in vaginam,

1. *Quia illicitum*: Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt, q. d. Petre, Petre, scisne quid facias? Non te militem vocavi, ut gladio ferias: sed Præconem & Apostolum, ut armis militiæ spiritualis destruas omnia consilia, & omnem altitudinem, extollentem se adversus scientiam Dei, 2. Cor. 10. v. 5. claves tibi tradidi, Matth. 16. v. 19. gladium vero Magistratui politico commendavi, Rom. 13. vers. 4. qui igitur contra Deum & verbum ejus gladium privatæ vindictæ exercendæ causa acceperit, per gladium peribit, & sibi ipsi maximum incommodum attrahet. Stultum enim occidit indignatio, Job. 5. v. 2.

2. *Quia superfluum.* An putas, inquit, quia non possum modo rogare Patrem meum: & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum. Hoc ipso indicat, si tempus pateretur, se pro duodecim Apostolis duodecim legiones Angelorum precariò accepturum à Patre suo cœlesti. Hæc magna multitudo est. Una enim legio, teste Hieronymo, Corpus erat ex sex millibus virorum constans. Livius, legionem quinque millia peditum & trecentos equites habuisse scribit. Fl. Vegetius de re militari lib. 2. c. 16. ait, legionem habuisse decem Manipulos, (Manipulus habebat centurias duas.) Si ad calculum revoces, 72300. pedites, & 8760. equites: si summam subducamus: 81060. Angelos.

Quod si igitur unus Angelus in Ægypto omne primogenitum percussit, una nocte, Exod. 12. v. 29. & in castris Assyriorum, centum octoginta quinque millia, 2. Reg. 19. v. 35. facile hinc conjicere possumus, quantas copias Christus collegisset, si Patrem suum duodecim legiones Angelorum rogare voluisset.

Hoc consolationi nostræ inserviat. S. Angeli sunt Spiritus administratorii, emissi in ministerium eorum, qui hæreditabunt salutem, Hebr. 1. v. ult. Quando igitur Diabolus circumit velut Leo rugiens, quærens quem devoret, 1. Petr. 5. vers. 8. bono estote animo Dilecti! S. Angeli similiter non feriantur, sed præliantur cum Dracone, Apoc. 12. vers. 7. Timeamus modo Dominum, & vitæ sanctimonię studeamus, nec præsidium nobis deerit. Castra enim metatur Angelus Domini, circa timentis eum, & eripit eos, Psal. 34. vers. 8.

3. *Quia incongruum*,

1. *Respectu exhibiti Calicis.* Calicem inquit, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam

bibam illum? Quo ipso intelligit omnia, quæ Pater ejus cœlestis loco lapsi generis humani ipsi patienda decreverat, ideo Matth.20.v.23. calicem suum appellat.

Hoc consolatione refertum est. Quilibet enim certum suum demensum habet, Actor.9.v.16. & tenetur cum Christo ex hoc calice bibere: Verum Christus eum primus sanctificavit, ideo non est, quod ægre feramus. Potio mensurata est, quæ modum non excedit, & scimus, Deum, qui nobis eam infudit, fidelem esse, nec pati nos tentari supra id, quod possumus, 1. Cor.10.v.13.

2. *Respectu sacri Codicis.* Quomodo autem, ait, Servator, implebuntur Scripturæ? quia sic oportet fieri. Deus per Prophetas multifariam prædixit, quid cum Filio suo tempore Passionis eventurum esset, id implendum fuit, non ex fato Stoico, sed ex divinæ prævisionis oraculo. Ideo quoque decretum hoc suum ad bonum finem direxit, ut Christi passio & mors ad redemtionem generis humani tetenderit, unde Augustinus: *Non sineret male fieri bonus, nisi ex malo etiam aliquid boni elicere posset.* Mirabile enim facit consilium, & magnificat sapientiam, Esa.28.v.ult.

6. *Apologia evidentia,* qua Christus contra hostes suos se defendit.

Circa quam notandum

1. *Tempus.* Facta enim in illa hora, qua summi Pontifices, Magistratus Templi & Seniores, ipsum prehensum vinculis constricturi erant. Quo ipso nos docet, ne nos in extremo discrimine à veritate deterreri patiamur sed pro ea usque ad mortem certemus, Sir.4. v.33. Quoad usque justitia convertatur in judicium, Psal.94.v.15.

2. *Zelus.* Apologia enim ejus continet tria membra, & exhibet Principibus Sacerdotum, Magistratibus Templi & Senioribus

1. *Ipsorum truculentiam*, quam exercebant

1. *Nocturno incursu.* Quod enim noctu contingit, semper formidolosius est, quam quod Deus interdiu huic vel illi immittit. Ideo filii hujus seculi id observare solent, & quando pios affligere volunt, noctu id perpetrant. Qui enim male agit, odit lucem, Joh.3.v,20.21.

2. *Armorum strepitu.* Venerunt enim gladiis & fustibus. Christus erat Persona Ecclesiastica, ut & discipuli ejus, propterea non indiguissent ejusmodi armis, sed ex Scriptura adversus eum disputare debuissent, si sincerè cum eo agere voluissent. Quia vero in Scriptura diffidunt, ideo gladiis & fustibus rem agunt.

Hoc semper Pseudo-Prophetis in familiari usu fuit, sicut adhuc hodie meretrix Babylonica id in praxi demonstrat, unde S. Johanni ostenditur ebria, de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Jesu, Apoc.17.v.6.

3. *Falso conceptu,* ideo ait Servator, quasi ad latronem exiistis. Hoc quoque nostri causa sustinuit. Ipse enim sanctus est, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, Hebr.7.v.20. neminem unquam occidit, sed initio nobis omnibus vitam largitus, ideo in mundum venit, ut omnes per ipsum viveremus, Gal.2.v.20.

Nos latrones eramus, & quia Servator vadem se pro nobis exhibuit, ideo quoque loco nostri, hoc modo quæri & invadi voluit.

luit. Id quod grato animo semper recolendum nobis est, Sir. 28. v. 20.

2. *Suam innocentiam*, quam demonstrat

1. *Ex quotidiana conversatione.* Quotidie, ait, vobiscum fui. Quod si injurium quid perpetrassem, non palam inter vos conversatus fuissem: verum ipsa conscientia mea mihi testis est, quod nemo vestrûm ex re & vero mali quicquam mihi imputare poterit. Ideo non metui vos, nec nunc metuo, sed semper paratus sum ad satisfactionem, omni poscenti rationem, 1. Petr. 1, 16.

Hic videmus delectationẽ bonæ cõscientiæ, quæ neminem exhorrescit, à nemine se abscondit, sed omnibus se judicandam sistit, exemplo esto Stephanus, Act. 6. v. ult.

Præcipua igitur hæc vestra cura sit, ut fidem & bonam conscientiam custodiatis, 1. Tim. 1. v. 19.

- - Hic murus aheneus esto,

Nil cõscire sibi, nulla pallescere culpa.

Si enim cor nostrum non condemnaverit nos, fiduciam habemus ad Deum, 1. Joh. 3. v. 21. Quod si vero fiduciam ad Deum habemus, mundum minus metuamus, qui enim in nobis est, major est, quam qui est in mundo, 1. Joh. 4. v. 4.

2. *Ex Evangelii prædicatione.* Quotidie apud vos sedebam, docens in templo, & non extendistis manum in me, q. d. Servator: Monstravi vobis viam ad cœlum, & in concionibus meis unice eò collineavi, ut è Regno Satanæ erepti, ad vitam æternam custodiremini, qui igitur fit, quod hanc mihi persolvere vultis mercedem? Hoc sane de vobis non meritus sum.

Hac in re Christus exemplum & idea est, omnium fidelium verbi Præconum, hi ab eo exemplum capere debent, & diligentiæ & patientiæ. Diligentiæ quidem, ut & ipsi quotidie in templo doceant, & munus suum fideliter obeant, arguendo, increpando, exhortando, oportune importune, 2. Tim. 4. v. 2.

Patientiæ vero ne mirum ipsis videatur, si & ipsi ingratitudinem experiantur, sed potius hoc solatium teneant, quod qui in cœlis habitat, non injustus sit, ut obliviscatur operis & laboris, & dilectionis, Hebr. 6. v. 10. Ideo aliquando Doctores fulgebunt instar firmamenti, Dan. 12. v. 3.

3. *Divinam providentiam*, q. d. tum temporis, Passionis hora nondum advenerat, ideoque manum non ausi estis extendere ad me, licet me occidere desideraveritis: Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum in qua vobis Pater meus permisit facere, quæ manus ejus & consilium decreverunt fieri, Act. 4. v. 28. Est quoque potestas tenebrarum, dum permittit, ut Princeps tenebrarum, & filii incredulitatis, se mihi opponant, & animum suum expleant.

Videmus hîc sine voluntate Patris cœlestis ne capillum quidem capitis nobis lædi posse, Matth. 10. v. 30. Quod si vero hostibus indulget, ut nobis incommodent, non tamen centum annos id durabit, sed horam duntaxat. Si illa finita est, luctus noster in gaudium vertetur, Psal. 30. v. 6.

7. *Fuga consequentia.* Quia discipuli vident, quod vim vi repellere nolit, omnes animum abjiciunt, & in fuga salutem quærunt. Id describunt Evangelistæ

1. *Generaliter.* Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt, sicut id ipsis Servator dilucidè prædixerat, Joh. 16. v. 32.

Hîc exemplum habemus, geminæ inconstantiæ:

1. *Erga Deum*, quod sæpe tempore persecutionis homines à Christo & doctrina ejus deficiant. Apostoli ante promiserant, se omnia, vitam quoque pro Christo profusuros: sed jam, ubi res in discrimen adducta est, promissi immemores singuli aufugiunt. Idem hodie adhuc evenire solet. Pravum enim est cor hominis & imperscrutabile, Jer. 17. v. 9. Rebus secundis plenâ in Deum fiducia alimur: simulac vero adversæ res ingruunt, animis cadimus, & tantum non desperamus. Verum quid Scriptura? Væ inconstanti corde! Sir. 2. v. 14. Apoc. 3. v. 16.

2. *Erga proximum*. Apostoli Christi intimi & familiarissimi erant, quos omni indigentia adeo aluerat, ut ipsi fateri cogantur, nihil sibi defuisse, Luc. 22. v. 36. Verum jam ubi Christus in acie novaculæ versatur, & ab hostibus prehenditur & vincitur, quilibet saluti suæ consulens, à Christo secedit. Sic adhuc hodie multi amici sunt, dum emolumentum ex amicitia capere possunt: Sed non permanent in die tribulationis, Sir. 6. v. 9.

2. *Individualiter*. Adolescens enim quidam sequebatur Jesum, amictus Sindone super nudo, & juvenes tenuerunt eum. At ille rejecta Sindone, nudus profugit ab eis.

Quis juvenis hic fuerit, de eo diversæ opiniones sunt. Gregorius Johannem Evangelistam fuisse autumat. Verum hoc non probabile est, siquidem Iohannes non aufugit, sed in palatium Principis Sacerdotum Dominum secutus est. Theophylactus Jacobum minorem fuisse putat, vel certe filium hospitis, in cujus ædibus Christus agnum Paschalem cum discipulis suis comederat, quod loco suo relinquimus.

Intelligimus hinc, non omnes Christianos pari afflictione premi, sed alios multum, alios parum sustinere propter Christum. Apostoli in fuga sua vitam & vestes auffetunt: hic vero adolescens indusium quoque suum relinquere cogitur.

Ita adhuc hodie fieri amat. Hic rapinam bonorum suorum tolerare cogitur, Hebr. 10, 34. alius vero non bona modo temporalia relinquere tenetur, sed eò quoque res redit, ut usque ad sanguinem resistat, Hebr. 12, 4. Hæc ita à Deo diriguntur, qui calicē in manu habet, vini meri plenum infusum, Psal. 75. v. 9. ex eo omnes bibere cogimur, quilibet, quantum Deus ipsi ordinavit. Interea hoc solatium restat, quod si & nos cum adolescente hoc nudi propter Evangelium auffugere, & omnia quæ nostra sunt, relinquere cogimur, quod Christum induimus per fidem, Rom. 13. v. 14. & deinde die ultimo non nudi apparebimus, Apoc. 3. v. 17. Sed Jesus cooperiet nos byssino splendenti & candido, quod justificationes Sanctorum sunt, Apoc. 19. v. 8. & omnia quæ propter ipsū reliquimus, centuplo accipiemus, & vitam æternam possidebimus. Largiatur hanc nobis De⁹ Opt. Max. per & propter Christum,

Amen.

DOMI-

DOMINICA LÆTARE.

Textus.

Historia Passionis.

EXORDIUM.

MAjores nostri hodiernam Dominicam elegãti nomine insigniverunt ex Esa.54.v.1. Lætare sterilis, quæ non paris. Hoc de Ecclesia N. T. intelligendum est, quæ respectu Judaicæ Synagogæ sterilis habita fuit, postea vero adeo crevit, ut multo plures liberos pepererit, quam olim in Ecclesia Judaica, quæ arctis terminis inclusa fuit, nati sunt. In V. T. enim dicebatur: Annunciat verbum suum Jacob: statuta sua & judicia Israël. Non fecit taliter omni nationi, Psal.147.v.ult. In N. T. vero gratia Dei salutifera multo præclarior omnibus apparuit, Tit.2. v.11. Quicunque enim nomen Domini invocaverit, sive Judæus sive gentilis sit, nunc salvari potest, Joël.2. v.ult.

Imprimis pii Veteres hoc ipso respexerunt hodiernum Evangelium, ubi quidem principiò in deserta abducimur, ubi omnium rerum penuria est: sed tandem hoc fulcimur solatio, quod Christus in deserto quoque Lætare suum suis apparere sinat, ita eos cibans, ut plus remaneat, quam initio adfuit.

Evangelium hodiernum exhibet

I. *Triplicem Querelam*. quæ respicit

1. *Victus carentiam*. Nisi Protoplasti nostri in peccata prolapsi fuissent, in Paradiso manere, ibique ex nobilissimis ejus fructibus, ad satietatem usque satiari potuissent, seducti vero à Diabolo, expulsi ex eo sunt, & cum liberis & posteris suis in solitudinem devenerunt, ubi jam querelam ingeminare cogimur: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur, Matth.6.v.31. Hanc miseriam à Satana ortam credamus oportet. Agnoscamus igitur illud, cum Micha dicentes: Iram Domini portabo, Mich.7.v.9.

2. *Apostolorum diffidentiam*. Ubi enim ad Philippum ait: Unde ememus panes, ut manducent hi? continuò ille subducit rationem, inquiens: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisq; modicum quid accipiat. q.d. Optime Magister, tantum pecuniæ non paratum est, ut panem pro tanta multitudine emere queamus, & licet paratum esset, unde panes in solitudine acciperem⁹? Dimitte igitur turbam, cur tantum negotium tibi facesses, ut populum hunc cibare præsumas, viderint ipsi, ubi cibum accipiant. Sic & Andreas, postquam quinque panes hordeaceos, & pisciculos duos comparavit, ad Dominum ait: Hæc quid sunt, inter tantos?

Idem adhuc hodie familiare est, ut externis modo mediis intenti, & his paratis, tranquillo & læto animo simus. Ubi vero illa deficiunt, animis cadimus, non credentes, quod exiguo Deus nos cibare & sustentare possit. Hæc turpis diffidentia est, quam genuini Christiani cane & angue pejus fugere debent. Non enim manus Domini invalida est, Num.11.v.23. verum, ut plurimis exemplis probavit, non difficile est ei salvare, vel in multis, vel in paucis, 1. Sam.14.v.16.

3. *Populi imprudentiam*, qui Christum Regem facere vult. Opinabantur enim hoc modo se felices fore, si ejusmodi Regem haberent, qui sine labore & molestia se sustentare possit: sicut adhuc hodie multi reperiuntur, qui penes Evangelium nil nisi terrenas felicitates & abundantiam quærunt, quando vero persecutiones ingruunt, animis collabascunt & deficiunt, hi sunt inimici crucis Christi, quorum Deus venter est, Phil.3.v.19.

II. *Triplicem Medelam*, quæ fluit

1. *Ex Christi commiseratione*. Sublevavit enim oculos, & vidit, multitudinem maximam venire ad se. Nec hoc modo, sed & continuo meditabatur, quomodo cibari illi possint. Idem adhuc hodie præstat: sicut enim pusillum & magnum ille fecit, ita æqualiter cura est illi de omnibus, Sap. 6.v.9.

2. *Ex panum multiplicatione*. Accipiens enim panes quinque hordeaceos, ita eos benedictione sua multiplicabat, ut discipulis sub manibus crescerent. Ita adhuc hodie multiplicat panes, multiplicat vinum, dum quotannis terrâ educit, alias dudum fame pereundum nobis fuisset, Ps.104,14. Perstat enim promissio ejus, quod cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescere debeant, Gen.8. v.22.

3. *Ex populi saturatione*. Omnes enim impleti sunt. Ex quo colligere est, quod non modo ad necessitatem, sed & ad sufficientiam comederint, hæc Dei benedictio fuit. Alias enim comedere, ne saturemur, possumus, Hag.1.v.6.

III. *Triplicem Cautelam*, quæ tribus Regulis includi potest:

1. *Christum sequere*. Hac in parte populus nobis exemplo suo præit, quem merito imitari convenit. Ipse enim via est, hunc qui sequetur, à patria cœlesti non aberrabit. Ipse est veritas, qui eum sequitur, non in devia veniet. Ipse vita, qui eum sequitur, nunquam morietur, Joh.14.v.16.

2. *Vocationi insiste*. Sicut enim ad discipulos ait: Facite homines discumbere: ita cuilibet certam stationem assignavit, in hac persistat, & sicut unumquemque vocavit Deus, ita ambulet, 1.Cor.7.v.17. mundus enim est cujus rectum est opus, Prov. 21.v.8. Deus eum clementer respicere, & benedictione sua cumulare vult, ut nihil ei deficiat, Sir.11.v.12.

3. *Fragmenta collige*. Ut enim impleti sunt, dixit Domin⁹ discipulis suis: Colligite, quæ superfuerunt fragmenta, ne pereant. Sic & nos dona Dei, quibus nos beavit, comparcere æquum est, ut & alio tempore necessitati nostræ, & pauperibus inservire possimus. Propterea mandat Apostolus parentibus, ut filiis thesaurizent, 2.Cor.12. v.14. 1.Tim.5.v.8.

Iterum hæc brevis hodierni Evangelii idea est, quomodo ad propositum nostrũ

tractari potuisset. Jam sine ulteriori præloquio ad meditationem Passionis Dominicæ nos conferemus, quæ tripartitò dividi potest: ut sit

I. *Consistorialis processus.*
II. *Petri lapsus.*
III. *Judæ interitus.*

J. J.

Exegesis.

TRibus nos judiciis subjiciendi fuimus, partim in vita, & in præsente, partim pòst mortem, & in alterô mundo. In hoc mundo judicium Dei incipit à domo Dei, 1. Petr. 4. v. 17. 1. Cor. 11. v. 31. pòst obitum sequitur judicium novissimum, ubi omnes manifestari nos oportet ante tribunal Christi, 2. Cor. 5. v. 10. Et hoc ipsum excipit judicium æternum, in stagno, ardente sulphure & igne, quæ mors est secunda, Apoc. 21. v. 8.

Verùm Servator noster inde nos liberavit, dum triplici judicio pro nobis se sistere voluit.

1. *Coràm judicio paterno.* Id factum in horto Oliveti, ubi judicium audivit, quòd calicem crucis bibere, & pro lapso genere humano mortem sustinere deberet, unde ipsi sudor sanguineus expressus, ut guttæ quoque in terram deciderint.

2. *Coràm judicio Ecclesiastico*; ubi Principes Sacerdotum, Scribæ, & totum Synedrium unanimiter ipsum condemnarunt, & mortis reum pronunciarunt.

3. *Coràm judicio Politico:* ubi Romano Præsidi Pontio Pilato traditus, pòst toleratam flagellationem, dolorosam ex spinis coronationem, & multa opprobria, ad mortem ignominiosissimam crucis condemnatus fuit.

De primo judicio, quod coràm Patre suo cœlesti sustinuit, antè octiduum egimus. Jam sequitur, quomodo ad judicium Ecclesiasticum abductus fuerit. Hinc Evangelistæ: Cohors autem, & tribuni, & ministri Judæorum, comprehenderunt Jesum & ligaverunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primùm, deindè ad Caipham, Principem Sacerdotum, ubi Scribæ & Seniores convenerant.

Hic sex membra sedulò observemus:

1. *Ligationem.* Judas illis signum dederat, quod si osculatus Dominum fuerit, non multùm cessarent, sed continuò manum injicerent, & tenerent eum, ne iterum elaberetur. Id non insuper habuerunt. Cohors enim, & tribuni, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum & ligaverunt eum. Hic perpendite Dilecti! quomodo Servatorem dilectissimum tractaverint! Erat enim magna cohors, sicut supremus tribunus in fonte χιλίαρχος vocatur, quibus se adjunxerant στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ, sicut Lucas refert: illi igitur omnes procul dubio operam suam junxerunt, & ita Dominum constrinxerunt, ut elabi ipsis minus potuerit. Nonnullos conjunctis viribus ipsi manus pòst terga revinxisse, alios laqueos collo ejus injecisse, alios catenis ipsum ligasse, nocte tenebrosa ipsum immisericorditer per lutum & lapides, ad Palatium Caiphæ traxisse, multisque verberibus affecisse, probabile est, sicut hâc de re conqueritur, Psal. 22. v. 13.

Vincula hæc Christi probè considerabimus, sunt enim

1. *Vincula dilectionis.* Facillimè equidem vincula hæc dirumpere potuisset, veluti Simson, cum eum Philisthiim novis funibus ligaverant. Jud. 16. v. 9. Verùm ingens eum in nos amor coëgit, ut ultrò ea sustinuerit, ad nostram instructionem, ut & nos vincula, quæ propter Evangelium injiciuntur nobis, patienter sustineamus & sufferamus, considerantes, quod non velut fures, & homicidæ & malefici patiamur, sed ut Christiani, 1. Petr. 4. v. 15.

Hæc gloria nostra est, Eph. 3. v. 14. Et quemadmodum Josephus aliquamdiu catenis ferreis constrictus, tandem à Pharaone exaltatus est, catenâ aureâ de collo ejus suspensa, Gen 41. v. 42. Ita & vincula & catenæ, quas Evangelii causa hîc ferre cogimur, in gaudium & gloriam cœlestem commutabuntur, 2. Cor. 4. v. 17.

2. *Vincula consolationis.* Nos per lapsum Protoplastorum Diaboli mancipia evaseramus, ab ipsiusque laqueis captivi tenebamur ad ipsius voluntatem, 2. Tim. 2. v. ult. Quin & catenis noctis, tanquam ipse, constricti in tartarum detrudendi eramus, 2. Petr. 2. v. 4. sed ecce! Christus vicem nostram subiit, & ultrò se vinciendum tradidit, quò à vinculis peccatorum, mortis & inferni redemti, animæ nostræ in fasciculo viventium custoditæ apud Dominum semper sint, 1. Sam. 25. v. 29. Quod grato animo recolentes, cum Davide dicamus: Aperuisti vincula mea, Psal. 116. v. 16. 17.

3. *Vincula exhortationis.* Quia Christus nos semel de vinculis & laqueis peccatorum & mortis & inferni redemit, ne malitiosè iisdem denuò implicemur, trahentes cum filiis seculi hujus, iniquitatem in funibus vanitatis, & quasi funibus plaustri peccatum, Esa. 5. v. 18. sed firmâ fiduciâ Christo nos alligemus, quasi palmes viti, Johan. 15. v. 4. Dicentes cum Paulo: Certus sum, quod neque mors, neque vita, Rom. 8. v. 39. Vincula quoque dilectionis & pacis ne dissolvamus, sed velut spirituales fratres & sorores unanimiter cohabitemus, quoniam illic mandavit Dominus benedictionem & vitam, usque in seculum, Psal. 133. v. ult.

II. *Præsentationem*,

1. *Coram Hannâ*, qui quidem jam extrà officium constitutus erat, interim tamen adducunt eum ipsi, quo assentatiunculâ hâc gratiam ejus aucupentur, eique lætitiam creent. Procul dubio pleni exultationis cum Palæstinis dixerunt: Tradidit Deus inimicum nostrum in manus nostras, Jud. 16. v. 23.

Adhuc hodie impios lætari conspicimus, quando piis adversa oboriuntur, ut dicant: Euge, euge, viderunt oculi nostri, Psal. 35. v. 21. Id fideles sæpè perturbat, ut animis cadant, dicentes cum Assaph: Ergò sine causa mundavi cor meum, præprimis quando vident, impios florere & felices esse, Psal. 73. v. 13. Verùm quando Christum inspicimus, idem ipsi accidisse deprehendimus, ideò in patientiâ custodientes animam nostram, communicantes passionibus ejus gaudeamus, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeamus exultantes, 1. Petr. 4. v. 13.

2. *Coràm Caipha*, qui aliàs genuino nomine Joseph appellatus, quia verò cognomen Caiphas sive Cajaphas vulgo notius fuit, Evangelistæ omisso prænomine, cognominis modò mentionem facere volue-

luerunt, quod interpretativè est vestigator: sic nomen gessit cum omine, Christo enim velut cervæ maturinæ tamdiu insidiatus est, dum eam ceperit & occiderit, Ps. 22.1.

Describitur autem Caiphas

1. *Ratione conjugii*, habebat enim in matrimonio filiam senioris Pontificis Hannæ, ideò Hanna socer ejus vocatur.

Hæc catena per connubia ita conglutinata erat, propterea nemo alteri adversari volebat: interim innocens Servator pati cogitur, sicuti adhuc hic atque ille in causa optimâ jus suum obtinere nequit. Quâ de causa? Contraria pars habet affinem, fratrem, sive familiarem in Senatu, hunc judex irritare non vult. Interim patitur justus. Sed quilibet caveat sibi, ne hoc modo delinquat. Qui patrem aut matrem, filium aut filiam plus amat, quàm me, non dignus me est, Matth. 10. v. 39.

2. *Ratione Vaticinii.* Erat hic Caiphas idem ille, qui consilium dederat Judæis, quia expedit unum hominem mori pro populo. De hoc vaticinio legitur Joh. 11. v. 47. & seqq. Non tamen hoc eum vatem efficit, sicut nec de asinâ Bileam dici potest, hominem fuisse, quia locuta est, Num. 22. v. 28. Intereà tamen videmus, quomodo Deus impiorum consilia in bonum finem dirigat. Caiphas consilium Dei minus intelligebat, sed autumabat, si Jesus Nazarenus exstinctus foret, pacem publicam eò firmiorem fore, nec à Romanis periculum ullum pertimescendum. Sed Deus longius prospiciebat. Jesus enim utique moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erãt dispersi, congregaret in unum, Joh. 11. v. 51.

3. *Ratione præsidii.* Erat enim Princeps Sacerdotum, ubi Scribæ & Seniores convenerant. Ex Dei instituto unus tantum summus Pontifex esse debebat, & illo moriente, alius è stirpe Aaronis deligendus erat, Exod. 40. v. 1.5. Num. 35. v. 25. Verùm ut tùm temporis plurimus auro venit honos, sic alter alteri per hoc medium palmam præripere potuit, uti videmus 2. Macc. 4. 8. 24. & hoc modo Caiphas quoque ad Sacerdotiũ pervenit, ut Josephus testatur.

Idea est Ecclesiæ Pontificiæ, ubi omnia pecuniæ obediunt, hinc Mantuanus:

- - - - Venalia nobis
Templa, Sacerdotes, altaria, sacra, coronæ, (Deusq;.
Ignes, thura, preces, Templum venale,

Unde Brigitta rectè dixit, Papam omnia præcepta in unum contraxisse, nimirum, da pecuniam. Sicut sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes: Affer, affer, Prov. 30. v. 15.

III. *Examinationem*, in quâ occurrit

1. *Pontificis quæstio*, quæ gemina est, quærit enim Servatorem

1. *De Apostolorum grege*: quare illos sibi adsciverit, & quare illi discesserint, cur nullus eorum defensionem ejus suscipiat. Hoc ipso eum seditionis reum agere vult, sicut paulò ante Judas Galilæus & Theudas in crimine hoc deprehensi erãt, Act. 5, 36. 37.

2. *De novâ lege*, quid hactenus & ex cujus jussu prædicaverit, sicut ex professo ad eum mittunt, quæsitũ: In quâ potestate id facis? Et quis dedit tibi hanc potestatem? Matth. 21. v. 23.

Videmus hîc facilè causam inveniri posse, si alicui malè cupiamus. Ut canem ferias, facilè baculum invenies. Summi Pontifices, Christum velut maleficum

cepe-

ceperunt & ligarunt, jam quærunt demùm quid fecerit, ideoque conquirunt, quod possunt, quo causam suam malam colorare possint. Ubi ita fieri amat, vis justitiæ prævalet, leges languent, & egreditur judicium perversum, Hab. 1. v. 4.

2. *Christi responsio.* Primam quæstionem, discipulos suos concernentem, Christus silentio præterit, eoq; nos docet, si de proximo non multum boni sciamus, ut eum quoque conviciis non proscindamus, sed omnia in meliorem partem interpretemur. Qui convitiatur proximo suo, stultus est: vir autem prudens tacebit, Prov. 11. v. 12.

Ad alteram verò quæstionem directè respondet, inquiens: Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in synagogâ, & in templo, quò omnes Judæi conveniunt: & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis: Ecce, hi sciunt, quæ dixerim ego.

Nos quoque vitæ integritati studeamus, ut non modò tranquilla conscientia gaudeamus, sed & hostibus veritatis os obstruere possimus, quo vereantur, nihil habentes malum dicere de nobis, Tit 2. v. 8.

O quanti æstimanda est rectè factorum conscientia! Quantus decor, si quis hostibus veritatis in os dicere potest: Quis vestrûm arguet me de peccato? Joh. 8. v. 46.

-- -- Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, 2. Cor. 1. v. 12.

2. *Secuta percussio.* Postquam enim Servator ita apologeticè respondit, unus adsistens ministrorum, dedit alapam JEsu, dicens: Sic respondes Pontifici? Sed Christus moderatè perferens ait: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis? Exhorrescat cœlum, & contremiscat terra de Christi patientiâ & servi impudentiâ. Vix auditum puto, captum & vinctum verberari coràm ipso judicio, ubi justitia vel maximè observari debet, imò coràm Consistorio Ecclesiastico, ubi claves scientiæ haberi, & æquum ab iniquo secerni conveniebat. Verùm hoc ipso Prophetia Michæ impleta est: Baculo percutient super maxillam judicis in Israel, Mich. 5. v. 1.

Nos peccatis nostris commiseramus, ut infernales Diaboli satellites, colaphis ignitis faciem nostram cæderent: sed Christus ab iis nos liberavit per colaphos, quos in passione sua sustinuit. Ideò grato animo id recolentes, vicissim injuriam ob nomen ejus pati ne recusemus. Per tribulationes enim nos in Regnum Dei intrare oportet, Act. 14. v. 22.

IV. *Accusationem*, quam Evangelista trifariam describit,

1. *Ratione Autoris.* Nempè Principes Sacerdotum, & Seniores & omne Concilium autores accusationis sunt. Quia verò probè norunt, neminem in propriâ causa accusantis & judicis partes obtinere posse, ideò falsos testes in medium adducunt, qui mendaciis Christum impudentissimè onerant, sicut Diabolo semper in more fuit, ut si veri nihil imputare potuit, mendaciis & falsis testimoniis rem egerit, ideò Spiritus mendax appellatur, 1. Reg. 22. v. 22.

Fuge hoc vitium Diabolicum, mi Christiane! Labium enim veritatis firmum erit

erit in perpetuum, sed ad momentum lingua vana, Prov. 12. v. 29.

2. *Ratione tenoris*, Christum enim dixisse asserunt: Ego dissolvam templum hoc manu factum: & post triduum aliud, non manu factum ædificabo. Hoc mendacium impudentissimum erat. Dominus enim non dixerat: Dissolvam templum hoc, neque templum externum Judaicum intellexerat: sed templum corporis sui, uti Johannes explicat, Joh. 2. v. 21. hoc ait, Judæi dissolvent, i. e. occident, & ego erigam tertio die, sicut quoque factum est. Mortuus enim est pro peccatis nostris secundum Scripturas, & resurrexit tertiâ die, juxtà Scripturas, 1. Cor. 15. v. 3. Id adhuc hodiè hæreticis familiare est, ut Scripturam allegent more Diabolico, Matth. 4. v. 6. vel ad minimum verba in alienum sensum detorqueant, quo simplicioribus imponant, eosque à veritate abducant, ut Galatis factum, Gal. 3. v. 1.

Nos literæ inhærescamus, & non decipiemur.

- - - Multos speciosa fefellit
Glossa, Dei verbo nitere, tutus eris.

Si enim manseritis in sermone meo, veri mei Discipuli estis, Joh. 8. v. 32.

3. *Ratione valoris*, qui judicandus

1. *Ex ipso mendacio.* Convenientia enim testimonia non erant. In Proverbio dicitur: Mendacem oportet esse memorem. Hoc falsi hi testes minus observarunt, ideò quoque testimonia non convenerunt, sed quilibet manu palpare quasi poterat, pura puta mendacia esse. Hoc successu mendacia instituuntur. Sir. 20. v. 27.

2. *Ex sensu proprio.* Non enim Servator ita dixerat, ut falsi hi testes accusabant, sed his verbis usus fuerat ad Judæos: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: ille autem dicebat de templo corporis sui, Joh. 2. v. 22.

Quando igitur à falsis testibus mendaciis gravaris, cogites velim, & Christo simile quid accidisse, & dic cum Davide: Obmutescam & non apetiam os meum, quia tu facies, Psal. 39. v. 10. Solatium vero cape ex rectè factorum conscientiâ. Hüte dich vor der That / der Lügen wird wol rath. Beati estis, cum vobis maledixerint homines mentientes, Matt. 5. v. 12.

3. *Ex Christi silentio.* Surgens enim Princeps Sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur? Jesus autem tacebat. Manifestum mendacium erat, ideoque id Christus nullâ responsione dignum judicat. *Benè* enim *tacet, qui defensione non eget*, ut Augustinus ait,

Nos coràm judicio Dei obmutescere debuissemus, sicut conviva ille, qui veste nuptiali destituebatur, Matth. 22. v. 13. Per legis enim accusationem omne os obstruitur, & reus fit omnis mundus Deo, Rom. 3. v. 19. Job. 9. v. 3.

Ne verò hoc nobis accideret, Christus hic tanquam surdus non audit, & sicut mutus nō aperiens os suum, Ps. 38. v. 15. Sed & simul exemplum nobis præbuit, ut simus veloces ad audiendum, tardi verò ad loquendum, Jac. 1. v. 19. Nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum, Prov. 16. v. 26.

V. *Condemnationem*, ad quam pertinet

1. *Pontificis* adjuratio: ubi notanda

1. *Formula.* Adjuro, inquit, te, per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Lyra testis est, Hebræos peculiarem adjurandi modum habuisse, sicut

in summo Pontifice Eli, 1.Sam.3, v. 17. & Paulo, 1.Thess.5. v.27. apparet, q.d.ille: Præcipio tibi in nomine Dei sanctissimo, & quam grata tibi gratia Dei est, ut veritatem mihi dicas, an Filius Dei sis, vel non. Verba hæcce religiosa videbantur, verum hypocrita fuit, qui sub verbis hisce blandioribus gladium abscondit, Ps.55,22.

Tales hypocritæ adhuc hodie occurrunt, qui gloriam Dei prætendunt, sed sub hoc prætextu falsam doctrinam, & suam gloriam conservatum eunt. Ideo à fructibus eorum cognoscamus eos, quamvis enim in vestimentis ovium veniant, tamẽ intrinsec⁹ lupi rapaces sunt, Matt.7,15.

2. *Replica.* Ante conticuerat, quia illud quod falsi testes in medium attulerant, veritati repugnabat. Jam vero ubi summus Pontifex cum adjurat, ut confessionem suam edat, quis sit, illico paratus respondet dicens: Tu dixisti. Verum tamen dico vobis: A modo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli, q. d. Idem ille sum, quem inquiris, & quamvis jam in misera servi forma tibi ante oculos verser, attamen aliquando tempus veniet, ubi conspicietis me ad dextram virtutis Dei, venientem in nubibus cœli, judicem vivorum & mortuorum, ibi adspicietis ad me, in quem confixistis, Zach. 12.v.10. Joh.19. v.37.

Discimus hinc, quod & nos tempore necessitatis parati debeamus esse ad satisfactionem omni poscenti nos rationem, de eâ, quæ in nobis est spe, & fide, 1.Petr.3. v. 15. Corde enim creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem, Rom.8.v.10.

2. *Unanimis conclamatio.* Ubi describitur

1. *Pontificia sententia,* Is enim vestimenta sua scidit, dicens: Blasphemavit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? In V.T. Judæis usitatum fuit, ut vestimenta scinderent, quando aut magno luctui immergerentur, aut nefandam blasphemiam auribus sentirent: prioris exemplum habemus in Iacobo, Gen.37,34. posterioris in Hiskia, Esa. 37,1. Verum summo Pontifici prohibitum erat, ne vestimenta scinderet, Levit.10,6.& 21,10. sed Caiphas præ nimia effervescentia hujus immemor vestem suam lacerat, eoq; indicaturus est, quantæ sibi abominationi hæc blasphemia sit.

Idea hac in parte est Romani Pontificis, qui omnia facta & fœdera sanctiora rumpere minus veretur, & si pedibus in suam sententiam ire, & decreta ejus approbare nolim⁹, pleno ore, blasphemia, blasphemia! ingeminat. Sed ad ravim usque clamare pergant, nos ex adverso oramus cum Davide: Adjuva me Domine Deus, Ps 109,26.27.

2. *Cæterorum complacentia.* Omnes enim illum condemnarunt, dicentes: Reus est mortis. Hæc sententia decisiva est, quæ in Consistorio Ecclesiastico super Dominum lata est. Etsi enim de Nicodemo & Josepho ab Arimathia Lucas refert, quod non consenserint consilio & Actibus eorum, Luc.23,51. quorum sine dubio plures Synedrio interfuerunt, attamen totum Concilium id ita decrevisse pronunciat. Idem adhuc hodie evenire amat in aulis Principum & civitatibus, ut aliqui violenter agant; si bene fit, sibi adscribunt; sin male, totum senatum id fecisse, dicunt. Verum hic quodlibet Senatûs membrum cõscientiæ suæ rationem habeat, necesse est, & rebus iniquis mascule se opponat, sicut Paphnutius in Concilio Niceno cœlibatum decernentibus se opposuit, solus evincens:

Ca-

Castimoniam esse viri cum legitimâ uxore cubitum. Ita si vir conscientiosus adest, qui rebus injustis non consentit, cæteri omnes nihil decernere possunt, talis servat bonam conscientiam & existimationem, quæ magis permanebit, quàm mille thesauri pretiosi & magni, Sir.43.v.15.

3. *Nocturna tribulatio.* Postquam enim Consistoriales illi sententiam judicialem super Dominum tulerant, aliquantisper quieti se tradunt: intereà tamen, ne quid passioni Domini decedat, ministris injungebant, ut vigiles Dominum custodirent, qui ne somno obruantur, omnem petulantiam & nequitiam in Dominum exercuerunt, & variis modis vexarunt. Id describunt Evangelistæ

1. *Speciatim*, & quidem

1. *Ratione factorum*, quod Christum afflixerint

1. *Faciem conspuendo.* Hoc signum extremæ ignominiæ & opprobrii fuit. Vide Deut.25.v.9. ita nefarii hi homines, ex merâ malitiâ & contemtu in faciem Christi exspuerunt, in quam Angeli desiderant prospicere, 1.Petr.1.v.12. ut impleretur vaticinium Esaiæ, ubi Messias dicit: faciem meam non abscondi à contumeliis, c.50.v.6.

2. *Colaphos impingendo.* Nos ab Angelo Satanæ in inferno colaphizari debuimus, 2.Cor.12.v.7. At ecce! Servator vicem nostram subiit, & colaphos sustinuit, ut nos ab iisdem liberaret.

Namque per hos colaphos caput est sanabile nostrum,
His alapis nobis libertas maxima plausit.

Ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras, Esa.53.v.5.

3. *Oculos contegendo.* Idem adhuc hodie faciunt illi, qui in tenebris peccant, putantes consilium suum à Domino abscondere, Esa.29.v.15. ideò securè in diem vivunt, dicentes: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob, Psal.94.v.7. Non verò meminerunt, oculos Domini multò plus lucidiores esse Sole, Sir.23.v.29.

2. *Ratione verborum.* Faciem enim Christi contegendo, certatim palmas in eam dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?

Hoc verò vehementer mordet & perturbat animum honestum. Verba susurronis sunt quasi vulnera, Prov.18.v.8. imprimis, quando omnis generis sarcasmi & illusiones miscentur, hoc ipso afflictis afflictio augetur, sicut legimus de Saule & Samsone, quod mori, quàm ejusmodi sarcasmos audire maluerint, 1.Sam.31.v.4. Jud.16.v.25.seqq.

2. *Summatim.* Evangelistæ enim omnia referre horrent, ideò abrumpunt, præsertim Lucas, dicens: Et alia multa blasphemantes, dicebant in eum.

Hinc conjiciendum, quod adeò fœdè & impudenter cum Servatore egerint, ut S.Lucas calamum commodare turpitudini huic vereatur. Die verò novissimo omnia in apricum producentur, quæ jam delitescunt, 1.Cor.4.v.5.

Nos solatium hinc hauriamus, quando tot delicta nostra sunt, ut intelligere & numerare ea non valeamus, Psal.19.v.13. Servator Jesus innumerabiles etiam dolores sustinuit, iisque solvit, quod nos peccaveramus, ut jam nulla condemnatio sit in iis, qui in Christo Jesu sunt, Rom.8.v.1.

VI. *Matutinam recapitulationem*, circa quam observemus

1. *Consultationis tempus*, nempè mane facto consilium inierunt.

Hic perspicimus, quàm indefessi hostes Christi sint ad scelera sua peragenda.

Primæ illi sessioni in Palatio summi Pontificis satis diu interfuerant, & serò discesserant, ut somno sepultos illos esse credidisses: Verum somnus non adeò dulcis est ipsis, quin die illucescente denuò conveniant, nullam molestiam inde sentientes.

Hic adhuc hodie mundanorum mos est. Ah quàm indefessi, quàm alacres illi sunt ad malum perficiendum? quàm astutè sceleribus suis invigilant, ut etiam nocte, super cubilia sua mala tractare non cessent, Mich. 2. v. 1. Oculi eorum in pauperem speculantur, Psal. 10. v. 8. Aures eorum incircumcisæ sunt, ut verbum Dei non audire possint, Jer. 6. v. 10. Os maledictione plenum est, & fraude & dolo, sub linguâ eorum labor & dolor, Psal. 10. v. 7. Manus plenæ sanguine, Esa. 1. v. 15. Pedes veloces ad currendum in malum, Prov. 6. v. 18. Summa: Corpus & anima, & omnes internæ & externæ facultates ad malum proclives sunt, & malum agendo fatigant se, Jer. 9. v. 5.

Quam promtus fuit Absolom ad persequendum Patrem suum? 2. Sam. 16. v. 13. quàm negotiosus fuit Achitophel in suppeditando ad id consilio? 2. Sam. 17. v. 21. Quam callidus David, cum Bathsabeæ stuprum intulisset, ut Uriam malo suspenderet adunco? 2. Sam. 11. v. 6. Quàm solicitè duo senes judices observabant Susannam, ut libidinem suam in eâ explerent? Susan. v. 12. seqq. Ecce, ita filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione suâ, Luc. 16. v. 8.

2. *Senatorum chorus.* Quinam consilium inierint adversus Christum, nimirum omnes Principes Sacerdotum, & Seniores populi. Non abs re esse videtur, quando tot eruditione, autoritate & senio præstantes conveniunt. Verùm & illi errori obnoxii sunt, juxtà illud Davidis: Profectò filii viri sunt mendacium, Psal. 62. v. 10.

3. *Intentionis scopus.* Convenerunt enim adversus Jesum, ut eum morti traderent. Ipsis enim non licuit interficere quenquam, Joh. 18. v. 32. Quò verò scopum suum obtinerēt, consilium inierunt, quem prætextum Pilato exponere velint, quò eum in partes suas pertrahant.

Hæc falsæ Ecclesiæ proprietas est, ut semper sanguinem sitiat. Cain initium fecit, quem omnes tyranni secuti sunt, in hodiernum usque diem. Verba enim impiorum insidiantur sanguini, Prov. 12. v. 6.

4. *Procedendi modus*, in quo advertenda

1. *Duplex quæstio:* duxerunt enim illum in concilium suum, & quæsiveruut ex illo: 1. *Si tu es Christus, dic nobis?* Id neutiquam discendi gratiâ fecerunt, tantum enim ab eo viderant & audierant, ut non ignorarent, quis esset, nempè Magister, qui à Deo venerat, quia viam Domini in veritate docebat, nemo enim poterat signa talia facere, nisi fuerit Deus cum eo, teste Nicodemo, Joh. 3. v. 2. sed quia honorem Messiæ ipsi invidebant, quæstione hâc ipsi retia tendebant, hâc intentione, ut si Messiam se profiteretur, apud Romanos ipsum accusarent, siquidem Messiam se à Romanorum jugo liberaturum esse, opinabantur.

2. Quæ-

2. Quærunt? *Tu es Filius Dei?* De hac quæstione jam ante Servator cum Judæis acriter disputaverat. Dicente enim Domino: Ego & Pater unum sumus: sustulerunt illi lapides, ut lapidarent eum, Joh. 10. v. 30. seqq.

2. *Duplex Christi responsio.* Ad primam quæstionem, ubi interrogaverant, Tu es Christus? respondet Dominus: Si vobis dixero, non creditis mihi: si autem interrogavero, quid Scriptura de Messia referat, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Scio enim constitutum apud vos esse, ut me interficiatis, ideo optimum fere esset, si plane tacerem. Quia vero meus & Patris mei honos requirit, palam confiteor, me Christum sive Messiam esse, quod & illicò miraculo probare possem: Verum jam Passionis tempus adest, & à modo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei. q. d. Dominus: Brevi alia rerum facies erit, quando tertia die resurrexero à mortuis & ad dextram Dei Patris post adscensum in cælos sedero, ibi videbitis, in quem transfixeritis, Joh. 19. v. 37.

Solatium hinc haurite, Dilecti! non semper præsens rerum status durabit, ubi impii dominabuntur. Minime. Jesus noster aliquando judicio suo irrumpet, & pluet super peccatores laqueos, ignem & sulphur, & Spiritus procellarum, Psal. 11. v. 6. At nos fideles suos, à dextris suis sistet, & cum gaudio introducet in vitam æternam, Matth. 25. v. 35.

Ad alteram vero quæstionem magis adhuc dilucide respondet, inquiens: Vos dicitis, quia ego sum, quo ipso ad scrutinium propriæ conscientiæ ipsos revocat: q. d. quid opus est, ut multum quæratis: Conscientia vestra convincit vos, me illum ipsum esse de quo quæritis, videlicet diu desideratum Messiam.

Hoc iterum in consolationem nostram vergit. Ratione peccati famosa nomina gerimus, & vocamur, filii iræ, Eph. 2. v. 3. filii Belial, Deut. 13. v. 13. filii gehennæ, Matth. 23. v. 15. Verum quia æternus Dei Filius carnem & sanguinem nostrum assumsit, hoc ipso nobis adoptionem acquisivit, ut Filii Dei nominemur, 1. Joh. 3. v. 1. Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, Rom. 8. v. 17.

5. *Consequens eventus.* Ubi enim rem altius paulò perpendere, & de infensissima in Christum ira cessare debebant, magis exasperabantur, unanimiter dicentes: Quid adhuc desideramus testimonium! Ipsi enim audivimus de ore ejus. Hoc ipso confirmantes, decretum de Christo interficiendo executioni dandum.

O Dilecti! multi adversus nos testes insurgunt, qui nos convincunt, quod peccaverimus, peccatisque nostris mortem æternam promeriti simus. Diabolus nos accusat, Apoc. 12. v. 10. Conscientia nos damnat, 1. Joh. 3. v. 30. ut simus αὐτοκατάκριτοι, Tit. 3. v. 11. Verum Christus Passione sua impromerita, testibus his os obturavit, ut nemo nos accusare possit? Rom. 8. v. 33. De hoc enim Jesu testimonium perhibent omnes Prophetæ, Act. 10. v. 43. ideo multò æquius dicere possumus: Quid desideramus plura testimonia? Si enim testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, 1. Joh. 5. v. 9. 10. 11.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, *Petri lapsum* intuituri.

Ubi notari debet

1. *Triplex actus*, nam

1. *Negat*. Ubi enim una ex ancillis summi Sacerdotis, ipsum alloquitur, dicens: Nunquid & tu ex discipulis ejus es? Petrus alienum se simulat, respondens: Non sum, erras mulier, neque scio, neque novi, quid dicas. Hoc grave delictum, quod tanto Apostolo indignum erat. Qui enim confessus me fuerit coram hominibus, Matth. 10. v. 33.

2. *Abjurat*. Petrus post primam abnegationem surgebat, & exibat in vestibulum, ancipiti animo, utrum tacite abiret, an diutius expectaret? Interea gallus cantat, verum ille non magnopere attendit, sed ab alia ancilla interpellatus, quæ digitis ipsum monstrans circumstantibus ait: Quia hic ex illis est: ubi alius post alium eum interrogat: Nunquid & tu ex discipulis ejus es? Negat ille jurato, se non novisse hominem. Ita peccatum peccato auget. Ante simpliciter negaverat, jam cum juramento negat, quod geminum peccatum fuit, gemina pœna dignum. Non enim Dominus habebit insontem, qui nomen Domini assumserit in vanum, Exod. 20. v. 7.

3. *Perseverat*. Christus gallicinio ipsum monet, verum ipse aures suas obturat, & ubi post breve intervallum, præter propter post horam à ministris denuo compellatur, dicente ex iisdem quodam: Vere & tu ex illis es: Nam Galilæus es, quid multis inficiaberis, loquela tua te manifestum facit: alio vero arctius adhuc ipsum constringente his verbis: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Tu idem ille es, qui servo Pontificis auriculam præscidisti, ecce jam cicatricem illam satis cate lues: Tum pertimescens Petrus, magnum sibi periculum iminere videt, ideo quomodo se extricet, omnem movet lapidem: & sicut salutem in negatione quæsierat, ita jam non simpliciter negat, sed cũ execratione huic vel illi se auferendum tradens, jurando se Iesum Nazarenum nosse, pernegat, & si aliter esset, nolle se Regnum Dei intrare contestatur.

Ita evenire solet, si semel Diabolo morem geras, & ad libitum ejus pecces, ut paulatim peccato adsuetus, ex uno in alterum incidas, donec adscendat furor Domini, ut nulla sit curatio, 2. Paral. 36. v. 16. ideo Principiis hîc obstandum est, vel si forte Diaboli insidiis circumveniaris, illico revertaris & resipiscas oportet. Si impius egerit pœnitentiam, vitâ vivet, Ezech. 18. v. 21. Duo autem genera abundant in peccatis & tertium adducit iram & perditionem, Sir. 23. v. 21.

2. *Christi nutus*. Ubi enim Petrus Christum abnegat, & abjurat, Servator lapsus Petrum admonet

1. *Gallicinio adhortatorio*. Ubi enim res ad summum pervenerat, quod Petrus non modo negaverat, sed & juraverat, nec modo juraverat, sed & exsecratus fuerat, si hominem illum nosset: Ecce! Servator altera vice gallicinio ipsum admonet, in memoriam ipsi revocaturus verba, quibus ipsum pridem præmonuerat: Antequam gallus bis cantet, ter me abnegabis.

Idem adhuc hodie facit. Verbi Præcones spirituales Ecclesiæ galli sunt. Veluti enim

enim gallus, tanquam sedulus vigil nocturnus, gallicinio suo multos homines excitat: Ita & Ecclesiæ ministros vocem suam instar tubæ exaltare, & mundum peccatis immersum è somno peccatorum excitare oportet. Surge, qui dormis & exsurge è mortuis, & illuminabit te Christus, Eph. 5. v. 14.

Gallus eò frequentius cantare solet, quando tempestas mutatur, & pluvia imminet: Ita quando Deus tempestate terribili ingruere vult, verbi Præcones majori zelo clament oportet: Pœnitentiam agite, jam securis ad radicem posita est, Matth. 3. v. 15. id non plane frustraneum erit. Etsi enim multi sunt, qui id parum curent, attamen semper inveniuntur, qui excitari se patiuntur, juxta illud: Sicut imber & nix descendit de cœlo, Esa. 55. v. 10.

2. *Aspectu consolatorio.* Et conversus Dominus, respexit Petrum.

Hic efficax gratiæ intuitus fuit, quem Petrus in corde sensit, quòque ad meliores cogitationes perductus fuit. Christus eum alloqui nolebat, ne suspicionem hostium confirmaret, ideo aspectu ipsum monere vult, q. d. Petre, Petre, tu plane in via erroris es, an nescis, quid antea tecum locutus fuerim. O quam graviter, deliquisti, egredere actutum Palatio Pontificis, & age pœnitentiam, ego tibi injuriam mihi illatam libenter condonabo.

Recordemini, Dilecti! hunc gratiæ intuitum, & quando & ipsi forte ex infirmitate humana, in delicto aliquo præoccupati fueritis, resipiscite in tempore, nos benignissimum in cœlis Patrem habemus, qui bonæ spei jussit esse filios suos, relinquens locum pœnitentiæ, Sap. 12. v. 19. Quis igitur desperaret? Potius omnes sibi dictum putent: Ubi exsuperat delictum, ibi exsuperat gratia, Rom. 5. v. ult.

3. *Emergens fructus.* Nam Petrus gallicinio & adspectu Christi admonitus,

1. *Nutum Christi observat.* Idem discamus ab ipso. O quot inveniũtur eorum qui corda instar adamantis obdurant, nihilque maledictionem legis, è suggestu ipsis intimatam curant, sed malitiose pergunt, dicentes: quis prohibebit?

Ideoque parum spei ad pœnitentiam in illis superest.

> Ah dubito, ne gratia
> Qua sic abusus est data,
> Hunc persequatur tandem!

Quia vocavi & renuistis, Prov. 1. v. 25.

2. *Aulam declinat*, & pravorum consortium deserit, per quod lapsus fuerat. Ita & nos locum & occasionem, qua ad peccatum seduci possimus fugiamus. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, Sap. 4. vers. 12.

3. *Amarè plorat.* Id non modo tum incepit, sed & per omnem vitam continuavit, ut Cl. Alexandrinus scribat: quoties gallum cantare audiverit, toties oculos ejus lachrymis stillasse, adeo ut lachrymæ genas ejus, instar crudæ carnis perederint. Beatos illos, qui ejusmodi dolorem in corde suo sentiunt. Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, Matth 5. v. 4.

De Tertio.

Restat *tertium*, quod est *Judæ interitus.* Ubi notetur

1. *Querela.* Descripta hæc est ab Evangelistis

1. *Ratione causæ impellentis*, quæ fuit condemnatio Christi ad mortem. Judas multò aliter sibi rem imaginatus erat, non dubitans, quin Christus pro omnipotentia sua vincula eorum dirupturus, seque iisdem subducturus esset, ut sæpius fecerat. Ut vero rem multò aliter cadere perspiciebat, ecce peccatum, quod hactenus secure quasi quieverat, evigilat, & in tantas angustias eum conjicit, ut nesciret, quo se vertere debeat.

Est in hac re imago omnium Epicureorum, qui secure in diem vivunt, dicentes: Peccavi, & quid mihi accidit triste? Sir. 5. v. 4. deinde idem illis accidit, quod Judæ proditori, ut corpore & animo Diabolo mancipentur. Hinc graviter monet Siracides: Fili peccasti? non adjicias iterum, c. 21. v. 1. seqq.

2. *Ratione modi competentis*: pœnitentia enim ducebatur. Hæc primus gradus pœnitentiæ est, nam, ut Poëta canit:

- - Si pœnitet, haud nocet error.

Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem operatur, 2. Cor. 7, 10.

Hoc contestatus est

1. *Ore*. Dixit enim: Peccavi, tradens sanguinem justum. Ita peccata nostra minus abscondamus, ut Protoplasti, foliis ficus turpitudinem obtegere satagentes, Gen. 3, 7. sed confitentes ea manifestemus, si peccatorum remissionem consequi velimus. Si dixerimus, peccatum non habemus, ipsi seducimus nos, 1. Joh. 1. v. 8.

2. *Opere*. Projiciebat enim argenteos in templum. Idem & nobis faciendum: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Quod si id non fit, Deus ipse divitias, quas devoravit impius, de ventre illius extrahet, Job. 20. v. 15.

II. *Medela*. Ubi enim venit ad Principes Sacerdotum & Seniores iisdemque confessus est, peccasse se, quod tradiderit sanguinem innocentem, petens ab illis, ut sibi salutare consilium & efficax solatium suppeditarent: ipsi naso ipsum adunco suspendentes ajunt: Quid ad nos? Tu videris. Si iniquè egisti, tuæ illud conscientiæ inferimus, tu ipse in culpa es, qui operam tuam nobis obtulisti: videris igitur, quomodo illud quod intrivisti, exedas.

Hæc misera consolatio fuit, qua animi angorem magis auxerunt, ejusque desperationi ansam suppeditarunt.

Videmus igitur, quantum beneficium sit, si Deus, regioni vel civitati, fideles Pastores concedat, qui sauciarum conscientiarum sedulam rationem agunt, easque Evangelico solatio erigunt, ne desperent, sed vera in Christum fiducia se sustentent, qui in mundum venit peccatores ad pœnitentiam vocare, Luc. 5, v. 32.

Videmus quoque, quantum hominum amori & Principum favori tribuendum sit. Principes Sacerdotum & Scribæ Judæ principio miris modis subblandiebantur, cum illis operam proditoriam offerret; idcò magnam ei spem ostenderant, quia hac in parte ipsis morem gesserat, fore, ut eum vicissim officiis suis adjuvarent, & ad amplissimas dignitates eveherent. Verum jam indignum putant, quem verbo consolatorio reficiant. Idem adhuc hodie evenit illis, qui vana arundine & brachio carnali confidunt. Quid enim homo? Gramen, Psal. 103. vers. 15. Ejusque vita velut vapor evanescit, Jac. 4. v. 14. ideo hominum auxilio

auxilio nitendum minime est, Psal. 118. vers. 8. 9.

III. *Sequela.* Id indicant Evangelistæ,

1. *Respectu Judæ desperantis.* Non enim modo in peccatis suis desperat, ut Cain, Gen. 4. vers. 13. sed Diabolus eum eò perducit, ut arrepto laqueo seipsum suspendat.

Inspicite Judam:

1. *Vanitatis amatores*, qui terrenis modo inhiatis, & hoc ipso bonam conscientiam & salutem negligitis & amittitis. Quid Judas effecit? quid sibi emit triginta argenteis? Nil nisi restim, qua suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus, Actor. 1. vers. 19. Sic adhuc hodie ejus similes Mammonæ servi incidunt in tentationem, & in laqueum, 1. Tim. 6. v. 9.

2. *Christi desertores*, qui à vera fide contra conscientiam deficitis. Judæ male id cessit: Ita nemo impune feret, qui à Christo ejusque verbo deficit, postquam semel illuminatus est, Hebr. 6. v. 4. Sir. 26. v. 27.

3. *Omnes auditores*, & æquo animo perpendite, quam horrendum peccatum sit, si quis sibi ipsi violentas manus inferat.

1. Enim talis Dei misericordiam abnegat, Jer. 9. v. 12.

2. A Deo se divellit, qui ipsum creavit, & sanguine Filii sui ad hæreditatem vitæ æternæ redemit.

3. Templum Spiritus sancti devastat & perdit.

4. Violat quintum præceptum, in quo αὐτοχειρία severe interdicta est.

5. Judicium extremum & vitam æternam non credit, ubi rationem hoc ipso de crimine reddere tenetur.

6. Sibi & toti generi suo labem malæ famæ adspergit.

7. Quodque pessimum est, dum temporalem cruciatum se effugiturum putat, præcipitat se in æternam condemnationem. Manifesta sunt opera carnis, Gal. 5. v. 21.

II. *Ex parte Cleri consultantis.* Principes enim Sacerdotum, acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Concilio autem inito concludunt, se ex illis agrum figuli empturos esse, in sepulturam peregrinorum, si summis Festis Hierosolymam accedentes, ibi morerentur, ut sic locum certum sepulturæ haberent.

Hic habemus *ideam Hypocritarum*. Pontificibus enim & Scribis religio est, argenteos hos in corbonam mittere, ex qua ante illos sumserant: Verum ut Christum occidant, nulla ipsis religio est, id est, culices colare & camelos deglutire, Matt. 23. v. 34. Sic adhuc hodie multi inveniuntur, qui in levioribus, & adiaphoris arctam habent conscientiam: Verum vino se ingurgitare, scortationem committere, proximum conviciis proscindere, aliaque id generis peccata perpetrare, leviusculum arbitrantur, ideoque Væ illos feriet, quod Servator ejusmodi hypocritis annunciavit, Matth. 23. v. 13. seqq.

Sed & hanc consolationem postremo arripiamus. Quamdiu in hoc mundo vivimus, in terra peregrinationis sumus, & peregrinamur à Domino, 2. Cor. 5. v. 6. At ubi beate morimur, cubiculum nostrum

in terra habemus. Id est, ager sanguinis, triginta argenteis, mercedis proditoriæ coëmtus, & sanguine Christi sanctificatus, ubi securè & tranquillè quiescemus, & dormitabimus usque ad diem ultimum, & tum in cœlestem Hierosolymam introducemur, ubi Christus per abitum suum ad Patrem πολίτευμα nobis acquisivit.

Eò nos omnes ex gratia transferre dignetur Deus cœlestis Pater per & propter Christum, Amen.

DOMINICA JUDICA.

Textus.

Historia Passionis Dominicæ.

EXORDIUM.

HOdiernam Dominicam olim vocarunt Judica, quia in Ecclesia Latina in introitu cecinerunt: Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, &c. ex Psal. 43. v. 1. Hoc ipso pii Veteres respexerunt hodiernum Evangelium, ubi Christus in acrem disceptationem descendit cum Judæis, qui non modo conviciis acerbissimis ipsum proscindunt quod Samaritanus sit, & Dæmonium habeat: Sed lapides quoque tulerunt, ut jacerent in eum, Jesus autem abscondit se, & exivit de templo.

Quia igitur illud, quod Christo tanquam capiti accidit, & membra ejus experiri coguntur, in Ecclesia hac militante, non inique precamur: Judica me Deus. Auxilium enim nostrum non aliunde est, quam à Domino, qui fecit cœlum & terram, Psal. 121. v. 2. & novit suos è calamitatibus eripere, 2. Petr. 2. v. 9.

Nos pro Instituti ratione ex Evangelio meditamur:

I. *Triplicem Querelam.* Quæ respicit

1. *Veritatis odium.* Id sane Christus reipsa comperit, ideo inquit ad Judæos: Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Idem experti sunt Prophetæ, qui ante eum fuerunt: Apostoli, qui post eum egressi sunt, & Evangelium prædicarunt, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum, Dei virtutem & sapientiam, 1. Cor. 1. v. 24. Experiuntur quoque quotidie, omnes fideles verbi Præcones, ob invisam enim multis veritatem, tanquam purgamenta mundi, & peripsema fiunt, 1. Cor. 4. v. 13.

2. *Religionis dissidium.* Id statim post lapsum incepit, inter Cainum & Abelem, qui in Sacrificio discrepabant, Gen. 4. vers. 5. Deinde continuatum est ab uno seculo ad aliud,

aliud, & continuabitur, usque ad diem novissimum. Diabolus enim non melior evadit, sed quo propius instat mundi finis, eò plus sævit, quia scit, quod modicum tempus habeat, Apoc.12.v.12.

3. *Hæreticorum ingenium* : qui tandem lapides tollunt, quando errorem diutius legitime defendere nequeunt. Id didicerunt à patre suo Diabolo, qui non modo mendax, sed & homicida est ab initio, Joh.8.v.44.

II. *Triplicem Medelam:* quæ fluit

1. *Ex perfecta Christi sanctitate:* Hostibus enim suis insultat, inquiens: Quis vestrûm arguet me de peccato? Id optime facere potuit. Erat enim sanctus sanctorum, Dan. 9.v.24.

Quodsi igitur imbecillitatem nostram deprehendimus, quod in carne nostra nihil bonum habitet, & volentibus nobis bonum facere malum adjaceat, Rom.7.v.19. in Christo solatium quæramus, qui nobis à Patre suo factus sapientia, & justitia, sanctificatio & redemtio, 1.Cor.1.vers.30. qui credit in eum, justus est, Rom.10. vers.4.

2. *Ex permanentia sempiternitate*, de qua ipse: Antequam Abraham fieret, ego sum. Egressus enim ejus ab initio est, à diebus æternitatis, Mich.5.v.2. Quando igitur parentes & omnes amici nos deserunt, vel per mortem à nobis divelluntur, Christo fidamus, qui idem ipse est, & anni ejus non deficiunt, Psal.102.v.8. Psal. 27.v.10.

3. *Ex verbi efficacitate.* Repetitò enim inquit: Amen, Amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. Mortem naturâ omnes timemus, est enim ultimus inimicus, 1. Cor.15. v.26. quam fortissimus Simson non declinare potuit, Jud.15.v.15. Hinc remedium omnino nullum paratum est, ut Ecclesia canit:

Pro morte non est herbula.
Mors est rata,
Terrena sunt mortalia.

Verum verbum Dei panacæa illa est, qua illi, qui illud sedulo audiunt & custodiunt, à morte æterna præservantur. Ideo vocatur verbum vitæ, Joh.6.v.58. & potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1.v.16.

III. *Triplicem Cautelam*, in qua tres Regulæ observandæ:

1. *Conscientiam observa.* Hic Christum conscientiæ integritate niti, Judæisque exprobrare audimus: Quis vestrûm arguet me de peccato? Nos ejus exemplo instructi caveamus, ne conscientiam nostram peccatis mortalibus gravemus, sed vitæ puritati studeamus, ut & ipsi cum Christo dicere queamus: Quis vestrûm arguet me de peccato? Sive cum Jobo: Non reprehendit me cor meum in omni vita mea, Job.27. v.6. id juge convivium est, Prov.15.v.15. si enim cor nostrum nos non condemnaverit, fiduciam habemus ad Deum, 1.Joh.3. v.21. Quodsi vero fiduciam ad Deum habemus, mundum minus pertimescamus, quoniam major est, qui in nobis est, quam qui in mundo, 1.Joh.4.v.4.

2. *Ambitionem vita.* Ita enim Servator: Honorifico Patrem meum, & vos inhonoratis. Ego autem non quæro gloriam meam. Sic & nos ad exemplum Christi omnia agamus ad gloriam Dei: non enim sibi

homo potest sumere quicquam nisi ei fuerit datum de cœlo, Ioh.3.v.27. ideo donis atque gratiis Dei non superbiamus, sed cum Davide unicè Deo accepta feramus, dicentes: Non nobis Domine, non nobis, Psal.115.v.1.

3. *Periculum declina.* Iudæi tulerunt lapides, ut jacerent in Iesum. Iesus autem abscondit se, & exivit de templo. Recte fecit Servator. Qui enim amat periculum, peribit in eo, Sir.3.v.28. En Ideam hodierni Evangelii, quomodo juxta Methodum nostram tractari potuisset!

Iam ad Passionis Dominicæ meditationem accedentes, tria porro dispiciemus.

I. Est *Fori mutatio.*
II. *Pilati tergiversatio.*
III. *Christi condemnatio.*

J.J.

Exegesis.

Quid congregati Patres in Conciliabulo suo decreverint, in præcedentibus audivimus. Iam causam ad Pilatum, Romanum Præsidem deferunt, ut judicium in Consistorio Ecclesiastico latum exsequatur.

Ubi duo observanda:

1. *Christi traditio*, descripta

1. *Respectu Pompæ.* Principes enim Sacerdotum & Seniores & Scribæ ipsi ad Pilatum pergunt, & Christum vinctum per Ministros & Lictores suos præmittunt. Hoc ipso populum, quem Christo favere noverant, deterrere, & Pilatum permovere volunt, ut sine ulteriori inquisitione judicium suum exsequatur: probe enim sciebant, si res ad juris stateram appenderetur, se causa adversus Iesum casuros esse.

Idem adhuc hodie evenire amat, ut divites, & in autoritate constituti, jus solis sibi deberi opinentur, posuerunt in cœlo os suum, & lingua eorum transivit in terra, Psal.73.v.9. Verum Christiani Magistratus, plus Deum in cœlis, quam homines in terra respicere debent. Si peccaverit vir in virum, tum judicant Dii: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo, 1.Sam.2.v.25.

2. *Respectu meta.* Tradiderunt enim eum Pontio Pilato Præsidi. Iudæa jam sub peregrino Magistratu, Imperatore Romano degebat, qui eam in provinciam redactam per Præsides suos regebat: sicut eos Iosephus ex ordine enumerat. Primus fuit Cyrenius, sive Quirinius, sub quo Christus natus est. Secundus, Camponius. Tertius, Marcus Ambivius. Quartus Annius Ruffus. Quintus, Valerius Gratus. Sextus, Pontius Pilatus, cujus hîc mentio injicitur. Hic Forchhemia Franconiæ oriundus fuisse dicitur. Hunc Tiberius Cæsar Præsidem constituerat, eique summam rei commiserat; licet enim Iudæis judicium Ecclesiasticum integrum esset, tamen executionem facere non poterant, sed eam ordinario Præsidi deferre tenebantur. Propterea & Christum ad Pilatum abducunt, & petunt, ut quæ muneris sui sunt, facere, eumque ceu maleficum pro merito punire velit, id ex majori autoritate actum iri putant, & populo terrorem incussurum, ne seditionem moveant, præcipue, quia haud ita dudum severam vindictam in Galilæos exercuerat, in quos sacrificantes impetum fecerat,

cerat, eorumque sanguinem cum sacrificiis eorum miscuerat, Luc. 13. v. 1.

Sed nostrum in emolumentum id factum est. Per peccata enim sub potestatem tenebrarum devenerarmus, Col. 1. v. 13. Diaboli mancipia facti, Hebr. 2. v. 15. Verum Christus in ipsa statim nativitate peregrino Magistratui se subjecit, videlicet Imperatori Augusto, Luc. 2. v. 5. deindè in passione suâ coràm Pilato accusatus est, eoque nobis libertatem peperit. Joh. 8. v. 36. ut jam non ulterius servi peccati simus, sed genus electum, regale Sacerdotium, populus sanctus, 1. Petr. 2. v. 9.

3. *Respectu curæ.* Pontifices enim & Scribæ non introiverunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Quod peccatum non est, pro peccato habent, quod verò vel maximè peccatum est, id pro mera sanctimoniâ reputant, ut ipsis Christus nullam injuriam intulerit, quando eos cœcorum Duces & hypocritas appellavit, qui culices colent, & camelos deglutiant, Matth. 23. v. 24.

Tales hypocritæ adhuc hodie benè multi occurrunt, qui exterius sanctitatem simulant, & in causa leviori compressam conscientiam habent: sed in sceleribus maximis gloriari amant, Jer. 15. v. 15. & malum manuum suarum dicunt bonum, Mich. 7. v. 2. hæc est generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis, Prov. 30. v. 12. Esa. 29. v. 13. Tit. 1. v. 16.

II. *Pilati inquisitio*, cujus notanda

1. *Præsentia.* Dum enim Judæi cum vincto Jesu, manè suboriente diluculo ad prætorium veniunt, non diu expectare eundem coguntur, sed Pilatus jam tùm adest, Id indicat, eum præcedente nocte non Baccho litasse, sicuti eorum non pauci inveniuntur, qui per dimidiam noctem crapulæ indulgent, deindè in lecto hærent usque ad meridiem, ut partes controversæ tantisper expectare cogantur, & si tandem surgunt, vertigine capitis laborant, unde errant in videndo, impingunt in sententiis, Esa. 28. v. 7. Id Pilatus non fecit, sed ubi Judæi veniunt, ille in prætorio adest, accusationem eorum percepturus. Sic & Christiani Magistratus officii sui sedulam rationem habere fas est. Sunt enim Ministri Regni Dei, ideoque interrogabit opera illorum, & cogitationes scrutabitur, Sap. 6. v. 4. Rom. 12. v. 7. 8.

2. *Benevolentia.* Cum enim Judæi hâc incivilitate laborarent, ut prætorium ingredi nollent, Pilatus ad illos egreditur, licet subditi ejus essent. Ita Christiani Magistratus non potentiæ suæ coufidant, dicentes: Sic volo, sic jubeo: sed semper recordentur verborum Siracidis: Quantò magnus es, humilia te in omnibus, Sir. 3. v. 20. 1. Petr. 5. v. 5.

3. *Prudentia*, quâ motus instituit examen,

1. *Respectu Cleri*, ubi obvia

1. *Causæ exploratio.* Quærit enim: Quam accusationem adfertis adversus hominem hunc? Pontifices putabant, se autoritate suâ Pilatum permoturum, ut indicta causa Christum condemnaret, sicut ipsi in Consistorio suo sententiam tulerant. Verùm id ipsi integrum non est, sed avet scire, quid Christus deliquerit. Hæc virtus in Magistratu laudem meretur. Priusquam interroges, ne vituperes quenquam, Sir. 11. v. 7. Prov. 17. v. 15.

2. *Pontificum expostulatio.* Malè enim habet illos, quod Pilatus ad latam ipsorum sententiam judicare renuit, ideò expostulant cum ipso dicentes: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum, q.d. Num pro ejusmodi Viris nos habes, qui injusta machinentur, & innocuum hominem ad mortem poscant, id nobis non imputabis. Nos causam satis ventilavimus, & post auditam accusationem & responsionem deprehendimus, hunc mortis reum esse, ideò te oramus, ut sententiam à nobis latam, executioni dare, ne graveris.

Imprimis verò notandum est, quod eum vocant κακοποιὸν, non qualemcunque, sed publicum, cui propter evidentiam maleficii, locus defensionis non sit concedendus. Hoc verò mendacium impudentissimum erat. Servator enim nunquam quicquam mali commiserat: id contestari poterant leprosi, quos mundaverat, cæci, quibus visum, surdi, quibus auditum, muti, quibus loquelam, mortui, quibus vitam restituerat, hinc populus exclamabat: Omnia benè fecit, Marc.7.v.ult.

Perspicimus hîc, non rarò hominem homini falsum imputare, ubi verò demonstrandum erat, probatio vacillat. Ideò Christiani Magistratus hîc à Pilato discant, ne omnia statim credant, sed probationem antè requirant, sæpè enim fit calumnia, Sir.19. v.15.

3. *Pilati reciprocatio.* Ubi enim Judæi indictâ causa Christum supplicio affici postulant, ille excandescens inquit: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum: q. d. *Si sufficit vestra examinatio, sufficiat etiam vestra sententia*, ut Lyra explicat: Equidem neminem sine sufficienti probatione morti adjudicare possum, ergò crimen morte dignum probate, aut amolimini vos hinc.

Rectè ita fecit Pilatus. Qui enim Magistratus munere fungitur, nullius autoritate permoveri debet. Non timido animo sis, quando sententia erit pronuncianda, Sir.4. v.9. & cap.10 v.31.32.

4. *Judæorum excusatio.* Dixerunt ergò Judæi, nobis non licet interficere quenquam; quo indicat, se Sceptrum amisisse, & sub Romano Imperio degere. En confitentes reos! interim tamen quod consectarium erat, non agnoscunt, nempè SILOH nunc advenisse, ut Iacobus dudum prædixerat, Gen.49.v.10.

In hâc cæcitate adhuc hodiè obstinatè pergunt, dum neglecto Iesu Nazareno alium Messiam expectant, verùm frustrà alium præstolantur, dum ille ipse, quem spreverunt, venturus est die novissimo, dolores furoris sui divisutus omnibus, qui adventum ejus contemserunt, Iob.21. v.18. Nos verò Dei gratia scimus, cui credamus, 2.Tim.1. v.12. Invenimus enim Messiam, quem scripsit Moses in Lege & Prophetæ, Ioh.1. v.45. Is nobis à Patre factus est sapientia & justitia, & sanctificatio & redemtio, 1.Cor.1. v.30. Qui credit in eum, justus est, Rom.10.v.4.

5. *Nova accusatio.* Quia enim animadvertunt, Pilatum Christum indictâ causa condemnare nolle, ideò novam accusationem inferunt, quæ tribus membris absolvitur:

1. Imputant ei, quod velut hæreticus gentem subverterit, & à Mosaicâ doctrinâ abduxerit.

2. Quod prohibeat tributa dari Cæsari.
3. Quod Regem se fecerit. Quia igitur tàm contra Ecclesiasticas quàm Politicas constitutiones peccaverit, ideò petunt, ut imposterum hunc è medio tollat, & merito supplicio afficiat.

Verum meræ falsæ imputationes, & mendacia erant. Ipsi enim eorum Legati testimonium ei dabant, quod verax sit, & viam Dei in veritate doceat, Matth. 22. v. 16. Idem nomine omnium confitetur Nicodemus, Johan. 3. v. 2. imò paulo antè præsentibus Herodianis mandaverat, dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Matth. 22. v. 21. Ipse quoq; didrachmam in Capernaum dederat pro se & Petro, Matth. 17. ult. Et ubi populus pòst miraculosam cibationem eum Regem facere volebat, fugit in montem ipse solus, Joh. 6. v. 15. Hoc non attento, eum hæreticum & seditiosum accusare non dubitant.

Idem adhuc hodie evenit piis Christianis, ut calumniis innocenter illi subindè onerentur, Sir. 28. v. 22. Sed declinemus hoc flagitium. Opprobrium nequam in homine mendacium, Sir. 20. v. 26. Pariter & calumnia grave peccatum est, contrà octavum præceptum. Non facies calumniam proximo, Levit. 19. v. 13. Qui non detraxit in lingua suâ, is habitabit in tabernaculo tuo Domine, Psal. 15. v. 1. 2. Ex quo consequitur, mendacem non posse esse membrum militantis hujus, nec triumphantis in cœlo Ecclesiæ, sed partem habiturum in stagno, ardente sulphure & igne, Apoc. 21. v. 8.

II. Examen instituit Pilatus, *respectu Christi.* Auditâ enim accusatione, revertitur in prætorium, eam Christo proponit, ejusque responsionem expectat. Ubi tria notanda:

1. *Thema controversum.* Ut enim anteà indicatum, tria ipsi impingebant; Primò quod velut hæreticus gentem subverterit, & à Mosaica doctrinâ abduxerit. Deinde tributum dari Cæsari prohibuerit: & tertiò se Regem fecerit. Omissis prioribus duobus capitulis, tertium potissimum Pilatus urget, ideò quærit Christum: Tu es Rex Judæorum? Noverat ille, Judæos flagranti desiderio Regem expectare, qui illos à Romanorum jugo liberaret, & in pristinam libertatem assereret, idcircò quærit Christum, utrum Rex ille sit, quem Judæi hactenus desiderarint.

Idem adhuc hodiè Magnatibus familiare est, ut omnia consilia sua ad statum Politicū conservandum dirigant, Scholas verò & Ecclesiam negligant. Verùm perversa hæc res est. Ubi enim homines offendes, qui Reip. præesse possint, nisi in scholis & templis ante in pietate & artibus instruantur. Cum Prophetia defecerit, rebellis fit populus, qui verò custodit legem, beatus est, Prov. 29. v. 18.

2. *Christi responsum*, quod datum

1. *Per interrogationem*: Respondit enim Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? q. d. Cur hanc quæstionē instituis? Rectè me modò intuere, certè nihil in me reperies, quod speciem Regis habeat, & quidem ejusmodi, qui Cæsari metuendus. Quodsi verò ab aliis ita persuasus es, quod Imperatoris Regalia invasurus, eumque planè de Regno dejecturus sim, nō verosimile id tibi videri potest. Pilatus excandescens respondet: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti? q. d. Nō abs re tamen fit oportet, quod adeò te tractent, te singulare quid comisisse, valde probabile judico.

Vide-

Videmus hic, Christum quidem in servi formâ coràm Pilato stare: interim tamen & gloriam suam in profundissimo exinanitionis statu indicat, dum Pilatum animose affatur, & velut Dominus omnium Magistratuum, conscientiæ ejus stimulum immittit, erat enim innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, Hebr. 7.26.1.Pet.2.22.ideò eò cõfidentius se purgare potest, ad nostram instructionem, ut si & nos falsò accusemur, cogitemus, Servatori nostro idem accidisse, & quia non patimur, quasi homicidæ aut fures, aut malefici, non immoderatè feramus, sed glorificemus Deum in isto nomine, 1. Petr. 4. v. 15.

2. *Per limitationem.* Utique Pilate, sum Rex, sed non terrenus, qualem me Pontifices accusant, sed spiritualis & cœlestis. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni, in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.

Hæc bona illa confessio est, quam Christus coram Pilato edidit, ut Paulus appellat, 1.Tim.6.v.13. ideo aureis characteribus eam cordi nostro inscribamus, ne unquam ejus obliviscamur.

Si Christus Rex, nos omnimodum Regium honorem ipsi debemus. Atqui Rex est, & quidem ille ipse, de quo Pater ejus cœlestis: Constitui Regem meum super Sion, montem sanctum meum, Psal.2.v.6. Rex gloriæ, Psal.24. v.7. per quem Reges regnant, & legum conditores justa decernunt, Prov.8. v.15. ideo debita reverentia & subjectione ei obviemus, dicentes: Non nobis Domine, non nobis, Psal.115. vers.1. Confer Apoc.4.v.11.

Si Christus spiritualis Rex: lætare hinc ex animo. Alii Reges multis copiis hostibus occurrere tenentur: sed hic Rex, verbo & Sacramentis plus efficit, quàm Alexander M. omnibus suis copiis. Verbum enim ejus est vivum & efficax: & penetrantius omni gladio ancipiti, Hebr.4.v.12.

Alii Reges subditos suos terrenis Privilegiis & immunitatibus ornant: Sed hic Rex meros spirituales thesauros & dona affert, nempe, justitiam quæ coram Deo valet, remissionem peccatorum, vitam & salutem. Liberat nos à peccato, morte, Diabolo, & inferno. Si Filius vos liberaverit, vere liberi estis, Joh.8.v.36.

Alii Reges eò spectant, ut pacem subditis suis conservent. Concordiâ enim res parvæ crescunt, discordiâ magnæ dilabuntur. Sed hic Rex spiritualem nobis conscientiæ pacem peperit, quæ exsuperat omnem sensum & intellectum, Phil.4,7. Iustificati enim fide pacem habemus, Rom.5,1.

Quod si Christus Rex cœlestis, & tu cœlestia quære, Phil.3.v,14.Col.3.v.1.2.

Si peccatorum moles te premit, ut cum Paulo queri cogaris, scio quod in me nihil boni habitat, Rom.7.v.19. audi Christum dicentem: Regnum meum non est de hoc mundo. Ideo mirandum minime est, quod in mortalitate hac peccatum tibi adjaceat, Aliud Regnum imminet, in qua justitia diligitur, Psal,99.v.4. nec peccatum amplius nobis dominabitur, Rom.6. v. 12. erimus enim ἰσάγγελοι, Matth.22.v.30.

Si in pauperie constitutus, querelam ingeminare teneris: Quid edemus, quid bibemus, aut quo operiemur? Matth.6. vers. 31. recordare verborum Christi: Regnum meum

meum non eſt de hoc mundo. Non conſiſtit illud in cibo potu & abundantia, ſed in juſtitiâ, pace & gaudio Spiritus ſancti, Rom.14.v.17. Qui igitur hic plorat, ibi gaudebit, & qui hic eſurit, ibi ſatiabitur, Pſal.34.v.11.

Si calamitatibus omninò immerſus, cum Jobo queri cogaris: Si appenderetur afflictio mea in ſtatera, Job.6.v.3. Chriſtus iterum tibi ingeminat: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Qui vult diſcipulus ejus eſſe, tollat crucem ſuam & ſequatur eum, Matth.16.v.24. In Regno Chriſti demùm complebuntur dies luctus noſtri, Eſa.60.v.20. Abſterget ille omnem lacrymam de oculis noſtris, Apoc. 7. v. ult.

Si mortem horreſcis, qui animam & corpus ſeparat, qua conſumitur tanquam à tineâ pulchritudo noſtra, Pſal, 39.v.13. Audi, quid Chriſtus dicat: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Alia adhuc vita reſtat, ubi mors non amplius erit, Apoc.21.v.4. ſed abundantia gaudiorum, Pſal.16.v.11.

3. ***Pilati ludibrium***, qui ait: Quid eſt veritas? q. d. O bone vir! ſi Hieroſolymis veritatem liberè vis profiteri, gratia tibi parva erit. Obſequium amicos, veritas odium parit.

Tales illuſores adhuc hodiè in medio Chriſtianorum occurrunt, quorum Symbolum eſt: Poſuimus in mendacio ſpem noſtram, & in mendacio protecti ſumus, Eſa.28.v.15. hinc etiam eſt, quod converſum eſt retrorſum judicium, & juſtitia longè ſtetit, quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, Eſa.59. v.14. mò ſæpè ſe abſcondere tenetur, à filiis ſeculi, dicentibus: Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, Eſa.30.v.10.

Veros quidem Chriſtianos quoque quærere expedit: Quid eſt veritas? ſed longè alio ſenſu, ut eam ſedulò ſequantur, non modò cum Chriſto orantes: Sanctifica nos ſanctiſſime Pater, in veritate tuâ, ſermo tuus veritas eſt, Joh.17.v.17. ſed & in vitâ communi deponentes mendacium, & loquentes veritatem, unusquisque cum proximo ſuo, Eph.4.v.25. Qui hæc facit, non movebitur in æternum, Pſal.15.v. ult. & pòſt hæc tempora comperiet, omnia, quæ Deus fidelibus ſuis promiſit, fore Etiam & Amen, 2.Cor.1.v.20.

De *Secundo*.

PRogrediemur nunc ad *ſecundam partem*, *Pilati tergiverſationem* ſpectaturi. Hanc indicavit

1. ***Herodem ſalutando.*** Ubi obſervanda

1. ***Occaſio***, ad quam ſpectat

1. ***Publica Chriſti excuſatio.*** Ait enim ad Principes Sacerdotum, & turbas: Nihil invenio cauſæ in hoc homine. Hæc cauſa eſt, ob quam judicium hoc ſubterfugit. Etſi enim Ethnicus erat, non tamen ignorabat, neminem innocenter damnandum eſſe, quia verò ſine dubio à Judæis corruptus erat, illis indignationem movere non vult, ſed id meditatur, quomodo rem à ſe declinet, & ad alium devolvat. Iccircò Chriſtiani Magiſtratus, donaria ad promotionem iniquitatis capere non debent, Xenia enim & dona excæcant oculos judicum, Sir.20.v.31.

2. ***Continua Judæorum accuſatio.*** Nam Principes Sacerdotum, Seniores & Scribæ

perrexerunt eum accusare, dicentes: Commovit populum, docens per universam Judæam: exorsus à Galilæa usque huc. Pontifices urgent commotionem populi, quia hoc Pilatum, tanquàm ordinarium Præsidem potissimum concernebat; ideoque vigilare tenebatur. Et quò hanc imputationem eò magis exaggerent, eum non in pago vel civitate quadam prædicasse affirmant, sed incepisse in Galilæâ, & pervenisse usque Hierosolymam, ita ut nemo non ipsi adhærescat, & nisi maturè rei consulatur, publica seditio pertimescenda sit.

Hic discimus, impios non facilè reverti, si semel in viâ ad gehennam, currant. Sicuti enim non facilè cursum inhibere possumus, si monte decurramus, ita nec peccandi impetus facilè reprimitur, si semel ejus initium factum est, sed transitur de iniquitate ad iniquitatem, Rom. 6. v. 19. donec in profundum & exilium deveniatur, ex quo nulla redemtio, Psal. 49. v. 15.

3. *Tacita Christi inficiatio.* Cum enim accusaretur à Principibus Sacerdotum & Senioribus, nihil respondit. Et licet Pilatus ipse ei dicat: Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia? non tamen movetur, ut respondeat ei ad ullum verbum, ut miraretur Præses vehementer. Hoc ipso nos instruere voluit, quod & tempus tacendi sit, Eccl. 3. v. 7. Quod si verò à falsis testibus impetimur, licet quidem licito modo se defendere: at malum pro malo, & maledictum pro maledicto non reddere, sed è contrario benedicamus, quia in hoc vocati sumus, ut benedictionem hæreditate possideamus, 1. Petr. 3. v. 9.

2. *Persuasio*, cur Christum ad Herodem abduci voluit, quæ gemina fuit,

1. *Galilææ mentio.* Exorsus enim, ajunt, in Galilæâ, & doctrinam suam propagavit, usque huc. Galilæi præ aliis ad seditionem proclives erant: quia vero Dominus ibidem maximè docuerat, ideò hoc ipso eum insimulare volunt, ac si illos ad eam instigasset, imprimis verò Pilatum commonent, ut facem & tubam hanc omnis seditionis merito supplicio afficiat.

Ita semper sese res habuit, ut si res adversæ ingruerint, id Christo ejusque Evangelio imputatum fuerit. Ad eundem modum, sicut olim Judæi dixerunt: Ex eo tempore, quo cessavimus sacrificare Reginæ cœli &c. Jer. 44. v. 18. 19. Verùm id nos non absterreat: Evangelium est *verbum Crucis*, 1. Cor. 1. v. 18. sed & *verbum Lucis*, quod animas nostras salvare potest, Jac. 1. v. 21.

2. *Herodis jurisdictio*: non magni illius, qui aliàs Ascalonita dictus est, sed Antipæ, qui Johannem Baptistam capite truncari jusserat, Marc. 6. v. 16. Is erat Tetrarcha Galilææ, ideò Pilatus jurisdictionem ejus violare non vult.

In hoc non aberravit Pilatus. Quæcunque enim non vultis ut faciant vobis alii, eadem nec vos facite illis, Matth. 7. v. 12. Adhuc hodie quilibet πολυπραγμοσύνην fugere & vocationi suæ insistere debet. Plura enim super sensum hominis ostensa sunt cuilibet, Sir. 3. v. 25.

3. *Tractatio*, quam manifestat

1. *Herodis lætitia*, super quâ annotat Lyra: *Gavisus est, non propter devotionem, sed propter curiositatem.* Id vocat Theophylactus *stultum gaudium:*

Sic adhuc hodie evenire amat, si festa solennia instent, uti quidem Herodes propter

pter Pascha celebrandum Hierosolymam accesserat: at verò, ubi homines de Christo & ejus beneficiis lætari debebant, potius voluptatem quærunt in eleganti habitu, cibo, potu, ambulatione, aliisque deliciis. His satius foret, Christum nunquam vidisse. Damnatio eorum die novissimo eò gravior erit, Luc. 12. v. 47.

2. *Supina nequitia*, quæ detegitur,

1. *Ex miraculorum desiderio*. Sperabat enim signum aliquod videre ab eo fieri, sicut videmus in spectaculis præstigiatores apparere, qui devorant serpentes, & gladios & similia, addit Theophylactus.

Hinc elucescit, quomodo utplurimum illi, qui verbo Dei fidem non habent, signa petant, cùm tamen signa non salvent, sed verbum Dei hâc virtute polleat, ideò rectè facimus ei attendentes, 2. Petr. 1. v. 19. imprimis quia & de Pseudo-Prophetis prædictum est, quod signa magna & prodigia daturi sint, Matth. 24. v. 24.

2. *Ex quæstionum cumulo*. Quid Dominum interrogaverit, non exprimitur, sine dubio autem, de variis rebus curiosas quæstiones movisse eum, probabile est: De statu animæ pôst mortem, quando dies extremus adventurus sit, quid Deus ante conditum mundum fecerit, item, an ipse is sit, quem nova stella portenderit, quâ ratione tot signa & miracula patrarit, an Baptista in vitam redierit, & an anima ejusdem in eum migraverit, utrum invisibilem se reddere possit, vel aurum conficere, & id generis alia. At Christus nihil illi respondebat. *Quid enim responderet illi, qui non interrogat, ut discat? quid margarita ante porcos?* Theophylactus commodè addit.

Nobis hoc ad imitationem inserviat. O multæ sunt insidiæ dolosi, *Sir.* 11. v. 31. Multi quærunt, ut nobis incommodum creent, à talibus nobis caveamus, quia insidiantur quasi aucupes, laqueos ponentes, Jer. 5. v. 26.

3. *Ex aulicorum ludibrio*. Sprevit autem illum Herodes, cum exercitu suo. Id procul dubio graviter afflixit Dominum, attamen magnâ patientia suffert: Ad nostram instructionem, si nobis quoque accidat, ut anima nostra repleta sit subsannatione opulentum, & despectione superborum, Psal. 123. v. 6 ut solatium ex ludibrio Christi capiamus, recordantes, quod aliquando aliud tempus venturum sit, ubi stabimus in magna constantiâ adversus eos, qui nos angustiarunt, Sap. 5. v. 1. & seqq.

4. *Ex vestitu candido*. Illusit enim eum veste albâ indutum. Hoc nos velut signum innocentiæ ejus inspiciamus, sicut color candidus apud gentiles quoque pro tali habitus fuit. Hoc ipso nobis acquisivit, ut & nos aliquando byssino candido induamur, Apoc. 19. v. 8. tùm in Deo exultabimus, quasi sponsus Sacerdotali ornatu, & quasi sponsa ornata monilibus suis, Esa. 61. v. 10. Ibi implebitur, quod in Cantico dicitur: Tota pulchra es amica mea, veni, coronaberis, Cant. 4. v. 7. 8. Apoc. 2. v. 11.

5. *Ex contemtibili repudio*. Remisit enim illum ad Pilatum. Ita adhuc hodiè Servator Ecclesiam habet ambulatoriam, & cum Evangelio suo transit de gente ad gentem, & tamen multis terris peragratis, vix invenit locum indiversorio, Luc. 2. v. 7. Imprimis verò in aulâ non admodùm acceptus est, sed crapula, ebrietas, scortatio, & aliæ mundanæ

vanitatis ibi palmam obtinent; ideoque & verbi Præcones ibidem tenui in pretio habentur, sed si peccata illi debito zelo reprehendunt, hanc gratiam ferunt: Heus tu videns, abi, Amos 7.v.12.

Exeat igitur aulâ, qui volet esse pius, Lange zu Hoff / lange zur Höll. Quodsi verò id vocatio alicujus requirat, videat cum Daniele, ne à pietate abducatur, Dan. 6.v.10. ubique enim Deo serviri potest, modò timeas Deum & justitiam opereris, Act.10.v.35.

3. *Nova amicitia.* Hinc S. Lucas: Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die; nam anteà inimici erant ad invicem.

Pilatus impetum fecerat in Galilæos, quorum sanguinem miscuerat cum sacrificiis eorum, Luc.13.v.1. Hoc ipso valdè commoverat Herodem. Neque enim violationem Jurisdictionis suæ ferre poterat, hinc illæ iræ & inimicitiæ! Quia igitur Pilatus non ignorabat, quod eum per hoc offenderat, Christum nunc ablegat ad eum, quem Pontifices accusaverant, quod in Galilæâ prædicationem suam exorsus fuisset, quo ipsi adulabatur, & placare cogitabat: sicut quoque Herodi id adeò arrisit, ut indignatione pristinâ abjectâ, cum Pilato in gratiam redierit. Hinc Gregorius: Conveniunt duo lupi, ad capiendam unam ovem. Verùm per hoc ipsum præfiguratus est fructus passionis Christi. Sicut enim Pilatus & Herodes super Christo amici facti & reconciliati sunt: ita & nos ipsi unicè debemus, quod nos Patri ejus reconciliati simus, pacificanti per sanguinem crucis suæ per seipsum, Col.1.v.20. ideò dicitur quoque, Princeps Pacis, Esa.9.v.7.

4. *Remonstratio*, Judæis facta

1. *Per convocationem*, non modò Principum Sacerdotum, & Magistratuum, sed & plebis. Quia enim Pilatus animadvertebat, Clericorum Chorum nimis exacerbatum esse adversus Christum, non solus cum ipsis loqui vult, sed & populum advocat, utrùm inter illum, unus & alter fortè inveniatur, qui cum innocentiâ Christi commiserationem habeat. In gravi enim hâc causa populus non excludendus videbatur.

Ita nec hodiè populus excludendus est, in rebus Remp. concernentibus, ad cujus conservationem omnes pro facultatum modulo contribuere tenentur, quidni & consilium eorum, pro re natâ adhibendum esset?

--Est olitor quandoq; oportuna locutus; & inventus est vir pauper & sapiens, qui liberavit urbem, per sapientiam suam, Eccles.9.v.15.16.

2. *Per exprobrationem*, dum Principibus Sacerdotum falsam accusationem objicit: Obtulistis, inquiens, mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, q.d. Nonne pudet vos, rem manifestò falsam ad me deferre, ejusque executorem me implorare? Ne persuadeatis vobis, me conscientiã meam tàm temerè sauciaturũ esse.

Quodsi Magistratus adhuc hodiè partes controvertentes officii sui seriò admoneret, multæ inutiles actiones omitti possent, quæ Procuratoribus maximo lucro sunt. Tandem ubi utrinque damnum sentitur, reconciliatio proponitur. Hoc verò non ex re Reip. est, quam Christiani Magistratus præcipuè intendere debent. Ædificatio civitatis confirmabit nomen, Sir.40.v.19.

3. *Per excusationem*, quâ remittit eos

1. Ad

1. *Ad publici examinis curam.* Ecce, inquit, ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio, in homine isto, ex his, in quibus eum accusatis. Johannes quidem, Præsidem Pilatum examen hoc cum Christo solo in prætorio instituisse, memorat, quod & verum: Sed postea ad Principes Sacerdotum & Seniores eductus est, ubi denuo gravem dicam ei impegerunt, eamque probare sategerunt: sed minus convenienter, ita ut Christus quod præferebant nulla responsione dignum judicaverit. Quod valde Præses admiratus est, ideoque hic nullam se in eo culpam invenire publice profitetur.

Id omnes ad consolationem nostram observemus.

Nos omnes in corruptione sumus, Sir. 8. v. 6. ideoque quotidie remissionem peccatorum petere tenemur, ut Christus nos in Oratione Dominica docuit, Matth. 6. v. 11. hanc per innocentiam Christi impetrare possumus, quem Deus ideo pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, 2. Cor. 5. v. ult.

2. *Ad Herodis censuram.* Sed neque Herodes, inquit, nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Ita Iudæi ubique turpiter steterunt. Putarunt illi, si Christum ab uno judice ad alium traherent, se Servatorem omnibus exosum reddituros esse. Verum hoc ipso innocentia ejus eò manifestior fit, ut non temerè dicas: Cogitarunt illi de Christo malum, sed Deus vertit illud in bonum, Gen. 50. v. 20.

3. *Oblata castigatio.* Et ecce, ait Pilatus, nihil dignum morte actum est ei: castigatum ergo illum dimittam. Hæc summa erat injuria. Si innocens, cur ipsum non absolvit? si flagra promeruit, cur innocentem pronunciat? ait Bernhardus.

Ita evenire amat, si justitia posthabeatur, & hominibus quicquam concedatur, quod Deo & verbo ejus contrarium est. Diabolus enim Spiritus versutus est, qui in minimis ipsi obsequitur, illum ad majora traducere potest. Pilatus Christum se castigaturum pollicetur. Id iniquum erat. Tandem eum Diabolus eò adigit, ut eum cruci suffigi & occidi jubeat.

Inserviat id nobis in dehortationem, ne declinemus à verbo Dei, neque ad dextram neque ad sinistram, Esa. 30. vers. 1. Psal. 119. v. 9.

II. *Antiquam consuetudinem allegando*: juxta quam Pilatus tenebatur quendam ex captivis dimittere. Hoc ipso memoriam miraculosæ eductionis ex Ægypto recolere, simulque devotionem contestari volebant, se cum captivis & vinctis commiserationem habere. Verum præpostera erat consuetudo. Auferes malum de medio tui: ut audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia amplius facere audeant in medio tui, Deut. 19. v. 20.

In hac consuetudine occurrit

1. *Barrabæ cum Christo comparatio.* Barrabas erat ἐπίσημος, nobilis, illustris nebulo & homicida. Sicut & nomen ejus indicat: interpretatur enim, *Filius Patris eorum.* Quis vero Iudæorum Pater? ille, quem Christus designaverat: Vos estis ex Patre Diabolo, Ioh. 8. v. 44. Est igitur Barrabas filius Diaboli, qui erat propter seditionem quandam factam in civitate & homicidium missus in carcerem, Christus vero peccatū

non fecerat, nec inventus fuerat dolus in ore ejus, 1. Petr. 2. v. 22. sicut Pilatus ipse testimonium illi impertit, quod causam mortis in eo nullam inveniat, interim utrumque hic præsentat, quasi uterque mortis reus esset.

Hoc nostri causa factum est: Hoc ipse enim Christus nobis impetravit, ne ut fures & latrones extrudamur: sed ut Filii Dei dilecti in domum Patris cœlestis suscipiamur, ubi Christus nobis per abitum suum ad Patrem, locum paravit, Joh. 14. vers. 2.

Interea hic exemplum habemus, quo nos confirmemus, quando nos quoque deteriores paganis habemur, & aliis nefandis hominibus iniquius tractamur. Hic solatium sit bona nostra conscientia, quod non patiamur, tanquam fures & homicidæ, sed Christiani, 1. Petr. 4. v. 15. Certissime aliquando tempus veniet, ubi Christus non Barrabam, sed pios à dextris suis sistet, alloquens eos: Venite benedicti Patris mei, Matth. 25. v. 34.

2. *Optionis in manus populi resignatio.* Congregatis autem Judæis dixit Pilatus: Quem vultis, dimittam vobis: Barrabam, an Jesum, qui dicitur Christus. Pilatus meliora quæque de ipsis sperat, nec adeo stolidos eos habet, ut publicum homicidam præferre Christo ausint, ideo inquit quem vultis, dimittam vobis? En egregium judicem! qui in populi arbitrio ponit, quid facere aut omittere debeat, & quidem in re capitali, quæ sanguinem hominis concernit, qui innocenter effusus vindictam expetit, Gen. 4. v. 10. Ideo Christiani Magistratus hic caute agant oportet, ne ad gratiam jus dicant, sed secundum leges pronunci-ent, sicut id coram Deo, mundo & propria conscientia putant probari posse. Excelsior enim excelso est custos, Eccles. 5. vers. 8. qui interrogabit opera illorum, Sap. 6. v. 6.

3. *Liberationis Barrabæ flagitatio.* Ubi notetur

1. *Pontificum impulsus*, qui persuaserunt populo, ut peterent Barrabam. O quoties adhuc hodie fit, ut simplicioribus à Præpositis Ecclesiasticis r[illegible] adeatur aliquid facere, quod alias non te[illegible] ient. Eo fine Laicis in Papatu lectio Scripturæ interdicta est, quo unice à nutu clericorum illi dependeant. Verum ratio aliquando exigetur strictissima. Omnem enim sanguinem deperditum requiret Deus de manu eorum, Ezech. 3. v. 20.

2. *Populi consensus.* Persuasi enim omnes clamaverunt: Non hunc, sed Barrabam.

Hæc impia stultitia erat. Homicidam enim dimitti petunt, Ducem vero vitæ occidi. Nos idem sæpe adhuc hodie facimus, ut si Deus nobis proponit vitam & mortem, mortem pro vita eligamus, & ita petulanter nos in æternum exitium præcipitemus, Sir. 15. v. 18. Vere ergo ex te perditio tua Israël, Os. 13. v. 9. 10.

4. *Pilati refragatio.* Dixit illis iterum Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis Præses: Quid autem mali fecit? Nullam causam mortis invenio in eo. Corripiam ergo illum & dimittam.

Hic audimus, Pilatum adhuc semel Christo testimonium innocentiæ dare, ideo ansam quærit, quomodo eum absolvat. Id effecit

1. *Pon-*

1. *Pontificum livor.* Sciebat namque Pilatus, quod per invidiam tradidissent eum summi Sacerdotes. Hoc turpe vitium est, quod operibus carnis adnumeratur, quæ qui faciunt, Regnum Dei non hæreditabunt, Gal.5.v.20.

Fugite hoc vitium: Ubi enim invidentia regnat, caritas non est; caritas enim non æmulatur, 1. Cor.13. v.4. ubi caritas non est, ibi quoque fides non est, fides enim per caritatem efficax est, Gal.5. v.6. Ubi fides non est, conscientia quoque bona non est, fides enim purificat corda, Act.15.v.9. Ubi bona conscientia non est, ibi nec fiducia ad Deum est, si enim cor nostrum nos non condemnaverit, fiduciam habemus ad Deum, 1. Joh.3.v.22. ubi fiducia ad Deum non est, ibi nec vita, nam in Deo vivimus, movemur & sumus, Act.17.v.28. Ubi vita non est, ibi nec salus, nam salus est vita æterna, Sap.5.v.16.

2. *Uxoris mæror.* Sedente enim illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi & justo illi; multa enim hodie passa sum in somnis propter eum. Hic somnus divinus fuit, quo Deus mulieri quoque huic gentili innocentiam Christi manifestare voluit, an Pilatus, qui mediocriter se hactenus gesserat, commonitione uxoris à Christi condemnatione retrahi posset.

O quam bene fecisset Pilatus, si admonitioni locum reliquisset. Etsi enim vir caput est mulieris, Eph.5.v.23. attamen illi Deus mulierem in adjutorium dedit, Gen. 2.v.18. ideo consilium ejus despicere non debet, si videt, illud è fido corde manare. Quid prudens illa Abigail respectu Nabalis effecerit, constat ex 1.Sam.5. v.26. & seqq.

5. *Clamoris universæ multitudinis preponderatio.* Clamabant enim aliquoties dicentes: Crucifige, crucifige eum. Pilatus dicebat: Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis invenio in eo. At illi magis clamabant: crucifige eum: Et instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur: & invalescebant voces eorum, & summorum Pontificum.

O nefandam malitiam & ingratitudinem!

Piissimus Servator Majores eorum Ægypto eduxerat, & præsentissima morte liberarat. Civibus Hierosolymitanis viam ad cœlum ostenderat, prætetea multos infirmos insanabiles sanaverat, & ita multa & amplissima beneficia illis exhibuerat. Verum quam gratiam reportavit? Non aliam quam hanc, quod ad crucem eum postulaverint.

Nos vitium hoc declinantes, beneficium rependamus iis, qui nos beneficiis affecerunt. Non enim bene erit, beneficia non compensanti, Sir.12.v.3.

III. *Castigationem realiter procurando.* Quia enim consilium illud, de antiqua consuetudine, juxta quam illis captivum in Paschate dimittere solebat, non succedebat, aliud medium & quidem iniquissimum ille arripuit, & Christum, quem tamẽ sæpissime innocentem pronunciaverat, miseris modis tractari jubet.

1. *Per flagellationem.* Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit, non immediate per seipsum, ut Lyra annotat, sed per milites suos & ministros. Id sane satis crudeliter effectum est, ut non modo, veluti Paulus, quadragenas una minus plagas acceperit, 2.Cor.11.24. sed tam frequẽ-

tes,

tes, ut sanguis de toto corpore largiter manarit. Conqueritur de hoc ipse, inquiens: Super dorsum meum araverunt aratores, longos duxerunt sulcos suos, Psal. 129. vers. 1.

Flagellatio hæc Servatoris suppeditat nobis,

1. *Solamen,*

1. *Contra mortis reatum.* Ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, Esa. 53. v. 5. Jam habemus redemtionem in sanguine ejus, nempe remissionem peccatorum, Col. 1. v. 14.

2. *Contra inferni hiatum.* Peccatis nostris merueramus, ut carnifices infernales flagellis ignitis in æternum nos lacerassent & cæcidissent: Sed quia Christus insontem se hic flagellationi subjecit, nos jam liberi sumus, & nulla condemnatio est in iis, qui in Christo JEsu sunt, Rom. 8. v. 1.

II. *Medicamen,* præcipue contra impatientiam, quæ nonnunquam sub cruce adeo invalescit, ut murmuremus dicentes: Quare factus est dolor noster perpetuus? Jer. 15. v. 18. Quodsi enim plagas hasce per flagellationem inflictas penitius intuemur, quas pientissimus Servator magna patientia, propter nos sustinuit, animas nostras eò melius in patientia custodire, & cum Gregorio dicere possumus: *Si non exivit sine flagello, qui sine peccato venit: quomodo flagello digni non erunt, qui in peccato vivunt?* Ideo fili, noli negligere disciplinam Domini: quem enim diligit Dominus castigat. Hebr. 12. v. 5. seqq.

2. *Per coronationem.* Milites enim plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus.

Hic perpende, mi Christiane! quantum Servator propter te dolorem sustinuerit. Nulla matercula tanto dolore liberos suos parit, quantos cruciatus Christus pertulit, dum nos Filios Dei regenuerit, initiaverit & sanctificaverit. Caput ejus spinis laceratum, & facies ejus cruore perfusa est, ut non immerito conqueratur: Servire me fecisti in peccatis tuis, Esa. 43. v. 25. ideo passionem ejus non flocci æstimemus, sicut illi faciunt, qui Jesu cruciatum nefandis imprecationibus ore evomunt, Deiq; martyrium in alios provocant, aut Passionem despiciunt, dum eam audire negligunt. Ejusmodi homines crucifigunt Filium Dei rursum, & sanguinem testamenti impollutum ducunt, in quo sanctificati sunt, Hebr. 6. v. 6. c. 10. v. 28.

Ad dilecti! Omnia in nostrum emolumentum facta sunt. Adam primus parens noster, coronam Dei invaserat, & dignus fuisset, ut ille & nos cum ipso, corona picea in igne infernali coronati fuissemus: Sed per hanc spineam coronam Servator nobis immarcessibilem gloriæ coronam acquisivit, de qua Augustinus ait: *Acquiri potest, æstimari non potest.* Hæc est corona vitæ, Apoc. 2. v. 11. quam promisit diligentibus se.

Quodsi vero gloriæ hac corona insigniri volumus, spineam quoque coronam, si quandoque nobis imponatur, cum Christo subterfugere minus debemus. *Pudeat membrum deliciari, sub capite spinis coronato,* Bernhardus. Si Christo convivemus, ipsi prius commoriamur oportet, 2. Tim. 2. v. 11.

3. Per

1. *Vestes exuunt.* Hæc magna ignominia fuit. Cum David ante arcam fœderis tripudiaret,& ventus paululum vestes ejus sublevaret,Michol uxor ejus eum propterea irridebat, dicens : Quam gloriosus fuit hodie Rex Israël, 2. Sam.6.v.20. Sic Protoplasti nostri pudore suffundebantur, cum se nudos deprehenderent, & consuerunt folia ficus,& fecerunt sibi perizomata, Gen.3.v.7. Susanna ancillas suas à se ablegabat,cum se lavatura esset, Hist. Susan.v. 19. Ideo procul dubio vehementer Dominum afflixit,quod impii milites eum vestibus ita nudarunt.

Hanc nuditatem nostri causa pertulit, ut nobis togam justitiæ compararet,quam infernales latrones per Protoplastorum lapsum exuerant. Nunc non amplius nudi apparere, sed turpitudinem nostram contegere possumus, quando nos Dominus aliquando ad tribunal suum vocabit, Apoc. 3.v.17.

2. *Purpuram induunt.* Purpura olim Regius habitus erat. Quia igitur Christus coram Pilato Regem se professus fuerat, ludibrio ipsum habent, eumque lacerata & attrita purpura amiciunt, quo Regio modo vestibus incederet.

Hoc ad nostram consolationem factum est.

In Scriptura justitia nostra confertur panno menstruato, Esa.64. v.6. peccata vero, quæ committimus nos, sanguines appellantur, Psal.51. v.15. has sordes Christus pallio hoc purpuræ contexit, ut peccacata nostra, si sint ut coccinum, & rubra, quasi vermiculus, ut nix & lana alba sint, Esa.1. vers.18. Tandem & nos consistemus inter eos, qui venerunt è tribulatione magna,& laverunt stolas suas,& dealbaverunt eas, in sanguine agni, Apoc. 7. vers.14.15.

Cavete modo, ne vestibus ad luxum compositis Christi martyria augeatis,& renovetis,sed odio habete maculatam à carne tunicam, Jud. v.23.& induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est,in justitia & sanctitate veritatis, Eph. 4. v. 24. & aliquando vestiemini stola incorruptibilitatis,1.Cor.15. v.58. splendentes, ut Sol, in Regno Patris in æternum, Matth.13.v.43.

3. *Arundinem tradunt.* Hoc sceptrum ejus esse volunt, insigne Regni, sicut Ahasverus auream virgam in manu tenebat, quam inclinabat erga Esther, Esth. 5. vers.3.

Hoc iterum consolationem nobis affert.

Tyrannicus Rex Rehabeam subditis suis durum responsum dabat,supplicantibus ut jugum à Patre ejus sibi impositum emolliret:Pater meus,dicebat, aggravavit jugum vestrum,ego autem addam jugo vestro, 1. Reg.12.v.14.

Sceptrum adeò durum Servator noster non gerit, hinc scriptum est: Calamum quassatum non conteret, Esa.42.v.3.id ipse multipliciter probavit, dum non modo Centurionem Capernaiticum, qui in fide firmissimus erat, Matth.8. v.13. sed & Patrem Lunatici juvit,qui fidem suam ipse incredulitatem vocat, Marc.9.v.24. idem adhuc hodie ab ipso expectare possumus. Cum ceciderit benedictus Domini non projicietur, quia Dominus sustentat manum suam,Psal.37.v.24.

4. *Ut Regem colunt.* Genu enim flexo

ante eum, illudebant ei, & cœperunt salutare eum: Ave Rex Judæorum. & exspuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus; & ponentes genua adorabant eum.

Hæc omnia Servator noster, magna patientia perpessus est. Terræ utique mandare potuisset, ut nequissimos hos nebulones, sicut Core, Dathan, & Abiron absorpsisset, Num. 16. v. 31. Ignem cœlitus demittere potuisset, qui eos consumeret, ut Elias, 2. Reg. 1. v. 10. potuisset manus eorum aridas reddere, uti fecerat Jerobeam, 1. Reg. 13. v. 4. Verum non facit hoc, sed omnia patienter suffert nostri causa, quo nos ab æterno approbrio redimeret, quod in abysso infernali nobis subeundum erat, Dan. 12. v. 3.

4. *Christum palam ostentando.* Sanguine enim madentem eum, è Prætorio educit, sublataque chlamyde coccinea, ostendit ipsis plagas sanguineas à militibus ipsi inflictas, an forte hoc ipso ad commiserationem commoveri possent. Ecce homo! ait; q. d. Videte quam miserabiliter hic homo tractatus sit, ut fere formam hominis non adæquet, quodsi jam non satisfactum est vobis, nescio sane, quid porro cum ipso agendum sit.

Hoc verbum (Ecce homo) probe consideremus, est enim

1. *Vox Condolentis,* quo Pilatus Judæos ad commiserationem adducere voluit. O quoties adhuc hodie nobis ejusmodi miseriæ speculum ob oculos ponitur, in hominibus inopia & corporis vitio laborantibus, ubi dicendum nobis: Ecce homo! eosque consilio, ope & solatio sublevemus. Qui enim habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & claudit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo, 1. Joh. 3. v. 17.

2. *Vox admonentis.* Quando igitur tibi Diabolus novum vestimenti exemplar ostendit, inquens: Ecce homo! quam elegans vestitus! Tu dicas: Ecce homo! ecce! quomodo Servator meus in Prætorio Pilati dilaceratis pannis vestitus est, hoc luxus vestium mearum effecit. Simplicitas ergo rectumque tuum me Christe gubernet, Psal. 25. v. ult.

Quando Diabolus dicit: Ecce homo! Ecce Regna mundi & gloriam ejus, hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me, Matth. 4. v. 9. Tu inquias: Ecce homo! Servator meus spiritualis Rex est, quod arundo in manu ejus testatur: quodsi igitur Regni ejus compos esse velim, mundus non diligendus est mihi, transit enim & concupiscentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

Quando voluptatibus terrenis inescaturus te acclamat tibi: Ecce homo! gaudium & lætitia occidere vitulos, Esa. 22. v. 13. Tu ex adverso responde ei: Ecce homo! Ego Christum complectens, nolo cor meum gravare crapula & ebrietate, curisque hujus vitæ, Luc. 21. v. 34. Qui enim divites fieri volunt, 1. Tim. 6. v. 9.

3. *Vox erigentis,* qua in spiritualibus & corporalibus tentationibus nos erigere possumus.

Quodsi Dæmon Servatorem tuum tibi proponit, quasi iratum judicem: Ecce homo! ecce arundinem in manu tenet, quæ signum est mansuetudinis, quam erga omnes homines reipsa demonstrat. Miseretur enim omniũ, & dissimulat pec-

cata

cata hominum, propter pœnitentiam, Sap. 11.v.24.

Quodsi morbis correptus, multis doloribus obnoxius es: Ecce homo! specta Christum, quomodo tui causa miserandum in modum tractatus est. Vere tulit dolores nostros, Esa.53.v.4.

Quodsi in manus sævorum militum devenis, qui te crudeliter angustiant & cruciant: Ecce homo! is hoc quoque tui causa sustinuit, & omnem injuriam, quæ tibi in mundo obtingit, ita sanctificavit, ut tibi omnia in bonum cedant, Rom.8.v.28.

Quodsi tunica tibi plane exuatur, & contra laceratis pannis incedere cogaris: Ecce homo! Servatori tuo idem hoc contigit. Summa, quodcunque tibi accidat, hoc exemplo solare te, omnium rerum vicissitudo est: sicuti conformis fuisti crucifixo ejus corpori; ita quoque conformaberis corpori ejus glorioso, Phil.3. v.ult. sicut socius fuisti crucis, sic & socius eris lucis, sicut miseriæ ita etiam gloriæ, erisque cum eo semper, 1.Thess.4.v.ult.

De Tertio.

RRestat *tertium & ultimum*, nempe *Christi condemnatio*, ubi considerandæ,

1. *Judæorum truculentia*, quam declarat

1. *Pontificum impetus*, qui probatur

1. *Ex postulata crucifixione.* Certatim enim clamant, cum ministris suis: Crucifige, crucifige.

Alias non usitatum fuit Judæis, facinorosos crucis supplicio afficere, sed gentiles hoc genere mortis maleficos suos punire solebant: quod igitur crucifixionem hîc tantopere urgent, id non temere factum est, sed definito consilio & præscientia Dei, Act.2.v.23. Judæi ipsum tradiderunt, Ethnici crucifixerunt, ut innueretur, fore eum Servatorem, tam Judæorum, quam Gentilium, fecit enim utraque unum, & medium parietem maceriæ solvit, Eph. 2. vers.14, ut jam sublato discrimine, omnes unum sint in Christo Jesu, Gal. 3. vers.28.

2. *Ex repetita accusatione.* Quia enim Pilatus super crudelitate Pontificum, & servorum ejus indignatus, ipsis dicebat: Accipite eum, & vos eum crucifigite: ego enim non invenio in eo causam. Ipsi objiciunt legem, quam ipsis Romanus Imperator sartam tectam concesserat, dicentes: Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.

Id apertum mendacium erat. Non enim seipsum Filium Dei fecerat, sed erat talis, primò naturaliter, ratione æternæ generationis à Patre, Psal.2.vers.7. Deinde personaliter, ratione unionis personalis, ipso Deo de cœlo contestante: Hic est Filius meus dilectus, Matth.3.v.ult. Matth.16. v.16.

Id à Judæis pro blasphemia habebatur, sicut adhuc hodie omnes Judæi & Turcæ hoc ipso offenduntur, putantes, si Deus Filium haberet, eundem quoque uxore indigere. Judicant ita de summo hoc mysterio ex cœca ratione, verum dum putant se sapientes, stulti fiunt, Rom.1.v.22.

Nos ex verbo Dei satis certi sumus, esse quidem unicum DEUM, verum in una illa essentia tres distinctas personas; Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Pater à ne-

à nemine est, velut primus & novissimus, Esa.44.vers.6. Filius à Patre, Psal.2.vers. 7. Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, Joh.15.v.16. qua ratione hoc fiat, non constat nobis, sed in vita æterna demum experiemur, ubi non ex parte cognoscemus, sed perfectio sequetur, 1.Cor. 13.v.20.

2. *Pilati metus*, quem prodit,

1. *Privata exploratio.* Quia enim audiebat, Judæos ipsi imputare, quod seipsum Filium Dei fecisset, cum se ipso deliberat, & metuit, ne Filium Deorum judicandum coram se haberet, sicuti Gentiles, Deos quandoque cœlo descendere, & cum hominibus conversari, opinabantur, qua in opinione Lystrenses quoque fuisse, ex Actor. 14.v.8.& seqq. constat.

Id vero Pilatum non parum afflictat, ideo quærit ex Christo solicité: Unde fit? Sed Jesus nullum responsum dat ei. Quia enim Christo illuserat, & dixerat: *Quid est veritas?* jam indignum reputat, cui responsum ille det.

Hinc discimus nos,

1. *Quid sit conscientia.* Pilatus probe noverat, Christum insontem esse, nihilominus in gratiam Judæorum indignis adeo modis tractari jusserat. Ideo conscientia ejus sensim evigilat, & incipit metuere. Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis, Sap.17.v.11.12.

Hoc probe consideremus, & ante omnia eò spectemus oportet, ut fidem & bonam conscientiam habeamus, 1.Tim.1.v. 19. hæc enim juge est convivium, Prov.15. v.15. qui vero mala conscientia præditus est carnificem perpetuum in sinu suo alit. Unde Lutherus, *malam bestiam, qua facit hominem stare contra seipsum*, appellat. Tandem desperatio certissima consequitur, ut exemplum Judæ probat. Væ vero inconstantibus, Sir.2.vers.14. horum enim pars est in stagno, ardente sulphure & igne, quæ est mors secunda, Apoc, 21. vers.8.

2. *Quid sit patientia.* Christus Pilato nullum responsum dabat, quia indignus eô erat. Hoc ipso nos quidem potissimum docet, ne sanctum canibus demus, Matth. 7.v.6. Adhuc hodie enim Epicurei ejusmodi occurrunt, qui Christum cum Ministris suis despiciunt, in tota vita sua, deinde quando morti appropinquant, solatium & promissionem Regni cœlestis à verbi Ministris expectant. Verum

Ah dubito ne gratia
Qua sic abusus est data
Hunc derelinquat tandem.

Deus enim defetiscitur misereri, Jer.15.v.7. & quando divitiæ bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnuntur, & in peccatis perseveratur, tandem locum habet illud Salomonis: Vocavi & renuistis, Prov,1.v.24.& seqq.

Sed & simul docet nos, quomodo injuriam, quæ nobis infertur, non ad amussim exigere, sed patientia sufferre debeamus, dicentes cum Davide: Obmutescam & non aperiam os meum, quia tu facies, Psal.39. v.11.

2. *Severa expostulatio.* Ubi enim Pilatus ei respondere non vult, expostulat cum eo, inquiens: Mihi non loqueris? nescis, quia potestatem habeo, crucifigere te, & potestatem habeo, dimittere te? Hæc verba plena fastu erant. Ideo Servator ea silen-

nio

tio præterire non poteſt, ſed ait ad Pilatum: Non haberes poteſtatem adverſus me ullam, niſi tibi data eſſet deſuper: propterea, qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.

Hinc agnoſcamus

1. *Tyrannorum inſolentiam*, dum abutuntur potentia ſuâ, arbitrantes, ſibi quidvis licere, ſicut Jeſabel & Achab dixit: Tu nunc adminiſtras Regnum ſuper Iſrael &c. 1. Reg. 29. v. 7.

Sic adhuc hodiè ejusmodi inſolentes Magiſtratus inveniuntur, qui poteſtatem ſuam ad illicita quoque extendunt, eorumque Symbolum eſt: Fortitudo noſtra lex juſtitiæ, Sap. 2. v. 11. Verùm: Potentes potenter tormenta patientur, Sap. 6. v. 7.

2. *Magiſtratus dependentiam*: non enim poteſtatem ſuam habet à ſeipſo: ſed à Deo, ideò non extolli, ſed ſemper Deum reſpicere debet, qui eum in hoc throno poſuit, ideoque & viciſſim dejicere illo poteſt, ut B. Maria teſtatur, Luc. 1. v. 52.

Cum Fratres Joſephi metuerent, ne veterem injuriam vindicaret, quia in ampliſſimo Magiſtratu conſtitutus erat, ipſe illos erigebat, dicens: Nolite timere, quia ſub Deo ſum ego, Gen. 50. v. 19. Ita Chriſtiani Magiſtratus perpendant, ſe limitatam habere poteſtatem, quæ contrà Deum ejusq; gloriam & Regnum ſe non extendit, ideoque cautè agant, ne inopem, peregrinum, viduas & orphanos injuriâ laceſſant, quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus. 1. Theſſ. 4. v. 6.

3. *Peccatorum differentiam*, habent enim gradus ſuos, quia hic Judæis majus peccatum imputatur, quàm Pilato, qui tamen propterea non juſtificatur, ſed quilibet onus ſuum portare cogitur, quod adeò graviter eum preſſit, ut eundem ad deſperationem adegerit, & ferro necaverit ſe, prout hiſtoriæ memorant.

Hoc probè animadvertamus. Ingens enim diſcrimen eſt inter peccata ex infirmitate, & malitiâ commiſſa. Quod peccata ex infirmitate attinet, ea ſine propoſito, à renatis fiunt, per præventionem carnis corruptæ, e. g. quando Noah inebriatur, Gen. 9. v. 21. 1. Sam. 25. v. 22.

Sicut adhuc hodie nonnunquam ex improviſo pio aliquo Chriſtiano verbum otioſum elabitur, & id genus alia. Hæc vocantur peccata venialia, non ex natura ſuâ: ſed propter eventum accidentarium, quatenus à renatis, illicò per ſeriam contritionem & pœnitentiam delentur, hinc fit, ut propter Chriſtum iis ad damnationem non imputentur, ſed tegantur, ut in æternum eorum Deus non recordetur, Pſal. 32. v. 19.

Quod verò peccata voluntaria attinet, quæ ex proæreſi committuntur, illa iterum gradus ſuos habent, ſemperque unum majus eſt altero, ideò hic Chriſtus ait ad Pilatum: Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.

Hos peccatorum gradus exactè dignoſcere poſſumus:

1. *Conſideratione objectorum.* Majus enim & gravius committit peccatum is, qui contrà Deum, quàm qui contra ſeipſum delinquit, & qui contrà ſeipſum, quam qui contrà conſanguineum peccat, & qui contrà conſanguineum, quàm qui contrà proximum in genere peccat; ſic & gravius peccat, qui plura præcepta, quàm qui unum transgreditur & violat; hoc reſpectu Deus ali-

aliquando judicabit, reddens unicuique juxtà opera sua, Psal.62. v. ult.

2. *Consideratione subjectorum.* Ubi enim nulla tentatio, seductio, occasio, indigentia, metus, coactio &c. adest, ibi commissum peccatum gravius æstimandum venit, quam si enumeratorum unum vel alterum subest. Hinc lapsus Luciferi gravior est, lapsu Protoplastorum, proditio Judæ gravior abnegatione Petri, adulterium gravius quàm furtum ex necessitate commissum, & sic ulterius. Similiter, ubi Deus gratiam & dona sua distribuit, & illa despiciuntur, ibi magis peccatur, quàm à talibus, qui his donis & gratiâ destituuntur. Luc.12. v.47.

3. *Consideratione adjunctorum.* Qui enim sacrilegium committit, deterior est fure vulgari: qui Sabbatho peccat, & post pœnitentiam in anteriora peccata relabitur, vel unum peccatum sæpius iterat, gravius delinquit, quàm ubi id non accidit. Ideoque Deus pro mensurâ peccati, & plagarum, peccata puniri mandavit, Deut. 25. v.2.

Id exactè perpendere, & peccata declinare discamus, ne legem Dei violemus, & ita iram ejus attrahamus nobis, quæ ardet, usque ad inferni infima, Deut. 32. v.22.

3. *Tentata liberatio.* Exindè enim quærebat Pilatus dimittere eum. Verùm propositum hoc non adeò firmum fuit. Habebat enim potestatem, ut ipse prodiderat se, ut Christum crucifigere & dimittere posset. Quia verò summi Pontifices eum muneribus suis corruperant, ideò illos offendere nolebar. Et quia magis diligebat honorem hominum, quàm honorem Dei, Joh. 12. v.43. ideò honori ejus infamiæ labes adspersa est, ut jam anniversariè in universa Christiana Ecclesia, de iniquo judicio prædicetur, quod adversus Christum tulit, in æternum ejus opprobrium: hoc ita fructus peccati est, Rom. 6.v. 21.

II. *Mortis sententia*, ubi notetur

1. *Impulsus*, qui fuit minatio Judæorum, quod eum coràm Imperatore accusaturi essent, clamabant enim dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari.

Hoc ipso tandem terrent & commovent Pilatum, ut obsequium ipsis præstet, ne forte Cæsaris indignationem incurrat, vel planè ab officio removeatur, si apud eum accuseretur, quod manifestum rebellem, qui Regem in præjudicium Cæsaris se constituerit, dimiserit.

Videmus hîc, nihil novi esse, si hostes Evangelicæ veritatis adhuc hodie nos velut Rebelles diffament, qui Imperatori Romano debitam fidem non præstemus, imprimis verò crimen læsæ Majestatis æstimant, quando Pontificem Romanum, Anti-Christum profitemur, id ajunt, summam esse injuriam, quâ per latus & obliquè Imperator notetur, qui Pontificiæ Religioni addictus, Pontificem caput Ecclesiæ veneretur.

Verùm ut idem Servatori, falsò tamen imputatum fuit, utpote qui ipsemet didrachmam solverat, Matth.17. v.ult. & Cæsari dari jusserat, Matth.22. v.21.

Ita nobis conscientia nostra testis est, quod Imperatori nullam injuriam inferamus, sed orantes pro salute ejus, debitam ei obedientiam & fidem præstemus.

Cum

Cum Papâ verò nihil nobis commercii est, sed sicut de Babel exivimus, ita etiam abominationes ejus minus probate possumus: Id verò nihil ad Imperatorem, Magis enim oportet obedire Deo, quàm hominibus, Act.5. v.20.

2. *Processus*, ubi indicatur

1. *Tribunalis occupatio.* Hinc Evangelistæ: Pilatus autem cum audisset hos sermones, quod nimirùm Cæsaris iram ipsi minitati sunt, adduxit foràs JEsum & sedit pro Tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha.

Hoc Tribunal in publico foro juxtà Prætorium, lapidibus exstructum & supra terram latum fuisse, ut per gradus aliquot adscendẽdum fuerit, in quo Præses sententiam pronunciaturus sederit, Büntingius in Itinerario suo scribit.

Hoc improbandum non est. Deus enim in judicio præsens est, ideoque ibi nihil latenter, sed omnia apertè & justè agi debent, ut conspectis cœli nubibus, ille simul cogitetur, qui aliquando in nubibus veniet, judicaturus vivos & mortuos, Actor.10. v. 42. Oculi enim ejus sunt lucidiores Sole, circumspicientes omnes vias hominum, Sir. 23. v.28. Imprimis verò Tribunalia ideò exaltata fuerunt, ut qui in illis sederint, subindè despicerent & meminerint, quod Deus, qui exaltavit illos, facilè quoque eosdem dejicere possit, si injustitiæ Ministri sint, prout Eli Sacerdoti summo contigisse memóratur, 1. Sam.4. v.18. & Herodi, cum acclamari sibi fineret: Vox Dei, non hominis, Act. 12. v. 22.

Observetur autem hîc

1. *Temporis nota*, nempè in parasceve Paschæ horâ quasi sexta: hoc circà meridiem factum, ubi Sol ferventissimus est, & hoc ipso pius Servator innuere nobis voluit, quod quæcunque faciat, & patiatur, ex ardentissimo ergà genus humanum amore sustineat, eo fine, ut ira Dei placetur, & per se pax constituatur in virtute sanguinis sui, quem in flagellatione profuderit, & nunc porrò profusurus sit in arâ crucis, sicut & Paulus loquitur, Coloss. 1. v.20.

Videmus hîc: quemadmodum Evangelistæ tempus accuratè notarunt, quo Christus crucifixus: ita etiam nostras afflictiones demensas, juxtà numerum, pondus & mensuram, Sap.11. v.21. prætereaque ne capillus quidem capitis lædi potest, Matth.10. v.30.

2. *Propositionis forma*: ait enim ad Judæos: Ecce, Rex vester! Pilatum non latebat, quòd diu Regem expectassent, tùm & perceperat, quod ante quatriduum Hosanna ipsi acclamassent, & de ejus adventu non parùm lætati essent, ideò ipsis exprobrat levitatem, quod Regem diu expectatum ad mortem postulent.

Talis est favor vulgi, quo non tutò confidendum.

- - - Semper variabile vulgus,
Fallitur & fallit, vulgi qui pendet ab ore.

Optima ratio est, quando in Deo fiduciam ponimus, simul quoque prudenter ambulamus, exemplo Christi non cuilibet nos credentes, Joh.2. v.25. multæ enim sunt insidiæ dolosi, Sirach.11. v. 31. Qui verò

Spem

Spem Numinis non abjicit,
Haud irritâ lactatur:
In hâcce rupe qui struit
Quamvis is invadatur
Molestia, non sentio
Talem virum cadentem
Qui fidit hoc solatio,
Non deseit fidentem.

3. *Judaeorum replica.* Perseverant enim in proposito suo, dicentes: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Caesarem.

Hic sermo inconsideratus fuit. Deus enim Regem se illis è fratribus eorum daturum promiserat: Jam verò Regem Ethnicum desiderant, seque Imperatori Romano subjiciunt, qui tamen semper libertatem suam pleno ore jactaverant, Johan. 8. v. 33.

Hanc poenam adhuc hodiè luunt, ut, quia Imperatorem Romanum semel elegerunt, nunc sub alieno Magistratu miserè degant: sicuti tanquam populum vastatum & direptum ante oculos nostros conspicimus, in exsecrationem, & in stuporem, & in maledictum & in opprobrium, Jer. 42. v. 18. quae desolatio usque ad finem super eos perseverabit, Dan. 9. v. ult.

II. *Solennis protestatio*, quae duplex,

1. *Ceremonialis.* Pilatus enim acceptâ aqua lavit manus. Magnus enim tumultus erat in populo: & licet verbis excusasset se, vix tamen excusationem ejus audire potuissent: ideò accepta aqua lavit coràm omni populo manus.

Adhuc hodiè non pauci occurrunt, qui voluntariè & destinatè injuriam inferunt, deindè ad Pilati malluvium se conferunt, ut hoc modo malitiam suam incrustent, aut ad alios devolvant. Verùm hae & similes excusationes locum non invenient die novissimo, ubi unusquisque pro seipso rationem reddet Deo, Rom. 14. v. 13. Aqua verò peccato abluendo minimè idonea est: Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi saponem: maculata es in iniquitate tuâ coràm me, dicit Dominus, Jerem. 2. v. 22.

2. *Vocalis.* Addit namque insuper: Innocens ego sum à sanguine hujus justi. Hoc iterum innocentiae Christi egregium testimonium est, quod probè advertamus, & aureis characteribus tabulae cordis nostri inscribamus. *Congruè enim delevit peccata aliena, qui propria non habuit.* Augustinus. Confer Hebr. 7. v. 27.

Observamus hîc, licet Pilatus salutare uxoris suae consilium insuper habuerit, quod tamen ex admonitione ejusdem, aliquid notaverit, siquidem ipsis ferè formalibus utitur, quibus ab uxore sua monitus fuerat. Innocens enim ego sum, inquit, à sanguine hujus justi.

Animum hoc addat Christianis Matronis, ut, si quandoque tumidos Pilatos, aut pertinaces Nabales maritos habeant, qui fidele suum consilium aspernantur, ne tamen desistant, quò minus blandis suis admonitionibus iis aurem vellant, utrum per mulierum conversationem illi lucrifieri possint, 1. Petr. 3. v. 1. sic enim gaudebunt suavi conscientia. Tempus demùm veniet, ubi stimulos conscientiae sentient praefracti mariti, ubi res praeter opinionem ceciderit, quod Pilato accidisse, non dubitandum

dum est. Ubi enim mensura peccatorum impleta est, adscendit furor Domini, ut nulla adsit curatio, 2. Chron. 36. v. 16.

3. *Annexa comminatio.* Addit enim: Vos videritis, quomodo Deo & conscientiæ vestræ satisfaciatis. Quô ipso omnem culpam à se in Judæos devolvere volebat.

Rectè facit Pilatus, quod in Pontificibus, Senioribus & Scribis malum hoc propositum reprehendit: Sed idem mihi facere videtur, quod verbi Præco, qui ex suggestu alios docet, non furandum esse, & ipse furatur, Rom. 2. v. 21. Ita se hîc Pilatus absolvere nititur, dum ad Judæos ait: Vos videritis: cui tamen rectè replicasses: Tu videris Pilate. Noverat enim Christum innocentem esse, proptereaque justum nominaverat, & tamen clamore Pontificum & Seniorum, terretur, ut ad mortem condemnet eum.

Christiani Magistratus ante omnia conscientiam suam illibatam servent, ne æternum væ sibi attrahant, quod Deus omnibus illis minatus est, qui dicunt malum bonum, & bonum malum, Esa. 5. v. 20.

3. *Eventus.* Ubi tria notanda:

1. *Judæorum stipulatio.* Pilatum enim absolvunt, & omnia suæ excusationi reservant, ideò universus populus clamat: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Quod verbum optimum, sed pessimâ intentione prolatum, ut Hieronymus scribit. Quod enim hîc sibi imprecati sunt, abundè in illis & liberis eorum impletum est, ita ut in totum orbem dispersi, in exsecrationem & maledictionem supersint, Jer. 42. v. 18.

Idcircò nemo se neque liberos suos diris devoveat. Nam benedictio Patris firmat domos filiorum: Maledictio autem matris evertit fundamenta, Sir. 3. vers. 11. Interea alio sensu hâc Judæorum imprecatione uti possumus, verâ fide dicentes: O JEsu Christe! Sanguis tuus super nos, & super filios nostros: Expiare nos velis, Domine, hyssopo sanguinis tui & mundabimur: lavabis nos, & super nivem dealbabimur, Psal. 51. v. 9. In te enim habemus redemtionem per sanguinem tuum, remissionem peccatorum, Eph. 1. v. 7.

2. *Barrabæ liberatio.* Tunc, inquit Evangelista, dimisit illis Barrabam. Hâc in re Pilatus contrà legem & rationem peccavit. In lege enim mandatum erat, ut sontes debitâ pœnâ afficerentur. Quodsi igitur velut Ethnicus id minus observare voluisset, Romanorum judicia eum non latuerunt, qui facinorosos non impunè dimittebant. Idque justitiæ maximè consentaneum est. *Qui enim parcit malis, nocet bonis.* Quinimò unius viri malitiam sæpè universa civitas vel provincia luit, ut rectè Salomo dicat: Unus peccator multa bona perdet, Eccles. 9. v. 18.

Observent hoc Christiani Magistratus, ut peccata & flagitia, pro meritis puniant, ne iram & vindictam Dei, sibi atque subditis suis attrahant. Non parcat ei oculus tuus, Deut. 13. v. 8.

3. *Ultima sententiæ proclamatio.* Jesum namque flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.

Exemplum hîc habemus iniqui judicis, qui multos in mundo fratres reliquit, plus metuentes homines quàm Deum; aut aliorum amicitiæ tribuentes, quod coràm Deo, atque conscientiâ sua in æternum excusare nequeunt. Tale crimen ne ju-

dex incurrat, caveat. Si peccaverit vir in virum, tum judicant Dii: Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 1. Sam. 2. v. 25.

Intereà condemnatio Christi in solatium nostrum vergit. Ratione enim tristissimi lapsus eò res nobiscum devenerat, ut undiquaque Crucifige super nos exclamatum sit.

In cœlo dicebat Deus: Crucifigatur: semel à me dictum est, quocunque die homo de arbore vetita comederit, morte moriatur, quod verbum nunquam mutabitur, sed immotum manebit. Cœlum enim & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, Luc. 21. v. 33.

In inferno clamabant Diaboli: Crucifigatur, quorum libido erat, ut & nos catenis noctis in tartarum detruderemur vincti, 2. Petr. 2. v. 4. daturi pœnas, interitum æternum à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

In his terris adhuc hodie locum habet: Crucifigatur. Variationes enim & exercitus adversus nos sunt, Job. 10. v. 17. Hîc semper cogitationes, & timores cordis, adinventio exspectationis, & dies finitionis, Sir. 40. v. 2. Nos judicem nostrum habemus, qui sententiam super nos pronunciat annunciandam nobis: Dispone domui tuæ, Esa. 38. v. 1. Verùm Servator noster Jesus, Mediator noster factus, judicium condemnationis subiit, ut nos absolveremur. Non amplius nunc audiendum nobis, triste illud Crucifige, sed Justificetur & vivat: non enim Dominus delectatur in perditionibus nostris, Tob. 3. v. 22.

Die novissimo demum verâ vita perfruemur, Sir. 48. v. 12. Quando nos Dominus sibi adsciscet, ut simus cum eo semper, 1. Thess. 4. v. ult.

Hoc JESU! nobis largire
Amen.

DOMINICA PALMARUM.

Textus.

Historia Passionis, usque ad finem.

EXORDIUM.

VEneranda Antiquitas præsentem Dominicam appellavit Dominicam Palmarum: *semel* ratione ramorum, quos populus præcidit, & in ingressu Christi in viâ stravit, fuerunt enim rami palmarum, ut Johannes indicat, cap. 12. v. 13. *Deindè* hoc ipso Christus maximè respicitur, qui per palmam præfiguratus est. Propterea inquit: Quasi palma exaltata sum in ripâ, transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini, Sir. 24. v. 18. 26.

Meditatio Evangelii suggerit

I. *Triplicem Querelam*, si respiciamus

1. *Palmæ pressurum*, quâ ab ipsâ infantiâ usque in sepulchrum affectus est. Bethlehemi non invenit locum in diversorio, sed

sed in obscuro stabulo, duro in præsepi requiescere coactus est, Luc. 2. v. 7. Nazareni conterranei ejus, de supercilio montis, suprà quem civitas eorum ædificata erat, eum præcipitaturi erant, Luc. 4. v. 29. In Capharnaum quoq; non ex voto ei cessit, ideò væ super illo clamat, Matth. 11. v. 23. Hierosolymis sanctissimos & devotissimos habitasse æquum fuisset, quia Deus ibi ignem & caminum suum habebat, Esa. 31. v. ult. Sed ibidem pessimè tractatus, ad ignominiosissimam mortem crucis condemnatus est, Matth. 27. v. 26. ubi insidias antiqui serpentis, calcaneo suo tensas sensit, Gen. 3. v. 15. Verùm Deus in bonum finem direxit, ut hoc ipso lapsum genus humanum restitutum, peccatum obsignatum, iniquitas expiata, & justitia sempiterna adducta sit, Dan. 9. v. 24.

2. *Ecclesiæ figuram.* Hanc nobis Christus adumbrat: vehitur enim asino mutuato & despecto, satellites ejus sunt piscatores, aliique è plebe homunciones, qui ipsi vestimenta loco clitellarum substernunt, & ut compendio dicam: Omnia paupertatem præ se ferunt.

Adhuc hodiè Ecclesia pusillus grex, Luc. 12. v. 32. populus pauper atque egenus, Zeph. 3, v. 12. lampas contemta apud cogitationes divitum est, Job. 12. v. 5. hoc inde est, quia in mundo habitat qui Diabolo desponsatus, & totus in maligno positus est, 1. Joh. 5. v. 20. Joh. 15. v. 19.

3. *Vulgi naturam*, quæ bellua est multorum capitum, hodiè Christo Hosanna accinit, cras sive perendiè Crucifige ei acclamat. Ideò in Deo confidendum, non in hominibus. Nam omnis homo mendax Psal. 116. v. 11. sed Deus veritatem custodit in seculum, Psal. 146. v. 6.

II. *Triplicem Medelam*, quæ fluit

1. *Ex Christi adventu*, quod in miseriâ nostrâ visitat nos, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem nostri causa, confusione contemtâ, Hebr. 12. v. 2. nobisque fratribus suis per omnia assimilatus est, excepto peccato, Hebr. 2. v. 17. Hæc gratia præveniens est, quæ nobis in peccato mortuis prævenit, Eph. 2. v. 5. Nisi nos accessisset, nos illum accedere non potuissemus, sed periissemus in æternum damnati: Verum adventu suo nos idoneos fecit, in partem sortis Sanctorum, in lumine, Col. 1. v. 12. Ut jam non amplius peregrini simus ut anteà: sed genus electum, Regale Sacerdotium, populus sanctus, populus acquisitionis, 1. Petr. 2. v. 9.

2. *Ex palmæ usu.* Pressa enim valentior, ut notum Emblema indicat, & sub pondere crescit, Gellio asserente. Ita de Christianis dicimus: Ubi desinit auxilium humanum, incipit divinum, Je grösser Noth / je näher GOtt. Dum judicamur, à Domino corripimur, ne cum mundo damnemur, 1. Cor. 11. v. 32.

3. *Ex multiplici fructu.* Quemadmodum enim palma tàm hyeme quàm æstate viret & floret, & fructus suos gignit, quos palmulos vocant sive dactylos, quibus Physici insignem virtutem alendi tribuunt: Pari modo & hæc palma, Christus JEsus, sine intermissione floret, & salutares fructus producit, quibus æstate & hyeme, h. e. in prosperis & adversis fruamur. Jesus Christus heri & hodie, idemque in secula, Hebr. 13. v. 8.

III. *Triplicem Cautelam*, quam tribus includimus Regulis, quarum

1. *Christum excipe.* Nostro enim emolumento advenit, tanquam justus & Salvator, Zach. 9. v. 9. Quidni ipsi gloriam daremus, ut de adventu ejus ex animo lætaremur, sicut captivus lætatur, quando Redemtor ejus appropinquat? Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, Phil. 4. v. 4. Hic Rex venit justus, nobis id bonum est: bibimus enim quasi aquam, iniquitatem, Job. 15. v. 16. qui verò in eum credit, justus est, Rom. 10. v. 4. Hic Rex venit, ut Salvator: id non minus prodest nobis. In nobis enim non est fortitudo, 2. Chron. 20. v. 12. sed auxilium nostrum à Domino, qui fecit cœlum & terram, Psal. 121. v. 2.

2. *Palmam sequere.* Hæc idea Christiani est, qui non deficit in tribulationibus, Eph. 3. v. 13. sed crescit sub mole illâ, in fide, patientiâ, devotione, aliisque præclaris virtutibus, ut & in morte speret, Prov. 14. v. 32. & cum Paulo dicat: Certus sum, quod neque mors neque vita &c. Rom. 8. v. 38. Hanc constantiam sequitur tandem corona, nempè corona vitæ, Apoc. 2. v. 11. Psal. 92. v. 13. 15.

3. *Hosanna cane.* O Domine, da prosperos successus! Psal. 118. v. 25. sicut enim turbæ, quæ præcedebant, & sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna Filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini: Ita & nos adhuc hodie Christo Servatori Hosanna accinamus, dicentes: Præcepit Deus tuus fortitudinem tuam, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, Psal. 68. v. 29. Licet enim Paulus plantet, Apollo riget, tamen omnia irrita sunt, nisi Deus dederit incrementum, 1. Cor. 3. v. 7.

Hæc ita hodierni Evangelii idea, quomodo occasione palmæ, à quâ hodierna Dominica denominatur, tractari potuisset.

Nunc ad verba Passionis progredimur, quæ quatuor membris constant, quorum

I. *Contumeliosa eductio.*
II. *Secuta crucifixio.*
III. *Beata obdormitio.*
IV. *Honesta sepelitio.*

J. J.
Exegesis.

Pilatus clamore Pontificum, Seniorum & Scribarum victus, capitis Christum damnaverat, ut in præcedentibus audivimus. Propterea milites cum ipso properant ad locum supplicii, ubi aliàs facinorosi morti tradebantur. Id præfiguratum est per vaccam ruffam. Sicut enim illa extrà castra educenda & cremanda fuit, Num. 19. v. 1. seqq. Ita & Servator noster extrà Jerusalem eductus, ibique extrà muros interfectus est, ut ostenderet, esse se Salvatorem omnium hominum, Judæorum æque ac Gentilium, 1. Tim 4. v. 10. & propitiationem, non pro nostris tantùm: sed pro totius mundi peccatis, 1. Joh. 2. v. 2.

Adam Paradiso ejiciebatur, cum peccasset, Gen. 3. v. 23. verùm per eductionem suam Christus, tanquam alter Adam, πολίτευμα cœlestis Hierosolymæ nobis vicissim acquisivit, ut lætabundi cum Apostolo dicere possimus: Jam non hospites & advenæ, sed cives sanctorum, & domestici Dei sumus, Eph. 2. v. 19.

Considerabimus verò in contumeliosâ hâc Christi eductione,

1. *Vestium mutationem.* Chlamydem enim coccineâ, quæ vulnerib⁹ tenaciter inhærebat,

bat, violenter de corpore detrahunt, quo ipso dolores renovantur, & fontes sanguinei, qui obstructi erant, vicissim aperiuntur: contra vero vestimentis ejus eum induunt, quo ab omnibus agnitus majori ignominia & opprobrio afficiatur.

Id quidem in oculis nostris leve videtur. Verum si recte idem perpendimus, in eo Basis fidei & salutis nostræ versatur, quam Dæmon infernalis per hæreticos evertere satagit. Ut enim Eusebi⁹ recenset, olim Hæresiarcha Basilides non Christum, sed Simonem Cyrenæum ejus loco crucifixum esse, prætendit. Quod idem fere præstigiatorem Machometem in Alcorano suo reliquisse, dicitur.

Verum recte dixit Tertullianus: *Falsa est fides nostra, nisi vere Christus crucifixus, vere mortuus, & vere resuscitatus est.* Hæc mendacia hoc ipso plane enervantur, quod Christus habitu proprio, atque cognoscibili specie ad mortem, traductus est. Hæc res magni momenti est. In uno enim est salus nostra, qui est Jesus, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum, Actor. 10. vers. 43. qui vero alium insequuntur, multiplicarunt molestos labores suos, Psal. 16. v. 4. Non enim est in alio aliquo salus, Actor. 4. v. 12.

2. *Ligni bajulationem*, ubi notes,

1. *Durum gravamen.* Sicut enim Adrichonius in Theatro sanctæ terræ recenset, Christum à Prætorio Pilati usque ad locum Crucifixionis mille trecentos passus viginti & unum progredi oportuit. En iter dolorosum & molestissimum! quod in V. T. per iter Isaaci, ex debita obedientia erga parentem Abrahamum factum, ubi in monte Moria, in Holocaustum mactandus erat, præfiguratum fuit. Tulit enim ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, Gen. 22. v. 6.

Ita hic piissimus Servator transversalia Crucis, in quibus semetipsum hostiam Deo, in odorem suavitatis oblaturus erat, Eph. 5. v. 2. dorso suo bajulavit, non attento hoc, quod satis oneratus esset, onere iniquitatis domus Israël, quam olim Ezechiel portare cogebatur, Ezech. 4. v. 4. sed & omnium hominum, quam Deus in eum posuerat, Esa. 53. v. 6. Propterea Agnus Dei appellatur, qui portat peccata mundi, Joh. 1. v. 29.

2. *Accidens levamen.* Ubi enim cum Christo exeunt, invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus, & ad locum Calvariæ perferret, non ex commiseratione: sed quia verebantur, ne Christus nimium enervatus sub manibus eorum exspitaret, ne inceptam Tragœdiam ad finem perducere possent.

Habes hic

1. *Christianismi picturam.* Simon auditorem significat. Ita Christiani vocem Pastoris sui audiant oportet, Ioh. 10. v. 27. Simon rure rediens, Hierosolymam tendebat: Ita & nos ab agro hujus mundi, desiderio cœlestis Hierosolymæ flagremus. Interea Christus in via minime nobis conjicientibus obviat, crucem nobis imponens, & participes tribulationis suæ efficiens, Apoc. 1. v. 9. id omnes expectemus necesse est. Neque enim sub Rege, cruce gravato, deliciari poterimus, Matth. 16. v. 24. Sir. 2. v. 1. seqq.

qui cruci ipsum affixerunt: sed potius plora peccata tua, quibus Christo dolorem hunc in iniquitatibus tuis præbuisti, Esa. 43. v. 25.

De Secundo.

Videbimus nunc porro *Secutam Crucifixionem,* quæ describitur

1. *Secundum essentiam,* ubi attende

1. *Locum,* ubi hoc factum, nempe in loco, qui dicitur Golgatha, quod est calvariæ locus, quia ibi multa ossa defunctorum, & crania maleficorum, ultimo supplicio affectorum videbantur.

Prisci Adamum hoc loco sepultum autumarunt. Hoc si verum, Christi sanguis in cranium Adami manavit, certissimo indicio, Adami & omnium hominum peccata nunc expiata esse, 1. Cor. 15, 22.

2. *Potum.* Quia enim Salomo dicit: Date siceram perituris, & vinum his, qui amaro sunt animo, Prov. 31. v. 6. & ipsi Christo potum ministrant, sed non haustum frigidæ, multo minus vini: sed acetum felle permixtum, ut non immerito conqueratur Dominus: Quomodo conversa es mihi in Palmites degeneres vitis alienæ, Jer. 2. v. 21. Opprobrium & miseria frangunt cor meum: Dederunt in escam meam fel; & in siti mea potaverunt me aceto, Psal. 69. v. 21, 22.

Optimus Servator olim Israëlitas aqua è petra potaverat, Num. 20. v. 11. Elicuerat Samsoni è maxilla asini aquas, Jud. 15. v. 19. In nuptiis Cananæis aquam in vinum generosum commutaverat, Ioh. 2, 9. sed morti vicinus ne quidem potu frigidæ frui potest, quo cor languidum reficeret.

Id nostri causa perpessus est. O quoties fit, ut & nobis è calice felle repleto bibendum, & multa adversa sustinenda sint: hîc Christum calicem hunc dudum gustasse, meminerimus, quo fidelibus suis acquisivit, ut super mensa sua in Regno suo comedant & saturentur, bibant & inebrientur, lætentur, & præ exultatione cordis jubilent, Esa. 65. v. 13. hæc beata permutatio erit, quam semper desideremus, Dominus enim ad postremum servavit bonum vinum, Joh. 2. v. 10. in cœlo novum bibemus, Matth. 26. v. 29. inventuri cum Christo vitam & abundantiam in æternum, Joh. 10. v. 11.

3. *Modum*, quem Evangelistæ exprimunt

1. *Generatim,* & paucis quidem verbis: Et crucifixerunt eum ibi. Pauca verba, tristissimus actus. Crucifixio enim apud Gentiles quoque pro infami supplicio habita fuit, quo cives Romani ant liberi non affecti fuerunt. Quando igitur hîc Christum crucifixum esse audimus, meminerimus nos, nostri id causa factum, qui maledicti fuimus, ratione legis, quam non impleveramus, Deut. 27. v. ult. Christus igitur pro nobis maledictum factum est, quo nos à maledictione legis redimeret, Gal. 3. v. 13. Sicut & Moses serpentem exaltavit in deserto, qui typicè Christum in plenitudine temporis in ara crucis exaltandum referret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam, Joh. 3. v. 15.

2. *Speciatim.* Crucifixerunt enim cum eo duos latrones, unum à dextris, & alium à sinistris ejus, Jesum autem medium. Et impleta est Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis

iniquis reputatus est, ut Esaias dudum prædixerat, c.53.v.ult.

Reminiscemus nos Christi, quando & ipsi cum iniquis reputamur tanquam περιψήματα & καθάρματα, 1.Cor.4.v.13. Servus enim non major Domino est, Joh. 15 v.20. si vero Christo compatimur, & conglorificabimur, Rom.8.v.17.

2. *Secundum Consequentiam*, ubi notanda:

1. *Christi pro crucifixoribus oratio.* Dicebat enim Jesus: Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.

Judæi non ignorabant, Christum innocenter pati, Pontifices enim per invidiam ipsum tradiderant, Matth.27.v.18. ignorabant vero quod Filius Dei, seu Messias esset. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, 1.Cor.2. vers.8.

O quot inter nos sunt, qui Christum optime agnoscunt, quod Filius Dei & Messias à Deo missus sit! & tamen peccatis suis crucifigunt eum, Hebr.6.v.6. c. 10.v.25.

Imprimis vero hinc maxima mansuetudo Servatoris elucescit, de qua Bernhardus: Judæi clamant crucifige, Christus orat ignosce. Idipsum nos quoque faciamus: Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos, Matth.5.v.44.

2. *Tituli trilinguis adornatio.* Moris namque fuit, ut hoc modo supplicio affectis in tabella causa delicti appenderetur, quo omnibus innotesceret, qua ex causa tam rigorosa sententia lata esset super eos. Ubi observanda.

1. *Verborum ponderatio.* Erat enim superscriptio hæc scripta, literis Græcis, & Latinis & Hebraicis: Jesus Nazarenus, Rex Iudæorum.

Hoc præclarum Epitaphium est, quod Pilatus Christo erexit, eoque gloriam & Majestatem ejus inscius promovit. Vere enim Christus Rex Iudæorum erat: sed non terrenus Rex, à quo Imperator Romanus sibi metueret: sed in hoc natus erat, & in mundum venerat, ut testimonium perhiberet veritati, Ioh.18. v.37. Ideoque hoc ipso mortis reus non erat. Quia vero Pilatus aliam causam non sciebat, hoc sufficere putat: sed seipsum ita prostituit, quod Christum innocenter ad mortem condemnaverit, & in tribus linguis Cardinalibus injustitiam suam divulgat, idque nostrum in solatium. Talis enim decebat, ut esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, Hebr.7. v.26.

Hoc probe advertite vos mei! Christus cruci affixus est, ut neque manus neque pes officium facere possint, & tamen omnipotente sua virtute manum Pilati dirigit, ut non aliter scribere possit, ac res ipsa erat. Unde apparet, Dominum esse, qui omnia mala ad bonum dirigere, & imprecationem Bileami in benedictionem commutare valeat, Num.23. vers.4. Non enim est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, Prov. 21. vers.30.

2. *Pontificum reformatio.* Nam hunc titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope civitatem erat locus: ubi crucifixus est Iesus. Sine dubio hîc ab uno atque altero varia judicia lata fuerunt, quæ ipsis non adeo arriserunt, ideo dicebant Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere

Rex

Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum.

Discimus hic, quomodo illi, qui legendi & scribendi peritia pollent, adeoque non ignorant, quid justum & æquum sit, tamen veritati non obtemperent, sed in præconcepta opinione persistant, nec per Scripturam emendentur, horum damnatio aliquando eo major erit. Scienti enim bonum facere, & non facienti, peccatum est illi, Iac. 4. v. ult.

Videmus quoque, quomodo Diabolus omni studio contra nitatur, si gloria Christi promovenda est, est enim mendax & homicida ab initio, Ioh. 8. v. 44. imitantur autem illum qui sunt ex patre illius, Sap. 2. v. ult.

3. *Pilati ratificatio*, qui dicit: Quod scripsi, scripsi. Ita Christus Rex manet, ringentibus licet Diabolis & tyrannis, nam consilium meum stabit, ait Dominus, Esa. 46. v. 10.

Quemadmodum vero Pilatus inscriptionem suam mutare noluit: ita nobis plus causæ est, verbo DEI scripto inhærere. Hîc enim similiter locum habet: Quod scriptum, scriptum: non addas quicquam, nec minuas ex illo, Deut. 12. vers. 32.

3. *Vestimentorum Christi abalienatio*, descripta

1. *Causaliter*, facta enim est à militibus, qui servabant eum ibi. Semper enim metuebant, ne liberaret se, aut à populo liberaretur. Sicut hodie carnifex facinorosos gladio aut laqueo necare solet, postquam sententia mortis à Magistratu lata est: sic idem olim milites fecerunt, ideo vestes ipsis debebantur, sicut adhuc hodie carnifex vestimenta ultimo supplicio affectorum sibi arrogat.

Hoc ita cum voluptate milites effecerunt, sicut adhuc hodie ipsis volupe est arcas aliorum spoliare, hominesque vestibus nudare. At panis hic mendacii tandem implebit os eorum calculo, Proverb. 20. v. 17. Juxta illud: Qui te spoliaverunt, spoliabuntur, Jer. 30. v. 16.

2. *Materialiter*: indicant enim Evangelistæ, quas vestes partiti fuerint. Christus qui propter nos pauper factus, non multis vestibus instructus erat. Ideo quando Evangelistæ memorant, quod milites vestimenta ejus in quatuor partes diviserint, non ita intelligendum est, quasi Christus quatuor vestes habuerit. Minime. Sed ut Judæi palliis utebantur ex quatuor alis, Deut. 22. v. 12. Ita & Servator ejusmodi pallium habuit, quod milites facili opera dividere potuerunt. Tunicam vero, quia inconsutilis erat, desuper contexta per totum, non sciderunt, alias nemini quicquam profuisset.

Sed & hodie adhuc Christus vestibus suis spoliatur. Quod non modo milites, sed & omnes illi faciunt, qui bona Ecclesiastica administrant, quæ ad conservationem cultus divini Ministerii & Scholarum à piis veteribus ordinata sunt, quando ea ad se rapiunt, & in proprium commodum convertunt. Verum grande peccatum est, quod Deus non modo hîc temporaliter punit, maledictione immissa Sacrilegorum hujusmodi bonis, ut omnia dilabantur, Mal. 3. v. 9. Sed nisi pœnitentiam agant, puniet eos Deus igne infernali: neque enim fures, neque rapaces, neque iniqui Regnum Dei hæreditabunt, 1. Cor. 6. v. 10.

3. *Formaliter:* facta enim est vestimentorum partitio

1. *Per tesserarum ludum*, ut Veteres autumāt. Hoc non incommode hæreticis & Sophistis applicari potest, de quibus expresse Paulus scribit, quod Scripturas, quæ spiritualiter tunicæ Christi conferri possunt, tractent, ut aleatores tesseras, has detorquent, quo inde eliciant, quæ scopo suo inservire putant. Eò respicit laudatus Apostolus, quando Ephesios suos monet, ne fluctuantes circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Ubi in Gr. est vox κυβεία, ad quam B. Lutherus in margine notat: sicuti nebulones talis, sic qui traditiones humanas docent, Scripturis utuntur, Eph. 4. v. 14.

2. *Per sortis jactum.* Hoc non culpandum fuisset, si illud quod sorte dividebant, licite comparassent.

Sic Josua Israëlitis Palæstinam sorte distribuit, Jos. 14. v. 15. seqq.

Saul Rex super Israël sorte electus est, 1. Sam. 10. v. 21.

Apostoli ipsi Matthiam sorte ad Apostolatum in locum Iudæ elegerunt, Act. 1. v. 25.

Idem si adhuc hodie rite fit in partitione bonorum, aut electione idonearum personarum ad officia certa, Deus intererit, & ad felicem eventum negotium deducet: sortes quippe mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. Prov. 16. v. 33.

Id milites non fecerunt, sed vestimenta Christi distribuerunt inter se, qui innocenter morti adjudicatus fuerat: sed factum est, ut impleretur, quod David prædixit: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem, Psal. 22. v. 19.

4. *Matris consolatio.* Nam cum vidisset Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce, filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce, mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

Hic notandum:

1. *Christi alloquium*, quo matrem suam vult erigere. Vocat enim mulierem non matrem, aut propterea, ne ludibrio militum illam exponeret, aut, ut alii sentiunt:

Ne materna pium cruciarent viscera nomen.

Maxime vero hoc ipso Pontificiorum idololatriam prævertere, & palam contestari voluit, se solum calcare torcular, nec quenquam de populis esse secum, neque matrem, neque Apostolorum aliquem, Esa. 63. vers. 2. ideoque unus ille Mediator DEI & hominum dicitur, 1. Tim. 2. vers. 5.

Hoc vero Servator afflictæ matri suæ dicturus est: O suavissima, ô tristissima mater! Fui hactenus filius tibi obediens, omnemque filialem amorem & fidem tibi præstiti: sed jam Vale tibi dico. Sed noli contristari nimium, fidele tibi subsidium procurabo: Ecce, hic filius tuus! hic mei loco tibi opem feret, & in tutelam & patrocinium suum te suscipiet.

Deinde ad Iohannem se convertit, dicens: Ecce, mater tua! q. d. Nosti me semper sincere te dilexisse, idipsum matri meæ rependas velim, recipe illam in tutelam tuam,

tuam, ipsa vicissim, quod probam matrem decet, respectu tui persungetur.

Videmus hîc, sicut Christus matri suæ valedicit, ita & nobis aliquando mundum relicturis, amicis nostris optimis valedicendum fore. Perpetuum enim hoc fœdus est mortis, quod morieris, *Sir.* 14. v. 18. Et licet vitam nostram multos in annos produxerimus, tandem tamen ab invicem divellemur, nos discedimus, amici vero & propinqui nostri hîc relinquũtur. Qui quidem non longius, quam ad sepulchrum, sicut Maria Christum usque ad crucem, nos deducere valent, inde reversuri.

Sicut vero Maria die Paschatos filii sui adspectu vicissim fruitur, & cum ipso in cœlesti gloria & beatitudine triumphat: Ita quando Rex Regum & Dominus Dominantium die ultimo, comitia sua universalia indicturus est, tum vicissim mutuò conspiciemus nos:

Tunc cum fratre soror, nati cum patribus ibunt.

Unde dies extremus dies restitutionis omnium dicitur, Act. 3. v. 19. ubi Sabbathum ex Sabbatho, & Pascha ex Paschate celebraturi, cum B. Angelorum Choro lætum illud Τρισάγιον insonabimus: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth', plena est omnis terra gloria ejus, Esa. 6. vers. 3.

Observate hoc ad instructionem vestram, Vos liberi! ut parentum vestrorum senio confectorum curam habeatis. Fili suscipe senectam patris tui, *Sir. 3. vers. 14. seqq.

Observate hoc viduæ & pupilli in solatium! Christus vestri curam gerit, tanquam Pater orphanorum, & judex viduarum, Psal. 68. v. 6. Non desunt ipsi fideles Johannes, qui consilio atque ope subveniant vobis, ideo confidite! non derelicti à Deo estis, ipse erit vobis in Patrem, excitabit, qui vos in curam & clientelam suam recipiant. Quodsi non eadem fortuna utimini, qua viventibus parentibus & maritis vestris usi estis: animas vestras in patientia custodite. Maria quoque Christum dimittere & Johanne contenta esse tenebatur. Ante Mater Filii Dei erat, jam vero filium Zebedæi adoptare cogitur, quod æquo animo suffert, nec adversus Deum murmurat. Idem & ipsi facite, Vos mei! DEUM siquidem diligentibus omnia in bonum cooperabuntur, Rom. 8. v. 28.

2. *Johannis obsequium*, quod Evangelista ita indicat: Ex illa hora accepit eam discipulus pro sua. Non cum carne & sanguine deliberat, nec de alimentis sollicitus est: sed continuo eam ad verbum Christi assumit, & pro matre honorat.

O beatos! qui hac in parte Johannis vestigiis insistunt! Adhuc hodie multæ derelictæ viduæ & orphani occurrunt, quos nobis omnibus Christus commendat, dicens: Ecce mater tua! Ecce filius tuus! beatos illos, qui exemplo Johannis eorundem sedulam rationem habent.

In specie observent hoc verbi Præcones, ut tanquam fideles Johannitæ eosdem sedulo invisent, ex verbo Dei confirment, & ut Eleemosynæ rite distribuantur, prospiciant: Religio munda & immaculata apud DEUM & Patrem hæc est, Jac. 1. v. ult.

Johannitæ fideles sint Christiani Magistratus, ut illis ex æquo justitiam admini-

ministrent, nec eosdem lædi permittant, ut Deus mandavit, Exod.22.v.22. Talis fuit Iobus.cap.29.v.12.& seqq.

Ejusmodi Iohannitæ Christiani sint in genere omnes, ut necessitatibus Sanctorum libenter communicent, & pro facultatum modulo iisdem tribuant, 1.Tim.6.v.19. Esa.58.v.7,9.

Iohannes Evangelista provecta ætate solus ex omnibus Apostolis naturali morte obiit, propterea, quia hîc Matrem Dei adeo promte recepit: Ita Deus largissime compensatur, quod derelictis viduis & orphanis boni exhibetur: Quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam, Matth.10.v.ult.

5. *Populi ludificatio.* Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua & exprobrantes ei,

1. *Templi structuram*, quod dixerit, se destructurum templum Dei, & in triduo illud reædificaturum. Id ille dixerat, sed de templo corporis sui, Ioh.2.v.21. Illi vero verba ejus pervertunt, ut adhuc hodie non raro ab obtrectatoribus fieri amat. Sæpe enim fit calumnia. Et non omni verbo credas: est qui labitur lingua sua: sed non ex animo. Quis est enim, qui non deliquerit in lingua sua, Sir.19.v.16.

2. *Aliorum curam.* Alios dicunt, salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. O impietatem! Utique Christus hactenus multos salvos fecerat, cœcis visum, surdis auditum, mutis loquelam restituendo, claudos & leprosos sanando, nec non mortuos resuscitando. Id merito prædicandum ipsis fuisset, commiserationem juxta suam contestantibus. Illi vero ludibrio ipsum habent dicentes: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Q.d. Iam liquido apparet, quid Iesus Nazarenus possit! Nisi miracula ejus præstigiæ fuissent, jam in seipso artem utique probaret, qua jam maximopere ille indigeret.

Id hodietenus sæpe pii Christiani experiuntur, quando in calamitates incidunt, ut religio eorum despiciatur, & rideatur. Ubi est pietas tua, ait Diabolus & satellites ejus: aliis subvenisti, multasque Eleemosynas erogasti, quid inde emolumenti capis? Tibi non minus moriendum ac aliis qui id non fecerunt. Vanum est servire Deo, Mal.3.v.14. Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo & morere, Iob.2.v.9.

3. *Spem vanam.* Confidit in Deo, ajunt, liberet eum nunc, si vult. Item: Dixit, Filius Dei sum. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credemus ei.

Hæc gravissima tentatio est, qua hodie adhuc Diabolus multos pios Christianos oppugnat, ut persuadeant sibi, se non in numero Electorum Dei esse: secus enim in ærumnis minime derelinquerentur à Deo. Verum in his & aliis hujusmodi tentationibus solatium prehendamus, quod Christus omnes tentationes exsuperaverit. Id nostro bono factum: ideo longe vincimus propter eum, qui dilexit nos, Rom.8.v.37. & omnia possumus in eo, qui nos confortat, Christo, Phil.4.v.13.

Equidem non parum animum mordet, si juxta damnum etiam contumeliam experiaris, *Generosus animus contumeliam pati non potest*, inquit Seneca. Verba susurronis sunt quasi vulnera, & ipsa perveniunt, usque ad interiora ventris, Proverb. 18.v.8.

18. v. 8. Verùm idem quoque Christo accidit. Præterea eadem passio fit nostræ, quæ in mundo est fraternitati, 1. Petr. 5. v. 9. Optima apologia innocentia est, Augustino dicente, 1. Petr. 4. v. 15. Matth. 5. v. 12.

6. *Latronis salvatio.* Ubi notetur

1. *Procedendi modus.* Per omnem vitam suam homo nequissimus fuerat, multumque sanguinis innocentis profuderat, sicut & propterea ad ignominiosum crucis supplicium condemnatus erat. Quodsi in illis peccatis vitam finiisset, sine dubio æternæ damnationis Candidatus fuisset. Verùm prodit pœnitentiam infucatam

1. *Socium corrigendo*, qui Christum cum prætereuntibus blasphemabat, dicens: Si tu es Christus, salvum fac teipsum & nos. Id alter minus ferre poterat, iccircò objurgabat ipsum, inquiens: Neque tu times Deum, qui in eâdem damnatione es?

Hoc opus caritatis erat, ad quod nos hodietenus obstringimur. Qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus à morte, Jacob. 5. v. ult.

2. *Peccata confitendo.* Nos quidem justè, ait, nam digna factis recipimus. Ita cum filio prodigo ad frugem redeamus, dicentes: Peccavi Pater! Luc. 15. v. 21. Quodsi dixerimus, peccatum non habemus &c. 1. Joh. 1. v. 9.

3. *Ad Christum confugiendo.* Dicebat enim ad Jesum: Domine, memento mei, cum veneris in Regnum tuum. Hæc precatio è verâ fide profecta fuit, quâ hic latro Christo crucifixo adhærescebat, tantâ fiduciâ, ut minimè dubitaret, licet in cruce penderet, quin se in Paradisum perferre, & salutis compotem reddere possit. Siquidem hic per Paradisum nihil aliud, quàm vita æterna intelligitur, quò & Paulus raptus audivit ῥήματα ἄῤῥητα, 2. Cor. 12. v. 4.

Firmâ fide præditi fuerunt Magi ex Oriente, ubi Christum in fœno & præsepio jacentem, tanquam mundi Servatorem adoraverunt. Sed quid hoc respectu fidei hujus latronis, qui Christum crucifixum, ab omnibus, Deo quoque derelictum invocavit?

Nos quoque ignominia Christi minimè absterreat à semel agnitâ veritate: sed dicamus cum Bernhardo: *Crucis Christi ignominia, maxima Christianorum gloria.* Beatus, quisquis non fuerit scandalizatus in eo, Matth. 11. v. 6.

2. *Salutaris eventus.* Respondit namque illi Jesus: Amen dico tibi, hodiè mecum eris in Paradiso.

Hoc exemplum in solatium nostrum observemus, ne desperemus, si peccata & conscientia nos angant. *Si latro salvatus est, quis desperet?* ait Augustinus. Ubi exsuperat peccatum, ibi exsuperat & gratia, Rom. 5. v. 21.

Sed caveamus, ne gratia Dei ad securitatem abutamur, & exemplum latronis ad impietatem trahamus, ut procrastinemus pœnitentiam dicentes: Peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens, Sir. 5. v. 4.

Pœnitentia enim sera, rarò est vera. Legi & perlegi totam Scripturam, & neminem inveni in duobus millibus annorum salvatum fuisse in fine, nisi latronem in cruce, ait Augustinus. Quis igitur ad hoc exemplum se referret?

Ah dubito, ne gratia
Quâ sic abusus est datâ
Hunc derelinquat tandem.

Si tibi cibus proponeretur, qui centum hominibus mortem conciliasset, & unus salrem indemnis evasisset, num adeò stolidus fores, ut eâ vescereris? Non puto. Sic illi homines prorsus obdurati sunt, qui ad exemplum latronis pœnitentiam usque ad finem vitæ procrastinant. Ecce! nunc tempus acceptabile, ecce! nunc tempus salutis est, 2. Cor. 6. v. 3. Quærite ergò Dominum, dum inveniri potest, Esa. 55. v. 6. Hodiè, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, Psalm. 95. v. 8.

Nemo tàm Divos habuit faventes
Crastinum ut possit sibi polliceri,
Res Deus nostras celeri rotatas
Turbine versat.

Cum quo consentit Salomo, Prov. 27. v. 1. & Siracides cap. 18. v. 26.

Veri Christiani eò pœnitentiam non differunt: sed in tempore peccatorum ostendunt conversionem suam, Sir. 18. v. 21. & ex juramento Christi certi sunt, quod & sibi ille Paradisum aperuerit, ut per mortem eò transeant, & vitam æternam adipiscantur, Joh. 5. v. 24.

De Tertio.

SUccedit III. Pars, nempè, *Beata Christi obdormitio*: in quâ notetur

1. *Mors Christi deplorabilis*, quæ describitur

1. *Secundum antecedentia*: ubi occurrit

1. *Noctis horror*. A sexta enim horâ, tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam. Judæi diem in duodecim horas dividere, & ab ortu Solis incipere solebant. Cum itaque Sol sex horas radios suos projecisset, & jam ad summum pervenisset, ecce! subitò & inopinato ille obscuratus est, quod duravit à sexta hora usque ad nonam, h. e. si ad nostrum horologium revoces, ab ipso meridie usque ad tertiam, sicut dudùm Amos prædixerat: In die illâ, inquit Dominus, occidet Sol in Meridie, & tenebrascere faciam terram, in die luminis, Amos 8. v. 9.

Hæc eclipsis non naturaliter facta est, ut aliàs in Sole & Lunâ anniversariè eclipses certæ fieri solent: Naturaliter enim illæ fieri solent, non in plenilunio, sed in novilunio, quando Luna inter Solem & Terram interjacet, & corpore suo opaco radios Solis, ne in terram cadant, impedit. Hæc verò facta est in plenilunio, die 15. primi mensis, quo Judæi Pascha suum celebrabant, Exod. 12. v. 18. Præterea in Judæâ non modò facta: sed ut textus meminit: ἐπὶ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, ita, ut non modo Romæ, Orosio teste: sed & in Ægypto & in specie Heliopoli illa observata fuerit. Siquidem Suidas memorat, quod eruditi illi duo viri, Apollophanes & Dionysius Areopagita super illa discurrerint, ubi Apollophanes dixerit: ὦ καλὲ Διονύσιε, ἀμοιβαὶ τῶν θείων πραγμάτων. O mi Dionysi, mutatio divinorum operum instar. Cui Dionysius responderit: Ἢ τὸ θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει, Aut Deus patitur, aut vicem patientis dolet: tres enim horas continuas duravit illa, quod aliàs prorsus insolitum est.

Hâc Eclipsi Deus subinnuere voluit

1. *Filii sui innocentiam*. Quia enim impii Judæi

Judæi adeò crudeliter eum tractabant, nemine commiserationem cum illo habente: Sol vestem lugubrem induit, hoc ipso misericordia ergà fratrem suum Solem justitiæ motus, Mal.4.v.2. quin & indicare simul voluit, inhumanam illam tyrannidem, quam Judæi in Creatore suo exercerent. Nos igitur fugiamus peccata, ne Sol proptereà obscuretur. Congemiscit enim creatura, quod invita vanitati subjecta esse cogitur, Rom.8.v.20.

2. *Futuram lucis carentiam.* Quia enim tenebras plus dilexerunt, quàm lucem, Joh.3.v.19. Deus lucem verbi sui illis planè subtraxit, ut jam in tenebris palpent sicut cœci, oculis suis non videntes, auribus suis non audientes, & corde suo non intelligentes, Esa.6.v.10. Hæc justa Dei judicia sunt, de quibus Paulus: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, Act.13.v.46.

Nos ejusmodi ingratitudinem declinemus, in luce ambulantes, dum lucem habemus, ne tenebræ comprehendant nos, Joh.12.v.35. Non enim irridetur Deus, Gal.6.v.7. 2.Thess.2.v.11.

3. *Passionis Christi efficientiam.* Sicut enim horribiles tenebræ factæ sunt, in universa terrâ Ægypti tribus diebus, ut nemo viderit alterum, nec de loco se moverit, cum Deus populum suum à tyrannide Pharaonis redemturus esset, Exod.10.v.22. ita etiam tenebræ trium horarum factæ sunt in toto orbe terrarum, ubi Christus morte suâ lapsum genus humanum de tyrannide infernalis Pharaonis, & æternæ damnationis redimere, atque in cœlestem patriam reducere voluit. Hoc ipso crucem nostram sanctificavit, ne desperemus, si & nobis quandoque Sol occidat, ut cum Jobo quiritemur: Noctium molestissimarum mihi numerus factus est, Job.7.v.3. quin & ab æternis tenebris nos redemtos, fecit nos idoneos in partem sortis Sanctorum in lumine, Col.1.v.12. quod grato animo recolentes, infructuosis tenebrarum operibus ne communicemus, Eph.5.v.12. sed honestè, sicut in die ambulemus, Rom.13.v.13. lucentes, sicut luminaria in mundo, in medio nationis pravæ atque perversæ, Phil.2.v.15.

2. *Christi clamor*, qui describitur

1. *Formaliter.* Circà enim horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, eli lamma azabthani? h.e. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? quæ verba desumta sunt ex Psalmo 22. qui à capite ad calcem de passione & beneficiis Christi agit. Hoc clamore Servator non modò innuere voluit dolores corporis sui; sicuti hunc clamorem incipiens jam tum tres horas in cruce pependerat: sed potius internum, omnibus inenarrabilem animi angorem, quem ratione iræ Dei, ob nostra & totius mundi peccata, quæ susceperat, ipsum urgentis, sentiebat: legis maledictio terrebat ipsum, Satanas tela sua ignita in eum detorquebat, circumdabant eum laquei mortis, & torrentes Belial conturbabant eum, Psal.18.v.5. vita ejus inferno appropinquabat, qui hiante rictu ipsum deglutitum ibat, Ps.88.v.3. si seipsum intuebatur, nō modò totū corpus ejus fœdè vulneratum erat: sed quoq; in ligno maledicto inter duos maleficos intermedius pendebat: omnes, qui præteribant, animum ej⁹ aculeatis sarcasmis vulnerabāt: Sol magnus ille mundi ocul⁹ obscuratus lumē suū abscondebat, quo ipso Pater ejus cœlestis ira-

iratum quasi vultum suum ostendebat. In his angustiis respectabat, & nullus liberator aderat, undè non immeritò lamentabatur: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

Discimus hinc,

1. *Peccati atrocitatem*, quod tanta abominatio in oculis Dei est, ut proprium quoque atque unigenitum Filium suum, ob aliena peccata tantis anxietatibus immerserit: quilibet proindè cogitet: si hoc factum in ligno viridi, quid fiet in arido? Luc.23.v.31. non quoque adeò facilè peccatis assentiamur, ut dicamus: Peccavi, & quid mihi accidit triste? Tàm cito enim irasci potest quàm misereri, & ira illius in peccatores non desinit, Sir.5. v.4.7.

2. *Tentationis internæ gravitatem*. Multæ & variæ afflictiones in mundo sunt, ut quasi in tribulationibus navigemus, sicut Loth tempore diluvii, Gen.7. v.18, Eccles. 1. v. 8.

Verùm qualiscunque tandem sit corporalis ærumna, nihil tamen æstimanda est, respectu spiritualis tentationis. Nihil est tentatio quæcunque, vel universi mundi, vel totius simul inferni in unum conflata, ad eam, qua Deus homini contrarius ponitur, hæc est ipse infernus, ait B. Lutherus.

Quando igitur Deus tibi morbum, vel aliam quamcunque corporalem afflictionem immittit, æquo animo perfer eam. Quem enim diligit Dominus castigat, Hebr.12. v.6. seqq. Quod si verò eidem placet, spiritualibus te tentationibus immergere, confirmes te exemplo Christi, qui dolores infernales tui quoque causa sustinuit. Debuit enim per omnia assimilari fratribus, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, & ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est eis, qui tentantur, auxiliari, Hebr.2. v. ult. Adeamus ergò cum fiduciâ ad thronum gratiæ ejus, Hebr.4. v.ult.

3. *Orationis necessitatem*. Sicut enim Servator noster in mortis angore ad Patrem suum convertit se, orans: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me! Ita in calamitatibus non salutarius remedium adhibere possumus, quàm orationem. Tristatur aliquis vestrûm? oret, ait Jacobus c.5. v.13. Psal.145.v.18.19.

Imprimis verò aureolum Psalterii commendatum tibi habeas, quod Servator ipse in tantis delitiis habuit, ut inde quartum & ultimum verbum mutuaverit. Quid in Psalmorum libro non invenies, unde te possis consolari? ait Cassiodorus. Et Cosmas Episcopus Constantinopolitanus, in exilium ire jussus, ad famulum suum dixit: Tolle Psalterium, & sequere me.

II. *Eventualiter*. Ad hunc Christi clamorem, quidam illuc stantes & audientes, dicebant: Heliam vocat iste. Hæc erat depravatio verborum Christi, ex ignorantiâ linguæ profecta. *Non* verò *verba desperantis*, ut nonnulli impiè effutiunt: *Sed confidentis*: quo innuere Christus voluit, licet in præsentiâ gratiam Dei non sentiat, sed potius indignationem & furorem, se tamen fiduciam suam filialem non abjecturum esse.

Imitare hoc exemplum Servatoris tui: noli animũ in adversis despondere: sed memento, Deum Patrem tuum esse, qui te nõ deseret, neq; derelinquet, Heb.3.5. Es.49.15

3. *Si-*

3. *Sitis ardor*, ubi notanda

1. *Querela.* Sciens namque Jesus, quia omnia jam consummata fuit; ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.

Cum Simson maxillâ asini mille viros Philistiim percussisset, magnâ siti urgebatur, ideoque clamabat ad Dominum, dicens: Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximã, & en! siti moriar, Jud.15.18.

Idem quoque accidit cœlesti Samsoni, Servatori nostro Jesu Christo, postquam cum hostibus nostris, peccato, morte, Diabolo & inferno manus conseruerat; aruit tanquam testa virtus ejus; & lingua ejus adhæsit faucibus, Psal. 22. v. 16. Propterea ait, Sitio.

Est hæc

1. *Sitis meritoria.* Nos conjiciendi fuimus in puteum, in quo non est aqua, Zach. 9.v.11. sitique macerandi cum Epulone in abysso infernali, in æternum, Luc.16. v.24. Verùm Christus hic sitim sustinuit, & hoc ipso fontes salvatorios aperuit, ut non modò hîc in tempore gratiæ è fontibus Israelis, h.e. verbo Dei, in omni afflictionum æstu potum refrigerii hauriremus: sed & aliquando eò perveniremus, ubi non esuriemus, neque sitiemus amplius &c. Apoc.7.v.16.

2. *Sitis informatoria*, docens nos

1. *Veram Christi humanitatem.* Sitire enim, humana proprietas est. Sic Scriptura eum esuriisse memorat, Matth.21.v.18. similiter fatigatus, Joh. 4.v.6. captus, vinctus, flagellatus, spinis coronatus, crucifixus & occisus est. Veteres hæretici Christum corpus suum de cœlo attulisse, dissimile corporibus nostris, quod per uterum Mariæ Virginis transiverit, sicut unda per canalem: Alii corpus Christum planè non habuisse, sed in specie tantùm humani corporis in terris ambulasse, somniarunt. Sed hoc falsum est. Per omnia enim assimilatus est fratribus suis, Hebr.2.v.17. Hoc nisi esset, tenui frueremur solatio. Nam ut Damascenus ait: τὸ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον. Quodsi igitur Christus naturam nostram non assumsisset, adhuc in peccatis nostris essemus, sicut propterea lapsos Angelos in æternũ damnatos esse oportet, quia Christus non Angelos, sed semen Abrahæ assumsit, Hebr.2.v.16.

2. *Membrorum Christi conformitatem.* O quoties Christus adhuc hodiè in membris suis clamat, Sitio. O quoties ipse illuditur & acerbis verbis repellitur. Hoc grave peccatum est. Qui enim habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? 1.Joh.3.v.17. Quibuscunque igitur id contingit, Christi exemplo confirment se, qui fame & siti suâ, quæ in mundo perpessus est, omnes defectus fidelium suorum ita sanctificavit, ut ipsis in bonum cedant. Veniet aliquando tempus, ubi illos ad aquas refectionis ducet, & inebriabit eos, Psal.23.v.2.5. Esa.65. v.14.

3. *Sitis exhortatoria.* Christus ait, Sitio. Sitiamus & nos justitiam, hi enim beati sunt, & saturabuntur, Matth.5.v.6.

Multi sitiunt vinum & cerevisiam, sicut potentes ad bibendum, Esa.5.v.22. aut divitiás & opes, ut Nabal, 1.Sam.25. v.11. aut mundanam gloriam, ut Achitophel, 2.Samuel.15. v.1. aut humanum sanguinem, ut Cain, Gen.4.v.9.

Verùm sitis hæc nociva est, æternam

sitim in inferno post se trahens. Ideò pii Christiani mundanas concupiscentias abnegent, Tit.2. v.11. dicentes cum Augustino: Sitio Domine, fons vitæ es, satia me, Domine, sitio te Deum meum, Ps.42.v.1.

2. *Medela*, facta

1. *Aceti porrectione.* Ubi enim Christus adeò miserabiliter de siti suâ conqueritur, quidam ex militibus ad vas positum aceto plenum properat, implens spongiam aceto, circumponensq; calamo, potũ dat ei.

Nonne commiseratione dignum, eum, qui omnes fontes creavit, eosque adhuc hodiè emittit in convallibus, ut inter medium montium transeant aquæ, & ex illis potẽtur omnes bestiæ agri, Ps.104.v.10,11. in mortis agone, ne quidem potum frigidæ habere, qui tamen nulli facinoroso, morti addicto, unquam denegatur, sed aceto, in siti validissima macerari?

Ne itaque molestè feras, mi Christiane! quando & ipse aceto potaris, seu pane lacrymarum cibaris, & lacrymis copiosè potaris, Ps.80.v.6. In alterâ vitâ te Jesus mensæ suæ admovebit, inebriaturus re pinguedine domus suæ, & torrente voluptatis te potaturus, Psal.36.v.9.

2. *Sarcasmi annexione.* Dicit enim cum reliquis: Sinite, videamus, si veniat Helias, ad deponendum eum. q.d. Vocavit Eliam, quem brevi venire oportet, quia periculum seu mors in morâ est.

Videmus hîc, quomodo opprobrium miseriæ pedissequa sit, & filii hujus seculi illudant piis, si & ipsi aceto potantur in hoc mundo. Verùm aliquando tempus ingruet, ubi Dominus in interitu ejusmodi illusorum, vicissim ridebit, & subsannabit eos, Prov.1.v.26. Eadem quippè mensura, quâ mensi fuerint, remetietur illis, Luc.6.v.38.

4. *Consummationis valor.* Dum enim exclamat Christus: Consummatum est, respicit hâc voce

1. *Ad varietatem prædictionis.* q.d. Nunc semen mulieris caput serpentis contrivit, Gen.3.v.15. Nunc Siloh lavit in sanguine uvæ pallium suum, Gen.49.v.11. Nunc facilè intelliges, de quo David, Psal.22.v.1. seqq. Esaias, cap.53.v.1.seqq. Daniel, cap.9. v.26. aliique locuti fuerint. Summa: omnes prædictiones & typi, qui in V.T. me præfigurarunt, nunc impleta sunt.

Unde patet, quod Deus promissiones suas certissimè impleat, licet aliquamdiu differantur. Nequit enim mentiri, Hebr.6.18. Cœlum & terra transibunt, Luc.21.v.33.

2. *Ad multitudinem passionis*, quam sustinuit in horto Oliveti, in Palatio Caiphæ, in Prætorio Pilati, in aulâ Herodis, & in loco Calvariæ, quamque pluribus persecuti sumus. Jam ait: Consummatum est. Omnes meæ miseriæ & cruciatus nunc tandem finiti sunt.

Hauriamus hinc solatium

1. *In spirituali tentatione*, quando Diabolus nobis exprobrat: En! hoc facinus admisisti! consummatum est! mensura impleta est! mecum descende ad infernum! Tu et hoc Consummatum est oppone, dicens: Quis condemnabit me? Christus hîc justificat, qui pro omnibus peccatis meis satisfecit, Rom.8.v.34.

2. *In corporali tribulatione*, quando ob diuturnitatem ingemiscimus: Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usq; ad animam meam, Psal.69.v.2. Tum revocemus nobis in memoriam hoc Consummatum est, certissimô solatio freti, quod

sicut

ſicut Chriſti paſſio non perpetua fuit, ita noſtrum Conſummatum eſt, tandem ſit ſequuturum, ut cum Paulo dicere poſſimus: Bonum certamen certavi &c. 2. Tim. 4. 7.

3. *In ultimâ emigratione.* Uniuscujusque dies hominis determinati ſunt, numerus menſium ejus apud Deum eſt: qui conſtituit terminos ejus, qui prætetiri non poterunt, Job. 14. v. 5. Quando igitur hora deſtinata appropinquat, manibus ad Deum ſublatis dic: Conſummatum eſt. Sufficit Domine, 1. Reg. 19. v. 5. Nunc dimittis ſervum tuum Domine in pace, Luc. 2. v. 29. 31.

3. *Ad opus Redemtionis.* Unâ enim oblatione conſummavit in ſempiternum Chriſtus eos, qui ſanctificantur, Hebr. 10. v. 14. Ideircò nullâ opus eſt Miſſa, quæ in Papatu pro ſacrificio incruento habetur, quod vivis æque ac mortuis applicari poſſit. Hoc figmentum omni Scripturæ fundamento deſtituitur. Conſummatum eſt, dicit hîc Servator. Sacrificia V. T. iteranda fuerunt, quæ tanquam imperfecta hominem à peccato non plenè liberare potuerunt, ſicut Hebr. 10. v. 1. ſeqq. id evincit. Quodſi igitur ſacrificium Chriſti repetendum quoque foret, ſequeretur hinc, quod imperfectum idem fuerit, quod cogitare, nedum aſſeverare, blaſphemum. Sanguis enim Jeſu Chriſti Filii Dei, emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 8.

Terrent igitur te peccata, quibus iram & indignationem Dei conciliaſti tibi? Conſummatum eſt. Chriſtus donavit nobis omnia delicta, delens quod adverſus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Et ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, Col. 2. v. 14. hoc ipſo ira Dei expiata eſt, ut lætabundi gloriari queamus: Juſtificati fide, pacem habemus cum Deo, Rom. 5. v. 1.

Terret te mors? Conſummatum eſt. Chriſtus mortem abſorpſit in victoriam, Eſa. 25. v. 8. Sive vivimus, ſive morimur Domini ſumus, Rom. 14. v. 8.

Accuſat te lex, maledictionem in te evomens, quia non ſervaſti, quæ in eâ ſcripta ſunt, Deut. 27. v. ult. Conſummatum eſt. Chriſtus legem univerſam implevit, jam nõ amplius ſub lege, ejusdemq; maledictione ſumus, ſed ſub gratiâ. Rom. 6. 14.

Infernus hiante rictu te expectat? Conſummatum eſt. Chriſtus lues inferno factus eſt, Oſe. 13. v. 14. Et ut ſummatim complectar: In omnibus adverſitatibus Chriſto nos confirmare poſſumus, qui nobis à Patre ſuo factus eſt ſapientia, & juſtitia, & ſanctificatio & redemtio, 1. Cor. 1. v. 30. ut jam de plenitudine ejus accipere poſſimus gratiam pro gratiâ, Joh. 1. v. 17. & omnia in eo poſſimus, Phil. 4. v. 13.

II. *Secundum adhærentia*, ubi occurrit

1. *Spiritus commendatio.* Clamans enim Jeſus voce magnâ, ait: Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. In Græco vox eſt, quæ depoſitum amico tradere ſignificat.

Si quis peregrè abiturus eſt, amico res ſuas caras cuſtodiendas tradit, quo in reditu eas ſartas tectas recipiat. Pari modo Chriſtus viam omnis carnis iturus, animam ſuam Patri ſuo cuſtodiendam tradit, certâ ſpe fretus, quod eam ſibi tertio die redditurus ſit: Non derelinques animam meam in inferno; nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem, Pſalm. 16. v. 11.

Id apprimè obſervemus, ut quando manè

surgimus, semper dicamus: Pater in manus tuas committo Spiritum meum; item quando vesperi cubitum imus. Peccatum originale, quod in nobis habitat, non quiescit, Diabolus non feriatur, sed die noctéque circumit velut leo rugiens, quærens, quem devoret, 1. Petr. 5. v. 8. Mors singulis momentis propius accedit, & quando vesperi dormitum nos conferimus, nescimus, utrùm postridiè resurrecturi simus. Ideò maximè opus est, ut nos piis precibus muniamus, & si terminus vitæ nostræ instat, fideli Creatori commendemus animas nostras in benefaciendo, 1. Petr. 4. v. 19.

Dei manus sunt *valida manus*. Quodsi hostes potentiâ pollent, Deus multò potentior est, & dextrâ suâ omnes hostes nostros uno impetu prosternere potest, sicut Pharao expertus est, Exod. 14. v. 24.

Dei manus sunt *longa manus*, quæ per totum orbem se extendunt, ut illas nemo effugere possit. Si sumsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: illic etiam manus tua duceret me, & apprehenderet me dextera tua, Psal. 139. v. 10.

Dei manus sunt *lata manus*, quæ omnia complectuntur & possident. Domini enim est terra, & plenitudo ejus, Psal. 24. v. 1.

Dei manus sunt *benefica manus*, à quibus omnia habemus. Oculi omnium in te sperant, Domine &c. Psal. 145. v. 15. 16.

Dei manus sunt *fideles manus*, quibus nos ducit usque ad mortem, Psal. 48. v. ult. neminemque tentari sinit, suprà id, quod potest, 1. Cor. 10. v. 13.

Quodsi igitur in omnibus adversitatibus, & præcipuè in agone mortis ad fideles & paternas has manus confugimus, totus mundus non adeò potens est, ut nobis vel minimum incommodū inferre valeat. Oves meæ, ait Christus, vocem meam audiunt, & cognosco eas, & do illis vitam æternam, Joh. 10. v. 27.

2. *Capitis inclinatio*. Et hæc dicens, ait Evangelista, inclinavit caput. Ad quę verba Lyra notat: Ostendit ex modo moriendi, quod moriebatur ex obedientiâ Patris, & non involuntariè. Et Paulus ait, quod Patri factus sit obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, Phil. 2. 8.

Deinde hâc capitis inclinatione ostendere voluit, mortem non se, sed se potius mortem in potestate suâ habere, non enim ipso invito caput inclinatum est, ac si deliquiū animi passo insperatò sibi id accidisset: sed caput suum tantisper erexit, dum omnia consummavit. Propterea ait: Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso, Joh. 10. v. 18.

Tertio caput suum inclinavit ex ardente caritate, quâ ergà nos incensus fuit. Hinc Augustinus: Salvator noster caput inclinavit, ut oscula daret electis suis: ideò vicissim ipsum osculo fidei honoremus, dicentes: Osculetur me osculo oris sui, Cant. 1. v. 1.

3. *Placida exspiratio*. Tradito enim Spiritu, exspiravit. Mors animam ejus nō violenter è corpore rapere potuit, ut animam aliorū hominum, sed ipse ultrò Spiritum suum tradidit, & ita placidè exspiravit.

Id nobis consolationem parit,

1. *Contrà peccata*. Propter peccata enim nostra mortu' est, Rom. 4. v. ult. ideò Christus ipse mortē suā λύτρον appellat, Matt. 20. 28.

2. *Contrà mortem*. Per mortem enim suam destruxit eum, qui habebat mortis imperium, i. e. Diabolum, ut liberaret eos,

qui

qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti, Hebr.2.v.14.

3. *Contra damnationem.* Nulla enim condemnatio in illis est, qui in Christo Jesu sunt, Rom.8.v.1.

III. *Secundum consequentia.* Ubi tria consideranda veniunt:

1. *Miraculorum notatio*, ut sunt,

1. *Veli scissio*, de qua Evangelistæ: Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo, usque deorsum.

Templum Hierosolymitanum in tres partes distinctum fuit.

Primò fuit *Atrium*, in quo Sacrificia offerebantur.

Secundo fuit *Sanctum*, in quo Sacerdotes & populus cultum divinum peragebant.

Tertio *Sanctum Sanctorum*, in quo asservabatur arca fœderis, cum propitiatorio.

Ultima hæc templi pars obtecta erat velo, de purpura & hyacintho, coccoque bis tincto, & bysso retorta, arte contexto, ne quis introspicere posset: sicuti & nemini ingredi licitur, nisi summo Pontifici anniversarie semel tantum, nempe festo propitiationis, at non sine sanguine, sed ingrediens hirci sanguinem afferre, eoque septies ad propitiatorium adspergere tenebatur, ad expiationem populi. Vid. Exod.26.v.36. Lev.16.v.18.seqq.

Sed tempore Christi, ubi is in cruce exspiravit, ecce velum hoc sponte scinditur in duas partes, à summo usque ad deorsum, ut quilibet introspicere possit Sanctum Sanctorum.

Quo indicata est

1. *Levitici Sacerdotii abrogatio.* Velum templi scinditur, quia Synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur, ait Augustinus. Hanc enim DEUS usque ad tempus correctionis observari voluit, Hebr.9.v.10. h.e. Novi Testamenti, ubi Deus novum fœdus pepigit, Jer.31,32. & pro umbra imaginem ipsam exhibuit, Hebr.10.v.1.

2. *Clausi cœli reseratio.* Velamentum scinditur, & hoc ipso superna nobis ostenduntur, dicit Nazianzenus. Lapsu Adami nobis ingressus in Sanctum Sanctorum i.e. in cœlum interclusum est: Verum per mortem suam Christus, tanquam summus N.T. Sacerdos in Sanctum Sanctorum introivit, lapsumque genus humanum sanguine suo cum Patre cœlesti reconciliavit, ut jam sine impedimento cœlum ingredi, Deumque lætis oculis intueri valeamus, Hebr.9.v.12.

Anteà nemo nisi summus Sacerdos quotannis semel tantum in Sanctum Sanctorum ingrediebatur, sed jam de omnibus nobis dicitur: Estis genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquisitionis, 1.Petr.2. vers.9. ideoque anniversarie non semel duntaxat, sed singulis horis & momentis cum sanguine Christi coram Deo apparere, & dicere possumus: Abba Pater, Gal.4.vers.6. In Christo enim habemus fiduciam & accessum in confidentia, quæ est per fidem ejus, Eph.3.v.12.

2. *Terræ motio.* Et terra mota est, dicunt Evangelistæ: id non modo in Judæa, sed & per totum terrarum orbem factum, quo multæ civitates partim plane corruerunt, partim adeo concussæ & dirutæ sunt, ut Imperator Romanus illis propterea con-

ſuetum tributum remiſerit, ſicut Plinius & Oroſius teſtantur.

Hoc inſervit

1. *Piorum conſolationi.* Iſraëlitis Ægypto exeuntibus, montes exultarunt, ſicut arietes, & colles, ſicut agni ovium. A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Jacob, Pſal. 114. v. 6. 7.

Hîc ſpiritualis redemtio facta; ideo terra & petræ motu & concuſſione ſua quaſi gratulari voluerunt nobis ratione liberationis noſtræ: Creatura enim liberari geſtit à ſervitute corruptionis, Rom. 8. v. 21, 22.

2. *Impiorum admonitioni.* Creaturæ inanimes, quæ ore & lingua deſtituuntur, quibus mortem Chriſti doloroſiſſimam lugere poſſint, non planè hîc tacere, ſed eo modo quo poſſunt, commiſerationem ſuam indicare volunt, ut hîc verum fiat illud Chriſti: Si homines tacuerint, lapides clamabunt, Luc. 19. v. 40.

Nos terræ atque petris non cedamus. Propter nos enim Chriſtus mortuus eſt, ideoque multo magis contremiſcamus ad peccata, quam moventur ligna ſylvarum à facie venti, Eſa. 7. v. 2. Scindamus corda, & non veſtimenta noſtra, Joël. 2. v. 13. Sacrificium enim Deo, Spiritus contribulatus: cor contritum, & confractum, Deus, non deſpicies, Pſal. 51. v. 1.

3. *Sepulchrorum apertio.* Monumenta inſuper aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis.

Hoc ipſo luculenter probavit, ſe poteſtatem habere vitæ & mortis, tanquam Ducem vitæ, Act. 3. v. 15. qui die noviſſimo & noſtros tumulos aperiet, & educet nos, populum ſuum, de ſepulchris noſtris, Ezech. 37, 12. Ubi cœleſtem Hieroſolymam ingreſſuri, ſocietatem habebimus, cum Patre & Filio, 1. Joh. 1. v. 3.

II. *Singularis operatio:*

1. *Reſpectu Centurionis.* Centurio namq; & qui cum eo erant, cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere hic homo juſtus, & Filius Dei erat.

Hæc præclara concio funebris, quæ poſt mortem Chriſti habita fuit.

Quodſi nos conſulti, ecquis Chriſto, opere redemtionis exantlato, parentare debuiſſet, eſſemus, procul dubio in varias ſententias abiiſſemus. Hic Angelo partes commiſiſſet, quia & Angelus nativitatem ejus annunciaverat, Luc. 2. v. 10. Ille Eſaiam calculo ſuo deſignaſſet, qui de Chriſti Paſſione, morte, & ſepultura adeo perſpicue vaticinatus eſt, quaſi ea oculis ſuis inſpexiſſet, Eſa. 53. per totum. Iſte Johannem delegiſſet, qui ſub cruce ſtetit & quatriennium fere cum eo converſatus, laudes ejus quam optime efferre potuiſſet. Verum & hîc locum habet illud Prophetæ: Non cogitationes meæ, cogitationes veſtræ, Eſa. 55. v. 8. Contra omnium enim hominum opinionem, hîc Centurionem Præconem ſiſtit, qui Chriſto parentare tenetur. Viſo enim terræ motu, & his quæ fiebant, timuit valde dicens: Vere hic homo juſtus, & Filius Dei erat.

Hic videmus, quod quamvis Chriſtus & veritas quandoque premantur, non tamen opprimantur, ſed Palmam obtineant. Juſtitia tandem convertitur in judicium, & poſt

& post illud omnes, qui recto sunt corde, Psal.94. v.15. Semper proinde infucatæ pietati studeamus, quo bonum nomen conservemus, hoc enim magis permanebit, quam mille thesauri pretiosi & magni, Sir. 42. v.15.

2. *Respectu universæ plebis.* Omnis quoque turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua, revertebantur.

Id prodigiis adscribendum, & efficaci concioni, quam Centurio habuerat. Ita non früstraneum est, si adhuc hodie verbum Dei debito studio & zelo prædicetur, est enim verbum vitæ, Joh.6.v.69. & potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1.v.16.

III. *Comitatus designatio.* Stabant enim omnes noti ejus à longe, & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes. In specie exprimuntur, Maria Magdalena, de qua septem Dæmonia ejecerat, Luc.8,2. Et Maria Jacobi, & Jose mater, & mater filiorum Zebedæi, quæ ante à Christo flagitatat, ut sederent Filii sui duo, unus ad dexteram, & unus ad sinistram suam in Regno ejus, Matth.20.v.21.

Hinc patet, quamvis fœminæ sint vascula infirmiora, 1.Petr.3.v.7. quod tamen sæpe Deus per easdem plus efficiat, quam per viros. Virtus enim ejus in infirmitate perficitur, 2.Cor.12.v.9.

Videmus quoque, consanguineos & agnatos Christum sequi, sed procul consistere, propterea queritur: Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ, Psal.69.v.9. Id hodie quoque non insolens est:

Dum juvat, & vultu ridet fortuna sereno,
Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur ulli,
Agminibus comitum, qui modo cinctus erat.

Vide Sirac, cap.6.v.8. Ideo caute ambulemus. Et quidem amicum probatum non facile dimittamus. Potissimum tamen Deum respiciamus, apud quem nulla transmutatio locum habet, Jac.1.v.17. Sed ut dilexit suos, in finem diligit eos, Joh.13. v.1. nec ullum confundi patitur, qui speravit in eo, Sir.2.v.11.

II. *Furor Judæorum insatiabilis*, quo etiam in morte Christum prosequi non verentur. Æquum fuisset ut horrenda illa prodigia, quæ circa mortem Christi acciderant, Pontificum & Seniorum animos perculsissent, & ad pœnitentiam stimulassent, sed adeo obdurati sunt, ut odio atque invidentia Christi efferati, animum suum vindicta explere nequeant. Id elucescit

1. *Ex Voto*, quo Pilatum fatigant. Deus in lege mandaverat, ne quis in ligno mortuus pernoctaret, sed in eadem die sepeliretur, Deut.21.v.23. Quo huic præcepto divino satisfaciant, rogant Pilatum, ut frangerentur crura eorum, quod ideo factum, ut magnitudine doloris, qui jam in extremis erant, citius morerentur, ut Cyrillus ait. Alias enim sæpe vitam diu extendebant, sicut de B. Andrea memorat Augustinus, quod biduum in cruce vivens prætereuntibus concionatus fuerit.

Ponti-

Pontifices vero hic Sabbathum prætendunt, quod geminum erat: semel, quia septimus hebdomadis dies erat: deinde quia Pascha ingruebat, quod ex Dei præcepto septem dies solenniter celebrandum fuit: ideo corpora per Sabbathum in cruce pendere inique ferebant, ne pendentes diem magnum, sui cruciatus horrore fœdarent, ut Lyra scribit.

Verum hypocritæ sunt, qui Sabbathum obtendunt, quasi illud sancte colerent, qui tamen Christum, Dominum Sabbathi, innocenter crucifixum necaverant. Sicut hodierno adhuc die inter Christianos multi occurrunt, qui quoad speciem tantum festa celebrant, sed de pœnitentia & vitæ emendatione, in qua caput rei versatur, minus solliciti sunt. Si averteris à Sabbatho pedem tuum facere voluntatem tuam, in die sancto meo, tum vocabitur Sabbathum jucundum, in sanctitatem Domini gloriosum, Esa. 58, 13. Ex adverso vero locum habet: Odi & abominor festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum, Amos. 5. v. 21. 22.

2. *Ex facto.* Pilatus enim indulget ipsis milites, qui hoc eorum postulatum perficiant. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt, eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit: & continuo exivit sanguis & aqua. Hoc vero factum est,

1. *In Scripturæ complementum*, nempe typi Agni Paschalis, cujus os confringi non licuit, Exod. 12. v. 46. tum & vaticinii Zachariæ: Videbunt in quem pupugerunt, Zach. 12. v. 16.

Hinc manifestum est, Christum esse promissum mundi Messiam, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum, Actor. 10. vers. 43.

2. *In nostrum emolumentum.* Vulnus enim Christi laterale sit nobis

1. *Fenestra patens*, per quam Christi cor introspicere possumus, quomodo idem in nos affectum sit.

Cum Noa arcam ædificaret, inter alia quoque fenestram in ea facere jubebatur, per quam deinde columbam dimisit, quæ rediit ad eum circa vesperam, & ecce! folium olivæ decerptum in ore suo. Ex quo Noa intellexit, quod cessassent aquæ super terram, Gen. 8. v. 10. Ejusmodi fenestram habemus in aperto Christi latere, per quod gratiæ columba, Spiritus sanctus, evolavit, & virentem pacis olivam attulit: qua de causa in vita & morte exultare possumus, quia scimus, Deum reconciliatum esse per mortem Filii sui, Rom. 5. vers. 10.

2. *Caverna latens*: in qua ab instante tempestate abscondere nos possumus, sicuti aviculæ in arborum cavernis, & columbæ in fissuris petrarum nidos suos ponunt.

Tempore diluvii omnia, in quibus spiraculum vitæ erat, in aquis peribant, excepto Noa, & qui cum eo erant in arca, Gen. 7. v. 21.

Sic quando Deus sedet diluvium parans, melius refugium habere non possumus, quam si in latus Christi vulneratum nos abdamus. Hæc turris fortissima, ad ipsam currit justus, & exaltabitur, Prov. 18. v. 10.

In

In V. T. Israëlitæ urbes suas habebant, quarum asylo uterentur, si quis præter intentionem homicidium perpetrasset: Sic Christi latus apertum asylum nostrum est, cujus perfugio si utimur, protegimur, à contradictione linguarum, Psal. 31. v. 22. Hinc Bernhardus: Turbabor, sed non perturbabor, quia vulnerum Christi recordabor.

Torquebor à probris meis,
Cor conscium dolebo:
Ast sint arenæ quot maris,
Pessum tamen nec ibo.
Mortis recordabor tuæ
Et vulnerum cum sanguine,
Securus his latebo.

3. *Fons scatens*, in ablutionem peccati, & immunditiei, Zach. 13. v. 1. manat enim ex illo aqua & sanguis. Aqua significat baptismum, qua in infantia adspergimur, & ab omnibus peccatis abluimur, unde lavacrum aquæ in verbo dicitur, Eph. 5. v. 26. Sanguis vero significat sacram cœnam, in qua nobis sanguinem suum propinat, ut animo potiamur, Diabolum vincendi: sicut olim Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ & mori ad acuendos eos in prœlium, 1. Macc. 6. vers. 34. Hinc Damianus: Terretur Adversarius vester Diabolus, cum videt Christianorum labia sanguine CHRISTI rubentia.

Sicuti legimus de Angelo percussore, quod præterierit domos Israelitarum, quia postes sanguine agni Paschalis aspersi fuerunt, Exod. 12. v. 13.

De Quarto.

Restat Quartum, nempe, *Honesta sepelitio*, circa quam notanda

I. *Ipsa descriptio*. Ubi occurrit

1. *Tempus*. Facta enim hæc sepelitio Christi, vesperi parasceve, quod est ante Sabbathum: erat hæc vespera diei Veneris, qua Judæi se præparabant ad Sabbathum, quod tum incipiebat. Sicut igitur die mortis suæ Christus quieti datus est: sic & illi, qui Christi sunt, per mortem ad dulcissimam quietem perveniunt, & requiescunt in sepulchris suis, unde die novissimo in universali mortuorum resurrectione prodibunt, corporibus clarificatis instructi. Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur à modo, Apoc. 14. v. 13. Hos. 6. vers. 2.

2. *Sepelientium numerus*, horum duo fuerunt:

I. *Josephus*, in quo occurrit

1. *Patria claritas*: Erat enim ab Arimathæa, alias Ramath appellata, quæ civitas Judæorum erat, sita in monte Ephraim, quatuor milliaribus ab Hierusalem, in qua olim Samuel natus erat & habitaverat, 1. Sam. 1. vers. 20. A cujus posteris sine dubio Josephus de Messia, ejusque officio, nec non de morte & Passione ejus instructus fuit.

Unde apparet, magnum beneficium esse, si quis eo loco nascatur & educetur, ubi verbum DEI palam pure & sincere prædicatur, ex cujus auditu fides est, Rom. 10. vers. 7.

2. *Divitiarum quantitas*. Non enim divitiæ fidei & bonæ conscientiæ repugnant,

modo obſervetur, quod David ait: Divitiæ ſi creſcant, nolite cor apponere; Pſal. 62. v. 11.

3. *Status dignitas.* Erat inſuper Senator. Quod contra illos notandum, qui hunc Statum Chriſtianis indignum cenſent: cum tamen Deus eum ad ſepulchrum Filii ſui adhibuerit, Hinc Petrus: In veritate comperi, Act. 10. v. 34.

4. *Pietas.* Erat enim expectans Regnum Dei, quod per Meſſiam adornaturus erat, eratque diſcipulus Jeſu, occultus autem propter metum Judæorum. Præditus ita ante fuit fide infirmiori, quia publice Chriſtum non confeſſus eſt: Attamen eum Deus ob infirmam fidem non abjecit. Quod fide infirmis in ſolatium cedit, calamum enim quaſſatum non confringet Deus, Eſa. 42. v. 3. Interea pietati operam demus, habet enim promiſſionem hujus & futuræ vitæ, 1. Tim. 4. v. 8.

5. *Sinceritas.* Non conſenſerat conſilio & actibus eorum. Quamvis enim è manibus ſanguinariis Concilii Hieroſolymitani Chriſtum liberare non potuerit, attamen conſilium adeo non approbavit, ut potius illis palam contradixerit. Omnibus ſenatoribus in exemplum, ne multitudini in cauſis iniquis ſubſcribant, ſed potius juſtitiam perſequantur, Exod. 23. v. 2. Pſal 1. v. 1. Eſa. 5. v. 20.

6. *Animoſitas.* Audacter enim introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu. Ubi notemus

1. *Actum.* Acceſſit enim Pilatum, & petiit corpus Jeſu. Hoc maſculum fuit facinus quod hîc tentavit. At hæc natura fidei, quæ non timet, ſi terra loco ſuo moveretur, Pſ. 46. v. 3. Sic & noſtra lux luceat coram hominibus, Matth. 5. v. 16.

2. *Effectum,* excitavit enim

1. *Admirationem,* reſpectu Pilati, qui mirabatur, ſi jam obiiſſet. Ante tres enim horas Chriſtus eductus & in cruce ſuſpenſus fuerat, in qua Pilatus putabat, diutius eum vivere potuiſſe, quia crucifixionem lenta mors conſequebatur. Verum hæc infidelis & gentilis admiratio, ex ignorantia myſteriorum divinorum profecta, fuit. Chriſtus enim non coacte ſed voluntarie mortem ſuſtinuit, adeoque animam ſuam, quando voluit, poſuit, Joh. 10. verſ. 18.

2. *Percontationem.* Pilatus enim accerſito Centurione, interrogavit eum, ſi jam mortuus eſſet. Quo ipſo prudentiam ſuam indicat. Ne enim Jeſus ſub prætextu ſepulturæ, tanquam facinoroſus morti adjudicatus, ut Judæi eum reputabant, à morte liberaretur, ante mortem Chriſti, priusquam Joſepho corpus polliceretur, à Centurione, qui cuſtos corporis Chriſti conſtitutus erat, percontatus eſt. Omnibus Magiſtratibus in exemplum, ne temere quicquam faciant, aut judicent, ſed in omnibus rebus certitudinem explorent: habet & locum illud Chriſti: Eſtote prudentes, Matth. 10. verſ. 16.

3. *Gratificationem.* Nam cum cognoviſſet Pilatus à Centurione, donavit corpus Jeſu Joſeph. Chriſti corpus optimum donarium in toto mundo eſt, tota enim plenitudo Divinitatis habitat in eo corporaliter

raliter, Col.2.v.9. Idem hodietenus omnibus fidelibus donatur, quando Passionem, mortem & meritum ejus vera fide sibi applicant, ut hinc vitam & abundantiam habeant, Joh.10.v.11.

II. *Nicodemus.* Qui describitur, quod antehac noctu ad Christum venerit, Joh. 3.v.1.seqq.

Hæc infirma ejus fides mirum in modum aucta fuit. Ante JESUM accessit noctu; jam interdiu, adeoque opere ipso fidem suam ostendit, affert enim mixturam Myrrhæ & Aloës, quasi libras centum.

Ex quo constat, DEUM sibi semper in medio quoque inimicorum conservare Ecclesiam, Pontifices, Pharisæi & Scribæ Hierosolymitani omnes Christo infensi erant, consultarunt omnes adversus Dominum, & adversus Christum ejus, Psal.2. vers.2.. Sed inter illos Christus Ecclesiam suam habuit, quamvis exigua esset, ut numerari posset, sicut illa pusillus grex dicitur, Luc.12.v.32. in quo minus offendamur, quia complacuit Patri cœlesti, dare nobis Regnum. l. c.

Veluti autem hi duo discipuli amatores Christi probarunt se:

1. Corpus Christi involvendo.
2. Ungendo.
2. Sepeliendo:

Ita & nostra fides per caritatem efficax sit, Gal.5. vers.6. Ut Christum Sindone fidei salvificæ involvamus, in membris suis ungamus exhibitione operum caritatis, sic in cordibus nostris spiritualiter habitabit, & mansionem faciet, Ioh. 14. vers. 23.

3. *Sepulturæ locus*, qui fuit hortus, quo significatur, quod quemadmodum Christus Passionem suam in horto Oliveti inceperit, ita in horto illam finire voluerit, quo Passione sua recuperaret, quod primus Adam in Paradiso perdiderat: nec non, ut sicut ille velut arbor vitæ propediem progerminaturus sit: ita & nos virtute sua quasi herba germinaremus, Esa. 66. v.14.

¶ Sed & in specie recensetur, quod Christus in horto in monumento novo, in quo nondum quisquam positus fuerit, repositus sit, quod non sine ratione factum.

In monumento peregrino reponi voluit, ut indicet, se pro aliorum peccatis mortuum & sepultum esse: ipse enim peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, Esa.53.v.9.

In sepulchro novo, in quo nondum quisquam jacuerat, repositus est, ne hostes Christi calumniarentur, quasi ille ossibus Sanctorum tactus revixerit, sicut olim cadaver in sepulchrum Elisei projectum, cum tetigisset ossa ejus, revixerat, 2.Reg.13. v.21.

4. *Sepulturæ terminus*: nempe Ioseph & Nicodemus abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem. Quod sine dubio factum, ne maleferiati, petulantiam & sævitiam in Christo ulterius exercerent, aut per pecora corpus ejus lædi posset.

Præclarum dilectionis exemplum hi discipuli exhibent, dum Christum in mortem usque amore suo prosequuntur, quod quidem discipuli, imprimis Petrus promiserant, sed fidem fefellerant: sed & nos exemplum hoc imitantes, mortuo quoque non prohibeamus gratiam, Sir. 7. vers. 37.

5. *Usus*, sepulturæ Christi:

1. *In consolationem.* Peccata nostra cum Christo sepulta sunt, h. e. omnis nostra miseria à peccatis orta, in sepulchro Christi tumulata est, unde nihil condemnationis est in iis, qui in Christo Iesu sunt, Rom. 8. v. 1.

2. *In Dehortationem.* Si peccata nostra, & miseriæ inde ortæ in Christi tumulo humata sunt, illa minus resuscitentur à nobis: quod fit per peccata voluntaria & regnantia. Vetus igitur homo quotidie cum Christo sepeliatur, quo destruatur corpus peccati, ne ultra serviamus peccato, Rom. 6. v. 6.

2. *Consecutio:* nimirum

1. *Custodia emendicatio.* Altera enim die, quæ est post Parasceven, convenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit, adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum, usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: surrexit à mortuis, & erit novissimus error pejor priore.

Hæc vis erat maleferiatæ conscientiæ, quæ & in morte Christi nondũ quiescebat, sed magis magisq; inquietabatur. Imprimis hîc notandum, quod Christum ad mortem postulantes, hanc accusationem attulerint, dixisse scilicet eum: se destructurum templum Dei, manibus factum, & post triduum reædificaturum illud, manibus non factum: quod tum de templo Hierosolymitano dictum prætendebant: jam vero satis indicant, se alio sensu verba Christi intellexisse, ac illa tum temporis exposuerant. Transgressores igitur octavi præcepti fuerunt, dum Christi sermonem contra conscientiam depravarunt.

2. *Lapidis obsignatio.* Quo ipso Danielis vaticinium impletum, quod post septuaginta hebdomadas peccatum obsignari, & justitia sempiterna adduci debeat, Dan. 9. v. 24.

Certo proinde scimus, quod omnia peccata nostra in profundum maris projecta, Mich. 7. v. 19. Infernus occlusus & obsignatus sit. Merito igitur Christo pro dolorosa, nobis vero salutari Passione gratias agimus, dicentes:

Christe, nobis subveni,
Passione amara:
Obsequentes ut tibi,
Horreamus probra:
Passionem sic tuam
Ut pie spectemus,
Gratiasque debitas
Perpetim cantemus.
Amen.

IN

IN FESTO PASCHATOS.

Evangelium Marc. 16. v. 1. -- 9.

EXORDIUM.

CUm Israëlitæ agnum Paschalem mactassent, ejusque sanguinis beneficio ab Angelo percussore redemti, Ægypto egressi, & sicco pede per mare rubrum transiissent: ubi oculis suis spectarant, quomodo Pharao cum omni exercitu suo in mari rubro fluctibus opertus & suffocatus esset: præclarum Epinicion Deo cantarunt: Maria, Mosis Soror cum tympano præcessit: egressæque sunt omnes mulieres post eam, cum tympanis & choris, dicentes: Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est, equum & adscensorem ejus dejecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem, iste Deus meus, & glorificabo eum &c. Paulò post, pluit illis Deus mannã ad manducandum, frumentum cœli & panem Angelorum dedit illis, Psal. 78. v. 24. 25.

Nos quoque Dilecti! hactenus de Agno nostro paschali, in concionibus passionalibus audivimus, qui est Christus pro nobis immolatus, 1. Cor. 5. v. 7. quomodo scilicet per illum ab Angelo percussore liberati, & infernalis Pharao, mors & Diabolus, cum omni suo exercitu in mari rubro, sanguinis Christi, quem in arâ crucis profudit, submersus sit: In illo enim habemus redemtionem, per ipsius sanguinem, & remissionem peccatorum, Col. 1. v. 14. Jam opportunum erit, ut Redemtori nostro Epinicion cantemus dicentes:

Christus resurgit, plaudite!
Qui nos redemit crimine:
Hoc pro Paschali gaudio
Nunc dicimus grates Deo.

Quemadmodum vero ibi ad redemtionem ex Ægypto manna, seu frumentum cœli pluebat: Ita quoque spiritualiter redemtionem per Christum factam, manna Evangelicæ consolationis sequuta est, Angelo mulieribus prædicante: Nolite expavescere, Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hîc. Ecce locus, ubi posuerunt eum: Sedite, dicite discipulis ejus & Petro, quod præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

Hoc egregium solatium Paschale fuit, quod nobis omnibus adhuc hodiè lætitiam gignit; Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, Rom. 15. v. 4.

Meditabimur pro instituti ratione

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

OLim vulgo persuaserunt, Solem die Paschatos manè in ipso ortu, ter saltare in honorem Christi, quòd is velut Sol justitiæ è mortuis resurrexerit, & hoc ipso toti mundo, gaudium & lucem, vitam & salutem acquisiverit: quæ cogitationes quidem non adeò improbandæ, iisque stabiliendis verba Davidis applicari posse videntur: Sol, tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit, ut Gigas, ad currendam viam suam, Psal. 19. v. 6. Verùm si Deus visibili ejusmodi signo diem Paschatos notasset, Christiani in Asia cum Victore Pontifice Romano hâc de re controversiam vix movissent, nec adhuc hodiè moverent, siquidem ipse Sol saltu suo hanc litem dirimeret.

Intereà dubium non est, quin pii Veteres, hôc ipsô, ad devotam beneficiorum meditationem, quæ resurgens Triumphator Christus JEsus, è sepulchro nobis cum ortu Solis attulit & donavit, nos exstimulare voluerint. Sicut enim piæ mulierculæ manè ante ortum Solis, iter ad sepulcrum Christi fecerunt: Sic nos quoque solliciti simus, ut conjunctim ædem Domini frequentemus, ad visitandum Dei cultum, sicut & David se fecisse innuit, inquiens: Diluculo adsum, ut in verbo tuo sperare queam, Psal. 119. v. 147.

Querela respicit

1. *Fœmininam ruditatem*, quam eo ostendunt, quod Christum in sepulchro unctura veniunt. Meritò enim scire debuissent, ex Psal. 16. v. 10. Sanctum Dei corruptionem non visurum: imprimis, quia Christus ipse, cùm adhuc ipsis præsens esset, subindè inculcaverat, se tertiâ die ex mortuis resurrecturum, vide Matth. 12, v. 4. Luc. 18. v. 37. Joh. 2. v. 13. & passim.

Verùm quid de mulieribus dicemus? Siquidem ipsi Apostoli tàm rudes fuerunt, ut Statum Regni Christi, & nuncium de resurrectione ejus non intellexerint, sed omnia quæ mulieres, aliique quibus Christus apparuerat, dixerunt, visa sunt ante illos, ὡς λῆρος, Luc. 24. v. 11.

O quot adhuc hodiè inveniuntur inter nos, qui literarum divinarum maximè rudes sunt, ex quibus quidem abundè ad salutem instruuntur, illi tamen ex merâ consuetudine, non discendi gratiâ accedunt, quò aliquando in adversis solatium inde promant, & capiant. Hi sunt sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, Psal. 32. v. 9. semper discentes, & nunquam ad veritatem pervenientes, 2. Tim. 3. v. 7.

Fugite hanc oscitantiam, Fratres! & ingredientes domum Dei appropinquate, ut audiatis, Eccles. 5. v. 1. ibi enim discere, quæ vobis desunt, Sir. 51. v. 31. & cœlestem sapientiam quæ in abscondito est, invenire poteritis, Psal. 51. v. 7.

Licet igitur humana infirmitas nos comitetur, sicut in hâc vita ad perfectionem non perveniemus, 1. Cor. 13. v. 9. hoc nos solatium manet, quod Deus propterea non abjecturus, sed Spiritu suo sancto infirmitatem nostram adjuturus sit, Rom. 8, v. 26. in suâ nos virtute per fidem custodiens in salutem, 1. Petr. 1. v. 5. Non enim opus est Medico valentibus, sed malè habentibus, Matth. 9. v. 12.

II. *Lapidis gravitatem*, cui infirmæ mulieres

lieres amoliendo pares non erant. Ideò dicunt in viâ: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Hæc earum sollicitudo & anxietas fuit.

O quot & quantis angorum & adversitatum lapidibus adhuc hodie pii onerantur, ut vix respirent, & cum Jobo dicant: Si appenderetur afflictio mea in staterâ, & calamitates meæ apponerentur, tunc graviores essent, quàm arena maris, Job.6.v.1.

Solon, cum familiarem valdè sollicitum conspiceret, abducebat eum in excelsam turrim, ex quâ omnes domos in civitate spectare poterat, dicens: Quantas putas anxietates & mœrores sub his tectis fuisse, esse, & futuros esse? Quo ipso eum commoniturus erat, neminem in hâc miseriarum valle, sine afflictionibus esse, vel fuisse. Hîc lectulo æger tenetur, & aliquamdiu à morbo maceratur, per duodecennium, ut mulier hæmorrhoüsa, Matth.9.v.20. decem & octo annis, ut filia illa Abrahæ, Luc.13.v.16. triginta & octo annis, ut infirmus ille ad piscinam Bethsaida, Joh. 5. v.5. Hic lapis sæpè adeò premit ægros, ut cum Hiskia sicut grus & hirundo garriant, Esa.38.v.14 adeoque lamententur: Quis revolvet mihi lapidem hunc, factus sum sicut homo sine adjutorio, Psalm.88. v.5. Thren.2. v.13.

Ille in exilium abire, ut Elias, cui Jezabel mortem juraverat, 1. Reg. 19. v.3. aut pauperiem sustinere instar Lazari, Luc.16.20. aut hostibus in prædam cedere cogitur, ut Loth, Gen.14.v.12. aut alium stimulum in carne habet, ut Paulus, 2.Cor.12.v.7. Hîc iterum querela: Quis revolvit nobis lapidem? Sed Christianus, Crucianus, Matth.16. v. 24.

Iste spirituali tentatione angitur, ratione peccatorum commissorum, quæ Diabolus exaggerat, & contrà gratiam Dei extenuat, unde nihil nisi animi angores & cruciatus sequi solent. Respectu hujus lapidis, omnis alia crux flocci æstimanda est. Nullus enim dolor tantus est, quantus dolor cordis, Sir. 25.v.17. Et cor, quod novit amaritudinem animæ suæ, non delectabitur in extraneo gaudio, Prov. 14. v. 10.

Hîc iterum quiritantur: Quis revolvit nobis lapidem? sicut Jobus, David, Hiskias aliique id experti sunt.

Quicquid horum obtingit nobis, à peccato est, quod omnis mali fons & origo. Castigabit te malitia tua, & aversio increpabit te, Jer.2. v.19.

Lapidem itaque afflictionum declinaturi, peccata fugiamus oportet. Quasi à facie colubri fuge peccata, Sir.21. v.2.

III. *Mundanam vanitatem*, ubi nullum gaudium sine mœrore. Lætum utique nuncium Angelus mulierculis hisce annunciavit, quod Christus resurrexerit: verùm & metu mixtum. Invaserat enim eas & timor & stupor, quia Angelum viderant.

Sic pii adhuc hodiè in mundo habent

1. *Gaudium externum.* Licet enim Deus eosdem semper sub ferulâ contineat: tamen & recreatione quandoque dignatur illos, quando post tempestatem tranquillum facit, & post lacrymationem & fletum exultationem infundit, Tob.3.v.22.

2. *Gaudium internum*, quod Deus per Spiritum sanctum in cordibus eorum excitat. Fructus enim Spiritus sunt, caritas, gaudium, pax, Gal.5. 23. Hæc voluptas conscientiæ est, in eo consistés, quod homo certus est de

est de gratiâ Dei, propter Christum, estque juge convivium, Prov.15.v.15.& ejusmodi gaudium, quod nullis afflictionibus interrumpi potest, sed talis gloriatur in tribulationibus, sciens, quod tribulatio patientiam operatur &c. Rom.5.v.3. Hoc gaudium qui sentit, gustat virtutes seculi venturi, Hebr.6.v.6. nec multùm recordatur dierum vitæ suæ, eò quòd Deus occupet gaudio cor ejus, Eccles.5.v.ult.

Verùm, sive interno seu externo gaudio fruamur, ex parte tantùm gaudemus, 1.Cor.13.10. quo contentos nos esse oportet, donec succedat gaudium æternum, quod nunquam aufferetur à nobis, Joh.16 v.23. nempè gaudium super omne gaudium, vincens omne gaudium, extrà quod non est gaudium, Augustino dicente, Esa. 65. v. 14. Quod si igitur gaudio externo minus frui potes, sed cibaris pane lacrymarum, & potaris lacrymis copiosè, Psal.80. v.6. verbum Dei sit tibi in gaudium, & in lætitiam cordis tui, Jer.15.v.16. Gaude, quod nomen tuum scriptum in cœlis, Luc. 10.v.20. Gaude, quod ad vitam æternam electus es, ante constitutionem mundi, Eph.1.v.4. Exulta, cum Mariâ in Deo, salutari tuo, Luc.1.v.47. Lætare in Spiritu Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, Eph.1.v.[illegible].& testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei, Rom.8.v.16.

Qui hoc gaudio interno præditus est, lætari potest, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis, quin & in ipsâ morte, 2.Cor.12.v.10. & certus est, quod post hanc vitam venturus sit ad æternam beatitudinem, ubi non ultrà audietur vox fletus & vox clamoris, Esa.65.v.19. sed lætitia sempiterna erit super caput eorum; gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus, Esa.35. v. ult.

Intereà servi Domino in timore, & exulta ei cum tremore, Psal.2.v.11. Nam, beatus, qui semper est pavidus, Prov.28. v. 14. bravium nondum comprehendimus, 1.Cor.9.v.25. ideò cum metu & tremore salutem nostram operemur, Phil. 2.v.12. valdè soliciti, si participes Christi effecti sumus, ut initium substantiæ usque ad finem firmum retineamus, Hebr.3.14.

De Secundo.

SEquitur *Medela triplex*, quæ fluit

I. *Ex lapidis remotione.* Respicientes enim viderunt, revolutum lapidem, erat quippè magnus valdè. Hinc apparet, quod Deus fideles suos non patiatur tentari suprà id, quod possunt, 1.Cor.10.v.13. sed in mediis angustiis, quando res desperata videtur, revolvit lapidem, ut respirare possint: Non enim repellet in sempiternum Dominus, Thren.3.v.31.33.

Nostrum est in omnibus adversitatibus expectare cum silentio salutare Dei, ipse faciet, Psal.37.v.5.2.Cor.4.v.17.

II. *Ex Angelicâ Concione*: Jesum, inquit, quæritis Nazarenum, crucifixum, surrexit, non est hîc.

Quod si Christus surrexit, à peccatis redemti sumus. Mors enim stipendium peccati, Rom.6.v.23. sicut igitur Christus propter delicta nostra traditus est: sic & resurrexit propter justificationem nostram, Rom.4. v.ult.

Nisi resurrexisset, adhuc essemus in peccatis nostris, 1.Cor.15.v.18. quia vero surrexit, chirographum, quod adversus nos erat,

erat, deletum, Col.2.v.14. nihilque condemnationis est, in iis, qui in Christo Jesu sunt, Rom.8.v.1.

Si Christus surrexit, metu Diaboli soluti sumus, dissolvit enim opera ejus, 1.Johan.3.v.8. & in sanguine testamenti sui fideles suos emisit de puteo, in quo non est aqua, Zach.9.v.11. Unde ipse ait: Mortuus fui, & ecce! sum vivus. Apoc.1.v.18.

Si Christus surrexit, mortem quoque non pertimescamus, quem Christus absorpsit in victoriam, Esa.25.v.8. & licet à temporali morte immunes non simus, attamen nos non retinere poterit, sed die ultimo evomet nos, ut Balæna Jonam, Jon.2.v.11. ibi incorruptibiles è tumulis nostris prodibimus, 1.Cor.15.v.43. & erimus sicut Angeli Dei in cœlo, Matth.22.v.30.

Læti itaque morte nos invadente mundo valedicere, & cum Jobo dicere possumus: Scimus, quod Redemtor noster vivit, Job.19.v.25.

Jacob amisit filium Joseph in habitu pastorali, & recepit eum in veste Principis, Gen.37.v.14. c.46.v.30.

Ita jam nos præditi sumus corporibus humilibus, Phil.3.v.21. & mortalibus, 1.Cor.15.v.35. corporibus peccati & mortis, Rom.7.v.24. sed ibi configurabimur corpori claritatis Christi, Phil.3.v.21. semper cum eo in æternâ gloriâ futuri, 1.Thess.4.v.ult.

III. *Ex speciali Petri mentione.* Ite, inquit Angelus, dicite discipulis ejus, & Petro. Petrus graviter, Dominum suum ternâ vice abnegando, deliquerat, hinc magno mœrore perturbatus amarè flebat: sed jam salutari erigitur solatio, quod non abjiciendus, sed cum Christo in gratiâ, ejusdemq; discipulus sit mansurus.

Quodsi & vos cum Petro, vel illo gravius peccastis, ne desperetis, Vos mei! sed revertimini ex animo dolentes, & in gratiam recipiemini. Memor enim est Jesus vestri, in manibus suis descripsit vos, ut nunquam obliviscatur vestrûm, Esa.49.v.16. Sicut igitur hîc Petrum per Angelum resurrectionem ei annunciando, confirmavit, ne in peccatis suis desperaret: Sic idem adhuc hodiè facit per Angelos suos, h.e. Ecclesiæ ministros, uti appellantur, Esa.33.v.7. Malach.2.v.7. & passim.

Quando enim peccatori ob peccata anxio & verè dolenti hæc verba suggeruntur ab animarum Pastore: Confide fili, confide filia! remittuntur tibi peccata tua, Matth.9.v.2. idem id est, ac si Dominus per Angelum, vel per seipsum Absolutionem ei annunciasset. Quæcunque enim solveritis in terrâ, erunt soluta & in cœlo, Matth.18.v.18. idcircò hæc gratia minimè aspernanda erit, qui enim spernit, non hominem spernit, sed Deum ipsum, 1.Thess.4.v.8. cui placuit per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, 1.Cor.1.v.21.

Angelos lapsos catenis noctis detractos in Tartarum, tradidit cruciandos in judicium reservare, 2.Petr.2.v.4. Nos verò, qui tamen & ipsi spontè à Deo descivimus, facit Deus indies bonæ spei, quod daturus sit locum in peccatis pœnitentiæ, Sap.12.v.19. Hæc viscera misericordiæ Dei nostri sunt, in quibus visitavit nos Oriens ex alto, Luc.1.v.79.

Propterea nemo desperet, licet iniquitates multiplicatæ sint super capillos capitis sui, Psal.40.v.14. sive arenam maris exsuperent, Orat.Man.v.2. Misericordia ejus major adhuc est, ita ut nec minuere, neque adjicere possis, Sir.18.v.5. Non enim potuit

nos in iram, sed in acquisitionem salutis, 1. Thess. 5. v. 9.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Festum decenter celebra*. Exemplo sunt piæ hæ mulierculæ, in quibus apparet,

1. *Insignis pietas.* Sabbatho enim quiescebant, juxtà præceptum Dei, Exod. 20. 8. Idem nos faciamus. Festa enim solennia non ideò instituta sunt, ut in deliciis, crapulâ aut ebrietate transigantur, ut hodiè perversus mos invaluit: sed in æde Domini conveniamus oportet, laudantes & celebrantes Dominum pro beneficiis nobis exhibitis, quæ decora & jucunda laudatio est, Psal. 147. v. 1. placetque Deo super juvencum, cornua producentem & ungulas, Psal. 69. v. 32. quando verò festivitates Dei in peccatis transiguntur, ad gravem Deus hoc ipso iram provocatur, ut convertat festivitates in luctum, & cantica in planctum, Amos 8. v. 10.

2. *Singularis animositas.* Hâc in parte Apostolis palmam præripiunt, qui meticulosi latibula quæsiverãt, & conclavi sese incluserant, nec prodire audebant, ad resurrectionem Christi indagandam, quam tamen ipsis Servator clarè prædixerat. Sic nullum periculum illæ verentur, sed animosè ad sepulcrum pergunt. Hæc fidei natura est, ut in Christo non offendatur, nec periculum ullum fugiat, quod oboriri possit. Qui enim crediderit, non festinabit, Esa. 28. v. 17. sed novit sibi pro Christo donatum esse, ut non solùm in eum credat: sed etiam pro illo patiatur, Phil. 1. v. 29. quod & Christianus nunquam aversetur; sed spe gaudeat, & in tribulatione patiens esse perseveret, Rom. 12. v. 12. juxtà illud: Credidi, propter quod locutus sum, Psal. 116. v. 10.

3. *Conjuncta unanimitas.* Unum enim illis erat cor, & unus affectus: quod huic, & illi placebat. Id est, humero uno servire Deo, Soph. 3. v. 9. Idem nobis quoq; imitandum. Quando enim Servator noster pacem apprecatur nobis, Joh. 20. v. 19 hoc ipso non modò conscientiam nostram pacaturus, sed & simul graviter nobis imperaturus est, ut inquiramus pacem, & mutuò persequamur eam, Ps. 34. v. 15. Matt. 5. v. 9.

4. *Tempestiva sedulitas.* Somnum enim profligantes, cum ipso diluculo, ante Solis ortum itineri se accingunt. Id nostri quoque officii est. Studio non pigri simus, Rom. 12. v. 11. Imprimis in rebus salutem nostram concernentibus, somnum peccatorum & securitatis abigamus, ut manè surgamus. Pœnitentia quippe sera, rarò est vera, sicut in tota sacrâ Scripturâ nullum exemplum occurrit, nisi latronis, in ipso vitæ articulo pœnitentiam agentis, Luc. 23. v. 43. id verò neutiquam in imitationem trahendum, sed potius salutare Siracidis consilium amplectendum; Ante languorem humilia te, & in tempore peccatorum ostende conversionem tuam, Sir. 18. v. 21. 26.

5. *Rara liberalitas.* Non enim parcunt sumtibus emendis aromatibus, quibus Dominum ungant. Nam ubi cor sincerum est, ibi haud inviti largimur de facultatibus nostris, ad conservationem cultus divini, & egenorum indulgentiam, ita ut si multùm nobis fuerit, abundanter tribuamus: sin exiguum, etiam hoc libenter impertiri studeamus, Tob. 4. v. 9. Hilarem enim datorem diligit Deus, 2. Cor. 9. v. 7. Hoc fra-

grans

grans illud unguentum est, quo Christus adhuc hodiè ungitur. Unde & non sine remuneratione fiet. Mutuò enim dat Domino, qui miseretur pauperis, & retributionem suam reddet ei, Prov.19. v.17.

II. *Resurrectionem Christi pondera.* Hanc enim inculcat prælecta Pericope, in quâ illa juxtà omnes circumstantias evidenter describitur. Surrexit enim Servator,

1. *Tempore congruo*, tertio sc. die, ut ipse promiserat, & Scriptura prædixerat. Cum enim transiisset Sabbathū, Maria Magdalena, & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.

Sicut igitur Servator die Parasceves circà vesperum exspiraverat: ita per Sabbathum in sepulchro quiescere sinunt, sequente verò Solis die manè surrexerunt, quò corpus ejus more Judaico ungerent.

Id non modò per Prophetas prædictum generaliter, imprimis ubi David ait: Non derelinques animam meam in inferno, Ps. 16.v.10. sed & specialiter, ratione temporis & diei prædefiniti. Sic enim Os.6.v.2. dicitur: Vivificabit nos post duos dies, in die tertiâ suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. Quod quidem de resurrectione omnium credentium intelligendum: quia verò hæc à Christi Resurrectione pendet, Propheta quasi id dicturus est: Sicut Christus post triduum surrexit ex mortuis: ita nec nos Deus in æternum in tumulis nostris relinquet, sed suo tempore vivificaturus est, juxtà illud Joh.5.25. Quò pertinet quoque typus Jonæ, ipso Christo sic explicante, Matth.12.v.40. Jon.2.v.1.

Hinc igitur elucescit, Servatorem nostrum non nudum hominem, sed Filium Dei & Θεάνθρωπον esse. Omnes enim reliqui homines corruptionem videre coguntur, nemine, cujuscunque loci & ordinis sit, inde excepto, juxtà illud: Terra es, & in terram reverteris, Gen.3 v.19. Verùm Christi corpus corruptionem non vidit, sed tertio die vivum prodiit, quia divinitati personaliter unitum fuit. Licet enim vinculum naturale corporis & animæ solutum, aliàs mors non vera fuisset: attamen vinculum personale, quo divina & humana natura combinatæ fuerunt, integrum mansit, ita ut Deus homo, & homo Deus mediâ in morte idem, nec mutatus fuerit, Psal.102.v.28.

Hinc Paulus ait, Christum natum ex semine David secundum carnem, declaratum autem Filium Dei, in virtute secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione, Rom.1.v.3.4.

Inserviat hoc consolationi nostræ. Christus enim primogenitus ex mortuis est, Col.1.v.18. quia igitur ille surrexit, neque nos in morte manebimus. Vivo ego, inquit, & vos vivetis, Joh.14.v.19.

2. *Clauso monumento.* Josephus enim & Nicodemus ingentem lapidem ad ostium monumenti advolverant, quem deindè Pontifices sigillo Pilati signaverant: verùm & lapide, atque sigillo spreto, Christus perrupit: Sicut Simson ambas portæ fores, cum postibus suis & vectibus apprehendit, & ita manus hostium evasit, Jud.16.3.

Et licet Angelus posteà lapidem removerit, attamen id non factum est, ut Christus resurgere posset, sed ut mulieribus sepulchrū vacuū ostēderetur, Chrysostomo asserente. Hinc igitur colligamus, Servatorē nos habere ejusmodi, qui non modò seipsū vivificavit: sed qui nos quoq; è tumulis

 nostris

nostris conclusis resuscitare possit. Non enim impossibile est apud eum ullum verbum, Luc.1.v.37. Quin potius cum Jobo dicimus: Scio, quod Redemtor meus vivit &c. Job.19.v.26.

3. *Corpore clarificato.* Postquam enim Christus resurrexit, postmodùm non ut antè cum discipulis suis conversatus est: sed diversis vicibus, καὶ οἰκονομίαν quoties & prout libuit se illis exhibuit conspiciendũ. Alias conspicere eum non potuissent, sicut nec corpora Sanctorum, exeuntia de monumentis post resurrectionem Christi, non omnibus, sed multis apparuerunt, quibus nimirum Deus oculos aperuit, ut eadem videre potuerint, Matth.27.v.53.

Non igitur Deo ejusque verbo repugnat, quando Christum non modo in sacrâ cœna, sed & Ecclesiæ suæ omnibus diebus usq; ad consummationem seculi præsentem statuimus, Matth.28.v.ult. hoc enim nequiquam absurdum est, quia non modo habet clarificatum corpus, sed & idem in personam τοῦ λόγου assumtum, evectum etiam super omnes cœlos, ut omnia ipsi subjecta sint, nihil omisso, Hebr.2. v.8.

Optimum erit, ut in captivitatem redigamus omnem intellectum, 2.Cor.10.v.5. perpendentes, quod ambulamus per fidem, non per speciem, 2.Cor.5.v.7. Beati enim qui credunt, & nõ vident, Joh.20.29.

III. *Fructus Paschales tibi applica.* De aridâ Aaronis virgâ memoratur, quod unâ nocte germinaverit, floruerit & amygdalas dederit, Num.17.v.18.

Id pii Veteres Christo applicarunt, qui velut aridum lignum die Parasceves à Josepho & Nicodemo in sepulcro posit⁹, tertio die quasi diluculũ progressus est, Ose.6. v.3. & jucundos flores & amygdalas ostendit, primùm Mariæ Magdalenæ, Joh.20. v.14. deindè mulierculis, sepulchrum invisentibus, Matt.28.v.9. tertiò Simoni Petro, ut & duobus discipulis Emaus proficiscentibus, Luc.24.v.5. & demùm Apostolico Collegio in conclavi congregato, ubi Servator ipsis pacem suam attulit, Joh.20.19. & sic multis argumentis se vivum exhibuit, Act.1.v.3.

Adhuc hodiè pacem in Ecclesiâ prædicare, & amygdalas distribuere finit in solatiũ nobis in vita & morte constitutis. Fit id

1. *Per Angelorum apparitionem.* Sex diversi Angeli in Resurrectione Domini apparuerunt. Primus revolvit lapidem, & fugat custodes sepulchro destinatos. Secundus & tertius ad sepulchrum sedent, instruentes mulieres. Quartus & quintus sedent in sepulchro, unus ad caput & unus ad pedes, Joh.20.v.12. Sextus describitur in textu nostro, quod sederit in dextris, coopertus stolâ candidâ. En magnum Dominum, tot ministris & apparitoribus instructum.

Quando nos firma fide ei adhærescimus, dabit nobis, de his, qui quotidiè assistunt ei Zach 3 v.7. ut custodiant nos per omnem vitam, in omnibus viis nostris, Psal.91.v.11. Et quando hora nostra ultima ingruet, nõ derelicturus nos est orphanos, Joh.14.18. sed mandaturus Angelis suis, ut animam nostram deportent in sinum Abrahæ, Luc. 16. v.23. corpus verò custodiant cum omnibus ossibus suis, ut unum ex his non conteratur, Psal.34.v.21.

2. *Per metus abolitionem.* Nolite expavescere, inquit Angelus, surrexit.

Idem nobis quoque dictum sit.

Nos homunciones naturaliter *mortem* pertimescimus, qui velut ultimus inimicus,

1. Cor.

1. Cor.15.v.26. corpus & animam separat. *Diabolum*, qui die & nocte accusat nos coram Deo, Apoc.12.v.10. *Iram Dei*, quam peccatis nostris thesaurizamus nobis, Rom.2.v.15. Rom.7.v.19. Job.9.v.3.

Verum recordatione resurrectionis Christi, mortis metum profligare possumus. Scimus enim, quod qui Jesum suscitavit, & nos per Jesum suscitaturus sit, 2. Cor.4.v.14. Sir.48.v.12. Psal.16.v.ult. Nec minus Diaboli metu soluti sumus, Hebr.5. v.15. Quin & ira Dei pacata est, Resurrexit enim Christus propter justitiam nostram, Rom.4.v.ult. Ideo ait Christus: Pax vobis, Joh.20.v.19. Esa.27.v.4. Eph.1.v.6 summa: Nunc facta est salus, & virtus & Regnum Dei nostri, Apoc.12.v.10.

3. *Per Christi praecessionem.* Praecedet enim vos, in Galilaeam, ibi eum videbitis sicut dixit vobis. Quo ipso respicit promissionem, Matth.26.v.32. quae impleta est in monte Galilaeae, Matth.28.v.16. ubi visus est, plus quam quingentis fratribus simul, 1.Cor.15.v.6.

Christus similiter praecessit nos

1. *In resurrectione*, factus primitiae dormientium, 1.Cor.15.v.20. Ideo inquit Leo: Quo praecessit gloria capitis, eo sequetur & spes corporis, Joh.14.v.20.

2. *In adscensione.* Ubi notas nobis fecit vias vitae, Psal.16.v.11. & locum paravit, Joh.14.v.2. ubi cum Electis & Angelis habitemus, 1.Cor.2.v.9.

3. *In exaltatione.* Sedet enim ad dexteram Dei, Eph.1.v.21. In aeterna gloria, Luc.24.v.26. ad quam licet nemo Angelorum pertingere valeat, Hebr. 1. v.13. attamen nos quoque consortes gloriae suae facturus est, Joh.17. v.24. & quando veniet ad judicium in nubibus coeli, nos quoque sedebimus super thronos, judicantes duodecim tribus Israel, Luc.22.v.30. 2.Tim.2. v.18. Apoc.2.v.21. Fiat id per Christum Jesum, Amen.

DOMINICA QUASIMODOGENITI.

Evangelium, Joh. 20. v. 19. - 29.

EXORDIUM.

PRaesens Dominica antiquitus appellata est Quasimodogeniti. Item Dominica in albis. Utrumque inde est, quia Christus per mortem, & consequentem resurrectionem suam, nos regeneravit in spem vivam, 1. Petr. 1. vers. 3.

Quemadmodum igitur mater angore afficitur, dum foetum suum pariat, ideo dolens clamat in doloribus suis, Esa. 26. vers. 17. Sic & CHRISTUS magno dolore percussus est, dum regenerationem hanc consummavit. Hinc ipse ait: Servire me fecisti in peccatis tuis: praebuisti

mihi laborem, in iniquitatibus tuis, Esa.43. vers.24.

In horto Oliveti dolores ipsum invaserunt, qui ipsi sudorem sanguineum expresserunt, cum his verbis: Tristis est anima mea usque ad mortem, Matth.26.v.24.

Crux sella puerperii fuit, in qua velut vermis se incurvavit, Psal. 22. vers. 7. profunde clamitans: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me, Matth.27. vers. 46.

Latus quoque ipsius apertum est, ut aqua & sanguis emanarint, ad lavandum & roborandum Filios Dei. Nam ex latere Christi ædificatur Ecclesia, ait Bernhardus. Sicut è costa Adami Eva, Gen.2. vers.22.

Posthæc quievit in sepulchro, quod puerperii lectus fuit. Die Paschatos vicissim ex eo prodiit. Hodie affert Quasimodogenitos, & quidem gemellos, ex Judæis & gentilibus, hi indigent indusiolo, quod induunt in Baptismo, Gal.3.v.27. opus habent lacte non cibo solido, Hebr.5.v.12. Id reperitur in Evangelio, quod Deus abscondit, à sapientibus & prudentibus, & revelavit parvulis, Matth.11.v.25. Ideo S. Petrus Auditores suos, nosq; omnes in hodiernum diem hortatur, ut sicut modo geniti infantes, rationabiles & sine dolo lac concupiscamus, 1.Petr.2.v.2. Tandem quoque sedula egent curatione, quo fine Deus constituit Ecclesiam, quæ spiritualis nosocomion est, in quo infirmi ita curantur, ut non destituantur omni bono, Psal. 103.v.11. dum Deus dilectionis, qui affectum vere paternum & maternum in nos gerit, Psal.103.v.13. Esa.49.v.15. non modo ipse excubias agit: sed & Angelis suis mandavit, ut custodiant illos, & in omni anxietate & periculo tutela sua iisdem adsistant, Psal.91.v.11.

Hæc ita mera cœlestia beneficia sunt, quæ nobis occasione Evangelicæ denominationis in memoriam revocemus: quia & ipsa Pericope pluribus ea inculcat.

Videbimus tunc

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J.J.

Exegesis.

Quod Christus Discipulis suis promisit, in Concione Valedictoria, quam paulo ante abitum suum ad Patrem, Hierosolymis in cœnaculo magno strato habuit, quod nimirum iterum visurus sit illos, & gavisurum sit cor eorum, & gaudium eorum nemo sublaturus sit ab illis, Ioh. 16.v.23. Id hodie implevit, dum post resurrectionem suam votum pacis afferens, Discipulis consternatis sese stitit, & adventu suo inopinato eosdem valde exhilaravit, ut prælecta Pericope testatur.

Querelam movet

1. *Hostilis metus*, quo pii in hoc mundo immundo nunquam non infestantur. De Apostolis hîc dicitur, quod fores clauserint, propter metum Iudæorum. Quia enim turba commota erat, & Pontificibus res adeo successerat, ut Christum cruci suffixum necaverint: Apostoli inter sacrum & saxum stantes, singulis momentis verebantur, ne impetu in se facto invaderentur, maxime, quia Consistoriales Hierosolymitani, cum Christus ab ipsis examinare-

naretur, de discipulis ejus interrogaverant, Ioh.18.v.19.

Præterea, per milites pecunia corruptos fama increbuerat, quasi discipuli nocte, dormientibus illis, corpus Christi è sepulchro furati essent, Matth.28.v.13. Ideo semper animis anxii erant, ne nocte intempesta fores effringerentur. Sicut pio Lotho idem accidisset, ab impiis Sodomitis, nisi Deus cæcitate eos percussisset, ut ostium invenire non potuerint, Gen.19.v.11.

Quanta hæc miseria sit, superiori belli tempestate satis experti sumus, ubi tenebræ tribulationis erant in terra, Esa.5.v.30. neque introeunti, neque exeunti pax erat, præ tribulatione, Zach.8.v.10. quin in ipsis ædibus nemo tutus erat à furibus, noctu irrumpentibus, & quævis obvia aufferentibus. Tum enim valebat: Velociter spolia detrahe; cito prædare, Esa.8.v.1. Qui modo id artificiose celare poterat, nulla excusatione indigebat. Ius enim tempore belli ambiguum est, scriptum in Epistola, juxta quam omnis fur innocens pronunciatur, Zach.5.v.3.

Quod si Protoplasti nostri, immunes à lapsu in Paradiso perseverasset, nullis domibus, muris, civitatibus & munimentis opus fuisset: Imago enim Dei inter alia quoque consistebat in perfecta justitia, quæ ejusmodi virtus est, ut nemini vim inferat, sed cuilibet suum attribuat, ideo absque ullis munitionibus homines sibi invicem cohabitare potuissent, in pace & concordia, Deo æque ac hominibus jucunda, Psal.133.v.1.

Simulac autem Cain post lapsum fratrem suum Abelem interfecerat, & metuebat, ne qui invenerit eum, occideret, ædificavit ille civitatem, vocavitque nomen ejus, ex nomine filii sui Henoch, Gen. 4.v.17.

Idem fecerunt posteri Noæ post diluvium, quia enim Deus primum mundum diluvio inundarat, illi melius sibi consulturi, turrim extructum ibant, cujus culmen pertingeret ad cœlum, ut in ea tempore necessitatis, tuti esse possent, Gen.11. vers.4.

Id ita, invalescente malitia hominum continuatum est, ut hodie hîc illic munimenta extructa sint, quæ tamen sæpe parum præsidii afferunt, Quia dies Domini super omnem turrim excelsam: & super omnem murum munitum, Esa.2.v.12.15.

Quando igitur Deus hominem puniturus est, nulla arx vel munitio homini præsidio erit, licet exaltatus fuerit ut aquila, & inter sidera posuerit nidum suum, Obad.1.v.4. ubi vero quem in custodelam suam recepit, vel aranea murus erit, sicut hîc in Apostolis exemplum habemus, qui in conclavi congregati fores clauserant. Id parum profuisset ipsis, nisi Christus securitate ipsis impertita, hostibus suis satis pro imperio dixisset: Sinite hos abire, Ioh. 18. vers.8.

Id perpendite vos mei! Adhuc hodie in mundo sursum deorsum omnia volvuntur, Quia filius pro stulto habet patrem, & filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam; & inimici hominis domestici ejus, Mich.7.v.6. Ideo quilibet Deum timeat, & nullo patrocinio destituetur. Turris fortissima nomen Domini, ad illam currit justus, & exaltabitur, Prov.18.v.10.

II. *Solatii defectus.* Apostoli in magnis an-

angustiis versabantur, non modo propter Pontifices, sed & ratione fugæ, quod contra datam fidem à Domino suo perfidia defecerant, ideo medicinâ contra mœrorem indigebant. Verum Servator diu eandem retraxit. Mane resurrexerat, mulieribusque sese manifestaverat; Sed Apostolos vesperi demum invisit.

Sic unus diutius cruce premitur, quam alter, qua in parte Deus modum sibi præscribi non sinit. Optime enim novit,

- - Quid valeant humeri, quid
ferre recusent.

Quemadmodum Medicus infirmo medicinam ordinaturus, ante omnia vires ejus considerat, ne in dosi forte peccet: Sic Deus est Sanator noster, Exod.15, v. ult.

Scit ille, quod sit optimum,
Nobisque nullum dat malum,
Hæc spes reposta nobis.

Sæpe vero Diabolus hanc moram exaggerat, dum piis animis inspirat Deum mutatum in crudelem, & benevolum cor suum avertisse, alias tamdiu in angustiis illos non relicturum; hinc suspiria: Deus ne sileas, ne taceas, neve quiescas Deus, Psal. 83. v.1. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum, Psal. 69. v.4. Verum tu in patientia animam tuam custodiens, expecta Dominum, cum Jacobo dicens: Non dimittam te, donec benedixeris mihi, Gen. 32. v.27. & veniens ille veniet, & non tardabit, Hab.2. v.3. si non citius, tamen circa vesperam, quo tempore discipulos quoque hîc accessit: in inundatione enim prætereunte consummationem faciet loci illius, Nah.1. v.8. & in tempore vesperi erit lux, Zach.14. v.7.

Cum Daniel trium hebdomadarum diebus lugeret, & Deum sollicitaret, tanto fervore, ut panem desiderabilem non comederet, Deus tandem Angelo misso confirmabat eum. Hîc non opinemur, ac si tum demum & non citius preces ejus exauditæ sint. Neutiquam. Nam ex die primo, dicit Angelus, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos, Dan. 10. v. 2. 13. Quod vero Daniel totas tres hebdomadas expectare & clamare debuit, eo ipso probatus est, quinimo ut eo ferventius oraret, & in constantia perseveraret, adactus. Nam inter omnes virtutes sola perseverantia coronatur, Bernhardus. Nemo vero mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est Regno Dei, Luc.9. v. ult.

III. *Ministerii onus*: quod Christus innuit, inquiens: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.

Ex quo elucescit, verbi Præconibus vocationem expectandam, ne ipsi currant, sed expectent, dum mittantur, Jer.23, 21. Alias veluti sorices seipsos produnt, quod plus lac & lanam, quam Dei gloriam & oviculiarum emendationem respiciant: ut Deus ipse de ejusmodi Pastoribus graviter conqueritur, Ezech.34, v.3.

Quam grave vero onus verbi ministerium sit, id è missione colligendum, quam hîc Christus cum sua ipsius missione confert. Sicut igitur Deus Pater Filium suum misit

1. *Ad docendum*: Undenunquam quoties-

tiescunque occasio se obtulerit cessavit, voluntatem Patris sui simpliciori plebeculæ exponere, in notis Parabolis, interdiu & nocte, sicut imprimis Nicodemo noctu concionem habuit, Joh.3.vers.1. Et id tanto fervore egit, ut etiam in ara crucis non desierit, dum animam exhalavit, Luc. 23. vers. 46. Rebus vero politicis non immiscuit se: ideo cum Regem eum rapturi essent, fugit in montem ipse solus, Joh. 6.v.15.

Ita Animarum Pastores intra cancellos vocationis suæ continere se debent, instantes opportune importune, arguendo, increpando, exhortando, in omni longanimitate & doctrina, 2.Tim.4.v.2. Et hoc ipso nondum officio satisfactum est, ut non dubitandū, si Ministerii Candidati molestias Ministerii prævidere possent, quin paucissimi illud subituri essent. Licet enim aliæ Facultates molestias suas & ipsæ habeant, & unicuique in sudore vultus sui pane suo vescendum, Gen.3.v.19. attamen labore non adeo continuo nec tanto opus est, in concipiendo, meditando & perorando, ut in Ministerio, unde necessario corporis vires paulatim deficiunt, ut plurimi maturiori morte prærepti, ad senectutem minus perveniant, sicut experientia probat. In tantis laboribus & molestiis non est, ut negotiis secularibus se implicent, 2.Tim.2.v.4. plurima enim super sensum hominis ostensa sunt ipsis, Sirac.3. v.25. Reges gentium dominantur, & qui potestatem habent, benefici vocantur, Luc.22.v.25. Quicunque igitur Ecclesiam & curiam administrare gestit, non à Deo missus est, sed pertinet in Synagogam Satanæ, Apoc.3.v.9, qui Rex superborum dicitur, Iob.4.v.ult.

2. *Ad faciendum*, ut ea quæ docet, exterioribus signis & miraculis confirmet. Hanc potestatem discipulis quoque suis dedit, ut Dæmonia ejecerint, varios morbos curaverint, aliaque prodigia fecerint, sed non ex propria virtute, verum in nomine suo, Matth.16.v.17.

Hodie nullis miraculis amplius indigemus, quia doctrina, quam profitemur, Christi & Apostolorum miraculis sufficienter confirmata est. Id vero Pastori probato incumbit, ut vestigiis Domini sui insistens, non modo dicat, sed & faciat, ut sit exemplum fidelium, in verbo, in conversatione, in spiritu, in fide, in castitate, 1. Tim.4.v.12. Alias efficit, ut Evangelium calumniis impetatur, & dum aliis prædicat, ipse reprobus efficiatur, 1.Cor. 9.v.27.

3. *Ad patiendum.* Non enim venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemtionem pro multis, Matth. 20.vers.23. Hac in parte nemo ipsi conferri potest, solus enim torcular calcavit, Esa. 63.v.2. & una oblatione consummavit in sempiternum eos, qui sanctificantur, Hebr. 10.v.14.

Interea & nobis stigmata ejus in corpore nostro portanda sunt, Gal.6.v.16. ut in longanimitate, 2.Cor.6.v.5. per multam crucem & afflictionem in Regnum Dei eum sequamur, Matth.16.v.24. non ut nobis vel aliis quicquam promereamur: sed Dominum Ministerii in cruce & morte, ut benevola ejus voluntas requirit, clarificemus, Ioh.21,19. Hinc est, quod adhuc hodie Filius Dei discipulos suos mittit, ut

oves occisionis, Psal.44.v.22. ut inter aspides & regulos, Esa.11.v.8. inter leones & & lupos, Matth.10.v.16. inter falsos fratres & latrones, 2.Cor.4.v.13. ministerio suo fungantur, panem doloris comedentes ut Micha, 1 Reg.19.v.6. tanquam purgamenta hujus mundi, omnium peripsema, 1.Cor.4.v.13. Verum hoc solatio gaudent, quod Ministri Christi sint, & dispensatores mysteriorum Dei, 1.Cor.4.v.1. Is suo tempore videbit, & requiret, 2.Paral.24.v.22. Merces vero eorum eo copiosior erit in cœlis, Matth.5.v.12.

De Secundo.

SEquitur *Medela* quæ fluit

I. *Ex Christi manifestatione*, quam peregit

1. *Potenter*, dum clausas januas pertransit.

Quando alias in conclave clausum ingressuri sumus, aut claves adhibendæ, aut fores pulsandæ, aut dum fores pandantur, expectandum, aut vi fores perrumpendæ, aut per Claustrarium aperiendæ sunt.

Nihil horum Christus tentavit, & tamen ad discipulos in conclave intravit. Primo enim non utitur clavi, quam sine dubio Apostoli sibi sumtam probe asservaverant. Nec pulsavit ostium, sicut Petrus aliquamdiu ad domum Mariæ pulsare & præstolari tenebatur, dum fores aperirentur, Act.12.v.13. Præterea nec ostium vi perrupit, aut è cardinibus dimovit, sicut Simson Gazæ conclusus, media nocte consurgens, apprehendit ambas portæ fores, cum postibus suis & vectibus, impositasque humeris suis, portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron, Jud.16.v.3. Neque Angelus ei fores aperuisse legitur, quod Petro incarcerato factum, Act.12.v.10. neque terræ motus factus, sicut Philippis accidit, cum Paulus & Silas in custodia detinerentur, ut moverentur fundamenta carceris, Act.16.v.26. Nihil horum factum est: Sed fores occlusæ sunt & manent, attamen Christus corpore suo clarificato easdem penetrat, nihilo ipsum prohibente. Quæ qualitas nostris quoque corporibus clarificatis continget. Seminatur enim in corruptione, surget in incorruptione, 1.Cor.15.v.43.

2. *Patenter*. Stetit enim in medio eorum. Quo significare voluit, esse se unum illum Mediatorem Dei & hominum, 1.Tim.2. vers.5. qui nos non relicturus sit orphanos, Joh.14. vers.18. sed ubi duo aut tres congregati sunt in nomine ejus, futurus erit in medio eorum, Matth.18. vers.20.

Nos sæpe inter postes & cardines versamur, & ita angustiamur, ut nesciamus, quid facere debeamus, ut Rex Josaphat ait, 2.Chron.20.v.12. Verum confidite vos mei! Christus medius nostrûm stat, Joh.1. v.26. eritque nobiscum in tribulatione, eripiet & glorificabit nos, Psal.91.v.15.

II. *Ex pacis apprecatione*. Stetit enim in medio eorum, non mutus, ac tacens: sed amice salutat, inquiens: Pax vobis!

Hic nobilissimus thesaurus est, quem Christus resurrectione sua nobis acquisivit & peperit, propterea vocatur Sar-Schalom, Princeps pacis, Esa.9.v.7.

Exultate hinc Vos mei! Justificati enim ex fide, pacem habemus ad Deum,

per

per Dominum nostrum Jesum Christum, Rom.5.v.1.

Quodsi igitur Satanas accusatione legis nos territat? confidenter contra colloqui possumus, dicentes: Quis accusabit electos Dei? Deus est qui justificat, Rom. 8.v.34.

Iram Dei ostendit? Vicissim animose cum Paulo dicamus: Christus hîc est, qui mortuus est; imo, qui & resurrexit, qui & est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis, Rom.8.v.34.

Si mundus nos persequitur, ut nusquam tuti simus, velut Elias in exilio, 1.Reg.19. v.3. tamen pacem cum Deo habemus, scientes, Christum mundum cum Principe suo vicisse, Joh.14.v.30.

Selneccerus de pio Principe, veritatem Evangelicæ doctrinæ amplexo recenset, quod propterea à familiaribus & Consanguineis odio habitus, non deterritus, sed pro Symbolo quasi his verbis usus sit: Pater me odit, uxor non amat, frater mihi invidet, sed in solo Christo est mihi requies & auxilium. Imitare pium hunc Principem, & non modo in adversitatibus bonam militiam, 1.Tim.1. vers.19. sed & in morte sperabis dicens cum Davide: In pace dormiam & requiescam, quoniam tu Domine, solus tuto habitare facis me, Ps. 4.v.ult.

III. *Ex Ministerii ordinatione*. Sicut enim Discipulis & Apostolis suis denuo Apostolatum commendat, & juxta Spiritum sanctum impertit, traditis Ecclesiæ clavibus, ut potestatem habeant, peccata remittendi & retinendi: Sic idem adhuc hodie est, qui Jerusalem Evangelistas dat, Esa.41.v.24. extrudens fideles operarios in messem suam, Matth.9.v.ult. qui pro animabus Auditorum pervigilent, Hebr. 13. v.7. & pauperibus evangelizent, Matth. 11.vers.5. quod est potentia Dei in salutem omni credenti, Rom.1.v.16.

Hæc magna gratia est, cui nunquam gratias referendo pares sumus. Quodsi Imperator Romanus, ad quempiam subditorum suorum, perfidia deficientem, Legatos suos mitteret, & gratiam suam offerret, id insolitum quid esset, quod novellis procul dubio insereretur. Hoc ipsum vero Rex Regum & Dominus Dominantium erga nos facit, 1.Tim.6.vers.15. quando emissis verbi Præconibus & Legatis suis, gratiam suam offert nobis: Consolamini, consolamini populum meum, Esa. 40. vers.1. quod & faciunt, quando ex suggestu clamant: Pro Christo legatione fungimur, tanquam DEO exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini DEO, 2.Cor.5.vers.20. Grato igitur animo agnoscamus, quod Deus nos adeo gratiose respiciens, omnia salutis media ordinavit: quin & adhuc hodie efficax est per Ministerium verbi, incrementum dans cœlitus, 1.Cor.3. vers.6. ne labor noster inanis in Domino sit, 1. Cor.15. vers.ult. Hoc vero unice requiritur, ut intelligamus, Psal.2. vers.10. petentes cum Salomone cor docile, 1. Reg. 3. vers.9. Et Dominus fidem per verbum accendet, Rom.10.vers.18. per fidem vitam æternam daturus, Joh.3 vers.15. ubi nullo verbi Ministerio amplius indigebimus, sed omnes à Deo docti, cognoscemus Dominum à minimo, usque ad maximum, Jer.31.vers.34.

De Tertio.

SEquitur *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Pacem sectare*. Eo respicit Christus, quando ad Apostolos ait, Pax vobis. Hoc ipso enim apprecatur ipsis

1. *Pacem externam*, quæ in eo consistit, ut non modo negotia & res tuas, securè peragere, sed & subter vinea & subter ficu in Domino te oblectare possis, Zach.3. v.ult. Hoc nobile bonum.

- - Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est.

Ibi bene se res habet in Ecclesia: Paulus plantat, Apollo rigat, Deus dat incrementum, 1.Cor,3.v.6.

Bene se res habet in Politia. Seniores sedent in porta, Ruth.4,1. & de bonis terræ tractant, 1.Macc.14.v,9.

Bene quoq; res se habet in Oeconomia. Tū plateæ civitatis complentur infantibus, & puellis ludentibus in plateis ejus, Zach.8. v.5. stillant pascua deserti, & exultatione colles accingentur: vestiti sunt arietibus ovium, & valles opertæ sunt frumentis, jubilabunt & canent, Psal,65.v.13. Vox molæ auditur, h.e. omnia opificia libere exercentur, Jer.25.v.10. quæ tempore belli jacent, & frigent, 1.Sam.13.v.19. Breviter: Egrediens mane & vesperi lætificas, Psal. 65.v.9.

Nobilis hujus boni aliquamdiu inopia laboravimus, & contra vocem buccinæ audivimus clamorem prœlii, Jer.4.v.19. Sed jam, Deo sit laus, gladii hostis consumti sunt in perpetuum, Psal.9.v.7 Recuperavimus pacem quam Deus nobis reddidit, propter electos, Matth.24 v.21. propter infantes, qui nesciunt, quid sit inter dexteram & sinistram suam, Jon.4.v.ult. propter orphanos & viduas, Psal.68.v.6. Os.14.v.4. propter simplices, qui fuerunt lampas contemta apud cogitationes divitum, Job.12. v.4. propter infirmos fide, ne convertantur ad stultitiam, Psal.85.v.9. propter nominis sui gloriam, ne hostes dicerent, non poterat Dominus introducere populum in terram, nec Ecclesiam Evangelicam defendere, icirco occidit eos in solitudine, Num.14.v.16.

Gratias Deo agite vos mei! quod devolverit vobis deprecationem pacis & veritatis, Jer.33.v.6. orantes, ut qui cœpit in vobis bonum opus, perficiat usque in diem Iesu Christi, Phil.1.v.6.

2. *Pacem internam*, quam toti humano generi merito suo acquisivit. Postquam enim Deo reconciliati sumus, per mortem Filii sui, Rom.5.v.10. cor nostrum nos condemnare nequit, quia major est DEUS corde nostro, 1.Ioh.3. v.20. hinc pacata nostra conscientia, quod juge convivium, Prov.15. v.15. ut cum Iobo dicere possimus: non reprehendit me cor meum, in omni vita mea. Confer 2.Cor.1. v.12. hinc constans lætitia. Si enim cor nostrum nos non condemnaverit, fiduciam habemus ad Deum, 1.Ioh.3.v.22.

3. *Pacem æternam*. Ubi electi, post consummationem hujus temporis cum Deo & omnibus beatis Angelis sedebunt in habitatione pacis, & in requie securitatis, Esa.32.v.18. nec ab ullo amplius hoste infestabuntur, quia chaos magnum firmatum erit inter cœlum & infernum, Luc. 16. v.26.

v.26. ibi sonabit vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum: Dextra Domini fecit virtutem, Psal.118.v.15.

Nostrum erit, cavere, ne externam & internam hanc pacem amittamus, & si ad perpetuam & cœlestem pertingere velimus, & ipsi in pace & concordiâ vivamus, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, Eph.4.v.3. ubi verò invicem mordemus & comedimus, nil nisi certissimum exitium sequetur, Gal.5. v.15.

II. *In Christo lætare.* De Apostolis Evangelista refert, quod ex animo læti fuerint, ubi ex ore Servatoris lætum illud pacis votum audierunt.

Magno gaudio delibutus est David, ubi tres Heroës aquam de cisternâ Bethlehem haustam ipsi attulerunt, 2.Sam.23.v.16.

Non minori gaudio affectus Salomo, ubi Regina Saba, multo cum comitatu & divitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis & gemmas pretiosas, venit ad eum, 1.Reg.10.v.1.seqq.

Quid verò hoc æstimandum, respectu illius, quod Christus non modò Apostolis, sed nobis omnibus resurrectione suâ acquisivit?

Gemma gratissima, munus in oculis Domini sui, ait Salomo, Prov.17. v.8. ita hoc munus Paschale tanti æstimemus, quanti aliàs Magnates gemmas æstimare amant.

Putemus illud majoris Jaspide, qui contra venena inferni est, 1.Cor.15.v.55. Faciamus pluris Saphiro: ut enim ille colore cœruleo præditus: ita per hoc munus Paschale consequi possumus vitam æternam, ubi fulgebimus, quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates, Dan.12.v.3. Pendamus pluris Smaragdo. Sicut enim ille exhilarat, ita multò magis pax Dei cor lætificat, licèt frumentum & mustum aliorum multiplicata sint, Psal. 4.v.8. Gratius sit nobis carbunculo. Sicut enim ille & nocte fulget: sic Dei gratia nunquam extinguitur: sed lux oritur justo, & rectis corde lætitia, Psal.97.v.11.

Carius habeamus Adamante: qui quidem non sanguine hircino tantùm molliri, sed & quovis malleo facilè conteri potest: Misericordia autem Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum, Psal.103.v.17.18.

Gaudeamus itaque in Domino semper, Phil.4. v.4. qui nos de potestate tenebrarum liberavit, Col.1.v.13. Gaudium enim mundanum ad momentum est, Job.20.v.5. Qui verò pacem cum Deo habet, jucunditatem haurit à Domino, Prov.18.v.22. cum Asaph dicens: Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram, Psal.73. v.25.26.

III. *Claves Ecclesiæ venerare.* Hic Christum Apostolos insufflare audimus & dicere: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. Hæc spiritualis Ecclesiæ potestas est, quæ alibi sub Metaphora Clavium innuitur, quando Servator ad Petrum ait: Tibi dabo Claves Regni Cœlorum, Matth.16.18. Quod enim ibi speciatim Petro dixit: id generatim de omnibus Ecclesiæ Doctoribus & verbi Præconibus, quos dat Ecclesiæ suæ, intelligendum est, Ephes. 4. v.11. Propterea orat: Non pro eis rogo tantùm: sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, Johan. 17. v.20.

Quando proindè Ecclesiastes clave ligante utitur, & dicit ad avarum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, Act. 8. v. 20. Ad fornicatorem & adulterum: Deus judicabit te, Hebr. 13. v. 4. Ad ebriosum: Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, Esa. 5. v. 11. seqq. & ita ulterius: non id vilipendendum est; in leges enim divinas impiè agere, impunè non cedit: sed hoc tempus sequens declarabit, 2. Macc. 4. v. 17.

Quando verò clavem solventem adhibet, & pœnitentem ex verbo divino salutari solatio erigit & certiorem reddit, quod cum publicano justificatus in domum suam descendere possit, Luc. 18. 14. iterum consolationem hanc non aliter suscipiant, ac si Christus ipse eandem annunciasset, & aperiant corda, sicut terra venientem super se bibit imbrem, Hebr. 6. v. 7. & exultabunt ossa contrita, Psal. 51. v. 9. quæ quasi leo Dominus contriverat, Esa. 38. v. 13.

Beati, qui potestati huic Ecclesiasticæ se reverenter subjiciunt. Non enim DEus, ut Lutherus ait, alias claves in cœlo habet, quàm Ministri ejus in terris, sed quod solvunt illi, Deus quoque soluturus est, non ligans: & quod ligant, Deus quoque ligaturus est, non solvens. Qui igitur eos contemnit, non homines contemnit, sed Deum ipsum, pro quo legatione funguntur, 2. Cor. 5. v. 20. Unde verbi Ministerium expresse Ministerium Spiritus dicitur, 2. Cor. 3. v. 6. Durum aliquando erit contemtoribus, adversus stimulum calcitrare, Act. 9. v. 6. Det Deus nobis omnibus pœnitentiam & remissionem peccatorum, & consequenter salutem æternam, per Christum JEsum, Amen.

DOMINICA MISERICORDIAS DOMINI.

Evangelium Joh. 10. v. 11. -- 16.

EXORDIUM.

De Ægyptiis memoratur, quod detestati fuerint omnes Pastores ovium. Causa non additur, verosimile autem est, ideò factum esse, quia Pastores pecora quædam mactarunt, ejus carnes comedentes, quæ Ægyptii pro Diis habuerunt, & coluerunt. Cum enim Pharao Israëlitis potestatem daret, ut in terrâ Ægyptiorum Deo suo sacrificarent, respondit Moses: Non potest ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro? quod si mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii coràm eis, lapidibus nos obruent, Exod. 8. v. 26.

Nos Christiani Dei gratiâ melius informati, ex verbo Dei novimus, Pastores in bonâ existimatione esse, modò intra cancellos manserint, & fidelem gregis sui curam habuerint, ideò Christus ipse ἀρχιποί-

μην

μὴν καὶ Ἐπίσκοπος τῶν ψυχῶν ἡμῶν appellatur, 1. Petr. 2. v. ult. 1. Petr. 5. v. 4. Et hic Archiepiscopus habet Sub-Pastores suos, quales in Politia sunt pii Magistratus, Esa. 44. v. ult. in Ecclesiâ fideles verbi Præcones, Eph. 4. v. 11. quos Spiritus sanctus posuit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei, Act. 20. v. 28. sicuti propterea duas virgas gerunt, quarum altera vocatur amabilis, altera doloris, Zach. 11. v. 7. Hæc magna Dei gratia est. Quia enim omnes naturâ quasi oves erramus, Esa. 53. v. 6. maximopere ejusmodi Pastoribus indigemus, qui nos præcedant in Ecclesiastico & Politico statu, quò utrinque debitum nostrum observemus, & in rectâ via maneamus, quæ ducit ad vitam, Matt. 7. v. 14. Hinc præsens Dominica appellatur *Misericordias Domini*, quia in priscâ Latinâ Ecclesiâ in Introitu cecinerunt ex Psal. 89. v. 1. Misericordias Domini cantabo in æternum. Quo ipso pii Veteres haud dubiè respexerunt prælectum Evangelium, in quo concurrunt, *Miseria* & *Misericordia*. Miseria nostra in eo, quod imbecilles, miseræ & infirmæ oviculæ simus, quæ non sufficientes sumus ex nobis ipsis, 2. Cor. 3. v. 5. Misericordia Dei vero in eo, quod Filium suum dilectum Pastorem constituit, qui ipse in Evangelio ait: Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός, bonus pastor animam suam ponit pro ovibus, & quæ sequuntur.

Nos meditabimur pro instituti ratione ex Evangelio præsente

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

QUâ ex causa pii veteres Evangelium de bono Pastore hoc anni tempore explicandum ordinarint, patet ex Epistola ad Hebr. ubi Paulus inquit: Deus pacis eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, Hebr. 13. v. 20.

Quia igitur Christus tanquam bonus Pastor non modò animam suam pro ovibus posuit: sed & rursum ex mortuis resurrexit, tanquam ejusmodi Pastor, qui gregis sui, quem adeò pretiosè emit, Act. 20. v. 28. ipse curam habere, eamque tueri & sustentare velit, ut apud se vitam habeat, & abundantius habeat, Joh. 10. v. 11. utique de tempore est, & optimè quadrat, ut statim post Paschatos Festum, de amplissimis hisce beneficiis prædicetur. Hoc enim modo memores sumus, Dominum Jesum Christum resurrexisse ex mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, Rom. 4. v. ult. 2. Tim. 2. v. 8.

Querelam movet

1. *Infernalis lupus.* Hic ipse Diabolus est, qui modò sub imagine leonis, 1. Petr. 5. v. 8. modò sub imagine Draconis, Apoc. 12. v. 8. modò sub imagine venatoris, Psal. 91. v. 3. modò alio modo nobis delineatur. In prælecto Evangelio Servator ipse lupo eum confert. Quemadmodum enim lupus ovibus maximè infestus est, & die nocteque iisdem insidiatur, ut eas prehendat, & dilaniet: Ita & Diabolus omnium fide-

fidelium inimicus infensissimus est, & ubi illis incommodare potest, nullo non studio utitur. Coràm eo enim gaudet mœror, Job. 41. v. 13.

Quando lupus septa ingreditur, non modò unam atque alteram oviculam: sed omnes, nisi prohibeatur jugulat. Ita non dubium est, si Deus Dæmoni id permitteret, quin in momento nobis omnibus vitam eriperet. Ideò summa cautione opus erit.

In Italiâ lupi inveniri dicuntur, qui oculis venenatis præditi,, si hominem prius conspexerint, ei vocem intercludunt, & raucum efficiunt: quò collineavit Virgilius, canens:

- - - Vox quoque Mœris
Jam fugit ipsa, lupi Mœris videre priores.

Ejusmodi venenatus lupus Diabolus est, quem nisi providè antevertamus seriâ pœnitentiâ & devotâ precatione, facilè truculentiam suam exerit, & hic in tempore efficit, ut homo fidei naufragium faciat, & deindè rationem redditurus obmutescere in judicio Dei cogatur, Matth. 22. v. 12.

Drusus Germanicus Imperatoris Augusti privignus, plurima mala Germanis intulit, iisque tantum terrorem incussit, ut & nomen ejus exhorruerint, unde Germanicum Proverbium enatum: Daß dich die Drüse ankomme/ ut Zeilerus refert.

Verùm Diabolus hostis multò terribilior est, cum movet se, terrentur fortes, Hiob. 41. vers. 16. ideò non invitemus ipsum, ut multorum impiius mos est, sed nomen ejus exhorrescentes cum Ecclesiâ canamus:

Für dem Teuffel uns bewahr/
Halt uns bey festem Glauben/
Und auff dich laß uns bauen.

Resistite Diabolo, & fugiet à vobis, Jac. 4. v. 7. 8.

II. *Mercenariorum cœtus.* De his Servator conqueritur, inquiens: Mercenarius autem & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit.

Hoc ipso autem nomine non improbatur, si verbi Minister salarium suum respiciat, & efflagitet. Dignus siquidem est operarius mercede suâ, Luc. 10. v. 7. 1. Cor. 9. v. 11. 13. Sed mercenariorum nomine illi denotantur, qui pretio parochiam sibi coëmunt, & licet ad sanctum hoc munus idonei sint, tamen per sanctum denarium sese ingerunt, & invitis ovibus præponuntur, velut Menelaus, 2. Macc. 4. v. 24. Meritò hoc culpatur. Pascite gregem Christi, nō coactè, sed spontaneè &c. 1. Pet. 5. 2. seq.

Mercenarii quoq; sunt, qui compendii sui causa de unâ parochiâ ad aliam migrant, non habitâ ratione Auditorum suorum; licet enim non omninò improbandum sit, si quis per legitimam vocationem aliorsum abeat, ubi dona à Deo commissa melius collocare potest, ubi illud Jer. 1. v. 7. locum habet: Major tamen Ecclesiæ, quàm utilitatis propriæ ratio habenda est, cætera Deo commendari debent, ipse faciet, Psal. 37. v. 5.

Mercenarii itidem sunt, qui in Ministerio constituti medicinam, vel cauponariam exercent, vel alii turpi lucro dediti sunt, 1. Tim. 3. v. 3. vel planè in lupos degenerant, simpliciores conturbantes, Galat. 5. v. 12. per dulces sermones & assentationes,

tiones, Rom.16.v.18. dum Deum Maozim venerantur, Dan.11.v.38. & cum Babel impiè colludunt, & participes fiunt delictorum ejus, quare de plagis quoque ejus accipient, Apoc.18.v.4.

Gratias Deo agite, Dilecti! quod ejusmodi præcones vobis dederit, qui pro animabus vestris pervigilant, Hebr.13.v.17. nec visionem cordis sui loquuntur, sed sermonem Dei, Jer.23.v.16. Hominum enim os loquitur vanitatem. Psal.144.v.8. Qui verò Dei verbo confidit, nunquam confundetur. Est enim potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom.1.v.16.

III. *Dispar ovium genus.* Sic enim Servator: Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili. Per has gentiles intelliguntur, qui alienati erant à Republicâ Israel, Eph.2.v.12. vocabanturque lo ammi, Os.1.v.ult. Deus enim semen Abrahæ modò sibi in peculium elegerat, reliquæ gentes omnes erant Goim sive gentes, quæ ad hoc ovile non pertinebant, ideoque spem salutis non habebant, Eph. 2.v.12. Hæc enim vita æterna est, ut cognoscant &c. Joh.17.v.3. ex quo ex adverso consequitur, quod illi, qui Filium ejus non agnoscunt, vitam non habeant, sed ira Dei maneat super illos, Joh.3.v.36.

Ad has alias oves nos quoque antè octo vel novem secula pertinuimus, ubi Majores nostri tenebroso Gentilismo immersi, nullam veram Dei agnitionem habuerunt, sed mutaverunt gloriam ejus in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & voluctum, & quadrupedum & serpentium, Rom.1.v.23.

Verùm Deo æterno sit gratia, cœlestis Archiepiscopus, Servator noster pientissimus, gratiosè nos respexit, & à tenebroso mortis, & æternæ damnationis stabulo, eduxit, & ad gregem electarum ovicularum perduxit, ut simus genus electum, regale Sacerdotium &c. 1.Petr.2.v.ult.

Caveamus igitur peccata, nec communicemus operibus infructuosis tenebrarum, Eph.5.v.11. alias beneficium hoc deperdimus, & à grege Christi declinamus ad stabulum æternarum tenebrarum, ex quo Christus nos redemit: Qui enim facit peccatum, ex Diabolo est, 1.Joh.3.v.8. partemque suam cum Diabolo inveniet in stagno ardente sulphure & igne, quæ mors est secunda, Apoc.21.v.8.

Oviculas Christus requirit, non canes mordaces, qui invidiâ & rixis laborant, talem enim consuetudinem non habet Ecclesia Dei, 1.Cor.11.v.16.

Oviculas, non feles versipelles. In Christo enim Jesu veritas, Eph.4.v.21.

Oviculas, non porcos lutosos, qui loti in volutabro luti volvuntur, 2.Petr.2.v.ult. sed postquam Christi participes effecti sunt, initium substantiæ, usque ad finem firmum retinent, Hebr.3.v.14.

Oviculas, non hædos lascivientes, & fœtentes, Matth.25.v.33. & ἀτάκτως ambulantes, 2.Thess.3.v.6. secundum concupiscentiam cordis sui, non Dei verbum, Sir.5.v.2.

Oviculas, non equos & mulos, quibus non est intellectus, Psal.32.v.10. sed qui probant potiora, Phil.1.v.10. & contendunt intrare per angustam portam, Luc.13.v.24.

Luceat igitur lux vestra coram hominibus, Matth.5.v.16. Non enim omnes qui dicunt Domine Domine &c. Matt.7.v.21.

De Secundo.

SEquitur *Medela triplex*, quæ fluit 1. *Ex boni Pastoris encomio*, qualem seipsum Servator appellitat.

Pastor bonus oviculas suas præcedit & ad salutaria pascua deducit: Ita Christus præcessit nos in universa vita suâ, relinquens nobis exemplum, ut insistamus vestigiis ejus, 1.Petr.2.v.21. Præcessit nos in passione sua, ubi nobis ostendit, quomodo crucem ad exemplum suum æquo animo ferre debeamus, si ipsi aliquando convivere & conregnare velimus, 2.Tim.2.v.11. Præcessit nos in Resurrectione & Adscensione sua, nec modo sepulchra nobis aperuit, sed & notas fecit vias vitæ, Psal.16. v.ult. ut sciamus ubi divertendum nobis, nimirum in domo Patris cœlestis, ubi nobis locum paravit, Johan.14.v.2. Joh.12. v.26.

Pastor bonus excubias agit pro ovibus, ne lupus irrumpat, & damnum iisdem inferat, sicut Pastores Bethlehemitici excubias excubarunt noctе, Luc.2.v.9.

Idem Christus facit. Custos enim Israëlis non dormit, neque dormitat, Psal.121. v.4. Quin & vigiles suos constituit, qui sunt verbi Præcones, ut observent gregem, in quo eos Spiritus sanctus posuit, Episcopos, Actor.20.v.28. & ne quid in fideli providentiâ hâc deficiat, Angelus quoque Domini castra metatur, in circuitu timentium Domini, Psal.34.v.8. unde sancti Vigiles vocantur, Dan.4.v.10.

Pastor bonus infirmarum quoque ovium rationem habet, nec abjicit sed curat easdem, quò reconvalescant: Ita Servator optimè novit, nos propter peccata laborare: verùm propterea nos non abjicit, sed patientiam habet cum infirmitate nostrâ, & portat dolores nostros, Esa.53.v.4. & pascit hos in judicio, Ezech.34.v.16. Matth.9.v.12.

Dic igitur cum Davide: Dominus Pastor meus, nihil mihi deerit, Psal.23.v.1. Hanc sententiam omnes nos certo modo imitari possumus.

Infirmus dicere potest: Dominus Sanator meus est, nihil mihi deerit, sed unicum modò verbum loquatur Dominus, & sanabitur anima mea, Matth.8.v.8.

Desertus & inops Lazarus dicere potest: Deus est pars mea, Psal.73.v.26. propterea nihil mihi deerit: dedisti lætitiam in corde meo, à tempore, quo frumentum & mustum eorum multiplicata sunt, Psalm. 4.v.ult.

Qui ratione peccatorum angitur, dicere potest: Dominus justitia mea est, Jer.23. v.8. ideò nihil mihi deerit, sed à plenitudine ejus accipiam gratiam pro gratia, Joh.1.v.17. Qui enim credit in eum, justus est, Rom.10.v.4.

Hoc ita per omnes classes externarum & internarum tentationum deduci potest. JEsus enim nobis est omnia in omnibus, 1.Corinth.15.vers.28. & judicia sua in providentia posuit, Judith.9.vers.5. Zach.8.v.6.

II. *Ex Redemtionis pretio.* Pono enim, inquit, animam meam pro ovibus.

Cum Tryphon fortissimum Heroëm Jonathan in urbe Ptolemaidâ astu cepisset,

set, misit Legatos ad fratrem ejus Simonem, dicens, ut mitteret sibi argenti talenta centum, & duos filios ejus obsides, & dimissurum se illum promisit. Id fecit Simon, sed Tryphon fefellit fidem, & accepto argento, Jonathanem cum filiis suis trucidari jussit, 1. Maccab. 13. vers. 16. & seqq.

Hic non aurum & argentum requisitum fuit, sed ut liberaremur, Christum vitam suam profundere oportuit. Hinc Petrus: Scitote, quod non corruptibilibus auro & argento redemti estis, 1. Petr. 1, v. 18.

Aliàs aurum & argentum in magno pretio sunt:

- - - Plurimus auro venit honos.
Auro pulsa fides: auro venalia jura
Aurum lex sequitur.

Sed coràm Deo aurum & argentum tantum non valet, ut unicum peccatum expiare, aut ex Diaboli laqueis quenquam redimere & salutem cuipiam comparare possit. Oculi enim ejus non aurum & argentum, quod jam tum ejus est, Hagg. 2. v. 9. sed fidem respiciunt, Jer, 5. v. 3. quæ Christi merito nititur.

Sicut igitur Bernhardus ait: *Ex remedii pretio morbi potest æstimari periculum:* ita nos quoque perpendamus, in quantis miseriis & animæ periculo versati fuerimus, quia Christus vitam suam pro nobis dedit, usque dum nos in libertatem asseruit. Quod hoc in nobis efficere debet, ut cautius mercari discentes, caveamus, ne aliquando peccato consentiamus, & prætermittamus præcepta Domini Dei nostri, Tob. 4. v. 6.

III. *Ex securitatis stabulo.* Id Ecclesia est, de quâ ipse in Evangelio: Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere; & vocem meam audient.

Quando oves in ovili sunt, non modò securi degunt à vehementibus nimbis, & aliis tempestatibus: sed & à lupis, ut non facilè irrumpere & damnum facere possint. Ita quidem Ecclesia non omninò à lupis pura est, Matth. 10. v. 16. inveniuntur enim in eâ lupi graves, non parentes gregi, Actor. 20. v. 29. Verùm quando ovicula pastori suo unicè adhæret, ejusque vocem audit, nullum periculum subest, licet terra loco suo moveretur, & montes in medium mare præcipitarentur &c. Deus in medio ejus, non commovebitur, Psal. 46. v. 3. seqq. & non est dubium quin semen suum Deus conservaturus sit, Psalm. 22. vers. 31. & hostes prohibiturus, ne ovile turbent, ipse enim murus igneus est in circuitu ejus, Zach. 2. v. 5. & inspectio in electis ejus est, quos non patietur sibi eripi, Sap. 3. v. 9. sed custodiet ut pupillam oculi, Psal. 17. v. 8. donec tandem transferet eos ex ovili hoc in Hierosolymam cœlestem, ubi non amplius esurient, neque sitient &c. Apocal. 7. vers. ult.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Pastorem dilige.* Eò collineat Christus, dicens: Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Per hanc notitiam, juxta indolem linguæ Grçcæ, simul exprimitur affectus & effectus paternus, ubi non modò theoreticè sed & practicè suos cognoscit.

Sicut igitur Christus oviculas suas cognoscit, h. e. diligit, alit, & defendit: Ita nostri quoque officii erit, ut noscamus eum, non modò ratione personæ, quod sit verus Deus à Patre ab æterno genitus, & verus homo, ex Mariâ virgine in tempore natus: sed & ratione officii, quod beneficia concernit, quæ nobis acquisivit, ubi nos invicem alloquamur oportet: Diligamus eum, quia prior dilexit nos, 1. Joh. 4. v. 19.

Fiat hoc

1. *Cordialiter*, super omnia, quæ in mundo sunt, juxta illud: Gar mein/oder laß seyn. Qui non mecum est, contrà me est, Luc. 11. v. 23.

Coràm Salomone apparuerunt aliquando duæ meretrices afferentes infantem vivum & mortuum. Altera enim puerum suum in somno oppresserat. Utraque vivum infantem desideravit. Salomo quò litem hanc dirimeret gladium afferri jussit, eo vivum infantem divisurus, & cuilibet partem daturus. Id verò germana mater prohibuit, & alteri infantem vivum dati voluit. Ex quo Salomo hanc genuinam pueri matrem esse, intellexit, 1. Reg. 3. v. 16. & seqq.

Id non incommodè ad Christum applicare possimus, qui animo & affectu verè paterno nos prosequitur, sicuti propterea Pater æternitatis dicitur, Esa. 9. v. 7. ideò nullos divisores tolerare vult, qui utrinque claudicant, amicitia enim hujus mundi inimicitia est Dei: quicunque voluerit ergò amicus seculi hujus esse, inimicus Dei constituetur, Jac. 4. v. 4.

2. *Totaliter.* Nihil enim à nobis ipsis habemus, sed gratiâ Dei sumus, quod sumus, 1. Cor. 15. v. 10. ideoque omnia ad Ministerium ejus adhibere, & membra nostra arma justitiæ constituere debemus, Rom. 6. v. 13. ut sanctimoniam sequamur, sine quâ nemo videbit Dominum, Hebr. 12. v. 14. 1. Joh. 5. v. 3.

3. *Finaliter.* Ne tempore necessitatis à Christo nos subducamus, sed in prosperis & adversis, vitâ & morte cum eo perseveremus.

Uxor Lothi exivit quidem Sodomis, erepta ex exitioso igne, & pluviâ sulphureâ. Sed quid profuit ipsi? Nihil omninò. E desiderio enim terrenorum, contrà interdictum Dei respiciens, in statuam salis mutata est, Gen. 19. v. 26.

Cave, ne & tu respicias! Danielem lacus leonum, Dan. 6. v. 23. tres viros socios ejus fornax ardens, Dan. 3. v. 22. Tobiam cæcitas & pauperies, Tob. 2. v. 13. Jobum malorum sentina, Job. 2. v. 20. Apostolos flagella & minæ Pontificum à dilectione Dei avertere non potuerunt, Act. 5. v. 41. hæc exempla tu quoque imitare, & mane Servatori tuo fidelis usque ad mortem, & dabit tibi coronam vitæ, Apoc. 2. v. 11. teque ceu oviculam suam carissimam à dextris sistet, ubi audies vocem amabilem: Venite benedicti, Patris mei, Matth. 25. v. 34.

Diligamus igitur Christum Pastorem nostrum, & vicissim ille diliget nos, tantaq; fide

fide prosequetur, ut non destituamur omni bono, Psal. 34.

Alias ita affecti sumus, ut vitam nostram super omnia amemus, juxta illud, Iob. 2. v. 4. verum dilectio Christi & fiducia in misericordia ejus super vitas melior est, Psal. 63. v. 4. ipse enim resurrectio est & vita, Ioh. 11. v. 26. & promisit, quod omnes, qui credunt in se, non perituri, sed habituri sint vitam æternam, Ioh. 3. v. 15. Firmiter itaque adhærescamus ei, vita enim temporalis abrumpitur demum ut filium textoris, Esa. 38, 12. verum ubi pervenerimus in vitam æternam, nunquam moriemur, Ioh. 11. v. 16. sed cum Christo semper erimus, 1. Thess. 4. v. ult.

Artibus & scientiis delectamur: Arte enim periti ubivis terrarum honorantur iisque dicitur: Amice ascende, Luc. 14. v. 10. confer Iac. 2. v. 3. Verum Christum diligere, supereminens scientia est, Eph. 3. v. 19. est enim Doctor eruditæ linguæ, Esa. 59. vers. 19. à quo habemus artem orandi, Matth. 6. v. 10. artem patiendi, 1. Petr. 2. v. 21. artem moriendi, Luc. 23. v. 46. in ipso enim omnes sapientiæ & scientiæ thesauri absconditi, Col. 2. v. 3. ideo multo magis eum diligere convenit. Ars enim & sapientia à morte non præservat, secus enim Regum omnium quot fuerint, quotque futuri sunt, sapientissimus non mortuus esset, 1. Reg. 3. v. 12. sed qui sermonem Christi servaverit, mortem non videbit in æternum, Ioh. 8. v. 51.

Nos aurum & argentum, & quæ plura in mundo magni fiunt, diligimus: Verum Christum diligere optima possessio est, hinc Assaph: Quid enim mihi est in cœlo. Ps. 73, 25.

II. *Oves sequere.* In prælecta Pericope audimus, quod oviculæ Christi nobis describantur

Primo, quod seipsas agnoscant, quod sint sicut oves errantes, quæ perierunt, Ps. 119. v. ult. quod mortuæ sint in peccatis, Eph. 2, 1. quod sub potestate tenebrarum sint, Col. 1, 13. Quia enim ovis animal simplicissimum & infirmissimum est, ideo sub imagine ejus Christus intimam naturæ nostræ corruptionem adumbrare voluit, ut eam penitius inspiciamus, & cognoscamus, qui alias inani imaginatione decipimur, tanquam generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis, Prov. 30, 12. sicut Pharisæus ille, Luc. 18, 11. cum tamen soli Christo omnis gloria debeatur, qui nos sanguine mundavit suo, unde recte facimus, si cum Davide dicamus: Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum Ps. 119. v. ult.

Deinde quoque recordari debent, quales Dei gratia sint, nempe bonum pretiose acquisitum, quod Christus redemit, non auro & argento corruptibili: sed sanguine suo pretioso, 1. Petr. 1, 19. Act. 28. ideoque illud porro conservabit sibi, ut nemo de manu sua rapere illud possit, Ioh. 10, 29.

Tertio, oviculatum Christi est, ut vocem Pastoris sui audiant, qui enim semel gustavit, quam suavis est Dominus, Ps. 34, 9. is falsa doctrina non inescari se sinit, sed manet in pascuis salutiferis beatificæ veritatis, & subjicit se regimini Servatoris sui, licet ratione sapientiam ejus, cujus non est numerus, capere nequeat. Psal. 147. vers. 5. mirificat enim Sanctos suos, Psal. 4, vers. 4. & tamen sapientia & veritate sua omnia ita moderatur, ut DEUM diligentibus omnia

nia in bonum cooperentur. Rom.8.v.28.

Quartò, oviculæ Christi in ovili maneant necesse est, ne velut hædi petulci septa transsiliant, & luporum prædæ exponantur. Impossibile enim est, eos qui semel illuminati sunt, Hebr.6,6.2.Petr.2,20.

Quintò, oviculæ Christi puræ sint oportet, ut abnegent impietatem & secularia desideria. Tit.2,12. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt, Matt.5.8.

Requirit Christus oviculas pacificas & patientes, ne vincantur à malo, sed vincant in bono malum, Rom.12. v. ult. compatiantur Christo, ut glorificentur, Rom.8,17.

Requirit oviculas subinde balantes & clamantes, h.e. sine intermissione & ferventer orantes, juxta illud: Invoca me, in die tribulationis, Ps.50,15.

Requirit oviculas ruminantes, h.e. ea, quæ in concionibus audiverunt revolventes, & domi filiis acuentes, Deut.6,7.

Id si præstiterimus, de fide ejus & providentia fideli minime dubitandum nobis erit, deducit enim velut ovem Joseph, Psal. 80,2. oculi ejus aperti sunt, super omnes vias filiorum hominum, Jer.32,19. & sicut pusillum & magnum ille fecit, ita æqualiter cura est illi de omnibus. Sap.6,8.

III. *Unitatem Ecclesiæ amplectere.* Hîc audimus Christum dicentem: fiet unum ovile, & unus Pastor, eoq; certam nobis notã suppeditat, ex qua veram suam Ecclesiam in his terris optime dignoscere queamus.

1. *Respectu unici Regis*, qui Christus ipse est, de quo Ezechiel prædixit: Erit unus omnium Pastor. c.37,29.

Recte proinde facimus quod ei soli adhærescamus. Est enim unus Mediator DEI & hominum, 1.Tim.2. vers.5. Nec in alio quoquam salus est, Actor.4. vers.12.

2. *Respectu unici gregis.* Christus enim medium parietem maceriæ solvens, utraq; (Judæos & Gentiles) fecit unum, Eph.2, 14. ut jam unanimes uno ore glorificent Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi, Rom,15,6. superædificati sunt super unum fundamentum, nimirum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Jesu Christo, Eph.2,19. Habent unum baptisma, Eph.4,6. unum Spiritum, à quo tanquam membra illi reguntur, 1. Cor.12,6. unam metam sibi præfixam, ad quam currant, quæ salus est animarum, 1. Petr.1,9. eadem media, quibus eò perducuntur, verbum & Sacramenta, Rom.10, 18. habent idem præmium sibi paratum, quamvis gradus distincti sint. Alia claritas Solis, alia claritas lunæ, 1. Cor.15,41. Interea omnes unam societatem habebunt cum Patre & Filio, in uno cœlorum Regno, 1. Joh.1,3. & satiabuntur, cum excitati fuerint imagine ejus, Ps.17,15.

Ceremoniæ quidem, ut Pontificii nobis objiciunt, in omnibus Ecclesiis nostris non omnio eadem sunt: Verum Dissonantia jejunii, non rumpit consonantiam fidei. Sufficit quod in doctrina & fide consensus sit, per hanc enim uni Pastori nostro adhærescimus, ut sic unus Pastor & unum ovile maneat. Quod si huic fundamento constanter innitamur, portæ inferorum non prævalebunt adversum nos, Matth.16. v.18.

Adjuvet id nos Deus per & propter Christum, Amen.

DOMINICA JUBILATE.

Evangelium, Joh. 16. v. 16. - 23.

EXORDIUM.

SIcut olim Rex Saul à Spiritu malo, qui est Spiritus mœroris, angore animi exagitatus fuit, idque ob maleferiatam conscientiam: Ita ex adverso David, præ animi voluptate gavisus, Cythara lusit, gaudebat enim in variis suis ærumnis conscientia bonæ voluntatis, quæ juge est convivium, Prov. 15. vers. 15.

In prælecta Pericope Servator Regni sui consortibus varias tribulationes & persecutiones annunciat, quas in mundo immundo præ se habituri sint, attamen vicissim consolatur eos, ne animis cadant, sed Davidis Cythara arrepta, Spiritu ferventes, spe gaudentes, & in tribulatione patientes semper sint, Rom. 12. v. 12. ait enim ille ad Discipulos: Vos nunc quidem tristitiam habetis. Verum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Hinc pii Veteres hodiernam Dominicam suavi nomine insigniverunt, dum eam Dominicam *Jubilate* appellarunt, ex Psal. 66. v. 2. Jubilate Deo omnis terra, Psalmum dicite nomini ejus. Quamvis enim tribulationes & calamitates piis non desint, siquidem Evangelium verbum crucis est, 1. Cor. 1. v. 18. attamen animus bene conscius optimum eorum est solatium, & quia non patiuntur, quasi homicidæ, aut fures aut malefici, sed ut Christiani, non habent quod erubescant, 1. Petr. 4. vers. 15. sed lætantur potius, quod digni habeantur pro nomine Jesu contumeliam pati, Act. 5. v. 41.

Impii vero, qui mundo serviunt, & in concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ gaudium & delitias quærunt, ut dives epulo, Luc. 16. v. 19. destituuntur verò interna pace, & conscientiæ furiis die noctéque agitantur: exterius coram hominibus, utut lætitiam ostentent, & Jubilate cantent: attamen tristem tandem sortiuntur exitum: Ubi enim mensuram suam peccatis repleverint, & risu mundano ætatem suam transegerint: tandem fletus & stridor dentium sequetur, quod sentient in æternum, Matth. 22. vers. 14.

Quo hoc ipsum melius discamus, ad prælectam Pericopen accedemus, visuri

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

QUemadmodum stellæ in firmamento, non interdiu, sed noctu visuntur: Ita & internus Christiani ornatus non tam

tam in prosperis, quam in adversis perspicitur: Tribulatio enim patientiam operatur, Rom.5.v.3.

Propterea Servator ad discipulos suos multas præclaras Conciones de cruce habuit, ex quibus prælectum Evangelium non ultimum, quod ad nostram doctrinam scriptum est, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, Rom.15,4. & compatiamur Christo, ut & conglorificemur, Rom.8.v.17.

Querela respicit

I. *Triste modicum*, quod tamen non est modicum, sed sæpe diuturnum, ut pii subinde animis fere cadant, lamentantes cum Habacuc: Usquequo Domine clamabo, & non exaudies? Hab.1.v.1. Imprimis quando dulcissimus Servator faciem abscondere, & lapidibus quadris concludere vias nostras videtur, ut oratio penetrare nequeat, Thren. 3. v.9. Qualem mulieri Cananææ se exhibuit, Matth.15.vers.22. hinc Querelæ: Tribulationes cordis mei dilatatæ, Psal.25. vers.17. factus sum, sicut homo, sine adjutorio, Psal. 88.v.5. suspendium, suspendium, Job.7.15.

Ejusmodi tentatio hodie non infrequens est. Vivimus enim in mundo, de quo Christus ait: in mundo pressuram habebitis, Joh.16. v. ult. Et est mare calamitatum, in quo animæ & vitæ nostræ navicula à procellis tribulationum & persecutionum agitatur, ut modo usque ad cœlos adscendamus, modo descendamus usque ad abyssos, & anima nostra in malis tabescat, Psal.107.v.23. Est vallis lachrymarum, in qua fontes lachrymarum efficere cogimur, Psal.84.v.7. est domus luctus, Eccl.7. v.3. habitaculum mœroris, Mich.1, v.10. est nosocomium, quod undiquaque infirmis repletum est.

Verum immane quantum est inter pios & impios. Respectu piorum enim ejusmodi tentatio nihil aliud est, quàm examen fidei, quod Deus cum illis instituit, ut videat, an constantes esse velint: Sicut in Academiis moris est, ut nemo in Doctorem creetur, nisi antea examina diversa subierit, & sustinuerit, hinc Siracides: Qui non est expertus, pauca recognoscit, Sir. 34.v.10.

Deinde quoque respectu piorum sæpe magnam pusillanimitatem efficit tentatio. Acres enim opponentes habent. Deus mutatur ipsis in crudelem, Job.30. v.21. Diabolus tela sua habet ignita, quibus corda ejusmodi afflicta petit, Eph.6.v.16. & licet dictum aliquod consolatorium arripiant, attamen ipsis tot objectiones movet, ut cogitent, nihil id ad se pertinere, esse se gratia divina indignos, unde sæpe dubitant de promissionibus divinis, præcipue vero quando crux diutius durat, & hora auxilii, ultra expectationem differtur. Verum interea Deus manu sua robusta eos sustentat, ne plane collabascant: sed quando eos satis probavit in fornace miseriæ, extrahit, & quasi hostiam Holocausti accipit eos, Sap. 3.v.6.

Longe aliter cum illis se res habet, qui peccato illudunt, Prov.14.v.9. & incessabilis delicti sunt, 2. Petr. 2. v.14. quorum profanæ sunt viæ omni tempore, alta sunt judicia Dei coram ipsis, Psal.10. v.5. quando illi in afflictiones & tentationes incidunt, & Deus faciem suam abscondit, indicium est, quod defessus sit misereri, Jer. 15.v.7. & quia ante, ubi ipsis pœnitentiam & re-

& remissionem peccatorum annunciari sivit, venire renuerunt: Ille vicissim manum suam retrahit, ut in desperatione pereant, & absumantur à terrore, Psal.73. v.19.

Quodsi igitur benevolum in cœlis Patrem habere & retinere velitis, non pigeat vos, quando modicum nunc, si oportet, contristamini in variis tentationibus, 1. Petr.1.v.6. Dominus fidelis & justus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, 1.Corinth.10. vers.13. Quoniam momentum in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus. Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinum jubilatio, Psal.30.v.6. Verum cavete, ne obduretis corda vestra, sicut in Meriba, secundum diem tentationis in deserto, Psal.95.v.8. & adhuc hodie fit omnibus illis, qui castigationem respuunt, dicentes: Manda remanda, manda, remanda, Esa. 28. v.10. sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, Jer.44. v. 16. ideo vicissim malis immersi auxilium expectent oportet, & quidem frustra, ut in Antiocho exemplum habemus, 2. Maccab. 9.v.12. Prov.1.v.24.

II. *Piorum Martyrium*, de quo Dominus: Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: & explicat eleganti similitudine à parturiente desumta. Quemadmodum enim Deus propter peccatum puerperis tantos dolores imposuit, ut sæpe mater cum fœtu exspiret. Ita nos quoque sæpe in tantas angustias, atque angores conjicimur, ut auxilii inopes ignoremus, quid agere debeamus, uti Josaphat, 2. Chron. 20.v.12. gementes quasi parturiens, Mich. 4.v.10.

In Papatu Monachi sibiipsis crucem fabricant, dum corpus flagellant, aliisque modis affligũt. Verum exprobrabitur ipsis aliquando: Quis requisivit hæc à manibus vestris? Esa.1.v.12. Crux piis non accersenda est, sed sua sponte venit. Satanas siquidem indefesse expetit, ut cribret nos sicut triticum, Luc.22.v.31. hinc sæpe angustiæ inferni inveniunt nos, Psal.116.v.3. ut manum super lumbum ponamus quasi parturiens, Jer.30. v.6. & castigatio nostra in matutinis, Psal.73.v.19.

Hoc nobis curandum est, ut crucem patienter suscipiamus, idque unice à Deo petendum. Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem, Hebr.10.v.36.

III. *Mundi gaudium*. Mundus enim gaudebit, ait Servator. Id adhuc hodie experientia probat: Quando enim pii lugent, impii contra florent, juxta adagium: Je ärger Strick / je besser Glück. Quod ipsum sanctos Dei homines non parum offendit. Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui prævaricantur & inique agunt? quærit Jeremias, cap.12.v.1. Vide Job.21.v.6. seqq. Psal.73.v.4. seqq. Hab.1. v.3. & passim. Verum quando sanctuarium Dei intramus, & novissima eorum intelligimus, clausula sequitur luctuosissima. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat, Prov.14.vers.13. Ut exemplum divitis Epulonis satis probat, Luc.16.v.23.

Jam peccata cum voluptate patrant, & in malitiis suis gloriantur, Jerem. 11. vers.15.

Verum in fine videbitur cujus roni. Gloria enim, & honor & incorruptio quærentibus, secundum patientiam boni operis, vitam æternam: his autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, ira & indignatio. Rom. 2. v. 7.

Deus noster hunc processum cum fidelibus suis instituit, ut afflictionem præmittat, gaudium sequatur. Nemo enim coronatur, nisi legitime certaverit, 2. Tim. 2. vers. 5. & per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei, Actor. 14. vers. 22.

Diabolus vero vice versa sibi servientibus, honores, divitias & gloriam pollicetur, quibus & fruuntur, sicut de Sodomitis dicitur: saturitas panis & felicitas tranquillitatis, Ezech. 26. vers. 49. Verum quando mundo valedicunt, locum habet: Habent mercedem suam, Matth. 6. v. 2. abeunt enim ad progeniem Patrum suorum, & usque in æternum non vident lucem, Psal. 49. v. 20.

Quod si tibi tuæ semitæ ostenderentur, quarum altera per pratum floridum duceret ad patibulum: altera per montem declivem ad regiam arcem; quam quæso eligeres? Nonne laboriosam ad arcem? Sic satius omnino est, hic cum Sanctis Dei affligi, quam cum mundo lætari: illud excipit æterna lætitia, hoc sempiterna miseria.

Sicut enim is, qui montem conscendit, deinde quiete fruitur, & lætatur: Sic & nos si cum Christo montem crucis superaverimus, requiescemus ab omnibus laboribus nostris, Apoc. 14. v. 13. & in regia Christi arce, de adspectu Dei lætabimur in æternum, Psal. 17. v. ult.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ oritur

1. *Ex crucis descriptione*, quæ fidelibus in hoc mundo obvenit,

1. *Ratione durationis*. Christus enim vocat modicum, quod & revera est. Licet enim nonnunquam longiusculum videatur nobis, si non dicam ad menses, sed ad annos aliquot se extendat: attamen hoc nihil derogat. Ante Dei enim oculos mille anni sunt, tanquam dies hesterna, quæ præteriit, & custodia in nocte, Psal. 90. v. 5. Nulla quoque inter Passionem temporalem, & æternam gloriam est proportio. Numerus enim dierum hominum, ut multum centum anni, quasi guttæ aquæ maris deputati sunt, & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi, Sir. 18. vers. 9.

Servivit Jacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine, Gen. 29. v. 20.

Sic & nos Domino fideliter serviamus in functione nostra, crucem æquo animo juxta sustineantes, quò formosa Rachel potiamur, nempe vita æterna, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo, Tob. 2. v. 18. Non enim sunt Passiones hujus mundi condignæ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Rom. 8. v. 18.

2. *Ratione operationis*. Quando Diabolus & mundus Christum devorare & exstirpare satagunt, vel inviti abitum ejus ad Patrem promovent: Sic & tribulatio salutem nostram promovet. Occideris me, beaveris me, inquit Polycarpus.

Mori

Mori enim Christianorum lucrum est, Phil.1.vers.21.

2. *Ratione Compensationis.* Sicuti enim mulier parturiens non perpetuos dolores patitur, sed & refrigerium suum habet, & cum peperit puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum: Ita Ecclesia in his terris est veluti mulier parturiens, Apoc.12. v.1. & hora ejus quotidie venit, ut nihil nisi pericula & præsentissimam mortem ante oculos habeat, præcipue in ultimis his temporibus, ubi Diabolus vehementer furit, quia scit, quod modicum tempus habet, Apoc.12. v.12. Verum hoc solatio & gaudio ipsa fruitur, quod dolore & lamentatione ejus, quotidie novi homines subinde nascantur, qui quidem & ipsi in lachrymis seminant, sed portant pretiosa semina, & aliquando cum exultatione venientes venient, portantes manipulos suos, Ps.125.v.ult.

II. *Ex Christi prædictione.* Repetitò enim Christus asseverat, Amen, Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos. Hinc apparet, quod nihil fortuito nobis obvenire possit: sed ut Christus caput est Ecclesiæ suæ, Eph.4.v.16. ita oculi ejus prævident, & lingua ejus prædicit, quod absque voluntate ejus, minimus capillus capitis lædi nobis non possit, Matth.10.v.30. Neque enim in Diaboli vel Tyrannorum potestate est, ut nos affligant, vel occidant. Christus est Dominus crucis, qui omnia pro libitu suo dirigit. Ipse vocat crucem. 2. Reg.8.v.1. immittit, 2.Sam.24. v.15. quin & funiculum tendit, & quasi demetitur, quousque extendere se debeat, Thren.2.v. 8. Quia non in sempiternum repellet Dominus, etiamsi affligit: & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. Non enim excruciat homines ex corde suo, Thren.3.v.31. sed quod agit, bono eorum agit, ut hoc modo à peccatis desinant, 1.Petr.4.v.2. ad orationem excitentur, Esa.26.v.20. & ad salutem promoveantur, 1.Cor.11.v.19.

III. *Ex certâ evictione:* quod non semper cruce gravari, sed & eluctari rursus, & gaudio affici debeant. Eò spectat: Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à nobis.

Hæc beata illa Metamorphosis, quo crucem nostram aliquando excipiet, de quo nil dubitemus, Dominus enim dixit, quem impossibile est mentiri, Hebr. 6. vers.18.

Cum Josua Israëlitas in Palæstinam duceret, gaudio propterea superfundebatur, prædicabatque coram omni populo, quod Dominus verbum suum implevisset, dicens: Ne unum quidem verbum, quod illis præstitutum se esse Dominus promisit, irritum fuit: sed rebus expleta sunt omnia, Jos.21.v.45.

Quando nos aliquando superatis hujus vitæ miseriis, coram facie Dei in cœlo apparebimus, multo magis causam habebimus veritatem ejus deprædicandi, dicentes cum Regina Arabiæ: Vincit præsentia famum, 1.Reg.10.v.7.

Huc igitur oculos nostros convertamus, nec moleste feramus, si in hoc mundo tribulatio nobis obveniat, certandum est, pugnandum est; Corona justitiæ, 2.Tim.4.vers.8. Corona vitæ, A-

poc.2.v.11.immarcessibilis corona gloriæ', 1.Petr.5.v.4.certissime exantlato certamine, sequetur.

De Tertio.

SEquitur *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Crucem patienter tolera.* Omnes enim qui pie vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2.Tim.3.v.12. Et veluti Israëlitæ, cum mare rubrum transgressi essent, non statim Palæstinam ingrediebantur: sed ante in deserto errabant. Ubi famem & sitim sustinere, & cum truculentis hostibus decertare cogebantur, Exod.15.& seqq cap. Idem nobis accidit, quando per mare rubrum baptismi transivimus, ubi non statim in cœlestem Palæstinam pertingimus, sed ante in eremo hujus mundi multa adversa sustinere, & cum Diabolo mundo & carne certare tenemur, dum in requiem veniamus, & coronam justitiæ, quæ omnibus bonis athletis reposita est, consequamur, 2.Tim.4.v.8.

Hîc audimus Christum ad discipulos loquentem: κλαύσετε καὶ θρηνήσετε. Hoc universale est prognosticum, quod in omnibus piis impletur: primam vocem emittimus plorantes, Sap.7.v.4. & licet quandoque Deus nobis risum faciat, Gen.21.v.6.attamen, rara hora brevis mora. Sumus hîc in valle lachrymarum, ubi pane lachrymarum cibamur, & sæpe lachrymis copiose potamur, Psal.80.v.6. Optimum ergo est, ut idem patienter feramus, juxta illud Sir.2.v.1.5.

In pluvia iter facienti, non mirum videri debet, si humescat. Sic vita nostra peregrinatio est, Gen.27.v.9. ideo non semper Solis amabili vultu frui possumus, sed quandoque imbres & nimbos sustinere cogimur. Sicut vero viator hâc spe alitur, eum, qui se humectavit, vicissim se siccaturum: Sic & nos cogitemus, eum qui nobis onus imposuit, nos quoque rursus exoneraturum esse, Ps.68.v.20. Tob.3. vers.22.

In bello militantibus, non ægre ferendum, si à globulis & sagittis undiquaque impetantur: Vita nostra nihil aliud, quam militia est, ubi cum Diabolo, mundo & carne nobis pugnandum, qui certatim sagittas suas in nos detorquent, ut rectè cum Paulo dicamus: intus pavores, foris pugnæ, 2.Cor.7.v.5. Id nos non perturbet, sed excipiamus sagittas illas in patientia, & scuto fidei eas exstinguamus, quo omnibus perfectis palmam obtineamus, Eph.6. vers.13.

Qui Christi discipulus & Regni socius esse cupit, colorem ejus non aversari, sed stigmata ejus in corpore suo portare debet, Gal.6. vers.16. & tandem corpori claritatis ejus configurabitur, Philip.3. vers.ult.

Id omnes Sancti ab exordio mundi experti sunt, nemo exemtus fuit, ideo facile ratiocinari possumus, quod non meliores simus, quam patres nostri, 1.Reg.15.v.5. & propterea demensum nostrum etiam habituri, Act.9.v.16.

- - Sic itur ad astra.

Nam fidelis sermo: si commortui fuerimus, & convivemus, &c.2.Tim.2. v.11.12.

II. *Verba Christi pondera.* Exemplo sint Apo-

Apostoli, qui verba Christi studiose ponderant: Aliqui totum sermonem examinant, aliqui verò in verbo modicum momentum versari putant, tandem pòst assiduam trutinationem ruditatem suam profitentur, dicentes: Nescimus, quid loquitur. Interim diligentia probanda est, quod concionem Christi auscultaverint, & de vero sensu percipiendo laboraverint.

Quando Israelitæ Deo sacrificium offerre volebant, de pecoribus, quæ ruminabant, & divisam ungulam habebant, fieri id oportuit, cætera sacrificare iis integrum non fuit, Levit. 11. v. 3. seqq.

Nos Christiani omnes spirituales Israelitæ sumus, & quando ex debito nostro agere volumus, quotidiè Deo sacrificia spiritualia offerre tenemur; quæ quidem diversa sunt, sicut in V. Test. diversa erant.

1. *Holocausta*: ut ignem amoris ergà Deum & proximum in arâ cordis nostri semper alamus, ne unquam ille extinguatur. Fides enim per caritatem efficax est, Gal. 5. v. 6. ubi igitur caritas deficit, fides ipsa deficit: ubi verò fides non est, non poterimus Deo placere, Hebr. 11, v. 6.

2. *Odorifera*: ut thus orationis manè & vesperi Deo in odorem suavitatis adoleamus, id quod ipse mandavit: Invoca me in die tribulationis, Psal. 50. v. 15.

3. *Retributoria*. Coronat enim nos quasi scuto bonitatis suæ, Psal. 5. v. 13. ideò æquum est ut id agnoscamus, & ad declarandum gratum nostrum animum, ipsi reddamus vitulos labiorum nostrorum, Os. 14. v. 3. id placebit ei super juvencum, cornua producentem & ungulas, Psal. 69. v. 33. Ps. 50. v. 23.

4. *Levanda*. Ut de substantiâ nostrâ cum paupercula illâ vidua, quicquam in Gazophylacium mittamus, Luc. 21. v. 2. & pauperibus distribuamus. Talibus enim hostiis placetur Deo, Hebr. 13. v. 16.

5. *Hostia integra*. Ut juxtà admonitionem Apostoli exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, Rom. 12. v. 2. hoc fiet, si de pecoribus mundis sacrificia nostra exhibeamus, ita ut abjiciamus omnem immunditiem, & abundantiam malitiæ, Jac. 1. v. 21. & 26.

Israelitæ de pecoribus ruminantibus, & divisam ungulam habentibus Deo sacrificare tenebantur. Sic & Christiani veri divisam ungulam habeant, h. e. bonum de malo, lucem de tenebris, & mendacium de veritate discernere discant, probent Spiritus si ex Deo sint, 1. Joh. 4. v. 1. sciant, quomodo unicuique responderi oporteat, Col. 4, 6. spiritualibus spiritualia comparent, 1. Cor. 2. v. 13.

Deindè quoque abundantius observent ea, quæ audiverunt, ne fortè verbum præterfluat, Hebr. 2. 1. Auditor verbi similis debet esse animalibus, quæ ab hoc, quia ruminant, pura esse dicuntur, ut non sit piger de his cogitare, quæ in alto corde accepit, ait Augustinus. Beati, qui verbum Dei audiunt, & custodiunt, Luc. 11. v. 28.

Quod si factum fuerit, non sine fructu verbum erit, juxtà illud Esa. 55. v. 10.

III. *Æterna gaudia desidera*. Eò respicit Christus dicens discipulis suis: Vos contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

Id & nos si afflictio ingruat, observemus oportet. Quemadmodum enim eum, qui cœcutit, oculos suos avertere oportet ab eo, quod ipsi nociferum est, & colore viridi se oblectare convenit: Ita etiam non dolores, sed cum Mose remunerationem adspiciamus, Hebr. 11. v. 26. reminiscentes, quod momentanea levitas tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operetur in nobis, 2. Cor. 4. 17.

In hâc vita multi lætitiam simulant, qui tamen sub corde dolorem premunt, quod Mardochai in gloria suâ fecisse, probabile est, Esth. 6. v. 11.

Ita gaudium in vita æterna non erit, sed ex corde proficiscetur, in cor reflectetur, & in omnia membra se diffundet. Iccircò Christus hîc ait: Gaudebit cor vestrum: aut, ut alibi Scriptura loquitur: Anima vestra delectabitur in pinguedine, Esa. 55. v. 2. Cor vestrum, & caro vestra exultabit ad Deum vivum, Psal. 83. v. 3.

Cordis gaudium superat omne gaudium: sicut etiam cordis dolor superat omnem dolorem. Cor enim, quod novit amaritudinem animæ suæ, non delectabitur in extraneo gaudio, Prov. 14. v. 10. Jam verò in vitâ æterna complebuntur dies luctus nostri, Esa. 60. & verum cordis gaudium inchoabitur, ubi oculi jucundo SS. Trinitatis adspectu, aures concentu Angelorum, labia colloquio Electorum exhilarabuntur, ibi in nomine ejus exultabimus tota die, Psal. 89. v. 13.

In hac vitâ, juxtà Poetam:

- - - Miscentur tristia lætis.

Sæpè convivia fiunt homicidia, vide 2. Sam. 13. v. 28. & nuptiæ tristitiæ, 1. Macc. 9. v. 37. seqq. Quin adhuc hodiè malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ, Sir. 11. v. 29. Verum in vita æternâ omnis luctus noster in gaudium vertetur, ut non moveamur vehementer, Psal. 62. v. 3. Non audietur ultrà violentia, Esa. 60. v. 18. non videbimus malum, sed sedebimus in habitatione pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie securitatis, Esa. 32. v. 18.

In hâc vita nullum gaudium stabile est, ideò vult Paulus, ut qui mundo hoc utuntur, sint, tanquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi, 1. Corinth. 7. v. 31.

Sed gaudium vitæ æternæ non auferetur à nobis, erit enim ibi abundantia gaudiorum & delectationes in æternum, Psal. 16. v. ult.

Eò respicite, Dilecti, quando in hoc mundo miseriis subjecti estis, tanquam avicula solitaria in tecto, Psal. 102. v. 8. omnium peripsema, 1. Corinth. 4. v. 13. Misera, tempestate convulsa, absque omni consolatione, Esa. 54. v. 11. Este bono animo, tempus refrigerii non procul abest, Actor. 3. v. 20. ibi, qui in lacrymis seminarunt, cum jubilatione metent, Psal. 126. v. 5.

Hinc Ecclesia:

At multa vos post tristia,
Æterna agetis gaudia,
Hoc unicè spectandum:
Non ullus est mortalium,
Qui ponderabit prœmium
Vobis quod expectandum.
Amen.

DOMI-

DOMINICA CANTATE.

Evangelium Joh. 16. v. 15.

EXORDIUM.

CUm David immanem illum Philistæum Goliath prostravisset, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum ejus in tympanis cum lætitiâ & in sistris. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia, 1.Sam.18.v.7.

Christus Filius Davidis, Servator noster pientissimus, etiam heroicum facinus exantlavit, quando infernalem Goliath superavit. Sicut enim traditus est propter peccata nostra: ita resurrexit propter justitiam nostram, Rom. 4. v. ult. & dissolvit opera Diaboli, 1.Joh. 3. v. 8. exspolians Principatus, & potestates, traduxit confidenter palàm, triumphans illos in seipso, Col.2. v. 15. Iccircò officii nostri erit, ut cantantes, chorosque ducentes obviemus ei, dicentes: Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes, Psal. 126. v. 3. Magnum enim beneficium, magnam meretur gratiarum actionem. Sacrifica Deo laudem: & redde Altissimo vota tua; sacrificans laudem honorabit me, Psal. 50. v. 14. ult.

Præcipuè hoc tempore, quo Deus renovat faciem terræ, Psal. 104. v. 30. & egrediens manè & vesperi lætificat, Psal. 65. v. 7. Unde dies Dominicales inter Pascha & Pentecosten meris lætis nominibus insigniuntur, quibus ad *Jubilate* & *Cantate* excitamur. Maximè ansam nobis præbet hodiernum Evangelium, in quo Servator de abitu suo ad Patrem concionatur dicens: Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos &c.

Nos iterum ex præsenti Evangelio videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

ADam primus noster parens ex curiositate manum suam ad arborem vetitam extendit, ejusque fructus degustavit: sed propterea Paradiso ejectus, & in exilium pulsus est, Genes. 3. v. 6.

Quod igitur primus Adam inobedientia suâ deperdidit: id alter Adam obedientia suâ restituit, dum ad locum Calvariæ abiit, & per abitum illum doloriferum nobis omnibus lætum introitum in Paradisum cœlestem aperuit, Rom. 5. v. 2.

Que-

Querela respicit

I. *Mundi incuriam.* Ideam habemus in Apostolis, quos Servator propterea reprehendit, inquiens: Nunc autem vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?

Apostoli adhuc in præconcepta illa opinione hærebant, Christum terrenum Regnum inchoaturum, eosque ad amplissimas dignitates evecturum esse, ideò non credere poterant, quando de abitu ad Patrem sermonem serebat, eo mortem adeò dolorosam denotari; sed extrà Judæam eum iter suscepturum autumabant. Sicut de Simone Petro legimus, quod Dominum interrogarit: Quo vadis? cui cum Jesus responderet: Quò ego vado, non potes me modò sequi: Replicat Petrus: Quare non possum te sequi modò? Animam meam pro te ponam, Joh.13. v.36. quod ipsum & Thomam fecisse, legimus, Joh.14. v.5. De ejusmodi autem interrogatione hic sermo Christo non est, sed de fructu & utilitate abitus sui discipulos solicitos esse voluit. Non voluit interrogari de loco, ad quem ibat, vel de personâ, ad quam pergebat, quam expressè Patrem esse dicebat, sed de causa seu instituto propter quod ibat, ac de gloriâ, in quam per hunc abitum intraturus erat, ait Euthymius. Hoc verò minus fecerunt Apostoli, sed potius corporali ejus præsentiæ intenti, contristabantur, quando de abitu suo Dominum loqui audiebant.

Talis socordia & negligentia adhuc hodiè valdè familiaris est. Plerique enim terrena sapiunt, Phil.3. v.19. & non intelligunt, quæ ad pacem suam faciunt, Luc.19. v.42. sunt sicut equus & mulus, Psal.32. v.10.

Quis concionibus pœnitentialibus locum relinquit, dicens: Quid feci? Jer.8. v.6. Quis ad pœnas Dei resipiscit? Equidem super contritione quilibet clamat, Jer. 30. v.15. Verùm causam nemo removere vult, ut cogitaret, non fortuitò ita fieri, sed castigari se ob malitiam suam, Jer.2. v.19.

Veri Christiani locum relinquant dehortationibus, operantes salutem suam cum timore & tremore, Phil.2. v.12. Hæc dicit Dominus: state super vias, Jer.6. v.16.

Hoc si fecerimus, non frustrà quæremus, sed Dominus respondebit nobis: Ecce, adsum, Esa.58. v.9. docebit nos utilia, Esa.48. v.17. Instituet nos in viâ, quam elegit, Psal.25. v.12. Quin & eò nos tandem deducet, ubi non docebit ultrà vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: Omnes enim cognoscent me, à minimo usque ad maximum, Jer.31. v.34.

II. *Taxandorum materiam.* Hinc Servator: Spiritus sanctus arguet mundum, de peccato, & de justitiâ, & de judicio. Idque sic explicat: De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De justitiâ verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me. De judicio autem quia Princeps hujus mundi jam judicatus est.

Adhuc hodiè Spiritus sanctus in his tribus occupatus est. Verè enim his postremis temporibus locum habet illud Davidis: Defecit sanctus, Psal.12. v.1. Justitia quoque ubique vacillat, tàm in Ecclesiâ, quam in curiâ. *In Ecclesia* ita, ut plerique justi-

justitiæ, quæ coràm Deo valet, & per Christum humano generi parta est, subjecti esse nolint, sed quærant suam justitiam statuere, Rom. 10. v. 3. quam tamen detrimentum habere fas esset, Phil. 3. v. 8. Luc. 17. v. 10. *Incuriâ* verò quia leges languent, & non pervenit usque ad finem judicium, Heb. 1. v. 4. sed magnus loquitur desiderium animæ suæ, & intricant eam, Mich. 7. v. 3. ut sint viduæ præda eorum, & pupillos diripiant, Esa. 10. v. 2. Amos. 5. v. 7. Esa. 1. v. 23.

Verùm grande hoc peccatum est, quod Spiritus sanctus passim in Scripturâ reprehendit: Væ qui condunt leges iniquas, Esa. 10. v. 1. 2.

Tertiò Epicurei quoque offenduntur, qui judicium ultimum susque deque habent, irridentque illud, dicentes cum servo illo nequam: Moram facit Dominus meus venire, Luc. 12. v. 45.

Hæc magna securitas & impietas est. Sicut enim Princeps hujus mundi jam judicatus est, die verò ultimo demùm judicium in eo plenè consummabitur, 2. Petr. 2. v. 4. Matth. 25. v. 11. Sic & judicium super incredulos dudum latum est. Qui enim non credit, jam judicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti Filii Dei, Joh. 3. v. 18. Verùm die ultimo executioni dabitur illud quando dicetur: Discedite à me maledicti in ignem æternum, Matth. 25. v. 41. Obviemus igitur Domino, dum dicitur hodiè, & retracto judicio, propter Christum nos in gratiam recipiet, est enim benignus & misericors, longanimis & multæ misericordiæ, Joël. 2. v. 13. sicut idipsum exemplum Ninivitarum probat, super quos judicium, quod post quadraginta dies interituri sint, jam tùm pronunciatum erat, quia verò emendabant mores, pœnituit Deum super malo, quod locutus fuerat, & non fecit, Jon. 3. v. ult. Quia verò hoc minus observatur, sed profanæ sunt viæ impii omni tempore, alta sunt judicia Dei, coràm ipso, Psal. 10. v. 5. Spiritus sanctus semper arguit per ministros suos, idque sæpè frustrà: ergò aliquando horum damnatio justa erit, Rom. 3. v. 8.

III. *Intellectus penuriam.* Hinc Christus ad discipulos ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Tales omnes naturâ sumus, ut mala promtius, quàm bona teneamus, de quo ipse Deus conqueritur: Figmentum cordis humani malum est ab adolescentiâ sua, Gen. 8. v. 21.

Agnoscamus hinc tristissimam naturæ nostræ corruptionem, in quam per lapsum Protoplastorum præcipitati sumus. Ubi enim antè imagine Dei decorati fuimus, quæ consistebat in perfectâ justitia & sanctitate, Eph. 4. v. 24. Jam Diaboli larva depravati sumus, ut in corde malitia, cœcitas in intellectu, repugnantia in voluntate nostrâ inveniatur, & ut verbo dicam, decalogus inversus, ut non abs re cum Paulo lamentemur: Non quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus, Rom. 7. vers. 19. 24.

Oremus igitur Deum, ut det nobis illuminatos oculos cordis nostri, Eph. 1. v. 18. ut probemus potiora, Phil. 1. v. 10. & illa debito fervore & zelo perficiamus.

Scienti enim bonum facere, & non facienti peccatum est, Jac. 4. v. ult.

De Secundo.

SEquitur *Medela triplex*, quæ fluit 1. *Ex abitus Christi justificatione*, de quâ Servator ipse: Expedit vobis, ut ego vadam. Utique expedit:

Nî Christus hinc ivisset,
Solator haud venisset:
Ast mox ut is migravit,
Spiramen impetravit.

Quinimò sine hoc abitu nemo salutis particeps fieri potuisset, propterea ait: In domo Patris mei mansiones multæ sunt, Joh. 14. v. 2. 3.

Angunt igitur *peccata* conscientiam tuam, ut cum Davide quiritandum tibi: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me, Psal. 38. v. 5. abitum hunc Servatoris tui recordare, quomodo in montem Calvariæ migrans, tua ibi & omnium hominum peccata in corpore suo pertulerit super lignum, 1. Petr. 2. v. 24. Ut jam nihil damnationis sit his, qui in Christo Jesu sunt, Rom. 8. v. 1.

Territat te *ira Dei*, hoc solatium arripe, quod Christus per abitum suum cum Patre cœlesti nos reconciliaverit, qui & adhuc hodiè est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34.

Si multis *calamitatibus* immersus, flagellaris totâ die, & castigatio tua in matutinis, Psal. 73. v. 14. iterum abitum Christi in memoriam tibi voca, qui nobis Spiritum sanctum Paracletum acquisivit, qui interiori suo testimonio, cor ita confortat, roborat, fundat, 1. Petr. 5. v. 10. ne deficiamus in tribulationibus istis, Ephes. 3. v. 13. sed & in morte speremus, Prov. 14. v. 32. & communicantes Christi Passionibus gaudeamus, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeamus exultantes, 1. Petr. 4. v. 13.

Verùm caveamus, si abitu Christi frui velimus, à curvis peccatorum viis, Psalm. 125. v. ult. ne abeamus in consilio impiorum, Psal. 1. v. 1. sed dirigamus pedes nostros in viam pacis, Luc. 1. v. 80. arctæ viæ insistentes, quæ ducit ad vitam, Matth. 7. v. 14. aliàs omnia disperdimus, quæ nobis Christus abitu suo acquisivit. Qui enim facit peccatum, servus est peccati, Joh. 8. v. 35. & negat Dominum, qui emit se, 2. Petr. 2. v. 1. huic igitur non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam exspectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumtura est adversarios, Hebr. 10. v. 28.

II. *Ex Spiritus sancti appellatione*, qui hic à Christo κατ' ἐξοχὴν vocatur Παράκλητος, quod vocabulum forense est, & advocatum notat, qui causam clientis in foro coràm tribunali agit, eumque defendit. Hoc ipso respicitur ad Diabolum, de quo dicitur, quod ante conspectum Dei, die ac nocte accuset nos, Apoc. 12. v. 10. Sed Spiritus sanctus Advocatus noster est, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Rom. 8. v. 27. quos in cordibus piorum excitat, ut sic Diabolus accusatione suâ confundatur, & re infectâ fugere cogatur, Jac. 4. v. 8.

Similiter & infirmitatem nostram adjuvat,

juvat, quando in spirituales & corporales tentationes incidimus, Rom. 8. v. 26. dans lassis virtutem, Esa. 40. v 30. ne desperent, sed Christo fideles sint, usque ad mortem, Apoc. 2. v. 10. & initium substantiæ firmiter usque ad finem retineant, Hebr. 3. v. 14.

In Insula Ferro neque fontes neque fluvii sunt, sed arbor mediocri magnitudine, nucibus nostris sese adsimulans, tantam aquarum copiam sudat, ut tota insula per certos canales adaquari possit.

Nos quandoque etiam languemus, Psal. 68. v. 10. ut in tribulationibus constituti parùm aquæ consolationis inveniamus: ideò Spiritus sanctus fontes consolatorios aperit nobis, ut reficiamur, sicut Israëlitæ in Elim duodecim fontes aquarum invenerunt, propterea que gavisi sunt, Exod. 15. v. ult.

Hi fontes consolatorii fluunt in montibus Israëlis, i. e. in Ecclesiâ, ubi verbum Dei purè prædicatur, & Sacramenta juxta institutionem Christi administrantur, per hæc media Spiritus Sanctus virtutem suam exertus est, ideoque illis sedulò utamur: & quando infernales Palæstini hos puteos obstruere satagunt, illis resistemus fortiter, ut Isaac, refodientes eos, Genes. 26. v. 18. sic virtute Dei per fidem custodiemur in salutem, 1. Petr. 1. v. 5. Rivuli enim Dei pleni sunt aquis, Psal. 65. v. 10. quas qui biberit, non sitiet in æternum, Joh. 4. v. 13.

III. *Ex Principis mundi judicatione.* Quemadmodum enim Deus in Paradiso Protoplastis nostris prædicaverat, de benedicto semine mulieris, quod contritum sit caput serpentis, & ille insidiaturus sit calcaneo ejus, Gen. 3. v. 15. Ita utrumque impletum est. Per insidias enim calcaneo Christi structas, notatur passio & mors ejus, ad quam Diabolus Pontifices, Seniores & Scribas populi Judaici instigavit, ut tanquam organa sua id efficerent, quod manus & consilium Dei decreverant fieri, Actor 4. v. 27. Verùm hoc ipso caput ejus contritum est, ut jam lætabundi præclarum illud ἐπινίκιον canere possimus: Ubi est mors victoria tua? Ubi tua, inferne, victoria? 1. Corinth. 15. v. 6. Hebr. 2. v. 14.

Agnoscamus igitur hoc grato animo, servientes illi in sanctitate & justitiâ coràm ipso, omnibus diebus nostris, Luc. 1. v. 76.

Cum Imperator Augustus militi profugo vitam donasset, ille gratum animum declaraturus, in hæc verba prorupit: Quid tibi rependam Cæsar? pro tanto beneficio effecisti ut viverem, & moriar ingratus?

Nos quoque Dilecti! in faucibus mortis hæsimus, verùm Christus redemit nos, destruendo mortem, & illuminando vitam & incorruptionem per Evangelium, 2. Timoth. 1. v. 10. Quidni gratiam ipsi referremus? O Dilecti, gratias agite pro beneficio hoc, hæc voluntas Dei in Christo JESU in vobis, 1. Thessal. 5. v. 17. Non amplius nos sub potestate tenebrarum sumus, Coloss. 1. vers. 13. Princeps mundi hujus judicatus, mors in sempiternum absorpta est, Esa. 25. v. 8. peccatum obsignatum, iniquitas expiata, & justitia sempiterna adducta est, Dan. 9. v. 24. Victoria, victoria

est vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum, Psal.118. v.15. Apoc.11.v.11. Nos cum Ecclesia concinemus, dicentes:

Arx firma noster est Deus,
Et armatura fortis,
E tribulationibus,
Cunctis levat obortis.
Antiquus hostis
Furore grandis
Vis fraudulenta,
Est sæva machina,
Par non ei est in terrâ.
Verùm:
Sit plenus orbis Dæmonum,
Qui nos vorare tendant:
Timebimus non admodum,
Nobis tropæa pendant,
Princeps in orbe
Ringat furore:
Nihil nocebit,
Nam judicatus it,
A verbulo peribit.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Abitum Christi pondera.* De quo ipse: Nunc autem vado ad eum, qui misit me. Quo ipso innuit, se quidem passionem & mortem subiturum, sed & è mortuis resurrecturum, & ad cœlum adscensurum esse, unde venerat. Hoc vocat ad Patrem vadere, eoque nobis exemplum præbet, quid agere nos oporteat, si aliquando peregrinationem nostram feliciter absolvere, & ad optatum scopum pervenire velimus.

Ubi considerabimus,

1. *Terminum à quo*, qui est mundus. In sequentibus enim ait: Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad Patrem.

Hactenus cum discipulis præsens conversatus, & ut homo commercio eorum usus fuerat, Phil.2.v.7. Sed jam præsentiam visibilem ipsis subtracturus, & mundum relicturus erat, in quo hactenus degerat, dum pertransierat benefaciendo & sanando omnes à Diabolo oppressos, Act.10.v.38. hoc verò non ita intelligendum est, quasi non amplius nobis præsens esset, postquam cœlum adscendit, sed potius locum habet illud Augustini: *Non abiit, ut abesset, sed ut præsentius adesset.* Et Paulus ita explicat: Adscendit super omnes cœlos, ut omnia impleret, Ephes. 4. v.10.

Sic nobis quoque è mundo emigrandum est, qui totus in maligno est positus, 1.Joh.5.v.9. ita ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, modestè & justè & piè vivamus in hoc seculo, Tit.2. v.11. quando enim in mundo manemus, concurrentes in eandem luxuriæ dissolutionem, 1.Petr.4.v.4. ad Patrem nobis venire non licebit, quia amicitia hujus mundi inimicitia Dei est: & quicunque voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituetur, Jac.4.v.4.

2. *Terminus ad quem*, ad eum sc. qui misit se, h. e. ut posteà explicat, ad Patrem. Sic nullum alium scopum habemus, viam omnis mundi meantes, quam ut abitum nostrum ad Patrem cœlestem dirigamus, commendantes animas nostras fideli Creatori, in benefaciendo, 1.Petr.4. v.ult.

Qui

Qui aliquamdiu in peregrinatione vitam degit, lætatur, quando iter in Patriam ad parentes repetiturus est, ut exemplo Tobiæ junioris patet, Tob. 10. verſ. 9.

Nos quoque peregrini & hoſpites ſumus ſuper terram, Hebr. 11. v. 13. In cœlo vero eſt πολίτευμα noſtrum, Phil. 3. v. 20. ubi verum Patrem inveniemus, ex quo omnis paternitas, in cœlis & in terra nominatur, Eph. 3. verſ. 15. ideo lætemur, ſi hora venit, in qua mundo huic valedicendum & ad Patrem abeundum eſt. Scimus etenim, beatos eſſe mortuos, qui in Domino moriuntur à modo, Apoc. 14. verſ. 13.

3. *Terminus per quem.* Hæc via crucis eſt. Sic enim ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, Luc. 24. verſ. 46.

Quodſi nobis in cœlum intrare volupe eſt, in eadem hac crucis via progrediendum & compatiendum Chriſto nobis eſt, ut & conglorificemur, Rom. 8. verſ. 17.

Æquo igitur animo omnes procellas, imbres, moleſtias & pericula ſubeamus, & cum gaudio perrumpamus, perpendentes, quod non ſint condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Rom. 8. v. 8. Sicut enim pater filium ſuum prodigum cum gaudio excepit, inquiens ad ſervos ſuos: Cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite & manducemus, & lætemur, quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus eſt, Luc. 15. v. 22. ſeqq. Sic nos quoque Pater cœleſtis pulchre exornabit veſtimentis ſalutis, & indumento juſtitiæ, Eſa. 61. v. 10. ornaturus nos annulo immortalitatis, ut æternum vivamus, ſicut in annulo finis non reperitur, ut ſimus cum Domino ſemper, 1. Theſſ. 4. v. ult. Pingue inſtruet convivium, ut recumbamus cum Abraham Iſaac & Jacob in Regno cœlorum, Matth. 8. v. 11. comedentes, & bibentes, & lætantes, & jubilantes præ exultatione cordis, Eſa. 65. v. 13. quale hoc gaudium ſit, in hoc mundo oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adſcendit, 1. Cor. 2. v. 9. ubi vero eò aliquando pervenerimus, dicemus: ſicut audivimus, ſic vidimus, Pſal. 48. v. 9. quin media pars nobis nunciata non fuit, 1. Reg. 10. v. 7. Quia melior eſt una dies in atriis tuis ſuper millia, Pſ. 84. v. 11.

II. *Elenchum Spiritus ſancti tolera.* Hic audimus Chriſtum dicentem: Ille arguet mundum, de peccato, & de juſtitia, & de judicio. Idem adhuc hodie per Miniſterium Eccleſiaſticum peccata mundi redarguit,

1. *Vehementer.* Unde Sal terræ à Chriſto vocantur, Matth. 5. v. 13. Propterea Spiritus ſanctus, in ovili ſuo canes mutos, latrare non valentes tolerare minimè vult, Eſa 56. v. 10. ſed tales, qui clamant ex gutture nec ceſſant, quaſi tuba exaltantes vocem ſuam, & annunciantes populo transgreſſionem eorum, Eſa. 58. v. 1. Niſi ardeat Miniſter prædicans, non poteſt accendere eum, cui prædicat, ait Auguſtinus:

Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, Jer.48.v.10.

2. *Indifferenter*, non habito respectu personarum. Ut enim spiritus Sanctus nullum discrimen agnoscit inter sublimes & humiles, divites & pauperes, Clericos & laicos, &c. ita verbum Dei æque Principibus Sodomorum, ac populo Gomorrhæ prædicandum est. Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant, 1.Tim.5.v.20.

3. *Prudenter*, ut suo auditorio Minister verbi sese accommodet. Quid enim nobis de iis, qui foris sunt, judicare? 1.Cor.5.v.13. Imprimis vero gradus admonitionis juxta admonitionem Christi observandi sunt, Matt.18.v.15.seqq.

Quando igitur spiritus Sanctus officium elenchticum per Ministros suos, prout decet, administrat, Auditorum erit, eidem reverenter se submittere, ut cũ mansuetudine suscipiant insitum verbum, quod potest salvare animas eorum, Jac.1.v.21.

III. *Doctori veritatis obtempera.*

Etiamsi enim Doctor hic munus suum peragit, nemo vero obsequuturus est ei, sed homines obdurant corda sua, Ps.95.v.8. & conversi sunt ad cursum suum, quasi equus cum impetu vadens ad prælium, Jer.8.v.6. ibi exigua spes salutis restat: declinent igitur id veri Christiani, & Doctori huic locum relinquant,

1. *In Choro*. Ne assentiantur iis qui Deo ejusque verbo repugnant: sed orent cum Christo: Sanctifica nos sanctissime Pater, in veritate tua, sermo tuus est veritas, Joh. 17.v.17. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus, &c.1.Tim.6. vers.3.

2. *In Foro*. Hic requiruntur Deum timentes, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, Exod.18.v.21. Nam in Christo Jesu veritas, Eph.4.v.21.

3. *In Toro*. Hæc sunt verba, quæ facietis, inquit Deus: Loquimini veritatem unusquisque proximo suo: veritatem & judicium pacis judicate in portis vestris. Et unusquisque malum contra proximum suum, ne cogitetis in cordibus vestris, Zach.8.v.16. Hæc Regula nostra sit, ut *in verbis* veraces simus, Labium enim veritatis firmum erit in seculum, Prov.12. v.19. Veraces *in corde*, ne aliter loquamur ac sentimus. Nam sicut Dæmon est in anima sua, qui dicit: Comede & bibe, & mens ejus non est tecum, Prov.23.v.7. Veraces *in operibus*, ne falsis ulnis, mensuris & ponderibus in emendo & vendendo utamur, ad fallendum proximum: sed corde sincero faciamus hominibus quæ nobis fieri volumus, Matth.7.v.12.

Hoc si ita fit, premi quidem sed non opprimi possumus: quoadusque justitia convertatur in judicium, & post illud, omnes qui recto sunt corde, Psal. 94. vers.15.

Tandem nos Jesus, tanquam Rex veritatis, Joh.18.v.38. adsciscet sibi, ut in monte sancto, in cœlesti Hierusalem tabernaculum tutum & constans habitemus in æternum, Ps.15.v.1.2.

Id quod ex animo exoptamus, per Christum Jesum, Amen!

DOMI-

DOMINICA ROGATE.

Evangelium, Ioh. 16. v. 24. - 30.

EXORDIUM.

CUm Israëlitæ aquæ inopia in solitudine laborarent, & propterea adversus Mosen & Aaron murmurarent: Moses & Aaron à facie multitudinis in tabernaculum conventus ingressi, corruerunt proni in terram. Et apparuit gloria Domini super eos. Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens: Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo, & jumenta ejus. Tulit igitur Moses virgam, quæ erat in conspectu Domini, cumque elevasset Moses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ; ita, ut populus biberet & jumenta, Num. 20. v. 1. seqq.

Nos quoque Dilecti! in eremo hujus mundi erramus, & multa adversa sustinemus, quo ita sæpe delassamur, ut pene siti pereamus, in terra arida & siticulosa, Psal. 63. v. 2.

Verum sicut Moses in aquæ inopia, virga sua petram percussit, & aquam adeo largiter elicuit, ut multitudini & jumentis illa suffecerit: Ita non salutarius medium est, si ad pacem, cum Hiskia, amaritudo nobis amara, Esa. 38. v. 17. quam ut ad veram petram, & lapidem salutis nostræ, Christum Jesum nos convertamus, qui per petram in deserto præfiguratus est, 1. Cor. 10. v. 5. Petram illam virga percutiamus oportet, h. e. apud Majestatem divinam fideli & devota oratione instemus, & januam cœli pulsemus, ut Christus admonet, Matth 7. v. 7. ita petra illa, aquam largissime stillabit, qua sufficienter confirmati, quoad corpus & animam, ad vitam æternam reficiemur. Omnes enim, qui respexerunt, facies eorum non sunt confusæ, Ps. 34. v. 6.

Ad hoc ipsum Servator in prælecta Pericope nos exstimulat, quando gemino juramento adseverat, quod omnes, qui in nomine suo petiverint quicquam, non frustra oraturi, sed infallibiliter exaudiendi sint.

Videbimus nos pro consuetudine

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

JJ.

Exegesis.

SIcut Christus unus ille Mediator Dei & hominum est, 1. Tim. 2. v. 5. ita etiam unus ille summus Sacerdos est, qui torcular iræ divinæ solus calcavit, Esa. 63. v. 2. & per sanguinem hircorum & vitulorum æter-

ternam redemtionem invenit, Hebr.9.v.11. Est quoque unus ille Magnus Propheta, in mundum venturus, Deut.18.v.15. Unus quoque Rex, qui adversus omnes hostes nostros nobis præsidio est, hinc dicitur ibi: Vere in Domino Deo nostro, salus Israel, Jer.3.v.23.

Interea nos quoque eum in finem lavit à peccatis nostris, in sanguine suo, fecitque Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo, Apoc.1. v.6. Sicut igitur ante octiduum Cantate insonuimus, & ex illo Evangelio didicimus, qua ratione ex instructione Spiritus sancti, ministerium in Ecclesia obeundum sit, nempe opportune importune arguendo, increpando, exhortando in omni longanimitate & doctrina, 2.Tim.4.v.2. Ita hodie ad preces instigamur, quæ sedulo urgendæ sunt, nisi labor noster inanis in Domino esse debeat, 1.Cor.15.vers.15. Quia enim mundus, tanquam sponsa Diaboli, variis technis & machinationibus hoc Cantate interturbare satagit, dum Christianos infestat & angit, & eo efficit, ut in salicibus suspendant organa sua, Psal.139.v.2. opus erit, ut devota oratione nos muniamus, eamque tanquam suave thymiama, velut spirituales Sacerdotes, Domino in odorem suavitatis, mane & vesperi adoleamus, id gratum atque acceptum erit illi. Ideo spiritualis Ecclesiæ Mater eam vocat Vocem Jucunditatis, quæ in cœlum adscendens, Dei gratiam impetret, ut vicissim respondeat per vocem Iucunditatis, dicens: Non te deseram, neque derelinquam, Heb. 13.v.5. Psal.91.v.14.15.16.

Querela respicit

1. *Orationis negligentiam.* Discipulis suis Christus exprobrat, quod hactenus nihil quicquam petiverint in nomine suo. Id quidem diversimode explicatur, ut alio tempore indicatum est: interim facile apparet, Christum in discipulis suis reprehendere, quod hactenus non tam frequenter & ardenter oraverint, ut ipsa officii ratio flagitasset. Quia enim cum Christo nulla inopia laborarunt, facile patet, quod & orationi tam sedulò non invigilaverint, ut æquum fuisset, siquidem ipsos quoque in infirmitatibus suis laborasse, palam est.

Hodie Epicureorum tanta turba est, ut ne Filius hominis ad judicium veniens parum fidei in terra inventurus sit, metuendum sit, Luc.18.v.8. Multi orationem non modo malitiose & præpostere intermittunt: sed & diris execrationibus nomine Dei impie abutuntur, ut vel ipsa experientia satis probat.

Hoc vero caveamus, nec ullis negotiis à piis precibus averti nos patiamur, multum enim valet deprecatio justi assidua, Jac.5. vers.17.

Quilibet verus Christianus per Christum amicus Dei effectus est, chirographum enim deletum est, quod adversum nos erat, Col.2.v.14. Ut jam pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, Rom.5.v.1. Sicut igitur amicus amicum sedulo invisit, aut si locorum intervallo sejuncti sunt, per internuncios & literas se mutuo salutant, quo omisso, amicitia cum tempore exspirat: Ita Oratio familiare cum Deo est colloquium, uti Davidi adpellatur, Psal.19. v.17. Quodsi igitur Christi amici & Dei amatores esse cupimus, orationem non omittere, sed rogando Deum obtundere tenemur, Luc.18. v.5. & ad eum confluere, Psal.34. v.6. Idipsum

ipſum cum deſiderio expectat, eique volupe eſt, ſi ſonet vox precationis noſtræ in auribus ejus, Cant. 2. v. 14.

Quilibet Chriſtianus eſt ſpiritualis Sacerdos, 1. Petr. 2. v. 9. talis per Chriſti ſanguinem initiatus eſt, Apoc. 1. v. 6. Sicut igitur in V. T. quilibet Sacerdos conſtitutus erat, ad dona & ſacrificia offerenda, Hebr. 5. v. 1. ita nos quoque ſpiritualia ſacrificia orationis Deo offeramus, dicentes cum Davide: Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: elevatio manuum mearū, ſacrificium veſpertinum, Pſal. 141. v. 2. i. e. fructus labiorum confitentium nomini ejus, Hebr. 13. v. 14.

Quilibet Chriſtianus, eſt DEI templum & habitaculum, Joh. 14. verſ. 23. 1. Cor. 3. verſ. 17.

Sicut igitur Iſraëlitæ orationem ſuam in templo Hieroſolymitano, aut è Regione ejus & ad idem ſe convertentes, fundebant, Dan. 6. v. 10. 1. Reg. 8. v. 44. 49. Luc. 18. v. 10. unde etiam domus orationis vocatur, Eſa. 56. v. 7. Matth. 21. v. 13. Ita nos quoque in oratione aſſiduos eſſe conveniet, ſi templum cordis noſtri gloria Domini, ut Salomonis templum implevit, implere debeat, 1. Reg. 8. v. 11.

Quia igitur officii noſtri ratio poſtulat, ut in oratione frequentes ſimus, non negligamus eam, ne Chriſto anſam de nobis conquerendi demus, ſicut hîc de diſcipulis ſuis conqueſtus eſt. Id vero non expediet nobis: Quia enim venit & locutus eſt nobis, excuſationem non habemus, ignorantiam noſtram excuſandi, Joh. 15. v. 22.

II. *Cordis prophani diffidentiam*, quod de exauditione dubitat, aut omnipotentiæ divinæ diffidit. Magna hæc aberratio eſt, quæ orationem plane ineptam, & in peccatum facit, Pſal. 109. v. 7. Quod enim non ex fide eſt, peccatum eſt, Rom. 14. v. ult. Propterea mandat hic Chriſtus, ut in nomine ſuo petamus, h. e. in vera fiducia *omnipotentiæ*, quod poſſit, *miſericordiæ*, quod velit, & *veritatis*, quod promiſerit juvare, ſiquidem ipſe frater noſter eſt, Hebr. 2. verſ. 17. & potens eſt facere ſuperabundanter, quam petimus, aut intelligimus, Eph. 3. v. 20.

Fides & dubitatio adeo non unà conſiſtere poſſunt, ſicut nec Chriſtus & Belial, lux & tenebræ, 2. Cor. 6. v. 14. Fides enim certa ὑπόϛασις eſt, qua firmiter niti poſſumus. Hebr. 11. verſ. 5. Ubi vero dubitatio in corde, ibi titubamus & vacillamus, nec difficile Diabolo eſt, nos plane confundere, & à verbo Dei avertere, ſicut exemplo Protoplaſtorum patet, Gen. 3. verſ. 3.

Hæc dubitatio in oratione quoque locum habere nequit: puræ enim manus ad Deum elevandæ ſunt, 1. Tim. 2. v. 8.

Errant igitur Papicolæ, dum dubitationem velut ſingularem virtutem venditare amant, ideo fiduciam, quam in miſericordia Dei & merito Chriſti ponimus, vanam & ab omni pietate remotam fiduciam appellitant. Verum ſine fundamento! Promiſſio ſiquidem manifeſta eſt, ideo firmiter ea niti poſſumus: Deus enim dixit, cujus verbum rectum eſt, & omnia opera ejus in veritate, Pſ. 33. v. 4. Nec modo dixit, ſed & Sacramentis confirmavit, quæ nihil aliud ſunt, niſi ſignacula juſtitiæ fidei, Rom. 4. v. 11.

Quando terrenus aliquis Princeps in li-

teris aliquid permittat, quod manu ejus confirmatum videmus, promissioni ejus fidimus, etsi sigillum appositum cernimus, eo minus fidem derogamus. Jam vero Deus non nudis verbis gratiam suam promisit, sed & promissionem illam Sacramentis obsignavit, & ad majorem certitudinem, spiritum Sanctum cordibus nostris indidit, qui est ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν, Eph. 1. v. 14. & signat, quod Deus verax est, Joh. 3. v. 33. Qui vero nondum credit, mendacem Deum facit, 1. Ioh. 5. v. 10. & grave illi erit contra stimulum calcitrare, Act. 9. v. 6.

III. *Dilatata exauditionis impatientiam*, quæ valde frequens est. Licet enim Deus verax sit, & jam ante sciat, quibus indigemus, Matth. 6. v. 32. nulla quoque oratio in terris fundetur, quam non ipso illo momento in cœlo percipiat: attamen exauditio non statim ad libitum nostrum sequitur, quam tamen hic Christus duplici juramento promittit: sed non definit tempus, quando exaudiendi simus: id enim Pater posuit in potestate sua, Act. 1. vers. 7.

Nos homunciones vero has horas & moras Dei non expectare possumus, sed inique ferentes, non raro orationem intermittimus. Quid ais, orem? omnia frustranea sunt: Deus cœlum oppessulavit, & quasi lapidibus quadris conclusit, ut oratio non penetret, Thren. 3. v. 9. Verum absit, ut idem dicamus: non enim est iste sermo, qui misericordiam provocet: sed potius qui iram excitet, & furorem accendat, Jud. 8. v. 12. potius instemus cum Cananæa Matth. 15. v. 22. & dicamus cum Jacobo: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi, Gen. 32. v. 26.

Olim quoque Deus, quasi exaudire nollet, se exhibuit: Audi conquerentem Jobum: Mutatus es mihi in crudelem, Job. 30. v. 21. Davidem: Exurge, quare obdormis Domine? expergiscere, & ne repellas in finem, Psal. 44. v. 24. confer Psal. 79. v. 5. Psal. 80. v. 2. Psal. 85. v. 6. Esaiam: Ne irascaris Domine adeo vehementer, & ne semper memineris iniquitatis nostræ, Esa. 64. v. 9. Idem Filio Dei ipsi accidit in monte Oliveti clamanti: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, Matth. 26. v. 39. Verum cœlum occlusum erat, ut denuo quiritaretur: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Matth. 27. vers. 46.

Sed tandem cum auxilio præsto fuit, & quidem ita, ut idem magnum gaudium excitaverit, ut exempla memorata probant. Quia non repellet in sempiternum Deus, etiamsi affligit, &c. Thren. 3. v. 31. seqq.

Quodsi igitur differt exauditionem Deus, noli indignari, habet enim causas suas, ob quas faciat:

1. *Respectu tui*: *Ostium* enim *ideo clausum est, ut tu pulsare cogaris*, ut Chrysostomus loquitur: Domine, in angustia requisierunt te: meditatio, quando eos castigas, Esa. 26. v. 16.

2. *Respectu sui*, quo auxilium suum magis commendet, & eo plus prædicetur. Spes, quæ differtur, affligit animam, lignum vitæ, desiderium veniens, Prov. 13. vers. 12.

3. *Respectu proximi*, ubi semper aliqui ad pœnitentiam invitantur, & conservantur:

tur,quodsi enim hostes uno impetu deleret,ut sæpe precamur,nemo salvaretur. Ideo dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam,Sap.11.v.24.Id gratiæ & patientiæ ejus acceptum feratur. Non enim delectatur in perditionibus nostris:sed vult omnes ad pœnitentiam reverti, 2. Petr.2. vers.9.

Ideo probè id meminerimus, indesinenter orantes, licet non ex tempore exaudiamur,1.Thess.5.v.17.Bonum est cum silentio præstolari salutare Dei, Thren.3. v.26.Veniens veniet,& non tardabit,Hab. 2.v.3.

De Secundo.

SEquitur *Medela*,quæ fluit

1. *Ex Christi jussu.* Christus enim ipse nos petere jubet : hæc magna est gratia.

Magnates terreni sæpe aditum intercludunt nobis, quo minus causam nostram audiant, sed Rex cœli ipse nos ad orandum invitat, & exauditionem pollicetur, neminem enim ad se venientem, foras ejiciet,Joh.6.v.38.

In V.T.magna dignitas fuit,quod Moses in tabernaculum ingredi, & Deum in rebus dubiis consulere potuit, Num. 12. v.8.Verum in N.T.hæc dignitas omnibus Christianis communis est, ut mediante oratione, cum fiducia ad thronum gratiæ adire possint,ut misericordiam consequantur,& gratiam inveniant, in auxilium opportunum,Hebr.4.v.ult.

Sicut igitur in mundo nihil jucundius est,quam si cum amico fideli colloquaris, & in sinum ejus cordis tui desideria effundas, quod certissimum refrigerium affert afflictis, ut exemplo Davidis & Jonathi patet, 1.Sam.18. v.1.3. Ita hoc Christiano certissimum solatium adfert,quod per preces cum Deo colloqui & cordis sui afflictionem ei exponere possit. Est enim amicus noster constantissimus, qui omnibus amicis dilabentibus solus fidelis perseverat: & in finem diligit suos, Joh.13.v.1. Dicamus igitur cum Assaph: Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam,Psal.73.v.82.

Maxime ubi spectamus maximas angustias & pericula,quæ undiquaque à dextris & sinistris nobis imminent, ut lamentandum nobis cum Paulo:Intus pavores,foris pugnæ,2.Cor.7.v.6.

Ante nos habemus mundum totum in maligno jacentem,1.Joh.5.v.19.qui nos odit,Joh.15.v.19.

Juxta nos est Diabolus infensissimus adversarius noster, ut Leo, die nocteque circumiens,quærens,quem devoret, 1.Petr.5. vers.8.

In nobis caro nostra corrupta, quæ adversus spiritum concupiscit, ut bonum quod vult,non faciat,Gal.5.v.17.

Post nos mors inevitabilis,nemini parcens,unde ultimus inimicus dicitur,1.Cor. 15.v.26.

Infra nos infernus,qui aperit os suum,ad devorandum nos,Esa.5.v.14.

Sicut igitur miles in acie stans, armaturam suam non deponit,sed armis probe instructus hostem præstolatur : Ita nec nos spiritualem orationis armaturam projiciamus, sed die nocteque hostibus nostris in illa obviemus,quo omnibus perfectis stare possimus,Eph.6.v.13.

II. *Ex orationis fructu.* Petite, ait Servator, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

Hoc intelligendum est

1. *De bonis temporalibus.* Licet enim illa cum conditione certa petenda sint, si nimirum Dei voluntas sit, nobisque expediat: attamen verum est illud Augustini: Semper exaudit Deus preces nostras, si non ad nostram voluntatem, tamen ad nostram utilitatem. Unde Servator ipse in precatione sua nos jubet petere panem quotidianum, quo omnia intelliguntur, quæ ad corporis victum & necessitatem pertinent. Ubi enim devote & fideliter oraveris, impetrare potes, si Deo utile videatur, cibum & potum, ut Elias, 1. Reg. 19. v. 6. recuperabis sanitatem, ut Hiskias, Esa. 38. v. 2. seqq. consequeris mitigationem pœnarum, oratio enim quasi murus est, quo ad rupturam stas, Ezech. 22. v. 30. præsidium adversus hostes: Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero, Psal. 18. v. 4. provectam ætatem: Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum, Ps. 21. v. 5.

2. *De bonis spiritualibus.* Per orationem enim impetrari possunt, remissio peccatorum, ut Manasse, & publicanus, Luc. 18. v. 13. incrementum fidei, Luc. 17. v. 5. fugatio Diaboli, Matth. 17. v. 21. & verbo: Spiritus sanctus, Luc. 11. v. 13. qui est unctio, omnia nos docens, 1. Joh. 2. v. 27.

3. *De bonis æternalibus.* Quicunque enim invocaverit nomen Domini, salvus erit, Rom. 10. v. 13.

Breviter: Oratio est organum organorum, ut Chrysostomus eam vocat, qua quæ ad sustentationem præsentis, & consecutionem æternæ vitæ pertinent, indipisci possumus. Si duo ex vobis consenserint super terram: de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est, Matth. 18, 19.

III. *Ex Patris affectu.* Ipse Pater amat vos, ait Christus. Quæ sententia auro contra cara est: cujus accurata meditatione efficax sentiemus solatium.

Amor alias sedem suam in corde habet, è corde prorumpit per oculos, & eum, quem benevolentia complectitur, amico obtutu salutat: exerit se per os, compellans eum blandis verbis: elucescit per varia humanitatis officia, quæ ipsi exhibet. Hæ quatuor proprietates sunt, quibus dilectio prædita sit oportet, si sincera esse debeat, sicut Deus exemplo suo hac in re prælucet nobis.

Quæris cor ejus? Amore illud erga nos incensum est. Os. 11. v. 8. seqq.

Quæris oculos? Oculi ejus aperti sunt, super omnes vias filiorum hominum, Jer. 32. v. 19. Imprimis vero inspectio in electis ejus est, in quibus gratia & misericordia ejus est, Sap. 3. vers. 9. Psal. 33. v. 18. 19.

Interrogas verba ejus? Respondet David: Desiderabilia sunt super aurum, super aurum obrizum: & dulciora super mel, & favum, Psal. 19. v. 11. audire enim facit labia electa, Zeph. 3. & bonæ spei facit filios suos, quoniam dat locum in peccatis pœnitentiæ, Sap. 12. v. 19. Hinc clamat: Revertere aversatrix Israël, Jerem. 3. vers. 12.

Inspicis opera ejus? & illa nil nisi amorem & misericordiam spirant. Creavit enim nos ad imaginem suam, Gen. 1. v. 27. & adhuc hodie omnes plasmat in utero, Job. 10. v. 8.

10. v. 8. extrahit nos de ventre, Psal. 22. v. 10. dans omnibus vitam & inspirationem, in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus, Act. 17. v. 28.

Adhuc hodiè est nobis in Patrem, ut præsidium & tutelam, abundantiam, vitam & benedictionem ab eo hauriamus, 2. Cor. 6. v. 18. Tandem nos perducet in gaudium cœleste, quod nobis, & omnibus electis à constitutione mundi paravit, Matth. 25. v. 34.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus continetur Regulis, quarum

I. *Patrem ritè invoca.* Id Christus docuit, non modò in Oratione Dominicâ: sed & in Exordio hodierni Evangelii, ubi inquit: Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Nomen Patris cor ferit, quo Deum facilè ad commiserationem movere possumus, ut dicat: Conturbata sunt viscera mea super te, miserans miserebor tui, Jer. 31. v. 20.

Exemplum capite à parente corporali, si is filio succenset, ut eum à conspectu suo propellat: simulac filius venit, & clamat: Pater! cor suum paternum celare nequit, ut parabola de filio prodigo probat, Luc. 15. v. 18.

Eodem modo Deus cœlestis Pater, nobiscum agit. Non enim in perpetuum irascetur, neque in æternum retinebit iram, Psal. 103. v. 9. sed quando eum compellamus: Domine, Pater noster es tu, Esa. 64. v. 8. exardent miserationes ejus, ut non faciat furorem iræ suæ, Os. 11. v. 8. sed gratiam justitiæ præferat, & in mediis tribulationibus reminiscatur miserationum suarum, & misericordiarum, quæ à seculo sunt. Psal. 25. v. 6.

Imperator Augustus à Messalâ pater patriæ salutatus, tantam inde lætitiam cepit, ut per omnem vitam suam, non majori se voluptate affectum, dixerit. Quoties orationem Dominicam precamur, Deum præclaro illo titulo insignimus, quod eum Patrem nostrum appellamus. Id adeò ipsi arridet, si ex fideli corde proficiscatur, ut nō possit non exaudire & juvare nos. Quis ex vobis patrem petit filius panem, nunquid lapidem dabit illi? Luc. 11. v. 11.

Sed ut filios probos decet, geramus nos, & in timore conversemur incolatus nostri tempore æquum erit, 1. Petr. 1. v. 17. Ne conqueratur Deus: Væ filiis perditis! dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, aversi sunt retrorsum, Esa. 1. v. 4.

Requiritur hîc

1. *Reverentia.* Filius honorat patrem, & servus Dominum suum: si ergò Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Mal. 1. v. 6.

Honoremus autem eum, juxta admonitionem Siracidis, in opere, & sermone, & patientiâ, cap. 3. v. 9.

1. *In opere.* In hoc, inquit Christus, clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum adferatis, Joh. 15. v. 8. Nudum Domine, Domine, dicere non sufficit, Matth. 7. v. 21. sed Deus populum requirit, zelotem bonorum operum, Tit. 2. v. 14.

2. *In Sermone.* Ne sanctissimum nomen ejus blasphemando & jurando in vanum

adhibeamus, ut in hâc mundi fece nihil familiarius est: sed confiteamur coràm hominibus, Matth.10.v.32. 1.Petr.3.v.16. Proque beneficiis innumeris, quibus quotidiè fruimur, gratias agamus, Psalm.92. v.2.

3. *Inpatientiâ*, quando nimirum ut Pater castigat nos, & corripit, Prov.3.v.12. idque pro ratione delicti. Ubi primò utitur virgâ hominum, 2.Sam.7.v.14. castigans nos in judicio, ne videamur nobis innoxii, Jer 30.v.31. quod si verò frustrà percutit nos, disciplinam non recipientes, Jer. 2.v.30. defatigatur misereri, Jer.15.v.6. percutiens nos castigatione crudeli, Jer. 30.v.14. aut prehensa virgâ ferreâ, Apoc. 12.v.5. confringit capita filiorum minus obsequentium: verticem capilli perambulantium in delictis suis, Psal.68.v.22. At eò ne res redeat, caveamus: sed quando incipit castigare, continuò per pœnitentiam castigationem ejus prævertamus, & nunc pœnitebit super malo, Joel.2.v.13.

2. *Obedientia*. Deus enim honoravit patrem in filiis: & judicium matris exquirens, firmavit in filios, Sir.3.v.1. Idem nobis quoque dictum est, 1.Sam.15.v.23.

3. *Confidentia*. Qui enim hæsitat, inconstans est in omnibus viis suis. Non ergò existimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino, Jac.1.v.7.& quare dubitemus? Oramus quippe, Patre jubente, Ps.50.v.15. Fratre instituente, Matth.6.v.10. Spiritu sancto impellente, qui adjuvat infirmitatam nostram, Rom.8.v.28. & clamat in cordibus nostris, Abba Pater, Gal.4.v.4. unde Spiritus precum dicitur, Zach. 12. v.10. Adde gravissimum juramentum Christi, in præsenti Evangelio. Sicut igitur aliàs omnis controversiæ finis juramentum est, Hebr.6.v.16. ita omninò confidamus, quicquid in nomine ejus petierimus, fore Etiam & Amen. 2.Cor.1.20.

II. *Nomen Christi honora*. Christus enim in nomine suo petentibus certissimam exauditionem promittit. Jam vero in nomine Christi precari est,

1. *Intelligenter orare*: Ut in oratione tuâ agnoscas & confiteatis, Christum esse Θεάνθρωπον, unicum illum Advocatum apud Deum, 1.Joh.2.v.1. Qui semper est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis, Rom.8.v.34.

In Papatu, non in solius Christi, sed Mariæ nomine orant, unde in Mariali: Peccator es? Ad Mariæ nomen confugias, ipsum solum ad medendum sufficit. Sicut enim nomen JEsu secundum Bernhardum est mel in ore; ita etiam nomen Mariæ est, & aliquid amplius, si dicere audeamus. Hæc nefanda idololatria est: ideò Servator ait: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Maria enim opitulari nequit. Ideò ait illa ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite, Joh.2.v.5.

2. *Decenter orare*, juxtà Dei mandatum & promissionem, non arbitrium nostrum. Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum: quia, quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos, 1.Joh.5.v.14. Hoc nisi fecerimus, locum habet illud Jacobi: Petitis, & non accipitis, eò quod malè petatis, Jac.4.v.3.

3. *Confidenter orare*. Christus enim unus homo in gratiâ est, Rom.5.v.15. de quo Pater cœlestis clamavit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, Matth.3. v.ult. in quo velut dilecto, gratificavit nos Deus,

Deus, Eph.1.v.6. qui in illum credit, non confundetur, Rom.10. v.11. quia quasi in decore sacerdotali Deo appropinquat, Psal.110.v.3. Et non modò nomen Jehovæ, tanquam Aaron in fronte gerit, Exod. 28.v.36. sed idem in corde sculptum habet, nec in alio nomine confidit, quàm in nomine JEsu, certâ spe fretus, Deum Patrem preces suas exauditurum, propter Dominum, Dan.9.v.18. quem nobis ipse proposuit propitiatorium per fidem in sanguine ipsius, Rom.3.v.25.

III. *Exauditionem spera.* Propterea Servator ait: Amen, Amen, dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hic requiritur salvifica fides, quam vel maximè oculi Domini respiciunt, Jer. 5.v.3. & sine illâ impossibile est, placere Deo, Hebr.11.v.6.

Oraturi igitur, non oculos duntaxat corporales ad cœlum elevemus; quod & hypocritæ faciunt: sed potissimùm oculum fidei, quo cor divinum introspiciamus, & deprehendemus, illum multò propitiorem esse ad dandum, quàm nos ad accipiendum, ut Taulerus dixit. Nam lætatur ad benefaciendum nobis, Jer.32.v.41. Certi itaque de exauditione esse possumus, quando intuemur

1. *Veritatem promittentis.* Erit antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam, Esa.65.v.24. Hæc non hominum verba sunt, quæ fallere possunt: Profectò filii viri sunt mendacium, Psal. 62.v.10. sed verba immutabilis Dei, qui non mentitur, Tit.1.v.2. Luc.21.v.33.

2. *Potestatem facientis.* Præ multitudine enim fortitudinis & roboris, virtutisque ejus, neque unum deficit, Esa.40.v.26.

Terreni Magnates non semper opem ferre possunt, ut vel ex propriâ confessione Regis Josaphat, 2.Chron.20.v.12. Hiskiæ, Esa.37.v.3. Joram, 2.Reg.6.v.27. constat.

Ejusmodi impotentem Deum nos non habemus, qui in calamitatibus opem ferre nequeat. Sed est Dominus, qui loquitur & facit, Ezech.17.v.ult. Manus ejus abbreviata non est, Esa.59.v.1. sed quæcunque promisit, potens est & facere, Rom.4. v.21.

3. *Gratiam dirigentis.* Mittit enim Spiritum sanctum in corda nostra, qui preces nostras supplices Cancellariæ cœlesti insinuat, majori cum autoritate, ac nos ipsi potuissemus. Iccircò Apostolus emphatica vocula ὑπερεντυγχάνει, i.e. plusquam intercedit, eminenter postulat, utitur. Seipsum enim, ut Ambrosius explicat, super orationem nostram quasi effundit, ut ignorantiam & temeritatem, quæ precibus adhæret, & coràm Deo ingratos reddit, contegat. Quia igitur Spiritum sanctum non modò opitulatorem sed & Advocatum habemus, ita nobis viam aperiet, ut facilè quicquid oraverimus, impetraturi simus: est enim ejusdem essentiæ cum Patre & Filio, 1.Joh.5.v.7.

Ecce! hic ita funiculus triplex est, qui difficile rumpitur, Eccl.4.v.12. & quando verâ fide hanc apprehendemus, oratio nostra nubes penetrabit, nec cessabit donec propinquet; & non discedet, donec Altissimus adspiciat, Sir.35.vers.21. nam omnia possibilia sunt credenti, Marc.9. v.23.

Largiatur nobis Deus hanc gratiam, per Christum, in Spiritu sancto. Amen.

DOMI-

DOMINICA EXAUDI.

Evangelium Joh. 15. v. 26. & 16. v. 4.

EXORDIUM.

Cum Israëlitæ tribus diebus ambulassent per solitudinem, nec invenirent aquam: tandem venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Marâ, eò quod essent amaræ. Tum clamavit Moses ad Dominum, qui ostendit ei lignum: quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt, Exod. 15. v. 22. seqq.

Hîc exemplum nobis ostenditur, quid in angustiis & calamitatibus constitutis agendum sit. Nos equidem in eremo hujus mundi peregrinamur, cum Paulo lamentantes: Usque in hanc horam & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, 1. Cor. 4. v. 11. Sed Christus lignum vitæ est, qui cruce suâ nostram crucem adeò edulcavit, ut jam Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom. 8. v. 28. Sed & ideò invocari vult, sicut & Israelitæ ad Dominum clamarunt, cùm aquas amaras in Marâ bibere nequierunt. Propè enim est Dominus invocantibus eum, Psalm. 145. vers. 18. 19.

Hujus rei commonet nos hodiernæ Dominicæ appellatio Exaudi, sicut antiquitus appellata est, quia in Ecclesiâ Latinâ in Introitu cantarunt: Exaudi Domine vocem meam, quâ clamo ad te, miserere mei, & exaudi me, ex Psal. 27. v. 7.

Quo ipso in memoriam nobis revocatur, divina Majestas & gloria: quia non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo, Joh. 3. v. 27.

Admonemur de divinâ virtute & omnipotentiâ, juxtà quam unicuique dare potest petitiones cordis sui, Psal. 37. v. 4. præ multitudine fortitudinis, & roboris & virtutis neque unum deficit, Esa. 40. v. 26.

Nec minus commonefimus de veritate ejusdem, ipse siquidem dixit: Invoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me, Psal. 50. v. 15.

Sicut igitur ante octiduum ad *Rogate* invitati sumus per Christum, quando dixit: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit perfectum. Ita hodiè *Exaudi* sequitur, ubi Christus iterum de Spiritu sancto à Patre nobis mittendo, certiores nos reddit, quod sit Consolator in adversitate, Doctor in ruditate, & Ductor in veritate.

Nos pro instituti ratione videbimus,

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.
Exegesis.

Vera Ecclesia Christi in his terris non immeritò vocatur lilium inter spinas, Cant.

Cant.2.v.2. sicut enim lilium inter spinas quidem pulchrum est, & jucundum odorem spirat, nihilominus tamen ab illis læditur & compungitur: ita Ecclesia est ejus Hef-ziba sive Adamata, Esa.62. v.4. & odor vestimentorum ejus, sicut odor thuris, Cant.4. v.11. intereà tamen inter spinas versatur, hoc est, impios, qui spinis conferuntur, Ezech.2. v. 6. à quibus multis injuriis afficitur, ut Christus ipse in prælectâ Pericope indicat. Quemadmodum enim Oceanus semper salsus & amarus manet, licet omnes aquæ dulces influant, & Deus ipse pluvias suas in illum mittat: Ita impius Mundus naturam non mutat, quò minus persequatur pios, ubi intereà benigna Evangelii pluvia, & aliæ benedictiones, quas Deus super impios quoque effundit, pereunt, sermo enim, quem audiunt & non faciunt, judicabit eos, in novissimo die, Joh. 12. v. 48.

Querela respicit

I. *Multiplicem piorum calamitatem*, quam Christus indicat his verbis: Absque synagogis facient vos. Sed veniet hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur cultum se præstare Deo.

Gemina persecutio in his verbis exprimitur: prima juxtà Christum fiet

1. *Per viam excommunicationis.* Hujus hæc ratio erat: Si quis contrà legem Mosis doceret & viveret, Pontifices, Seniores & Scribæ, verbis amicis eum commonebant. Nisi locum relinqueret admonitioni, flagellabatur: si tùm quoque perseverabat, excommunicabatur, & à synagoga excludebatur, ut nemo cum ipso familiariter conversaretur, ederet & biberet, quin velut Ethnicus & publicanus habebatur, Matth.18. v.17. Fuitque hæc pœna & ignominia inter Judæos maxima, quam & Principes pertimuerunt, ex quibus multi in Christum crediderunt: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è synagogâ non ejicerentur, Joh.12. v.42.

2. *Per viam trucidationis.* Judæi non amplius libera Resp. sed Romano Dominio subjecti erant, propterea non licebat ipsis occidere quenquam, ut ipsi coràm Pilato confitentur, Joh. 18. v.32. Verùm zelus, iracundia, & vindictæ cupiditas quandoque prævaluerunt, ut manus non continuerint, ut Stephani exemplum testatur, Act.7. v.57. confer Act. 23. v.14.

Potissimum verò Servator his verbis respicit gentilium persecutiones, ubi tanta Christianorum strages edita, ut vix à Judæis tot agni Paschales mactati, quot Christiani in N. Test. igne, gladio, bestiis, aliisque modis nefandis trucidati sunt. Hîc Christus in genere tantùm occisionis mentionem facit. Quando enim hostes & persecutores Evangelicæ veritatis corpus occiderunt, tum ultra nihil quicquam efficere possunt, Matth.12. v.4.

Hæc verò trucidatio variis modis in membra Christi exercita est. Petrus & Andreas crucifixi, Jacobus & Paulus capite truncati sunt, Johannes in oleo fervido lixatus, Bartholomæus vivus excoriatus, Stephanus lapidatus, alii alio modo interfecti sunt, & ut breviter complectar, sanguis Christianorum tanquam aqua effusus est, Psal.79. v.3.

Adhuc hodiè à Pontifice Romano ut hæretici excommunicamur, variisq; modis affligimur, quod tamen non adeò insolens videatur nobis, quia eadem sors Prophetarum, Apostolorum, quinimò ipsius capitis Christi fuit, Si de mundo fuissetis, mundus

quod suum erat, diligeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus, inquit Servator, Joh.15,19. Ecclesia Cainica semper est sanguinaria, vera autem Ecclesia non sitit sanguine, quia sponsus ejus agnus est, inquit vetus ille Ecclesiæ Doctor. Luporum natura non aliter fert, quam ut ovibus insidientur, nec gregi parcant, Actor.20.v.29. ideoque & partem habent, non in ovili Christi, sed in stagno, ardente sulphure & igne, quo omnes exsecrati & homicidæ pertinent, Apoc.21.v.8.

II. *Cultus imaginativi vanitatem*. Arbitrantur enim se per excommunicationem & interfectionem illam, cultum præstituros Deo. Id vero à Diabolo didicerunt, qui mendax & homicida ab initio est, Joh. 8. v. 44. & quia ab eo se regi & seduci sinunt, æmulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam, Rom.8.v.2. ut interficiant animas, quæ non moriuntur, & vivificent animas, quæ non vivunt, Ezech.13.v.19.

Jesabel occisura probum Naboth, prædicabat jejunium quasi opus Deo gratum machinaretur, 1.Reg.21.v.9.

Quantam tragœdiam Carolus IX. Galliæ Rex in nuptiis suis cũ Evangelicis egerit, sine horrore vix memorari potest, nihilominus, postquam multa millia trucidaverat, quasi re bene gesta, argenteos & aureos nummos, cum gloriosis talibus inscriptionibus: Virtus in Rebelles: Pietas excitavit justitiam, Carolus IX. rebellium domitor, flavit. Pontifex quoque Romanus Cardinali Lotharingio tam optatum afferenti Evangelium, mille aureorum Evangelia numeravit, D. O. M. in Marci templo gratias solenni ritu egit, & in Hadriani mole publicæ lætitiæ signum, facta tormentorum displosione dedit.

Hæc ita tyrannorum & hæreticorum summa animi voluptas est, si Ecclesiam Christi astu vel violentia infestent: Congregantur, & speculantur, plantas meas observant, ut exspectent animam meam, ait David Psal. 56.v.7.8.

Veri Christiani minus hoc ipso offendantur, & fiduciam suam in Deo ponant, qui non dormit, neque dormitat, Ps.121,4. sed inspectatio in electis ejus, quoniam gratia & misericordia in Sanctis ejus, Sap.3,9. quod si aliquando concedat, ut hostes in caput fiant, Thren.1, 5. multas injurias inferentes, & sæpe corpus ipsum occidentes: attamen sciunt, quod animam occidere non possint, Matt.10,28. Die novissimo justum erit apud Deum, reddere iis, qui affligunt nos, afflictionem, 2.Thess.1.v.6. ubi quilibet videbit, quod sit inter justum & impium, Mal.3.v.ult.

Interea quilibet, non quod sibi rectum videtur, faciat, Deut 12,8. sed ductum verbi sequatur. Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, Mich.6.v.8.

Quodcunque igitur cum hac regula non concordat, ἐθελοθρησκεία est, Col.2.v.ult. nec Deo placet, licet homo se cultum ei præstiturum arbitretur. Ad legem namque & testimonium, Esa.8.v.19.20.

III. *Hostium veritatis cæcitatem*, de qua Servator: Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.

Hic hostes veritatis nobis describuntur

1. *Tanquam fratres ignorantiæ*. Deum ejusque verbum nescientes, ideo cæco zelo perciti, orthodoxos condemnant, antequam, quæ confessio eorum sit, explorarunt. Sicut & Tertullianus de gentilium per-

persecutionibus scribit: *Solum tantummodo nomen in Christianis damnabatur*. Idem adhuc hodiè Lutheranis accidit, ab hostibus veritatis, Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, à quo denominati sumus? Jac.2.v.7. Verùm quid mirum? sunt cœci & cœcorum Duces, Matt.15.v.14.

2. *Tanquam homines supinæ inconsiderantiæ*, qui inconsideratè, quasi frivola res sit, Christianorum sanguinem effundunt, non considerantes, quod Deus aliquando illorum sanguinem judicaturus, & vindicaturus sit, Apoc.6.v.10. hoc inde est, quia verâ Dei cognitione destituuntur, & Scripturam aspernantur, hinc omnis, qui non cum ipsis facit, gravis etiam illis est ad videndum, Sap.2.v.14.

Perpendamus modò, quanto Pontificii rapiantur zelo, ratione Missæ, invocationis Sanctorum, Processionis, prohibitionis carnis, & similium hominum traditionum, omni Scripturæ fundamēto destitutorum. Contrà nos tanquam hæreticos excommunicant, & damnant, propter veram Religionem ex omni parte cum Scripturâ consentiētem. Nōne verò absurdissimi, qui pretiosum à vili, lucem à tenebris, separare nequeunt, semper errantes corde, Psal.95. v.10. & tenebras magis diligentes, quàm lucem, Joh.3 v.19. & ut, quod res est, dicamus: qui claudunt Regnum cœlorum ante homines: ipsi non intrant, nec introëuntes intrare finunt, Matth.23.v.13.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex Christi curâ*. Ad Patrem enim abiturus, & visibilem præsentiam suam Apostolis suis subtracturus, alium ipsis Paracletum promittit, à Patre mittendum. Hoc maximopere indigebant Apostoli, quilibet enim odio infensissimo eos prosequebatur, ut quasi cum scorpionibus habitarent, Ezech.2.v.6. tanquam purgamenta mundi, omnium peripsema, 1.Cor.4.v.13. & nisi hunc Paracletum habuissent, mirum non fuisset; si periissent in afflictione suâ, Psal.119.v.92. Propterea optimè Christus illis consuluit, quando Spiritum sanctum illis misit à Patre suo, quo adversus Spiritum mœroris & homicidii confirmati sunt, ut cum Paulo dicere potuerint: In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, 2.Cor.4 v.8.

Cum Præpositus pincernarum Pharaonis in locum suum restitutus esset, succedentibus prosperis, oblitus est Interpretis sui Josephi, Gen.40.v.ult.

Hoc verò Servator minimè fecit: sed ad dexteram Dei Patris exaltatus, Apostolorum memor, Spiritum sanctum visibiliter super eos effudit, ut quasi renovati, omnibus linguis magnalia Dei locuti fuerint, Act.2.v.11.

Adhuc hodiè non orphanos relinquet fideles suos, Joh.14.18. sed Spiritum gratiæ, Hebr.10.v.30. Spiritum precum, Zach.12. v.10. Spiritum sapientiæ, Esa 11 v.2. Spiritum potentiæ, 2.Tim.1.v.8. Spiritum adoptionis, Rom.8.v,15. cordibus nostris immittet, ne in ullis anxietatibus desperemus: sed Spiritu ferventes, spe gaudentes, in tribulatione patientes semper inveniamur, Rom.12.v.12. Dominus enim memor est nostri, & benedicit nobis. Benedicit domui Israel, benedicit domui Aaron, benedicit omnibus, qui timent Dominum pusillis cum majoribus, Psal.115.v.12.

II. *Ex Spiritus sancti naturâ.* Describitur enim

1. *Tanquam Consolator.* Hoc encomion ei κατ᾽ ἐξοχὴν competit, quia est summus Consolator in omnibus adversitatibus, & plus solatii afferre potest, quàm mundus afflictionis inferre. Est enim verus Deus cũ Patre & Filio, nec loquitur nuda verba, sed opera, quæ loquitur facit. Ezech. 17. v. ult.

Cum Demetrius Phalaræus à Magistratus officio deponeretur, & in exilium ageretur, confirmabat eum Crates, dicens: Quid mœstus es? Nihil mali accidit tibi, hoc enim modo gravi onere levatus es, quod Imperium post se trahit. Hoc solatiĩ quidem non plane aspernandum erat. Sed Spiritus tamẽ efficacius consolatur, quando exules Christi ita erigit: In domo Patris mei mansiones multæ sunt, Joh. 14. v. 2.

Simile solatium suppeditat Spiritus S. in omnibus ærumnis, ideò confidamus in omnibus afflictionibus, & in morte quoq; speremus, quia ejusmodi Paracletum habemus, qui certos nos reddit, quod momentanea levitas tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operetur in nobis, 2. Cor. 4. v. 17. ad quam passiones hujus temporis non condignæ sunt, Rom. 8. v. 18.

II. *Tanquam Testificator*, cui omnes credere, ejusque testimonio nos subjicere debeamus. Testimonium enim ille perhibebit de me ait Servator. Hoc factum per prædicationem Evangelii, adeò enim cordatos Apostolos reddidit, ut virtute magna testimonium reddiderint resurrectionis JEsu Christi, Actor. 4. v. 33. ubi in Gr. est vox ἀπεδίδων, quâ innuitur, quòd hanc παῤῥησίαν non à seipsis habuerint, sed antè à Spiritu sancto acceperint, & sic de thesauro ejus aliquid depromentes reddiderint, hinc Servator: Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, Matth. 10. v. 20.

Sed & idem adhuc hodie fit per internam certitudinem, quam Christus in cordibus fidelium operatur. Non enim Spiritum servitutis accepistis in timore, Rom. 8. v. 15. In hoc certò confidere possumus: Si enim testimoniũ hominum accipimus, testimonium Dei majus est, 1. Joh. 5. v. 9.

III. *Ex Crucis usura.* Eò collineat Christus, quando dicit, se hæc locutum esse discipulis, ut si crux ingruat, nõ offendãtur, sed reminiscantur, quod idem dixerit illis.

Hinc elucescit, quod quemadmodum Deus in initio Creationis omnia ordinavit, in numero, pondere & mensura, Sap. 11. v. 21. ita etiam cujuslibet crucem libraverit, quam magna; trutinaverit, quam gravis; & dinumeraverit, quàm longa futura sit: plus minus neque Dæmon neque mundus nocere valet: Capilli capitis etiam numerati sunt, Matth. 10. v. 30.

Cum Hispani novum orbem sibi subjecissent, magnam sævitiam in incolas exercebant, quibus, quod apud nos asini, equi, boves, ferunt, trahunt vehunt, ferendum, trahendum, vehendum imponebãt. Quinimò durius adhuc tractabant illos, dum singuli sæpè centum & octoginta librarum onera, per iter centum & ducentarum leucarum transportare cogebantur, ut multi myriades hoc ipso occubuerint. Ita Deus noster in nos non affectus est: sed licet suis quandoque onus imponat, tamen & eorum salus est, Psal. 68. v. 20. nec patitur quenquam tentari, suprà id, quod potest,

1. Cor.

1.Cor.10. v.13. iccirco non modo de cruce prædicavit in verbo suo, sed & liberatio semper adjuncta est: Multæ tribulationes justorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus, Psal.34.v.20. Quando proinde concionem ejus de cruce impleri videmus, non dubitemus, quin & promissio futuræ liberationis implenda sit: neque enim in æternum dabit afflictionem justo, Psal.55. v.23. sed liberabit nos ab omni opere malo, & salvum faciet, in Regnum suum cœleste, 2.Tim.4.v.18.

De *Tertio*.

RESTAT *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

I. *De Christo testare*. Id Christus ab Apostolis requirit, propterea ait: Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. In Græco est vox μαρτυρεῖται, quæ & imperative & indicative exponi potest. Primo ita, ut sit, testimonium perhibetote, ut Cyrillus & alii veterum Doctorum exposuerunt. Deinde testimonium perhibetis & perhibere potestis, intellige, in præsentia, quando id requiritur, quod innocens sim, & hostibus meis ansam persecutionis minime præbuerim, sed potius salutem eorum pro virili procuraverim. Lutherus in futuro expressit, testificabimini, ihr werdet zeugen/ ex indole Hebraicæ linguæ, vi cujus sæpe præsens ponitur, & futurum intelligitur. Quicquid hujus sit, quomodocunque capiatur, parum refert: hoc tamen firmum manet, quod Apostoli Christi testes esse debeant, idque propterea quia ab initio cum Christo fuerint, ejusque miracula non modo viderint: sed & conciones ejusdem audierint, Luc.1.v.2. Act.10.v.41. 2.Joh.1. vers.18.

Cæteroqui, Christum variis testibus usum, quibus mundo se revelarit, novimus: Testimonium de eo perhibuerunt omnes Prophetæ, Act.10.v.43. sancti Angeli, qui Pastoribus Bethlehemiticis nativitatem ejus annunciarunt, Luc.2. v.10. Pastores ipsi glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, Luc.2. v.20. Magi ex Oriente, qui venerant adorare eum, Matth.2.v.2. Simeon & Hanna Luc.2.v.30.38. Johannes Baptista, qui venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, Joh.1.v.7. Quin & Deus Pater ipse, inquiens: Hic est Filius meus dilectus, hunc audite, Matth.3. v.17. c.17. vers.5. hinc nubem nos testium circumpositam habere dicimus, si adspiciamus in Ducem fidei & consummatorem Jesum, Hebr.12.v.1.2.

Hodie testimonium hoc omnibus fidelibus verbi ministris demandatum est, ut Ministerium Spiritus obeant in his terris, 2.Cor.3.v.6. iccirco Spiritum sanctum bifariam habent: Semel pro seipsis, ut alii Christiani, super quos in lavacro regenerationis Spiritus sanctus effunditur, Tit.3. v. 5. Deinde ratione officii, sunt enim organa Spiritus sancti, & quicquid faciunt, non ipsi faciunt sed Spiritus sanctus, qui per ipsos efficaciter operatur, 1. Thess. 4.v.8.

Sicut igitur hîc Spiritus sanctus, Spiritus veritatis dicitur: ita etiam illos, qui munus ejus obeunt, in omnem veritatem ducturus est, Joh.16.v.13. ut minus dubitemus, quicquid inspiratione Spiritus sancti lo-

loquuntur, illud veritati consentaneum,& infallibile fundamentum esse, in quo fidem nostram fundare possimus. Habemus enim firmiorem sermonem Propheticum,&c. 2. Petr.1.v 19.

Testes sint

1. *Veraces.* Verbi itaque Præcones Scholam Christi frequententent,& quid testificati de eo debeant, discant oportet. Sint Scribæ docti ad Regnum cœlorum, Matt. 13.v.52. discant à puero sacras literas, exemplo Timothei, 2.Tim.3.v.15.

2. *Unanimes.* Ecclesiæ enim consensus, Satanæ interitus, & ubi fratres in unum habitant, illic mandavit Dominus benedictionem & vitam, usque in seculum, Ps.133.ult.

3. *Inculpabiles.* Videant igitur verbi Præcones, ut id quod alios docent, & ipsi vita pia demonstrent, & opere expleant: Nisi enim hoc fecerint, idem illis eveniet, quod Scribis Hierosolymitanis, qui Magis ex Oriente indicabant, Christum in Bethlehem natum iri, ibique ab ipsis inventum: cum tamen ipsi domi remanerent, eundemque negligerent, Matth.2.v.5.

His proprietatibus si Ecclesiæ Doctores instructi sunt, testes officio Spiritus sancti idonei esse possunt: sed non nisi vocati, ut alias testes à Magistratu rite vocatos esse convenit. Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur? Rom. 10.v.15.

Quod vero hîc κατ᾽ ἐξοχὴν Verbi Præconibus attribuitur: id certo modo de omnibus Christianis dici potest. Quando enim verbum Christi observant,& pro virili vitam ad illud componunt, testimonium perhibent de Christo, quod sit Dominus & Magister suus, cui in baptismo servire in sanctitate & justitia coram ipso se devoverunt, Luc.1.v.75. Sicut igitur alias dicitur: Credidi, propter quod locutus sum, Ps.116. v.10. ita & verus Christianus veritatem defendat usque ad mortem, si coronam vitæ reportare velit, Apoc.2.v.11. Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, Matt.10.v.21.

II. *Ne scandalizare.* Propterea enim Christus discipulis suis hanc concionem de cruce habuisse testatur, ut ne scandalizarentur, sed meminerint potius, ubi multum crucis, ibi multum lucis & consolationis esse. Et sicut abundant Passiones Christi in nobis; ita & abundet consolatio nostra, 2.Cor.1.v.5.

Apostoli hactenus aureos montes sibi polliciti erant, de terrena felicitate, qua in Regno Christi frui vellent. Id non latebat Christum: ideo ipsis hîc de excommunicatione & interfectione prædicat, & addit: se ideo ipsis id locutum, ne scandalizarentur.

Si Grammaticis credimus, scandalum lingula est, qua decipula tenditur, & adornatur. Simulac igitur, mus, mustela, vel aliud animalculum se insinuat, & lingulam tangit, decipula clauditur, & mus capitur.

Sic Diabolus diversas decipulas nobis tendit. Semel in prosperis, ut in illis efferamur & cum impio mundo in latam viam, ad damnationem ducentem, aberremus, Matth.7.v.13 deinde in adversis, ut fiduciam nostram abjiciamus, ut Saul Pythonissam consulens, cum Deus ei non responderet, 1.Sam.28.v.6.seqq.

Utrumque vitemus oportet. Ne dicas,

sufficiens mihi sum, Sir.11.v.26. Imprimis vero crucem ne aversemur, non enim ex intentione mala nobis immittitur, sed quos diligit Dominus, castigat, Hebr.12. vers. 6.

Hortulanus, si arborem frugiferam habeat, sæpe eandem visitat, putat & mundat à luxuriantibus & retorridis ramis: arbores vero sylvestres luxuriari sinit dum detruncet eas, & igni mancipet: Eodem modo Deus cum nobis agit, Impios, tanquam arbores infrugiferas, non dignos æstimat, quos falce crucis putet: veros vero Christianos falce crucis continue mundat, & amputat, quo sinceri & sine incommodo in diem Christi sint, Phil.1.v.10.

Quando igitur cœlestis Pater castigat te, inde colligere potes, quod non spurius, sed Filius ejus sis, Hebr.12.v.8.

Quando tibi ut Dux gloriæ calicem crucis propinat, inde intelligis, quod te sanare & salvare velit. Omnis enim disciplina in præsentia quidem non videtur esse gaudii, sed mœroris, postea autem fructum tranquillum, exercitatis per eam, reddet justitiæ, Hebr.12.v.11.

Quando ille, ut cœlestis hortulanus falce crucis resecat, quæ impedimentum saluti tuæ allatura sunt, ex eo perspicis, quod fœcundam arborem reputet te, quam tandem ex mundo hoc in cœlestem Paradisum translaturus est, ubi justi, ut palma virebunt, & sicut cedri Libani crescent, Psal. 92.v.13.14.

III. *Verborum Christi recordare.* Hic Christum ad discipulos dicere audimus: Hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

Ante præmonuerat eos ratione scandali. Jam in fide eosdem confirmaturus est, quando ipsis reminiscentiam verborum suorum tempore crucis injungit. Illud finis remotivus est, quo scandalum ab illis remorum it: hic finis consecutivus, quo illos in bono, & maxime in fide confirmare vult, ut nulli ambigant, quin Christus verus promissus mundi Messias sit, quia omnia ipsis obventura dudum ante præscivit. Hanc Cyrillus indigitat, quando ait, ideo factum: ut in ipso persecutionis tempore illorum certior ab eventu rerum, stabiliorque fides efficeretur: quomodo enim natura Deus non est, qui futura ut præsentia novit?

Nos sermonem Christi hodietenus adhuc habemus in Scripturis, illæ enim sunt quæ testificantur de ipso, Joh.5.v.39. ideoque illas in memoriam revocemus nobis tempore tentationis, juxta illud: Psal.119. v.93.v.50.

Recordemur ejusdem

1. *Tempore externæ tribulationis.* Crucis exercitus sæpe militant adversus nos, Job. 10.v.17. ut nesciamus, quid agere debeamus, 2. Chron.20.v.13. Verbum enim Christi immotum perstat: Non relinquam vos orphanos, Joh.14.v.18. in hoc tutò confidamus, quoniam postremum justo pax, Ps.37.v.37. Tob.3.v.21.

2. *Tempore internæ tentationis*: quando Satanas tela sua ignita in nos torquet, Eph. 6.v.17. ut ratione peccatorum commissorum in spirituales tentationes incidamus, quiritantes cum spirituali Sion: Dereliquit me Dominus, Esa.49. v.14. ibi iterum non melius nobis consulere possumus, quam si cum cœlesti sponso nostro in viri-

dari-

diarium ejus ambulemus, & elegans flosculum plenum consolationis decerpamus, Ps.65.v.5.

3. *Tempore ultimæ emigrationis.* Quando oculi non amplius vident, aures non audiunt, lingua non loquitur, pedes non ambulant, & manus non palpant: tum sane consolatione vel maxime opus est. Unde vero eam hauries nisi è fontibus Israelis? in quibus mors piorum describitur, velut placitus somnus, Joh.11.v.11. tanquam abitus ad Patrem, Joh.16,5. ut liberatio ex omnibus molestiis, Phil.1,23. quis igitur eandem exhorresceret, & non potius spe instantis liberationis cum Paulo exclamaret: Cupio dissolvi, & esse cum Christo, Phil.1.v.23.

Sicut igitur pius ille Josephus in fertilitate septem annorum magnam frumenti copiam collegit, ne homines ingruente annonæ caritate fame interirent, Gen.49.v.49. Ita etiam quilibet Christianus, dum mens est sana in corpore sano, templum assidue frequentet, & verbum Dei cum devotione debita audiat: quo tempore tribulationis cor suum eo confirmare possit. Licet enim inpræsentiarum non appareat quam utilitatem sententia hæc vel illa afferat, tamen suo tempore experiemur, nullum verbum sine insigni utilitate esse, quando vexatio ingruit, quæ dat intellectum, Esa.28.v.19. Adsit nobis gratia Christi, Amen.

IN FESTO PENTECOSTES.

Evangelium, *Joh.* 14. *v.* 24. - 31.

EXORDIUM.

CUm mirandus Propheta Elias, jussu Dei, ad montem Horeb venisset, ibique in spelunca pernoctaret: sermo Domini factus est ad illum, ut egrederetur spelunca: quod cum Elias fecisset, Dominus transibat, & ventus vehementissimus & fortis, dirumpens montes, & conterens petras, ante Dominum: non in Spiritu Dominus, & post Spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus, stetit in ostio speluncæ, & loquebatur cum Domino, 1. Reg. 19.v.9.

Hæc mirabilis Historia est, in qua non modo idea visibilis Spiritus sancti effusionis ostenditur, in qua similiter sonus de cœlo, tanquam advenientis Spiritus vehementis auditus est, Act.2.v.2. sed discimus quoque hinc, quomodo Deus in nos homines, præcipue vero fideles affectus sit, quia hic Eliæ in summa animi perturbatione versanti, in sibilo auræ tenuis se manifestavit. Etenim caritas ipsa, 1. Joh. 4.v.8. hinc non potest, quin diligat illos qui

vera

vera fide ipsum amplectuntur, ut Moses non temere exclamet: Diligit populos, Deut.33. v.3.

Inspicite cœlum & terram, & omnia, quæ in eis sunt: quid aliud illa sunt quam testimonia caritatis erga lapsum genus humanum. Omnia quippe propter hominem, sed homo propter Deum, ut ejus beneficia laudet, Deumque glorificet, Psal. 50.v.15.

Inter omnia vero dilectionis divinæ testimonia, illud maximum & præcipuum est, quod propter homines, Filium suum unigenitum in carnem misit, & Paracletum Spiritum sanctum super Apostolos effudit, & indies adhuc in corda nostra effundit, ut ita, sicut Bernhardus optime sentit, totus exercitus cœlestis homini quasi ministret. Angeli mittuntur ad tuendum nos, Filius Dei ad redimendum, & Spiritus sanctus ad sanctificandum. Imo hoc extra omne dubium est, si Deus, cœlestis Pater, sublimius & carius quicquam habuisset Filio suo & Spiritu sancto, quod & illud nobis ex ardentissimo in nos amore non denegasset. Deus Filius & Deus Spiritus sanctus ejusdem essentiæ sunt, cum Patre, ejusdemque Majestatis & gloriæ. Quando igitur Filium & Spiritum sanctum nobis dat, donum sibi æquale nobis exhibet. Hæc caritas est, quæ Angelorum, nedum hominum linguis exprimi nequit: sicut & Deum cœli cœlorum non capiunt, 1. Reg.8.v.8.

Hac de re agitur in præsentia in Ecclesia Dei, maxime quod visibilem Spiritus sancti effusionem concernit, quam Christus Discipulis promisit, & quinquagesimo post resurrectionem die præstitit, unde & præsens festivitas nomen accepit, quod à Græcis πεντηκοστὴ vocata fuerit. Nos hac vice pro instituti ratione meditaturi sumus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

II.

Exegesis.

Quando Judæi in V. T. Pentecosten suam celebrabant, tenebantur Domino sacrificium cibatorium novum afferre, panes Movendæ duos, de duabus decimis similæ fermentatæ, ut constat ex Levit. 23. v.16.

Hæc figura debiti Christianorum fuit, quod hodietenus spiritualiter nobis observandum est, postquam per Christum creatura nova effecti sumus, 2.Cor.5.v.17. & hoc fine Spiritum novum accepimus, Psal.51. v.12. ut ab illo agamur, & ducamur, ne secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulemus, Rom.8. v.1. tanquam aquilæ renovatæ, Psal.103. v.5. quæ sursum feruntur, sapientes quæ sursum sunt, non quæ super terram, Col.3.v.2.

Id docet nos prælecta Pericope, quam pii Veteres in Pentecostes festo in Ecclesia declarandam ordinarunt.

Querela respicit

1. *Amatorum Christi raritatem.* Qui non diligit me, dicit Christus, sermones meos non servat. Hoc axioma convertibile est, utrumque siquidem verum: Qui Christum non diligit, sermones ejus non servat: & qui sermones ejus non servat, vere quoque di-

cere nequit, quod eum diligat, hæc enim caritas Dei est, ut mandata ejus custodiamus. 1. Joh. 5. v. 3.

Quodsi igitur præsentem mundum intueamur, nemo non amator Christi videri vult: verùm praxis ipsa contrarium proh dolor! testatur. Plurimi enim verbum Dei susque deq; habent, dicentes cum Auditoribus Esaiæ: Manda, remanda, Esa. 26. v. 13. Non ambulabimus, Jerem. 6. v. 17. Quî igitur dilectionem Christi profiteri possunt?

Occurrunt Exsecratores & blasphemi, qui Sacramenta, vulnera, sanguinem & mortem Christi in vanum adhibent, iisque proximo mala quæque imprecantur, & tamen Christianorum nomine superbiunt. Verùm non bona est gloriatio vestra, 1. Cor. 5. v. 6. Qui enim, inquit Christus, diligit me, sermonem meum servabit, qui verò non diligit me, sermones meos non servat. Hinc elucescit, hujusmodi blasphemos & exsecratores non partem habere cum Christo, sed eundem denuò crucifigere, & sanguinem testamenti pollutum ducere, in quo sanctificati sunt, Hebr. 6. v. 6. & 10. v. 29.

Occurrunt scortatores & adulteri, qui ut equi libidinosi ad uxorem proximi sui hinniunt, Jer. 5. v. 8. & tamen Christi nomen usurpant. Verùm decipiunt seipsos, qui enim diligit me, dicit Christus, sermonem meum servabit &c. Atqui verbum Christi vult, ut non modò in operibus, sed & in verbis & cogitationibus castimoniæ studeamus, & ex adverso omnem libidinem vitemus: quia omnis, qui viderit mulierem, ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo, Matth. 5. v. 28. Unde constat, ejusmodi homines impuros, inter amatores Christi non numerandos, sed pertinere ad synagogam Satanæ, qui Spiritus immundus dicitur, Luc. 11. v. 24.

Inveniuntur fœneratores qui iniquis usuris proximum aggravant, & violenter tollunt pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum, Mich. 3. v. 2. Attamen Christi amatores videri volunt. At quia mandatum Christi de fraternâ caritate non observant, frustrà se Christum diligere gloriantur, 1. Joh. 4. v. ult.

Hinc ergò constat, quam rara avis in terris sint amatores Christi, hinc Dei benedictio quoque evanescit, & omnia commercia jacent. At unde hoc? Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit Anathema, Mahoram-motha, 1. Cor. 16. v. 22.

II. *Pacis mundanæ vanitatem*, de quâ Christus: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Ex quo apparet, inter pacem Christi, & pacem mundi ingens discrimen esse. Multæ enim insidiæ dolosi, Sir. 11. v. 31. Christus verò testis fidelis est, Apoc. 1. v. 5. qui veritatem custodit in seculum, Psal. 146. v. 6.

Nahas Ammonites cum Israelitis in Jabes-Galaad, in hoc fœdus ferire volebat, ut erueret omnium oculos dextros, 1. Sam. 11. v. 2.

Benadad quoque Syriæ Rex, nunciis ad Achab Regem Israel missis, illi intimabat: Argentum tuum, & aurum tuum, & uxores tuas, & filios tuos dabis mihi. Et licet Rex Israel responderet: Juxta verbum tuum, Domine mi Rex, tuus sum, ego & omnia

omnia mea: tamen non acquiescebat, sed & diripere urbem cogitabat, 1. Reg. 20. v. 4.

Quam egregiam, si Diis placet! pacem Senacherib Hierosolymis offerebat? Facite mecum, ait, pacem, & egredimini ad me: & comedet unusquisque de vineâ sua, & de ficu sua, donec veniam, & transferam vos in terram, quæ similis est vestræ terræ, 2. Reg. 18. v. 31. seqq.

Nec hodiè paci mundanæ nimium fidendum est. Diabolus enim, valdè negotiosus est, quò ignem belli succendat, quo vehementer delectatur. Unde eò diligentius oremus, ut Deus pacis conterat Satanam sub pedibus nostris brevi, Rom. 16. v. 20.

Intereà hoc solatium nostrum sit, quod pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum. Rom. 5. v. 1. hanc pacem neque Diabolus neque mundus nobis eripere valebit, exsuperat enim omnem sensum, Phil. 4. v. 7. quinimò major est, qui in nobis est, quàm qui in mundo, 1. Joh. 4. v. 4. *Pax cum mundo sæpè litigat cum conscientia*, ait Cassiodorus: sicut de Sodomitis dicitur, quod ipsis fuerit felicitas tranquillitatis & abundantia, quâ verò abusi sunt ad superbiam, & omnis generis peccata, Ezech. 16. v. 49. ideò pax externa non tàm respici debet, quàm interior conscientiæ pax, hâc si gaudemus, securi dicere possumus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. v. 32. seqq.

III. *Principis mundi hostilitatem*, quâ ultimo hoc tempore vel maximè sævit, sciens, quod modicum tempus habet, Apoc. 12. v. 12. hinc Christus: Venit Princeps mundi hujus, h. e. circumit, ceu leo rugiens, quærens, quem devoret, 1. Petr. 5. v. 8.

Quod Diabolus Princeps mundi hujus, h. e. circumit, ceu leo rugiens, quærens, quem devoret, 1. Petr. 5. v. 8.

Quod Diabolus Princeps mundi hujus dicitur, id semel ideò fit, quia Principatum sibi atrogat, qui tamen ipsi non debetur, ut constat ex Matth. 4. v. 9. Deindè quia Regnum suum habet in filiis incredulitatis, Eph. 2. v. 2. qui in omnis generis peccatis volutant se, & hoc ipso Diaboli Dominio se subjiciunt. Nam qui peccatum facit, ex Diabolo est: & in hoc manifesti sunt filii Dei, & filii Diaboli, 1. Joh. 3. v. 8. 10.

Idipsum hactenus vidimus, & adhuc videmus, dum Satanæ molimine omnia ferè sursum deorsum feruntur, in omnibus tribus Hierarchiis, nihilq; intermittitur, quod certum hominibus exitium inferre potest, undè non immeritò Abaddon, Apoc. 9. v. 11. dicitur, coràm illo enim gaudet mœror, Job. 41. v. 73.

O quoties aures hominum occupat, ne audiant verbum Dei, & inde fidem concipiant! Rom. 10. v. 17. quoties os, ne loquantur ad ædificationem necessitatis, Eph. 4. v. 29. quoties cor, ut inde exeant cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, quæ coinquinant homines, Matt. 15. v. 19.

Quilibet proindè immaculatum se custodiat ab hoc seculo, Jac. 1. v. 27. sicut Christus eum de mundo elegit, Joh. 15. v. 19. Diaboloq; tanquam communi adversario nostro verâ fide resistat, 1. Petr. 5. v. 9. ne aliquando pœnas det, interitum æter-

num, à facie Domini, & à gloriâ virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Patris redamatione.* Si quis diligit me, ait Christus, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum. Hæc ingens gratia est. Quamvis enim Deus cœlestis Pater universum orbem diligat, & ita etiam impios in mundo: sicut & Solem suum oriri sinit, super bonos & malos, Mal. 5. v. 44. & vult seriò, omnes salvos fieri, 1. Tim. 2. v. 4. attamen specialis inspectio in electis ejus, Sap. 3. v. 9. quos ut animam suam diligit, & ut pupillam oculi tuetur, Zach. 2. v. 8.

Sicut igitur insignem lætitiam affert piis subditis, si Principem suum sibi benè cupere norunt, sicuti Haman multis prædicabat, quod Rex Ahasverus super alios evectum in delitiis haberet se, Esther. 5. v. 10. seq. Ita nobis multò magis exultare convenit, quod Rex Regum nos gratiosè respexit, & gratiâ sua dignatur. Omnis enim homo mendax, Psal. 116. v. 11. Sed hic Dominus nunquam mutatur, Mal. 3. v. 6. omnia opera ejus in veritate, Psal. 33. v. 4. citius montes commovebuntur, & colles loco movebuntur, quam apex de verbo ejus deficiat, Esa. 54. v. 10.

Hinc non modò preces nostras exaudit, quando invocamus eum: sed & in angustiâ constitutos blandè consolatur, ne timeant, se enim adfuturum ipsis in tribulatione, erepturum, & glorificaturum eos, Psal. 91. v. ult. quod & opere ipso sæpius demonstravit: neminem enim unquam dereliquit, qui speravit in eo, Sir. 2. v. 11.

In hoc mundo Deus aliquando huic vel illi fidelem amicum conciliat, à quo sicut animam suam diligit, diligitur, ut Davidis & Jonathani exemplum probat, 1. Sam. 20. v. 17. Verùm facultas juvandi sæpè deest.

Qui verò Deum amicum habet, cum Assaph dicere potest: Quid mihi est in cœlo? & à te, quid volui super terram? Psal. 73. v. 25. Sicut enim nemo bonus est, nisi ipse solus, Matth. 19. v. 17. ita etiam ardenter diligit, Os. 11. v. 8. ut Pater, Psal. 103. v. 15. Mater, Esa. 49. v. 15. in caritate perpetuâ, Jer. 31. v. 3. Psal. 103. v. 17.

II. *Ex SS. Trinitatis inhabitatione.* Veniemus ad eum, dicit Christus, se, & Patrem cum Spiritu sancto, indigitans, & mansionem apud eum faciemus.

Hinc omnibus sinceris amatoribus Christi, qui corde & ore ipsum profitentur, & verbum ejus servare student, ingens gaudium suboritur. Deus Pater amat nos, Joh. 16. v. 27. & in hunc finem Filium suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum, 1. Joh. 4. v. 9.

Filius Dei, de oleo bono, quo unctus est, velut caput, aliquid in barbam & in vestimenta h. e. in Doctores & Auditores stillari fecit, Psal. 133. v. 2. & Spiritum sanctum super omnem carnem effudit, Joël. 2. v. 28.

Spiritus quoque sanctus, nullum discrimen observat, inter conversos Judæos & gentiles, ut Petrus testatur, Act. 10. v. 35. innuens gratum hunc hospitem, non modò super Apostolos effusum: sed & omnibus missum esse, ut gratiosâ suâ inhabitatione quilibet in ingressu, progressu & egressu vitæ fruatur.

In

In vitæ ingressu, super infantes effunditur, quando Christo in baptismo initiantur, Tit.3.v.5. quin & Baptistam in utero Matris replevit, ut in exultationis gaudio Messiæ adventum gratulatus sit, Luc.1.v.44.

In vitæ progressu templum & habitaculum suum ædificat, non modò in senibus, sed & in juvenibus, filiis & filiabus, Joël, 2.v.28. habitat in sene Simeone, Luc.2. v.26. habitavit in matre & avia Timothei, quarum utraque plena fidei & Spiritus fuit, 1.Tim.1.v.5. habitavit in Regio Psalte, per quem quoque locutus est, 2. Sam.23.v.2. habitat quoque in mechanicis, sicut in Besaleel & Oholiab, Exod.31. v.2. Summa: Nullus æger cum Jobo adeò infirmus, Job.33.v.19. nullus mendicus cum Lazaro adeò egenus, Luc.16.v.20. nullus famulus cum Onesimo adeò vilis est, Philem.v.10. quin habitaculum suum in iis figat Spiritus sanctus. Propterea non modò in Pentecostes festo super Apostolos effusus, sed jam tùm in V.T. Mosis ductor fuit, Prophetisque quid loquerentur, inspiravit: qui de futurâ gratiâ propherarunt, scrutantes, in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: prænuncias eas, quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias, 1.Petr.1.v.10. 11. sicut adhuc hodiè communicatio ejus nobiscum est, 2.Cor.13.v.ult. ut ejus instinctu, quæ recta sunt faciamus, clamantes: Abba Pater, Rom.8.v.16.

In vitæ egressu, virtute suâ nos confirmat, ne mortem horrescamus, quam suavissimis ideò nominibus insignit, quod sit abitus ad Patrem, Joh.14.v.2. pacifica dimissio, Luc.2.v.19. janua ad vitam, Joh.5.v.24. exoptata dissolutio, & dives lucrum, Phil.1.v.21. Quin ille ipse spiritus est, qui Iesum à mortuis resuscitavit, & quia in nobis quoque idem habitat, certi sumus, quod & nostra mortalia corpora vivificaturus sit, propter inhabitantem spiritum in nobis, Rom.8.v.11.

Quando igitur gratum hunc hospitem, Patrem, Filium & Spiritum sanctum nobiscum habemus, & quidem ita, ut templum & tabernaculum suum in cordibus nostris construxerit, meritò, quod nobis salus facta sit, adseverare possumus, sicut de Zachæo, ad quem Christus diverterat, dicitur: Luc.19.v.9.

III. *Ex officii Sp. S. designatione*, quod consistit

1. *In consolando.* Adjuvat enim infirmitatem nostram, Rom.8 v.26. dans lassis virtutem, Esa.40.v.79. secundum divitias gloriæ suæ corroborati, in interiori homine: & Christum habitare per fidem in cordibus nostris, Eph.3.v.16.

2. *In informando.* Ille vos docebit omnia, ait Servator: potissimùm, quomodo Deum ratione essentiæ & voluntatis cognoscamus. Nam, ut Hieronymus ait: *Omnis homo pecus est, absque notitiâ sui Creatoris.* Joh.17. v.3.

3. *In revocando.* Suggeret vobis, pergit porrò Servator, omnia, quæ dixi vobis. Naturâ rudes & insulsi sumus, ut non percipiamus ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1.Cor. 2.v.14 sicut Apostoli ipsi sæpè nesciebant, quæ illis Jesus loquebatur, Joh.16.v.18. Luc.18.v.34. quâ de causâ & sæpè ipsos ob fidem infirmam objurgavit, Marc.9.v.19. Nos insuper ita affecti sumus, ut facilimè bona quæ legimus, aut audimus oblivioni tradamus, instar viri, considerantis

faciem nativitatis suæ in speculo, & postquam consideravit se, abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit, Jac.1.v.23. Ideò Spiritum sanctum infirmitatem nostram adjuvare necesse est, ut non modò aperiat nobis sensum, Luc.24.v.45. sed & legem suam in corde nostro scribat, ut semper norma nostra sit, Jer.31.v.33. sic benè nobis erit, inveniemusque gratiam & disciplinam bonam, coram Deo & hominibus, Prov.3.v.4.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

I. *Verbum Christi serva.* Qui diligit me, ait Christus, sermonem meum servabit. Non dicit: Audiet sermonem meum; licet enim & hoc à vero Christi discipulo requiratur, ipso Christo teste: Qui ex Deo est, verbum Dei audit, Joh.8.v.47. attamen nudum audire non sufficit: sed & vita juxta auditum verbum componenda est. Si hæc scitis, beati estis, si feceritis ea, Joh.13.v.17.

Imprimis verò verbum Christi servandum est,

I. *Per fiduciam cordis.* Ne ulla creatura nos inde divellat, Rom.8.v.39. e.g. quando Servator clamat: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos, Matth.11.v.28. te quoque includas oportet, & quia tu quoque ex numero laborantium & oneratorum es, neutiquam de refectione dubites: Est enim Servator omnium hominum, maximè v. fidelium, h. e. eorum, qui sanctissimum ejus meritum, quod pro toto mundo præstitit, in individuo sibi applicant, 1.Tim.4.v.10. Id fecerunt Jobus, c.19.v.25. Paulus, Gal.2.v.20. Thomas, Joh.20.v.28.

Idem & nos faciamus, ut in omnibus adversitatibus, morte quoque ipsa ad verbum Christi tanquam ad sacram anchoram confugiamus. Amen, Amen dico vobis, ait Servator: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit, in æternum, Joh.8.v.51.

II. *Per confessionem oris.* Ne pudeat nos sermonum Christi, Marc.8.v.38. sed parati semper simus, ad satisfactionem, omni poscenti nos rationem, de eâ, quæ in nobis est fide, 1.Petr.3.v.5. Rom.10. vers.10.

Hoc nisi fit, sed confessio occultatur, ut diligas gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei, Joh.12.v.43. indicium sanè est, sermonem Christi apud ejusmodi homines in tenui pretio esse, aliàs illud confiteri minus vererentur, siquidem Christus expressè ait: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, Matth.10.v.28.

III. *Per conformationem operis.* Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis, ait Servator, Joh.15.v.14.

Quando igitur Dominus clamat: Agite pœnitentiam, appropinquavit Regnum cœlorum, Matth.4.v.22. non surdis auribus prætermittamus illud, sed resipiscamus, dum peccare possumus, ne tempus fortè nobis deficiat, à manè enim usque ad vesperam immutabitur tempus, Sir.18. vers.26.

Quando Christus clamat: Cavete, ne corda vestra graventur crapulâ, & ebrietate, & curis hujus vitæ, Luc.21.v.34. iterum cogitemus; sermonem Christi esse, eun-

eundemque opere ipso expleamus; In vino enim est *ἀσωτία*, Eph.5.v.17.

Quando Christus clamat: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem: vicissim nostrum erit, id observare, ubi enim dilectio non est, fides non est, siquidem fides per caritatem efficax est, Gal.5.v.6. Hebr.11.v.6.

Quando Christus dicit: Si quis vult pòst me venire, abneget seipsum, & tollat crucem suam & sequatur me, ex Matth.18. v.24. iterum meminerimus, non modò donatum nobis esse pro Christo, ut in eum credamus, sed ut etiam pro illo patiamini, Phil.1.v.29.

Hoc ita per omnes fidei articulos deduci potest, quos Christus, tanquam magnus ille Cancellarius à Patre missus, nobis revelavit, & enarravit, Joh.1.v.18.

Christum enim diligere & verbum ejus servare, nunquam separari possunt: propterea illi, qui Christum diligere se prætendunt, dum verbum ejus negligunt, ad numerum verè credentium referri nequeunt: sed hypocritæ sunt, qui ore dicunt, Domine, Domine, Matth.7. v.71. habentes speciem pietatis, 2.Tim.3.v.4. opere ipso verò similes sunt sepulchris dealbatis: quæ foris apparent speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ, Matth.23.v.27.

II. *Opem Spiritus sancti implora.* Quia enim Christus ita in prælecto Evangelio eum describit, quod sit spiritus, qui Apostolis suis omnia docturus sit, in omnibus Statibus ope ejus magnoperè indigemus: Verbi Ministri, ut doceat eos, quomodo rectè secent verbum veritatis, 2.Tim.2. v.16. virgam amabilem & dolorem ritè usurpent, Zach.11.v.7. & ita opus Evangelistæ facientes, ministerium suum impleant. 2.Tim.4.v.5.

Magistratus, ut instruat eos, quomodo justitiam parvo & magno administrare debeant, Deut.1.v.17. ne judicium supremi judicis subeant, & sicut tyranni cadant, Psal.82.v.7.

Mercatores, Opifices, & in genere omnes Christiani, ut informet eos, quomodo in vocatione sua ambulent, ne naufragium bonæ conscientiæ faciant, quæ auro & argento potior est. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur, Matth.16.v.26.

Imprimis, quod Christianismum nostrum concernit, Spiritus sanctus adeò prora & pupis est, ut etiam sine ipso Jesum Dominum dicere nequeamus, 1.Cor.12. vers.3.

Rectè itaque non domi tantùm & privatim auxilium Spiritus sancti imploramus, dicentes: Cor mundum crea in me Deus, Psal.51.v.11. sed & pii Veteres præclarè ordinarunt, ut sub initium cultus divini canamus:

Sanctum rogamus Spiritum,
Veram fidem potissimum,
Agone nos ut protegat,
In patriam quando avocat.

Equidem Papistæ illudunt nobis, objicientes, habere nos neque Fidem neque Spiritum sanctum, quia quotidiè propterea oremus. Verùm laterem lavant ipsi, non perpendentes, quod & Deus de iis invocari velit, quæ jam possidemus, sicut vel ex solâ Oratione Dominicâ luce meridianâ clarius elucescit. Deindè non sufficit, habere fidem,

fidem, sed requiritur etiam incrementum, sicut discipuli Christi quoque orant: Domine adauge nobis fidem, Luc. 17. v. 5. Quin & firmamentum necessarium est, ne à Christo fortè deficiamus, sed ad finem perseveremus, Matth. 10. v. 22. Hæc perseverantia carnis & sanguinis non est, sed donum Spiritus sancti, qui propterea invocandus est, ut nos in fide conservet. Non enim sufficit, ut participes Christi effecti simus: sed opus quoque est, ut initium substantiæ, usque ad finem firmum retineamus, Hebr. 3. v. 14.

Perge igitur invocare Deum, flocci faciens calumnias filiorum hujus seculi. Quemadmodum enim in mari feliciter navigaturus, secundo vento opus habet, aliàs adverso amne navigabit: Ita vita nostra nihil aliud, nisi navigatio est. Vehimur enim in impetuoso hujus mundi mari, & à decumanis fluctibus modò ad cœlos evehimur, modò usque ad abyssos dejicimur, Psal. 107. v. 26. ideò secundo vento perquam nobis opus est, qui naviculam nostram impellat, ne submergatur, sed in portum vitæ æternæ feliciter appellat. Est hic ventus cœlestis pentecostalis, Deus Spiritus sanctus, de quo Dominus, Esa. 57. v. 6. sine hoc vento contrariis velis navigamus. Non enim possumus Dominum Jesum dicere nisi in Spiritu sancto, 1. Cor. 12. v. 3. Hic ventus purificat aërem, reficit plantas terræ, affert benignum imbrem, quâ hæreditas Dei, quæ languebat, confirmatur, Psal. 68. v. 10. Propterea vela explicemus, Deumque oremus, ut naviculam nostram hoc gratiæ vento regere dignetur. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, Rom. 8. v. 14.

III. *Timorem servilem elimina.* Propterea Servator, ait: Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Propter peccatum malam conscientiam habemus, & perturbatam, quæ semper præsumit sæva, Sap. 17. v. 11. & efficit, ut cogitationes se invicem accusent, Rom. 2. v. 15. ut rectè Bernhardus: *Nulla pœna major est malâ conscientiâ, ipsa judex, ipsa tortor, ipsa carcer, ipsa accusat, ipsa judicat, ipsa punit, ipsa damnat.*

Sed hîc Christus nos bono animo esse jubet, semel, quia in viâ sit, ut ad Patrem abeat, emundaturus conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi, Hebr. 9. v. 14. Deindè quia nobis alium Paracletum procuraturus sit, nempè Spiritum dilectionis, 2. Tim. 1. v. 7. qui foràs mittit timorem, 1. Joh. 4. v. 18. & illos, qui se ab eo regi sinunt, animosos reddit quò juxtà verbum Dei vivant, patienter ferant, beateque moriantur.

Quodsi igitur res adversæ ingruant, fratres, reminiscamini verborum Christi: Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Fidelis enim est Deus, nec sinit quenquam tentari, suprà id quod potest, 1. Cor. 10. vers. 13.

Quodsi Diabolus telis ignitis suis à dextris & sinistris vos infestet, 2. Cor. 6. v. 8. non turbetur cor vestrum, Christus Magister salvationum est, sciens suos è tentatione eripere, 2. Petr. 2. v. 9.

Quodsi mors è regione viventium vos ablatura: Non turbetur cor vestrum. Ego sum resurrectio & vita, ait Servator, Joh. 11. v. 26.

Hinc B. Martyres alacres ad cruciatus properarunt, sicut de Hieronymo Pragensi Autor Pontificius memorat: Neminem unquam

unquam Philosophorum, tàm forti animo mortem pertulisse, & quasi ad epulas invitatum ad incendium properasse.

Sic Eusebius de Lucio Martyre refert, quod interficiendus ad Prætorem se converterit, dicens: Gratias ago tibi, quod à malis Dominis liberor, & ad Deum Patrem, Regem optimum proficiscor.

Vos quoque confidite Vos mei! non horrentes mortem, quæ Christianorum lucrum est, Phil.1.v.21. Non formidate sepulchrum: Christus enim lectum præparavit, ut ibi requiescamus ab omnibus laboribus nostris, Apoc.14.v.13. Nolite metuere Diabolum, quando peccatorum tabulam nobis ostendit, Christus enim delevit Chirographum, quod adversus nos erat, Col.2.v.14. nos jam læto animo mori possumus, nihil enim condemnationis in iis est, qui in Christo Jesu sunt, Rom.8.v.1. Quodsi nihil condemnationis in nobis, qui in Christo Jesu sumus, certissimi sumus salutis & vitæ æternæ, quam nobis Christus Jesus largiatur, Amen.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Evangelium Joh.3.v.1.-- 15.

EXORDIUM.

CUm Abimelech olim contrà Sichemitas expeditionem moveret, noctu impetum in illos facturus, vidit Gaal de montibus multitudinem descendentem, per viam, quæ respicit quercum Augurum: Zebul verò exercitum advenientem umbras montium putavit: at posteà Abimelech cum copiis suis adesse, cum damno suo comperit: qui oppugnatâ & captâ urbe, habitatores interfecit, urbemq; destruxit, ut ita sal in eâ dispersérit, Jud.9.v.30.seqq.

Hæc mirabilis historia est, quam tamen mysticè exponemus.

Abimelech truculentissimus Tyrannus erat, qui LXX. fratres suos trucidari jusserat, quò securius Regno frueretur, ut idem Turcicus Imperator hodiè in more habet. Imago est Diaboli, qui & Princeps hujus mundi dicitur, Johan.16.v.11. qui ubique cædes machinatur, & æque per Antichristum in Occidente, ac Machometem in Oriente, multa millia Christianorum innocenter perimit, sanguinem eorum tanquam aquam effundens, Psal.79.v.3. ita, ut æstimentur sicut oves occisionis, Psal. 43. v. 22. Nec tantùm hoc modo corpori insidiatur, sed etiam, & præcipuè quidem animæ, quando homines cœcitate & securitate obsidet, ut copias militares umbras montium reputent, veluti Sebul. Hoc est, non tantum periculum imminere putant, hinc dicunt: Neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus malum venturum est, Psal.75.v.7. hoc ipso verò astutè illos circumvenit, ut exitium non antè deprehendant, quàm omnes undæ super eos transierint, Psalm. 42.v.8.

Hac cœcitate & securitate laborarunt

Pharisæi tempore Christi, licet enim multa de lege verba facerent, & clavem scientiæ sibi arrogarent, Luc.11.v.52. attamen umbras montium homines putabant, i. e. fermento suo Pharisaico omnia corrupebant, rescindentes verbum Dei per traditiones suas, Marc.7. v.13. quin & Christum ipsum aspernabantur, qui tanquam vera lux omnem hominem illuminaturus in mundum venerat, Joh.1.v.9. tenebras magis diligentes, quàm lucem, Joh.3.v.19, & perseverantes in cœcitate hâc, donec infernalis Abimelech in exitium eos præcipitavit, & in direptâ eorum urbe sal dispersit, h. e. planè desolavit, quæ desolatio quoque ad finem perseverabit, Dan.9.v.ult.

In Prælectâ Pericope, quempiam ex illis, nomine Nicodemum, in corde suo convictum, noctu Christum accessisse audimus, metuentem, ne forte à Collegis suis excommunicaretur, ut decretum illis erat, Joh.9.v.22. Attamen hâc ratione ad agnitionem veritatis pervenit, ubi ex adverso reliqui omnes, velut Duces cœcorum in foveam ceciderunt, Matth.15.v.13. nempè in foveam æternæ damnationis, in quâ non est aqua, Zach.9. v.11. Esa.30.v.ult.

Videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

CElebramus hodie solenniter Festum SS. Trinitatis, ubi consideramus, quomodo Deus unus in essentiâ & trinus in personis sit; quod quidem Mysterium rationi nostræ comprehensibile non est. Ideoque pii Veteres Nicodemum nobis proposuerunt, ut exemplo ejus cautiores redditi, captivemus rationem nostram in obsequium Christi, 2.Cor.10.v.5. Beati enim qui non viderunt, & crediderunt, Joh.20.v.29.

Querela respicit

I. *Humanam timiditatem*, quam in Nicodemo deprehendimus. Noctu etenim accessit Christum, ne forte proderetur, ubi tamen melius fecisset, si omni metu seposito, Christum publicè professus fuisset. Corde enim creditur ad justitiam: ore confessio fit ad salutem, Rom.10.v.10. Non igitur hoc exemplum consignatum est in sequelam, sed in medelam, ut sciamus, Christum patienter laturum infirmitatem nostram, nec nos propterea abjecturum esse, juxtà promissionem Joh.6.v.37.

Videant hîc, qui cum Pontificiis hactenus hypocriticè lusserunt, ut & ipsi Nicodemi exemplo instructi, sicut ille corpus Christi publicè tandem terræ mandavit, Joh.19.v.39. eundem similiter confiteantur, ne ceu tepidi ex ore Christi evomantur, Apoc.3.v.16. Luc.9.v.26.

Quam verò excusationem illi afferent, qui noctu quidem cum Nicodemo egrediuntur: sed non ad Christum, verùm ad meretrices, ut scortatores & mœchi, qui observant crepusculum, Job.24.v.15. aut ad collusores & epulones, & sic tandem cum uxore & liberis ad incitas rediguntur, juxtà illud Salomonis, Prov.23. v.20. Joh.3.v.20.

Sicut igitur gratiâ Dei filii lucis sumus, Luc.16.v.8. non noctis neque tenebrarum, 1.Thess.5.v.5. ita abjiciamus opera tene-

tenebrarum, & induamur arma lucis, Rom.13. v.13. sic aliquando ex infaustâ hâc mundi Ægypto, qui & ipse terra tenebrosa dicitur, Job.10.v.21. in cœlestem Hierosolymam transferemur: ubi non ultrà nox erit: sed gloria Domini illuminabit electos, Apoc.22.v.5. ut & ipsi lux sint in Domino, Eph. 5. v.9. fulgentes sicut Sol in Regno Patris eorum, Matth. 13. vers. 43.

II. *Connexam stupiditatem*, ratione cujus ea, quæ sunt Spiritus Dei, non percipimus, 1.Cor.2. v.14.

Nicodemus Princeps Pharisæorum erat, & tamen adeò malè fundatus in fide suâ, ut Christus eum propterea reprehendens dicat: Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?

Id hodietenus nimis familiare in mundo est. Et sicut Apostolus Athenis aram reperit, quam Deo ignoto consecraverant, Act.17. v.23. Ita hodiè in medio orbe Christiano illa exstat, ubi stultorum plurimi inveniuntur, dicentium in corde suo, non est Deus, Psal.14.v.1. & licet ore confiteantur, se nosse Deum, tamen factis negant, Tit.1. v.ult. suntque utplurimum opulentiores & potentiores in mundo. Non enim multi sapientes secundum carnem, 1.Cor.1.v.26.seqq.

Hi quia Deum ignorant, vicissim hanc sententiam ex Christi ore audient: Non novi vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, Matth.7.v.23.

III. *Carnalem nativitatem*. Quod enim natum est, ait Christus, ex carne, caro est, & ita minus aptum ad Regnum cœlorum.

Hoc à peccato oritur. Sicut enim primus noster Parens Adam liberos genuit pòst lapsum, non ad Dei, sed suam imaginem, Gen 5.v.3. ita adhuc hodiè, omne figmentum cogitationum cordis nostri tantummodò malum est omnibus diebus, Gen.6.v.5. Caro enim concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem: hæc sibi invicem adversantur, Gal.5.v.17. ut non abs re vocemur: Generatio mala & adultera, Matth. 12. v.39. naturâ filii iræ, Eph.2.v.3. quin & abominabiles in oculis Dei, Job.15.v.16. deteriores irrationabilibus pecoribus, genitis in captionem & perniciem, 2.Petr.2.v.12. Neque enim bellua adeò sæva, canis non æquè invidus, felis non tàm infidelis, lupus non adeò rapax, vulpes non tàm astuta, basiliscus non tàm venenosus, sus non æquè lutulenta ac homo, qui tamen ad imaginem Dei creatus, meritò rationabiliter agere, & peccatis resistere deberet, ne regnent in mortali suo corpore, Rom.6.v.12.

Quodsi Protoplasti nostri in statu innocentiæ perstitissent, & imaginem Dei conservassent, beatissimi fuissent, & procul ab omni miseriâ cum omnibus posteris suis, è terreno Paradiso, in æternam salutem translati fuissent: Quia verò malitiosè à creatore se avertetũt, & ad nutũ Diaboli de fructu vetito comederunt, vanâ spe illecti, quod Deo similes sint eo usuri, imaginem quoq; Dei cũ omni concreatâ sanctitate & justitiâ amiserunt: & loco ejus successit cœcitas in intellectu, ut non sapiamus ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum, Matt. 16. v.23. repugnantia in voluntate, ut ea semper ad malum pronasit, Gen. 6. v.3. & prava concupiscentia in corde, ut pòst lapsum homo nihil aliud sit, quàm Deca-

logus inversus, qui semper nititur in vetitum, cupitque negata, Rom. 7. v. 22.

Quin & tota hominis natura pòst lapsum adeò depravata est, ut jam non Dei, sed Satanæ imaginem geramus. Qui enim peccatum facit, ex Diabolo est, 1. Joh. 3. v. 8. seqq.

Omnes igitur ratione carnalis nativitatis nostræ damnaremur, nisi Deus pro infinita misericordia sua, lavacrum regenerationis instituisset, ubi à peccatorum reatu abluti, ad vitam æternam renascimur, & in fœdus divinæ gratiæ recipimur. Quicunque enim in Christum Jesum baptizati estis, Christum induistis, Galat. 3. v. 27. Agnoscamus id grata mente, cum Petro dicentes: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos &c. 1. Petr. 1. v. 3. seqq.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Nicodemi admissione.* Noctu enim Christum accedit, & tamen ei gratus est, ut inveniat, quod quærit, & accipiat, quod cupit.

Tibi quoque mi Christiane! gratiæ ostium semper patescit, ut quandocunque veneris, misericordiam consequaris, & gratiam invenias, in auxilium opportunum, Hebr. 4. v. ult.

Nehemias coràm Deo, nocte & die, pro filiis Israel oravit, & ipse annuit precationi ejus, Nehem. 1. v. 6.

Idem fecerunt Cives Bethulienses ab Holoferne obsessi, Judith. 6. v. ult.

Rex David non modò manè ejulavit, Psal. 55. v. 18. sed & per singulas noctes lectum lacrymis rigare solitus fuit, Psal. 6. v. 7.

Idipsum nos quoque faciamus. Non enim dormitat, neque dormit, qui custodit Israel, Psalm. 121. v. 4. sed ut olim Israelitas per diem in columnâ nubis, & per noctem in columna ignis præcessit, Exod. 13. v. 21. ita neque nos derelicturus sed potius valida sua dextra nos sustentaturus est, ne per diem Sol nos urat, neque Luna per noctem, custodiet potius nos ab omni malo: custodiet animam nostram, custodiet introitum & exitum nostrum, Psal. 121. v. ult.

II. *Ex Baptismi descriptione*, cui hîc regeneratio attribuitur, quando hîc Christus gemino juramento adseverat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest introire in Regnum Dei. Ex quo è contrario consequitur, quod, ubi regeneratio hæc ritè in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti juxtà admonitionem Christi instituatur, certò & infallibiliter vita æterna speranda sit. Hinc Theophylactus: *Adam cœlos clausit, sed per baptismum aperiuntur.* Tota enim SS. Trinitas in cujus nomen baptizamur, præstò est, & in baptizando regenerationem efficaciter operatur, unde rectè Veteres dixerunt: Pater donat, Filius acquirit, Spiritus sanctus confirmat. Utique Pater donat: nempè ut Basilius loquitur, πλάσιν καὶ ἀνάπλασιν, generationem & regenerationem. Plasmat enim nos in utero matris, Job. 10. v. 8. & quod ad regenerationem necessarium est, ordinat. Hinc Paulus, Gal. 4. v. 4.

Filius idem acquisivit, & efficit, ut partis his thesauris, per baptismum fruamur. Mundat quippè nos lavacro aquæ in verbo,

bo, Eph. 5. v. 26. ut in illo habeamus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, Ephes. 1. vers. 7. Col. 1. v. 14.

Spiritus S. confirmat: est enim pignus hæreditatis nostræ, Eph. 1. v. 14. quo signamur in diem redemtionis, Ephes. 4. v. 30. quin & baptismum signaculum justitiæ fidei facit, Rom. 4. v. 11. ut de salute certissimi esse possimus, nec portæ inferorum adversus nos prævalere valeant, Matth. 16. v. 18.

III. *Ex vita æterna promissione.* Nam sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. Historia ipsa exstat Num. 21. v. 7. 8. Sicut enim tùm temporis morsu serpentum ignitorum læsi, signum salutis habentes, ad quod qui convertebantur, non per hoc, quod videbant, sanabantur, sed per te omnium Salvatorem, Sap. 16. v. 7. 8. sic in N. T. revelata facie Christum intueri possumus, 2. Cor. 3. v. 18. qui eum in finem à Patre nobis factus est, & sapientia, & justitia, & sanctificatio & redemtio, 1. Cor. 1. v. 30. ut per fidem vitam habeamus, in nomine ejus, Joh. 20. v. 31.

Hinc elucescit, quinam genuini vitæ æternæ Candidati sint, qui vitam æternam hæreditariò consequantur, nimirum soli credentes. Fides enim manus est, sine quâ vitam æternam, quæ donum Dei est, apprehendere non possumus, Rom. 6. v. 13.

Fides quasi *scala* est. Sicuti igitur sine scalis arborem non conscendes; sic neque sine fide ad vitam æternam pervenies. Qui enim incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, Joh. 3. v. ult.

Fides est quasi *lampas*. Sicut igitur fatuæ virgines, quæ lampades suas non exornaverant, non idoneæ erant cum sponso nuptias adire, Matth. 25. v. 11. Ita corda nostra fide exornemus, si cœlesti sponso placere velimus, sine quâ impossibile placere Deo, Hebr. 11. v. 6.

Hoc verò admiratione dignum est, quod Servator tàm largam remunerationem fidei reposuit, nempè vitam æternam, ubi videbimus Deum Patrem, qui nobis Filium suum dedit, ut vivamus per eum, 1. Joh. 4. v. 9, Deum Filium, qui frater noster factus, salutem hanc sanguine suo nobis acquisivit. Deum quoque Spiritum sanctum, qui hæc omnia obsignat in cordibus nostris, ut sciamus, cui credamus, certi, quod potens sit servare depositum nostrum in illum diem, 2. Tim. 1. v. 12. 1. Cor. 2 v. 9.

Quæ ergò retrò sunt obliviscentes fratres, ad ea quæ priora sunt, extendite vos, ad destinatum scopum persequentes, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Phil. 3. v. 14. Sic demùm exultabitis lætitiâ inenarrabili & gloriosa, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum, 1. Petr. 1. v. 9.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

I. *Ad Christum accede.* Est enim Doctor eruditæ linguæ, Esa. 50. v. 4. in quo omnes sapientiæ & scientiæ thesauri absconditi, Colos. 2. vers. 3. ideò missus à DEO

ut nobis notas faciat vias vitæ, Psal.16.v. ult. Id quod quoque fecit, dum quæcunque audivit à Patre suo, nota fecit Apostolis, Joh.15.v.15. qui deinde & Scriptis comprehenderunt, & per sermonem tradiderunt, quæcunque Jesus cœpit & facere & docere, usque in diem, qua assumtus est in cœlum, Act.1.v.1.2.

Nos quoque hodietenus Christum accedere æque ac Nicodemus possumus, *non gressu corporis, sed mentis*, Augustino loquẽte. Est enim nobiscum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. ult.

Fit verò hoc

1. *Baptismi susceptione.* Adhuc hodiè enim quasi clamat: Sinite parvulos ad me venire, & ne prohibueritis eos, talium est enim Regnum Dei, Marc.10. v.14. Hinc baptismus appellatur ab Augustino: *Porta prima gratiæ*; à Bernhardo: *Investitura Christianismi*; à Nazianzeno: *Vehiculum ad Deum*; à B. Luthero: *Puerpera Regni cœlorum*, Ibi enim baptizatus infans verâ nobilitate insignitur, quæ coràm Deo valet, & in filium Dei adoptatur, super quâ gloriâ exclamat Johannes: Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, 1.Joh. 3.vers.2.

2. *Pœnitentiæ maturatione.* Per peccata vertimus ad Deum tergum, Jer.2.v.27. discedimus à regiâ viâ, quâ incedendum esset, aut in viam augurum, Jud.9.v.37. aut in viam Jeroboam, 1.Reg.16.v.2. aut in viam Balaam filii Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, 2.Petr.2.v.15. hæ meræ viæ tenebrosæ, Prov.3.v.13. perversæ viæ, Prov.28.v.18. curvæ viæ. Psal.125. v.ult. & iniquitatis & perditionis sunt, Sap.5.v.7. quæ non ad cœlum, sed ad perditionem ducunt, Matth.7.v.13.

Per pœnitentiam igitur Christo acceleremus oportet. Revertere aversatrix Israel, vocat Dominus, Jer.3.v.12. Hinc Pœnitentia Hebræis vocatur Schuba, i.e. reversio ad Deum, sicut filius prodigus ita ad patrem reversus est, Luc.15.v.22. Sic verum evadit: Si pœnitet haud nocet error, Ezech.18.v.21.

3. *Devotâ oratione.* Quando nos mutuò alloquentes cum Israelitis dicimus: Venite, & revertamur ad Dominum, Os.6. v.1. Multum enim valet deprecatio justi idonea, Jac.5.v.17. Quod reipsa comperéreHiskias, 2.Reg.14.v.20. Jonas, Jon. 2.v.11. Judith, Jud.13.v.6. Hæc exempla & nos imitemur, ut in omnibus adversitatibus, ad orationem, tanquam ad asylum confugiamus. Prov.18.v.10.

4. *Templi visitatione.* Ibi enim Deus per Ministros suos ad nos loquitur, docens nos utilia, Esa.48.v.17. Luc.10.v.16. Proinde compellamus nos invicem dicentes: Venite & adscendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, Esa.2.v.3.

In Ecclesiâ Deus Pater habitaculum, imò ignem & caminum habet, Esa.31.v. ult. ubi exaudiet nos invocantes in cœlo, 1.Reg.8.v.23. Deus Filius ibi officinam suam habet, ubi sedet, velut aurifaber & purgat filios Levi, ut deinde offerre sacrificiũ in justitiâ possint, Mal.3.v.3. Deus Spiritus sanctus, ceu cœlestis columba habet ibi nidum suum, ubi evolat & revertitur, sicut columba Noæ, Gen.8.v.8. & pullos gignit, h.e. filios Dei ad vitam æternam, Psal.84. v.4. Ubi igitur SS.Trinitas præ-

sens

sens est, ibi & sanctorum Angelorum myriades adsunt, castra metantes in circuitu timentium Deum, Psal. 34. v. 8.

5. *Beatâ emigratione.* Certa est sententia mortis, & immota: Pulvis es, & in pulverem reverteris, Gen. 3. v. 19. Verum immane quantum interest inter mortem piorum & impiorum. Quando enim pii moriuntur ad Dominum illi migrant, cum quo semper erunt, 1. Thess. 4. v. ult. Phil. 1. vers. 23.

Impii verò abeunt ad progeniem patrum suorum, & in æternum lumen non videbunt, Psal. 49. v. 20. Eccles. 11. v. 3.

Vivamus igitur hîc Christo, & aliquando in Christo quoque moriemur, & pòst mortem inveniemus cum eo vitam & abũdantiam, Joh. 10. v. 11.

Hac ratione adhuc hodiè cum Nicodemo ad Christum pervenire possumus. Proficiamus igitur in notitiâ Dei, ut ab eo vitæ viam discamus; nosse enim te, consummata justitia est, & scire virturem tuam, radix est immortalitatis, Sap. 15. v. 3.

II. *Carnem reprime.* Hîc audimus Christum dicentem: Nisi quis renatus fuerit, ex aquâ & spiritu, non potest introire in Regnum Dei, quod enim natum est ex carne, caro est.

Per carnem non intelligitur humana natura, quæ bona à Deo creata est, sed intima naturæ corruptio, quæ originem habet à Diabolo, & invidiâ ejus introivit in orbem terrarum, Sap. 2. v. 24. hinc oculi pleni sunt adulterii, 2. Petr. 2. v. 14. aures sunt incircumcisæ, Act. 7. v. 51. os plenum maledictione, Psal. 10. v. 7. manus supergrediuntur, 1. Thess. 4. v. 6. veloces pedes, ad currendum in malum, Prov. 6. v. 18. Cor venenatus fons, ex quo exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, Matth. 15. v. 19. Breviter: omnia hominis membra peccati veneno infecta sunt, ut à plantâ pedis usque ad verticem non integrum quiddam sit in homine, Esa. 1. vers. 6.

Est igitur veri Christiani, ut semper adversus pravas concupiscentias militet, quæ in membris se exerunt, ne in opus erumpant: Concupiscentia enim, cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem, Jacob. 1. v. 15.

Quodsi igitur os tuum justitiam non loquitur, Psal. 58. v. 2. sed sermone spurco & otioso delectatur, Eph. 4. v. 29. c. 5. v. 4. ora cum Siracide: Quis dabit ori meo custodiam, Sir. 23. v. 1. Matth. 12. v. 37.

Quodsi oculus tuus scandalizaverit te, erue eum & projice abs te, Matth. 18. v. 9. Sir. 9. v. 8.

Quando aures verbum Dei fastidiunt, aut ad clamorem pauperum obsurdescunt, audi, quid Christus dicat: Qui ex Deo est, verbum Dei audit, Joh. 8. v. 47. & Salomo, Prov. 21. v. 13.

Quodsi manus tuæ unguibus furtivis præditæ, varias technas, ut defraudent proximum, machinantur, pone modum prudentiæ tuæ, Prov. 23. v. 4. resecans ungues cultro justitiæ, quoniam vindex est Dominus de his omnibus, 1. Thess. 4. v. 6.

Si claudicas ut Mephiboseth, 2. Sam. 4. v. 4. nec incedis in viâ justitiæ, Luc. 1. v. 79. averte gradum, & intra per angustam portam, Matth. 7. v. 13.

Quando variæ concupiscentiæ è corde tuo

tuo protuberant, dum parvus est hostis interfice. *Ex uno* quippe *injustitiæ grano, infinita bellorum seges pullulat*, teste Senecâ: & qui seminat mala in sulcis injustitiæ, metet ea in septuplum, Sir. 7. v. 3.

III. *Rationem compesce.* Cum Christus Nicodemum de regeneratione instrueret, quærebat ille: Quomodo fiet istud? quin adeò stupidus erat, ut hominem in ventrem matris suæ introire & ita renasci oportere, censeret. Hinc justâ reprehensione à Christo notatur, dicente: Tu es Magister in Israël, & hæc ignoras? &c.

Ejusmodi Nicodemi adhuc hodiè non pauci sunt, quorum Symbolum est, ut Augustinus eos loquentes introducit: *Non cogor credere, quod mihi non potes ostendere.* Verùm si hoc valeret, Christianismus noster actutùm collabasceret. Fide namque intelligimus aptata esse secula verbo Dei: ut ex invisibilibus visibilia fierent, Hebr. 11. v. 1. Hîc si ratio Magistra esset, & præponderaret, utique ineptè judicaret. Ex nihilo enim nihil fit, intellige, naturaliter. Sed nos Deum omnipotentem credimus, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, Rom. 4. v. 17.

Fide quoque intelligimus Deum unum in essentia & trinum in personis esse, Deut. 6. v. 4. 1. Joh. 5. v. 8. Quodsi & hîc ratio consulatur, illa stultum reputabit, quod unum tria, & tria unum sint. Verùm quando perpendimus, quod per fidem ambulamus, non per speciem, 2. Cor. 5. v. 7 facilè acquiescimus. Difficile quippè æstimamus quæ in terris sunt, Sapient. 9. v. 16. Mysterium Trinitatis fide amplectendum, non ratione perscrutandum, ait Athanasius, & Bernhardus: Scrutari temeritas, nosse autem vita æterna est. Quilibet oret cum Davide: Doce me Domine viam tuam, fac ut ambulemus. Psalm. 86. v. 11.

Fide quoque intelligimus, quod Christus in unâ indissolubili Persona sit Θεάνθρωπος. Quis hoc ratione comprehenderet? Est siquidem ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον, 1. Tim. 3. v. ult.

Hoc & de aliis fidei articulis intelligendum est. Compescat se humana temeritas, inquit Augustinus, & id, quod non est, non quærat, ne illud quod est, non inveniat. Et iterum: Noli intelligere, ut credas, sed crede, ut intelligas. Scrutans gravia gravatur, Prov. 25. v. 27.

In rebus Politicis ratio utiliter adhiberi potest: Verùm si Deum ejusque verbum concernit, mulier taceat in Ecclesia, 1. Cor. 14. v. 34.

Si quis igitur videtur inter vos sapiens esse, in hoc seculo, stultus fiat, ut fiat sapiens: Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum, 1. Cor. 3. v. 28. Largiatur nobis DEUS gratiam suam, per & propter Christum, Amen.

DOMI-

DOMINICA I. POST TRINITATIS.

Evangelium Luc. 16. v. 19 -- 31.

EXORDIUM.

Erat tempore Christi Servatoris mulier quædam, quæ habebat Spiritum infirmitatis decem & octo annis: & erat incurvata, nec omninò poterat sursum respicere. Quam cùm vidit JEsus, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tuâ. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificavit Deum, Luc. 13. v. 11. 12. 13.

Hæc mulier idea est, omnium Epicureorum & filiorum hujus seculi, quos Diabolus adeò ad terrena incurvavit, ut non multùm de Deo, nec cœlestibus cogitent: sed in concupiscentiâ oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ summum suum bonum quærant. Propterea thesauros sibi colligunt de auro & argento, quibus confidunt, & ubi thesaurus eorum, ibi & cor eorum, Matth. 6. v. 21. quin quò pluribus divitiis abundant, eò feliciores putant se, dicentes: Beatum populum, cui hæc sunt, Psal. 144. v. ult. Et hæc causa est, quod æque juvari nequeant, atque Christus mulieri huic opem tulit, quia morbum suum non agnoscunt, sed benedicunt sibi in hoc statu, Psal. 10. v. 3. incessabiles delicti; 2. Petr. 2. v. 14. donec in puteum cadant, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11. Tum fastus eorum cessat. Dabit enim Deus ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant, usque in sempiternum, Judith. 16. v. 21.

Exemplum prostat in prælecta Pericope in divite epulone, qui omninò carnaliter affectus, non modò induebatur purpura & bysso, sed & quotidiè splendidè epulabatur. Sed infelici tandem eventu! Quia enim terrenis planè immersus fuit, tandem ex illis devenit ad locum tormentorum, ubi adhuc inter damnatos pœnas dat, interitum æternum, à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

Videbimus pro instituti ratione

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

JJ.

Exegesis.

Optimè Regius Psaltes de Deo dicit, quod in cœlo sedeat, palpebræ verò ejus probent filios hominum, Psal. 11. v. 4. In prælectâ enim Pericope ejus luculentum prostat exemplum, ubi Salvator noster, qui Deus est benedictus in secula, Rom. 9. v. 5. de duabus diversi status & ordinis personis verba facit, & accuratè novit, quæ cujusque ratio sit, non modò quod ad terrenas facultates, sed & pietatem & impietatē concernit. Hinc alterum, divitem epulonem ad infernū, alterum verò nempè Lazarum ad cœlum relegat, quæ sententia quoq; in utroq; pòst mortem consumatur. Non, quasi divitiæ ex seipsis damnandæ forent, siquidem Scriptura expressè memorat, quod benedictio Dei divites faciat,

nec addetur eis labor, Prov. 10. v. 12. nec dubitandum, quin multi opulenti cum Abraham, Isaac, Jacob, David aliisque, qui divitias possederunt, in cœlo gaudeant: Sicut ex adverso, pauperies & mendicitas neminem in sinum Abrahæ promovet, nisi Deum timeat, potius illud Siracidis locum habet: Nequissima paupertas in ore impii, c. 13. v. 30. Sed abusum Dominus carpit, qui plerumque divitias comitatur, & damnationem post se trahit, 1. Tim. 6. v. 9.

Querela respicit

1. *Divitiarum abusum*, qui Epulonem ad internum detrusit.

Divitiæ ex seipsis non damnant, ut antè indicatum: Non enim potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo, Joh. 3. v. 27. quæ verò à Deo valdè bona sunt, Gen. 1. v. 25. Hoc saltem opus est, ut his, quæ à Deo accepimus, ritè utamur. Quia non in abundantia cujusquam, vita ejus est, ex his, quæ possidet. Luc. 12. v. 15. Hi verò divites Deo placent, qui juxtà divitias suas omnem navant operam, ut divites sint in fide, Jac. 2. v. 5. divites in bonis operibus, 1. Tim. 6. v. 18. in Deo, Luc. 12. v. 21. Aliàs, melius est modicum justo super divitias peccatorum multas. Psal. 37. v. 16.

Videat verò Christianus, ut divitiis suis rectè utatur

1. *Respectu Dei.* Quia enim divitiæ à Deo sunt, Sir. 11. v. 14. antè omnia ad cultus divini & scholarum ædificationem, & ita ad gloriam Dei opes nostras conferamus, Prov. 3. v. 10.

2. *Respectu proximi.* Frange esurienti panem tuum, Esa. 58. v. 7. Eph. 4. v. 28.

3. *Respectu sui*; ut sibi ipsi benignè faciat, de bonis sibi à Deo collatis: Omnis enim homo, qui comedit & bibit, & videt bonum in omni labore suo, hoc donum Dei est, Eccles. 3. v. 13. Deinde quoque domui suæ præsit, & liberis thesaurizet, 2. Cor. 12. v. 14. hoc qui non facit, fidem negavit, & infideli deterior est, 1. Tim. 5. v. 8.

Hoc verò minus à plurimis observatur: sed ut Gentiles Plutum Deum divitiarum constituerunt, & venerati sunt: sic adhuc hodiè benè multi divitias suas & opes pro Deo habent, dum in iis confidunt, eas super omnia diligunt, earumque dispendium plus quàm Deum ipsum timent, ut avarus propterea non immeritò idolorum servus, & avaritia idololatria appelletur, Eph. 5. v. 5. Col. 3. v. 5.

Præterea non verentur propter opes peccare, ut easdem augeant, hinc totam conversationem vitæ, compositam ad lucrum habent, ut undecunque etiam ex malo acquirant, Sap. 15. v. 12.

Et ut quod res est, dicam: sunt servi Mammonæ, huic se & corpore & animâ devovent, propter hunc legem Dei transgrediuntur, dicentes: Manda, remanda, Esa. 28. v. 10. pergunt in fastu & superbia, ebrietate & luxuria, dum tandem in infernum & anima & corpore præcipitentur, ubi demùm nimis serò querelam ingeminabunt: Quid nobis profuit superbia? Sap. 5. v. 8. seqq.

II. *Pauperum neglectum.* Hîc de Lazaro audimus, quod ad jannam divitis jacuerit, plenus ulceribus, cupiens saturari de micis, cadentibus de mensa divitis, sed non potuerit iisdem potiri. Hæc nefanda immisericordia fuit, cujus & canes puduit, qui venerunt, & linxerunt ulcera ejus.

Si

Si hodiernum mundum inspicimus, idem fere fieri videmus: plurimi proprio commodo inserviunt, & quando marsupia sua impleverunt, nihil patiuntur super contritione Joseph, sive Lazari, Amos 6. v. 6. sed continuò ut sanguisugæ clamant: Affer, affer, Prov. 30. v. 15. Manus enim eorum porrectæ sunt ad accipiendum, & ad dandum collectæ, Sir. 4. v. ult. sicut & de Sodomitis dicitur: Saturitas panis, & felicitas tranquillitatis, & manum egeno & pauperi non porrigebant, Ezech. 16. v. 49. In his locum habet illud Augustini: *Si non pavisti occidisti:* & talis homo sanguinis est, Sir. 34. v. 27.

Sed hæc omnia susque deque habent, concedentes potius, ut aurum & argentum in cistâ æruginent, Jac. 5. v. 2. quàm ut pauperi levamento sint. Hinc Poeta avarum ita introducit, ut aurum ipsum eundem quasi accuset:

Ferrea cista auri, custos tibi, ferrea porta,
Ferrea tota domus, ferreus es Dominus.

His aliquando judicium sine misericordia erit, Jac. 2. v. 13. Qui enim obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur, Prov. 21. v. 13. *Audiant ista divites, qui nolunt esse misericordes,* exclamat hîc Augustinus. Emendate igitur mores, donec hodiè cognominatur, Hebr. 3. v. 13. & concludite eleemosynas in conclavibus vestris, h. e. in ærarium Christi, Sir. 29. v. 15. & aliquando largam retributionem impetrabitis, Prov. 19. v. 17. Sicut enim Magi ex Oriente, apertis thesauris suis obtulerunt Christo, aurum, thus, & myrrham, Matth. 2. v. 11. ita nos hodiè pauperes habemus, his quicquid largiemur, Christus sibi factum reputabit, Matth. 25. v. 40.

Dum tempus igitur habemus, operemur bonum, tempore enim suo metemus, non delassati, Gal. 6. v. 9.

III. *Mortuorum accessum.* Dives Epulo hîc Abrahamum orat, ut mittat Lazarum in domum Patris sui, ad quinque fratres suos, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in locum tormentorum. Si enim quis, dicit, ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Verùm repulsam ipse patitur, siquidem Abraham ait: Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Hoc olim apud Paganos non insolens fuit, qui defunctis peculiaria sacrificia præstiterunt, & varia incantamenta adhibuerunt, quibus ex opinione illorum animæ demortuorum vel inviti apparere, & futura indicare coactæ sint. Quod & Judæi à gentibus didicerunt, ut Saulis exemplum indicat, 1. Sam. 28. v. 7. seqq.

In Papatu quoque multa de animabus defunctorum blaterantur, quæ, ut ipsi quidem prætendunt, hic illic apparent, & quæ ratio Purgatorii & aliarum occultarum rerum sit, manifestare perhibentur. Unde & Spiritus illos per peculiares characteres & formulas variis incantationibus adjurare amant. Verùm hoc ipsum verbo Dei è diametro repugnat. Vide Deut. 18. v. 9. 10. Esa. 8. v. 19. 20.

Præterea ne unicum quidem exemplum, neque in Veteri nec Novo Testamento legitur, quod DEUS unquàm per mortuos cum viventibus egerit, aut hoc modo voluntatem suam

fidem, sed requiritur etiam incrementum, sicut discipuli Christi quoque orant: Domine adauge nobis fidem, Luc. 17. v. 5. Quin & firmamentum necessarium est, ne à Christo fortè deficiamus, sed ad finem perseveremus, Matth. 10. v. 22. Hæc perseverantia carnis & sanguinis non est, sed donum Spiritus sancti, qui propterea invocandus est, ut nos in fide conservet. Non enim sufficit, ut participes Christi effecti simus: sed opus quoque est, ut initium substantiæ, usque ad finem firmum retineamus, Hebr. 3. v. 14.

Perge igitur invocare Deum, flocci faciens calumnias filiorum hujus seculi. Quemadmodum enim in mari feliciter navigaturus, secundo vento opus habet, aliàs adverso amne navigabit: Ita vita nostra nihil aliud, nisi navigatio est. Vehimur enim in impetuoso hujus mundi mari, & à decumanis fluctibus modò ad cœlos evehimur, modò usque ad abyssos dejicimur, Psal. 107. v. 26. ideò secundo vento perquam nobis opus est, qui naviculam nostram impellat, ne submergatur, sed in portum vitæ æternæ feliciter appellat. Est hic ventus cœlestis pentecostalis, Deus Spiritus sanctus, de quo Dominus, Esa. 57. v. 6. sine hoc vento contrariis velis navigamus. Non enim possumus Dominum Jesum dicere nisi in Spiritu sancto, 1. Cor. 12. v. 3. Hic ventus purificat aërem, reficit plantas terræ, affert benignum imbrem, quâ hæreditas Dei, quæ languebat, confirmatur, Psal. 68. v. 10. Propterea vela explicemus, Deumque oremus, ut naviculam nostram hoc gratiæ vento regere dignetur. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, Rom. 8. v. 14.

III. *Timorem servilem elimina.* Propterea Servator, ait: Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Propter peccatum malam conscientiam habemus, & perturbatam, quæ semper præsumit sæva, Sap. 17. v. 11. & efficit, ut cogitationes se invicem accusent, Rom. 2. v. 15. ut rectè Bernhardus: *Nulla pœna major est malâ conscientiâ, ipsa judex, ipsa tortor, ipsa carcer, ipsa accusat, ipsa judicat, ipsa punit, ipsa damnat.*

Sed hîc Christus nos bono animo esse jubet, semel, quia in viâ sit, ut ad Patrem abeat, emundaturus conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi, Hebr. 9. v. 14. Deindè quia nobis alium Paracletum procuraturus sit, nempè Spiritum dilectionis, 2. Tim. 1. v. 7. qui foràs mittit timorem, 1. Joh. 4. v. 18. & illos, qui se ab eo regi sinunt, animosos reddit quò juxtà verbum Dei vivant, patienter ferant, beateque moriantur.

Quodsi igitur res adversæ ingruant, fratres, reminiscamini verborum Christi: Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Fidelis enim est Deus, nec sinit quenquam tentari, suprà id quod potest, 1. Cor. 10. vers. 13.

Quodsi Diabolus telis ignitis suis à dextris & sinistris vos infestet, 2. Cor. 6. v. 8. non turbetur cor vestrum, Christus Magister salvationum est, sciens suos è tentatione eripere, 2. Petr. 2. v. 9.

Quodsi mors è regione viventium vos ablatura: Non turbetur cor vestrum. Ego sum resurrectio & vita, ait Servator, Joh. 11. v. 26.

Hinc B. Martyres alacres ad cruciatus properarunt, sicut de Hieronymo Pragensi Autor Pontificius memorat: Neminem unquam

unquam Philosophorum, tàm forti animo mortem pertulisse, & quasi ad epulas invitatum ad incendium properasse.

Sic Eusebius de Lucio Martyre refert, quod interficiendus ad Prætorem se converterit, dicens: Gratias ago tibi, quod à malis Dominis liberor, & ad Deum Patrem, Regem optimum proficiscor.

Vos quoque confidite Vos mei! non horrentes mortem, quæ Christianorum lucrum est, Phil. 1. v. 21. Non formidate sepulchrum: Christus enim lectum præparavit, ut ibi requiescamus ab omnibus laboribus nostris, Apoc. 14. v. 13. Nolite metuere Diabolum, quando peccatorum tabulam nobis ostendit, Christus enim delevit Chirographum, quod adversus nos erat, Col. 2. v. 14. nos jam læto animo mori possumus, nihil enim condemnationis in iis est, qui in Christo Jesu sunt, Rom. 8. v. 1. Quodsi nihil condemnationis in nobis, qui in Christo Jesu sumus, certissimi sumus salutis & vitæ æternæ, quam nobis Christus Jesus largiatur, Amen.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Evangelium Joh. 3. v. 1. -- 15.

EXORDIUM.

CUm Abimelech olim contrà Sichemitas expeditionem moveret, noctu impetum in illos facturus, vidit Gaal de montibus multitudinem descendentem, per viam, quæ respicit quercum Augurum: Zebul verò exercitum advenientem umbras montium putavit: at posteà Abimelech cum copiis suis adesse, cum damno suo comperit: qui oppugnatâ & captâ urbe, habitatores interfecit, urbemq; destruxit, ut ita sal in eâ disperserit, Jud. 9. v. 30. seqq.

Hæc mirabilis historia est, quam tamen mysticè exponemus.

Abimelech truculentissimus Tyrannus erat, qui LXX. fratres suos trucidari jusserat, quò securius Regno frueretur, ut idem Turcicus Imperator hodiè in more habet. Imago est Diaboli, qui & Princeps hujus mundi dicitur, Johan. 16. v. 11. qui ubique cædes machinatur, & æque per Antichristum in Occidente, ac Machometem in Oriente, multa millia Christianorum innocenter perimit, sanguinem eorum tanquam aquam effundens, Psal. 79. v. 3. ita, ut æstimentur sicut oves occisionis, Psal. 43. v. 22. Nec tantùm hoc modo corpori insidiatur, sed etiam, & præcipuè quidem animæ, quando homines cœcitate & securitate obsidet, ut copias militares umbras montium reputent, veluti Sebul. Hoc est, non tantum periculum imminere putant, hinc dicunt: Neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus malum venturum est, Psal. 75. v. 7. hoc ipso verò astutè illos circumvenit, ut exitium non antè deprehendant, quàm omnes undæ super eos transierint, Psalm. 42. v. 8.

Hac cœcitate & securitate laborarunt

Pharisæi tempore Christi, licet enim multa de lege verba facerent, & clavem scientiæ sibi arrogarent, Luc. 11. v. 52. attamen umbras montium homines putabant, i. e. fermento suo Pharisaico omnia corrupe rant, rescindentes verbum Dei per traditiones suas, Marc. 7. v. 13. quin & Christum ipsum aspernabantur, qui tanquam vera lux omnem hominem illuminaturus in mundum venerat, Joh. 1. v. 9. tenebras magis diligentes, quàm lucem, Joh. 3. v. 19, & perseverantes in cœcitate hâc, donec infernalis Abimelech in exitium eos præcipitavit, & in direptâ eorum urbe sal dispersit, h. e. planè desolavit, quæ desolatio quoque ad finem perseverabit, Dan. 9. v. ult.

In Prælectâ Pericope, quempiam ex illis, nomine Nicodemum, in corde suo convictum, noctu Christum accessisse audimus, metuentem, ne fortè à Collegis suis excommunicaretur, ut decretum illis erat, Joh. 9. v. 22. Attamen hâc ratione ad agnitionem veritatis pervenit, ubi ex adverso reliqui omnes, velut Duces cœcorum in foveam ceciderunt, Matth. 15. v. 13. nempè in foveam æternæ damnationis, in quâ non est aqua, Zach. 9. v. 11. Esa. 30. v. ult.

Videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

CElebramus hodie solenniter Festum SS. Trinitatis, ubi consideramus, quomodo Deus unus in essentiâ & trinus in personis sit; quod quidem Mysterium rationi nostræ comprehensibile non est. Ideoque pii Veteres Nicodemum nobis proposuerunt, ut exemplo ejus cautiores redditi, captivemus rationem nostram in obsequium Christi, 2. Cor. 10. v. 5. Beati enim qui non viderunt, & crediderunt, Joh. 20. v. 29.

Querela respicit

I. ***Humanam timiditatem***, quam in Nicodemo deprehendimus. Noctu etenim accessit Christum, ne fortè proderetur, ubi tamen melius fecisset, si omni metu seposito, Christum publicè professus fuisset. Corde enim creditur ad justitiam: ore confessio fit ad salutem, Rom. 10. v. 10. Non igitur hoc exemplum consignatum est in sequelam, sed in medelam, ut sciamus, Christum patienter laturum infirmitatem nostram, nec nos propterea abjecturum esse, juxtà promissionem Joh. 6. v. 37.

Videant hîc, qui cum Pontificiis hactenus hypocriticè colluserunt, ut & ipsi Nicodemi exemplo instructi, sicut ille corpus Christi publicè tandem terræ mandavit, Joh. 19. v. 39. eundem similiter confiteantur, ne ceu tepidi ex ore Christi evomantur, Apoc. 3. v. 16. Luc. 9. v. 26.

Quam verò excusationem illi afferent, qui noctu quidem cum Nicodemo egrediuntur: sed non ad Christum, verùm ad meretrices, ut scortatores & mœchi, qui observant crepusculum, Job. 24. v. 15. aut ad collusores & epulones, & sic tandem cum uxore & liberis ad incitas rediguntur, juxtà illud Salomonis, Prov. 23. v. 20. Joh. 3. v. 20.

Sicut igitur gratiâ Dei filii lucis sumus, Luc. 16. v. 8. non noctis neque tenebrarum, 1. Thess. 5. v. 5. ita abjiciamus opera tene-

tenebrarum, & induamur arma lucis, Rom. 13. v. 13. sic aliquando ex infaustâ hâc mundi Ægypto, qui & ipse terra tenebrosa dicitur, Job. 10. v. 21. in cœlestem Hierosolymam transferemur: ubi non ultrà nox erit: sed gloria Domini illuminabit electos, Apoc. 22. v. 5. ut & ipsi lux sint in Domino, Eph. 5. v. 9. fulgentes sicut Sol in Regno Patris eorum, Matth. 13. vers. 43.

II. *Connexam stupiditatem*, ratione cujus ea, quæ sunt Spiritus Dei, non percipimus, 1. Cor. 2. v. 14.

Nicodemus Princeps Pharisæorum erat, & tamen adeò malè fundatus in fide suâ, ut Christus eum propterea reprehendens dicat: Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?

Id hodietenus nimis familiare in mundo est. Et sicut Apostolus Athenis aram reperit, quam Deo ignoto consecraverant, Act. 17. v. 23. Ita hodiè in medio orbe Christiano illa exstat, ubi stultorum plurimi inveniuntur, dicentium in corde suo, non est Deus, Psal. 14. v. 1. & licet ore confiteantur, se nosse Deum, tamen factis negant, Tit. 1. v. ult. suntque utplurimum opulentiores & potentiores in mundo. Non enim multi sapientes secundum carnem, 1. Cor. 1. v. 26. seqq.

Hi quia Deum ignorant, vicissim hanc sententiam ex Christi ore audient: Non novi vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, Matth. 7. v. 23.

III. *Carnalem nativitatem.* Quod enim natum est, ait Christus, ex carne, caro est, & ita minus aptum ad Regnum cœlorum.

Hoc à peccato oritur. Sicut enim primus noster Parens Adam liberos genuit pòst lapsum, non ad Dei, sed suam imaginem, Gen 5. v. 3. ita adhuc hodiè, omne figmentum cogitationum cordis nostri tantummodò malum est omnibus diebus, Gen. 6. v. 5. Caro enim concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem: hæc sibi invicem adversantur, Gal. 5. v. 17. ut non abs re vocemur: Generatio mala & adultera, Matth. 12. v. 39. naturâ filii iræ, Eph. 2. v. 3. quin & abominabiles in oculis Dei, Job. 15. v. 16. deteriores irrationabilibus pecoribus, genitis in captionem & perniciem, 2. Petr. 2. v. 12. Neque enim bellua adeò sæva, canis non æquè invidus, felis non tàm infidelis, lupus non adeò rapax, vulpes non tàm astuta, basiliscus non tàm venenosus, sus non æquè lutulenta ac homo, qui tamen ad imaginem Dei creatus, meritò rationabiliter agere, & peccatis resistere deberet, ne regnent in mortali suo corpore, Rom. 6. v. 12.

Quodsi Protoplasti nostri in statu innocentiæ perstitissent, & imaginem Dei conservassent, beatissimi fuissent, & procul ab omni miseriâ cum omnibus posteris suis, è terreno Paradiso, in æternam salutem translati fuissent: Quia verò malitiosè à creatore se averterũt, & ad nutũ Diaboli de fructu vetito comederunt, vanâ spe illecti, quod Deo similes sint eo usuri, imaginem quoq; Dei cũ omni concreatâ sanctitate & justitiâ amiserunt: & loco ejus successit cœcitas in intellectu, ut non sapiamus ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum, Matt. 16. v. 23. repugnantia in voluntate, ut ea semper ad malum prona sit, Gen. 6. v. 5. & prava concupiscentia in corde, ut pòst lapsum homo nihil aliud sit, quàm Deca-

logus inversus, qui semper nititur in vetitum, cupitque negata, Rom. 7. v. 22.

Quin & tota hominis natura pòst lapsum adeò depravata est, ut jam non Dei, sed Satanæ imaginem geramus. Qui enim peccatum facit, ex Diabolo est, 1. Joh. 3. v. 8. seqq.

Omnes igitur ratione carnalis nativitatis nostræ damnaremur, nisi Deus pro infinita misericordia sua, lavacrum regenerationis instituisset, ubi à peccatorum reatu abluti, ad vitam æternam renascimur, & in fœdus divinæ gratiæ recipimur. Quicunque enim in Christum Jesum baptizati estis, Christum induistis, Galat. 3. v. 27. Agnoscamus id grata mente, cum Petro dicentes: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos &c. 1. Petr. 1. v. 3. seqq.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Nicodemi admissione.* Noctu enim Christum accedit, & tamen ei gratus est, ut inveniat, quod quærit, & accipiat, quod cupit.

Tibi quoque mi Christiane! gratiæ ostium semper patescit, ut quandocunque veneris, misericordiam consequaris, & gratiam invenias, in auxilium opportunum, Hebr. 4. v. ult.

Nehemias coràm Deo, nocte & die, pro filiis Israel oravit, & ipse annuit precationi ejus, Nehem. 1. v. 6.

Idem fecerunt Cives Bethulienses ab Holoferne obsessi, Judith. 6. v. ult.

Rex David non modò manè ejulavit, Psal. 55. v. 18. sed & per singulas noctes lectum lacrymis rigare solitus fuit, Psal. 6. v. 7.

Idipsum nos quoque faciamus. Non enim dormitat, neque dormit, qui custodit Israel, Psalm. 121. v. 4. sed ut olim Israelitas per diem in columnâ nubis, & per noctem in columna ignis præcessit, Exod. 13. v. 21. ita neque nos derelicturus sed potius valida sua dextra nos sustentaturus est, ne per diem Sol nos urat, neque Luna per noctem, custodiet potius nos ab omni malo: custodiet animam nostram, custodiet introitum & exitum nostrum, Psal. 121. v. ult.

II. *Ex Baptismi descriptione*, cui hîc regeneratio attribuitur, quando hîc Christus gemino juramento adseverat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest introire in Regnum Dei. Ex quo è contrario consequitur, quod, ubi regeneratio hæc ritè in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti juxtà admonitionem Christi instituatur, certò & infallibiliter vita æterna speranda sit. Hinc Theophylactus: *Adam cœlos clausit, sed per baptismum aperiuntur.* Tota enim SS. Trinitas in cujus nomen baptizamur, præstò est, & in baptizando regenerationem efficaciter operatur, unde rectè Veteres dixerunt: Pater donat, Filius acquirit, Spiritus sanctus confirmat. Utique Pater donat: nempè ut Basilius loquitur, πλάσιν καὶ ἀνάπλασιν, generationem & regenerationem. Plasmat enim nos in utero matris, Job. 10. v. 8. & quod ad regenerationem necessarium est, ordinat. Hinc Paulus, Gal. 4. v. 4.

Filius idem acquisivit, & efficit, ut particis his thesauris, per baptismum fruamur. Mundat quippè nos lavacro aquæ in verbo,

bo, Eph. 5. v. 26. ut in illo habeamus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, Ephes. 1. vers. 7. Col. 1. v. 14.

Spiritus S. confirmat: est enim pignus hæreditatis nostræ, Eph. 1. v. 14. quo signamur in diem redemtionis, Ephes. 4. v. 30. quin & baptismum signaculum justitiæ fidei facit, Rom. 4. v. 11. ut de salute certissimi esse possimus, nec portæ inferorum adversus nos prævalere valeant, Matth. 16. v. 18.

III. *Ex vita æterna promissione.* Nam sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. Historia ipsa exstat Num. 21. v. 7. 8. Sicut enim tùm temporis morsu serpentum ignitorum læsi, signum salutis habentes, ad quod qui convertebantur, non per hoc, quod videbant, sanabantur, sed per te omnium Salvatorem, Sap. 16. v. 7. 8. sic in N. T. revelata facie Christum intueri possumus, 2. Cor. 3. v. 18. qui enim in finem à Patre nobis factus est, & sapientia, & justitia, & sanctificatio & redemtio, 1. Cor. 1. v. 30. ut per fidem vitam habeamus, in nomine ejus, Joh. 20. v. 31.

Hinc elucescit, quinam genuini vitæ æternæ Candidati sint, qui vitam æternam hæreditario consequantur, nimirum soli credentes. Fides enim manus est, sine quâ vitam æternam, quæ donum Dei est, apprehendere non possumus, Rom. 6. v. 13.

Fides quasi *scala* est. Sicuti igitur sine scalis arborem non conscendes; sic neque sine fide ad vitam æternam pervenies. Qui enim incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, Joh. 3. v. ult.

Fides est quasi *lampas*. Sicut igitur fatuæ virgines, quæ lampades suas non exornaverant, non idoneæ erant cum sponso nuptias adire, Matth. 25. v. 11. Ita corda nostra fide exornemus, si cœlesti sponso placere velimus, sine quâ impossibile placere Deo, Hebr. 11. v. 6.

Hoc verò admiratione dignum est, quod Servator tàm largam remunerationem fidei reposuit, nempè vitam æternam, ubi videbimus Deum Patrem, qui nobis Filium suum dedit, ut vivamus per eum, 1. Joh. 4. v. 9. Deum Filium, qui frater noster factus, salutem hanc sanguine suo nobis acquisivit. Deum quoque Spiritum sanctum, qui hæc omnia obsignat in cordibus nostris, ut sciamus, cui credamus, certi, quod potens sit servare depositum nostrum in illum diem, 2. Tim. 1. v. 12. 1. Cor. 2 v. 9.

Quæ ergò retrò sunt obliviscentes fratres, ad ea quæ priora sunt, extendite vos, ad destinatum scopum persequentes, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Phil. 3. v. 14. Sic demùm exultabitis lætitiâ inenarrabili & gloriosa, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum, 1. Petr. 1. v. 9.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

I. *Ad Christum accede.* Est enim Doctor eruditæ linguæ, Esa. 50. v. 4. in quo omnes sapientiæ & scientiæ thesauri absconditi, Colos. 2. vers. 3. ideò missus à DEO

ut nobis notas faciat vias vitæ, Psal.16.v. ult. Id quod quoque fecit, dum quæcunque audivit à Patre suo, nota fecit Apostolis, Joh.15.v.15. qui deinde & Scriptis comprehenderunt,& per sermonem tradiderunt, quæcunque Jesus cœpit & facere & docere, usque in diem, qua assumtus est in cœlum, Act.1.v.1.2.

Nos quoque hodietenus Christum accedere æque ac Nicodemus possumus, *non gressu corporis, sed mentis*, Augustino loquẽte. Est enim nobiscum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. ult.

Fit verò hoc

1. *Baptismi susceptione.* Adhuc hodiè enim quasi clamat: Sinite parvulos ad me venire, & ne prohibueritis eos, talium est enim Regnum Dei, Marc.10. v.14. Hinc baptismus appellatur ab Augustino: *Porta prima gratiæ*; à Bernhardo: *Investitura Christianismi*; à Nazianzeno: *Vehiculum ad Deum*; à B. Luthero: *Puerpera Regni cœlorum*, Ibi enim baptizatus infans verâ nobilitate insignitur, quæ corâm Deo valet, & in filium Dei adoptatur, super quâ gloriâ exclamat Johannes: Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, 1.Joh. 3.vers.2.

2. *Pœnitentiæ maturatione.* Per peccata vertimus ad Deum tergum, Jer.2.v.27. discedimus à regiâ viâ, quâ incedendum esset, aut in viam augurum, Jud.9.v.37. aut in viam Jeroboam, 1.Reg.16.v.2. aut in viam Balaam filii Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, 2.Petr.2.v.15. hæ meræ viæ tenebrosæ, Prov.3.v.13. perversæ viæ, Prov.28.v.18. curvæ viæ. Psal.125. v.ult. & iniquitatis & perditionis sunt, Sap.5.v.7. quæ non ad cœlum, sed ad perditionem ducunt, Matth.7.v.13.

Per pœnitentiam igitur Christo accelerermus oportet. Revertere aversatrix Israel, vocat Dominus, Jer.3.v.12. Hinc Pœnitentia Hebræis vocatur Schuba, i.e. reversio ad Deum, sicut filius prodigus ita ad patrem reversus est, Luc.15.v.22. Sic verum evadit: Si pœnitet haud nocet error, Ezech.18.v.21.

3. *Devotâ oratione.* Quando nos mutuò alloquentes cum Israelitis dicimus: Venite, & revertamur ad Dominum, Os.6. v.1. Multum enim valet deprecatio justi idonea, Jac.5.v.17. Quod reipsa comperére Hiskias, 2.Reg.14.v.20. Jonas, Jon. 2.v.11. Judith, Jud.13.v.6. Hæc exempla & nos imitemur, ut in omnibus adversitatibus, ad orationem, tanquam ad asylum confugiamus, Prov.18.v.10.

4. *Templi visitatione.* Ibi enim Deus per Ministros suos ad nos loquitur, docens nos utilia, Esa.48.v.17. Luc.10.v.16. Proinde compellamus nos invicem dicentes: Venite & adscendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, Esa.2.v.3.

In Ecclesiâ Deus Pater habitaculum, imò ignem & caminum habet, Esa.31.v. ult. ubi exaudiet nos invocantes in cœlo, 1.Reg.8.v.23. Deus Filius ibi officinam suam habet, ubi sedet, velut aurifaber & purgat filios Levi, ut deinde offerre sacrificiũ in justitiâ possint, Mal.3.v.3. Deus Spiritus sanctus, ceu cœlestis columba habet ibi nidum suum, ubi evolat & revertitur, sicut columba Noæ, Gen.8.v.8. & pullos gignit, h.e. filios Dei ad vitam æternam, Psal.84. v.4. Ubi igitur SS.Trinitas præsens

ſens eſt, ibi & ſanctorum Angelorum myriades adſunt, caſtra metantes in circuitu timentium Deum, Pſal.34. v.8.

5. *Beatâ emigratione.* Certa eſt ſententia mortis, & immota: Pulvis es, & in pulverem reverteris, Gen.3.v.19. Verum immane quantum intereſt inter mortem piorum & impiorum. Quando enim pii moriuntur ad Dominum illi migrant, cum quo ſemper erunt, 1. Theſſ.4. v. ult. Phil. 1. verſ. 23.

Impii verò abeunt ad progeniem patrum ſuorum, & in æternum lumen non videbunt, Pſal.49.v.20. Eccleſ.11.v.3.

Vivamus igitur hîc Chriſto, & aliquando in Chriſto quoque moriemur, & pòſt mortem inveniemus cum eo vitam & abũdantiam, Joh.10.v.11.

Hac ratione adhuc hodiè cum Nicodemo ad Chriſtum pervenire poſſumus. Proficiamus igitur in notitiâ Dei, ut ab eo vitæ viam diſcamus; noſſe enim te, conſummata juſtitia eſt, & ſcire virtutem tuam, radix eſt immortalitatis, Sap.15.v.3.

II. *Carnem reprime.* Hîc audimus Chriſtum dicentem: Niſi quis renatus fuerit, ex aquâ & ſpiritu, non poteſt introire in Regnum Dei, quod enim natum eſt ex carne, caro eſt.

Per carnem non intelligitur humana natura, quæ bona à Deo creata eſt, ſed intima naturæ corruptio, quæ originem habet à Diabolo, & invidiâ ejus introivit in orbem terrarum, Sap.2.v.24. hinc oculi pleni ſunt adulterii, 2.Petr.2.v.14. aures ſunt incircumciſæ, Act.7.v.51. os plenum maledictione, Pſal.10. v.7. manus ſupergrediuntur, 1.Theſſ.4.v.6. veloces pedes, ad currendum in malum, Prov.6. v.18. Cor venenatus fons, ex quo exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, Matth.15.v.19. Breviter: omnia hominis membra peccati veneno infecta ſunt, ut à plantâ pedis uſque ad verticem non integrum quiddam ſit in homine, Eſa.1. verſ. 6.

Eſt igitur veri Chriſtiani, ut ſemper adverſus pravas concupiſcentias militet, quæ in membris ſe exerunt, ne in opus erumpant: Concupiſcentia enim, cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò, cùm conſummatum fuerit, generat mortem, Jacob.1.v.15.

Quodſi igitur os tuum juſtitiam non loquitur, Pſal.58. v.2. ſed ſermone ſpurco & otioſo delectatur, Eph.4.v.29.c.5. v.4. ora cum Siracide: Quis dabit ori meo cuſtodiam, Sir.23.v.1. Matth.12.v.37.

Quodſi oculus tuus ſcandalizaverit te, erue eum & projice abs te, Matth.18.v.9. Sir.9.v.8.

Quando aures verbum Dei faſtidiunt, aut ad clamorem pauperum obſurdeſcunt, audi, quid Chriſtus dicat: Qui ex Deo eſt, verbum Dei audit, Joh.8.v.47. & Salomo, Prov.21.v.13.

Quodſi manus tuæ unguibus furtivis præditæ, varias technas, ut defraudent proximum, machinantur, pone modum prudentiæ tuæ, Prov.23. v.4. reſecans ungues cultro juſtitiæ, quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, 1.Theſſ.4.v.6.

Si claudicas ut Mephiboſeth, 2.Sam.4. v.4. nec incedis in viâ juſtitiæ, Luc.1.v.79. averte gradum, & intra per anguſtam portam, Matth.7.v.13.

Quando variæ concupiſcentiæ è corde tuo

tuo protuberant, dum parvus est hostis interfice. *Ex uno quippe injustitiæ grano, infinita bellorum seges pullulat*, teste Senecâ: & qui seminat mala in sulcis injustitiæ, metet ea in septuplum, Sir. 7. v. 3.

III. *Rationem compesce.* Cum Christus Nicodemum de regeneratione instrueret, quærebat ille: Quomodo fiet istud? quin adeò stupidus erat, ut hominem in ventrem matris suæ introire & ita renasci oportere, censeret. Hinc justâ reprehensione à Christo notatur, dicente: Tu es Magister in Israël, & hæc ignoras? &c.

Ejusmodi Nicodemi adhuc hodiè non pauci sunt, quorum Symbolum est, ut Augustinus eos loquentes introducit: *Non cogor credere, quod mihi non potes ostendere.* Verùm si hoc valeret, Christianismus noster actutùm collabasceret. Fide namque intelligimus aptata esse secula verbo Dei: ut ex invisibilibus visibilia fierent, Hebr. 11. v. 1. Hîc si ratio Magistra esset, & præponderaret, utique ineptè judicaret. Ex nihilo enim nihil fit, intellige, naturaliter. Sed nos Deum omnipotentem credimus, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, Rom. 4. v. 17.

Fide quoque intelligimus Deum unum in essentia & trinum in personis esse, Deut. 6. v. 4. 1. Joh. 5. v. 8. Quodsi & hîc ratio consulatur, illa stultum reputabit, quod unum tria, & tria unum sint. Verùm quando perpendimus, quod per fidem ambulamus, non per speciem, 2. Cor. 5. v. 7 facilè acquiescimus. Difficile quippè æstimamus quæ in terris sunt, Sapient. 9. v. 16. Mysterium Trinitatis fide amplectendum, non ratione perscrutandum, ait Athanasius, & Bernhardus: Scrutari temeritas, nosse autem vita æterna est. Quilibet oret cum Davide: Doce me Domine viam tuam, fac ut ambulemus. Psalm. 86. v. 11.

Fide quoque intelligimus, quod Christus in unâ indissolubili Persona sit Θεάνθρωπος. Quis hoc ratione comprehenderet? Est siquidem ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον, 1. Tim. 3. v. ult.

Hoc & de aliis fidei articulis intelligendum est. Compescat se humana temeritas, inquit Augustinus, & id, quod non est, non quærat, ne illud quod est, non inveniat. Et iterum: Noli intelligere, ut credas, sed crede, ut intelligas. Scrutans gravia gravatur, Prov. 25. v. 27.

In rebus Politicis ratio utiliter adhiberi potest: Verùm si Deum ejusque verbum concernit, mulier taceat in Ecclesia, 1. Cor. 14. v. 34.

Si quis igitur videtur inter vos sapiens esse, in hoc seculo, stultus fiat, ut fiat sapiens: Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum, 1. Cor. 3. v. 18. Largiatur nobis DEUS gratiam suam, per & propter Christum, Amen.

DOMI-

DOMINICA I. POST TRINITATIS.

Evangelium Luc. 16. v. 19 -- 31.

EXORDIUM.

Erat tempore Christi Servatoris mulier quædam, quæ habebat Spiritum infirmitatis decem & octo annis: & erat incurvata, nec omninò poterat sursum respicere. Quam cùm vidit JEsus, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tuâ. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificavit Deum, Luc. 13. v. 11. 12. 13.

Hæc mulier idea est, omnium Epicureorum & filiorum hujus seculi, quos Diabolus adeò ad terrena incurvavit, ut non multùm de Deo, nec cœlestibus cogitent: sed in concupiscentiâ oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ summum suum bonum quærant. Propterea thesauros sibi colligunt de auro & argento, quibus confidunt, & ubi thesaurus eorum, ibi & cor eorum, Matth. 6. v. 21. quin quò pluribus divitiis abundant, eò feliciores putant se, dicentes: Beatum populum, cui hæc sunt, Psal. 144. v. ult. Et hæc causa est, quod æque juvari nequeant, atque Christus mulieri huic opem tulit, quia morbum suum non agnoscunt, sed benedicunt sibi in hoc statu, Psal. 10. v. 3. incessabiles delicti, 2. Petr. 2. v. 14. donec in puteum cadant, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11. Tum fastus eorum cessat. Dabit enim Deus ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant, usque in sempiternum, Judith. 16. v. 21.

Exemplum prostat in prælecta Pericope in divite epulone, qui omninò carnaliter affectus, non modò induebatur purpura & bysso, sed & quotidiè splendidè epulabatur. Sed infelici tandem eventu! Quia enim terrenis planè immersus fuit, tandem ex illis devenit ad locum tormentorum, ubi adhuc inter damnatos pœnas dat, interitum æternum, à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

Videbimus pro instituti ratione

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

JJ.

Exegesis.

Optimè Regius Psaltes de Deo dicit, quod in cœlo sedeat, palpebræ verò ejus probent filios hominum, Psal. 11. v. 4. In prælectâ enim Pericope ejus luculentum prostat exemplum, ubi Salvator noster, qui Deus est benedictus in secula, Rom. 9. v. 5. de duabus diversi status & ordinis personis verba facit, & accuratè novit, quæ cujusque ratio sit, non modò quod ad terrenas facultates, sed & pietatem & impietatē concernit. Hinc alterum, divitem epulonem ad infernū, alterum verò nempè Lazarum ad cœlum relegat, quæ sententia quoq; in utroq; pòst mortem consumatur. Non, quasi divitiæ ex seipsis damnandæ forent, siquidem Scriptura expressè memorat, quod benedictio Dei divites faciat,

Si hodiernum mundum inspicimus, idem fere fieri videmus: plurimi proprio commodo inserviunt, & quando marsupia sua impleverunt, nihil patiuntur super contritione Joseph, sive Lazari, Amos 6. v. 6. sed continuò ut sanguisugæ clamant: Affer, affer, Prov. 30. v. 15. Manus enim eorum porrectæ sunt ad accipiendum, & ad dandum collectæ, Sir. 4. v. ult. sicut & de Sodomitis dicitur: Saturitas panis, & felicitas tranquillitatis, & manum egeno & pauperi non porrigebant, Ezech. 16. v. 49. In his locum habet illud Augustini: *Si non pavisti occidisti:* & talis homo sanguinis est, Sir. 34. v. 27.

Sed hæc omnia susque deque habent, concedentes potius, ut aurum & argentum in cistâ æruginent, Jac. 5. v. 2. quàm ut pauperi levamento sint. Hinc Poeta avarum ita introducit, ut aurum ipsum eundem quasi accuset:

Ferrea cista auri, custos tibi, ferrea porta,
Ferrea tota domus, ferreus es Dominus.

His aliquando judicium sine misericordia erit, Jac. 2. v. 13. Qui enim obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur, Prov. 21. v. 13. *Audiant ista divites, qui nolunt esse misericordes*, exclamat hîc Augustinus. Emendate igitur mores, donec hodiè cognominatur, Hebr. 3. v. 13. & concludite eleemosynas in conclavibus vestris, h. e. in ærarium Christi, Sir. 29. v. 15. & aliquando largam retributionem impetrabitis, Prov. 19. v. 17. Sicut enim Magi ex Oriente, apertis thesauris suis obtulerunt Christo, aurum, thus, & myrrham, Matth. 2. v. 11. ita nos hodiè pauperes habemus, his quicquid largiemur, Christus sibi factum reputabit, Matth. 25. v. 40.

Dum tempus igitur habemus, operemur bonum, tempore enim suo metemus, non delassati, Gal. 6. v. 9.

III. *Mortuorum accessum.* Dives Epulo hîc Abrahamum orat, ut mittat Lazarum in domum Patris sui, ad quinque fratres suos, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in locum tormentorum. Si enim quis, dicit, ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Verùm repulsam ipse patitur, siquidem Abraham ait: Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Hoc olim apud Paganos non insolens fuit, qui defunctis peculiaria sacrificia præstiterunt, & varia incantamenta adhibuerunt, quibus ex opinione illorum animæ demortuorum vel inviti apparere, & futura indicare coactæ sint. Quod & Judæi à gentibus didicerunt, ut Saulis exemplum indicat, 1. Sam. 28. v. 7. seqq.

In Papatu quoque multa de animabus defunctorum blaterantur, quæ, ut ipsi quidem prætendunt, hic illic apparent, & quæ ratio Purgatorii & aliarum occultarum rerum sit, manifestare perhibentur. Unde & Spiritus illos per peculiares characteres & formulas variis incantationibus adjurare amant. Verùm hoc ipsum verbo Dei è diametro repugnat. Vide Deut. 18. v. 9. 10. Esa. 8. v. 19. 20.

Præterea ne unicum quidem exemplum, neque in Veteri nec Novo Testamento legitur, quod DEUS unquàm per mortuos cum viventibus egerit, aut hoc modo voluntatem suam

iisdem manifestaverit: sed postquam Deus multifariam multisque modis olim locutus est patribus in Prophetis, novissimis his diebus locutus est nobis in Filio, Hebr. 1. v. 1. seq. Et cœlitus mandavit, ut eum audiremus, Matth. 17. v. 5. in quo quoque acquiescimus, reverenter suscipientes, quod nobis per Ministros suos annunciat. Qui enim vos audit, me audit, Luc. 10. v. 16.

Quod verò in Papatu fit, præstigiæ Satanæ sunt, qui operatur in filios diffidentiæ, Eph. 2. v. 2. ut superstitiosa dogmata, de purgatorio, invocatione sanctorum, Missis pro defunctis & ejus farinæ alia confirmet, quo illis, qui caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, mittitur operatio erroris, ut credant mendacio, 2. Thess. 2. v. 10. Nec rarò à Clericis ipsis ejusmodi præstigiæ ad imponendum simplicioribus exercentur, qualia exempla de Dominicano & Franciscano apud Sleidanum, apud Erasmum, & alios passim extant.

Caveamus proindè ne palpum nobis obtrudi patiamur, ut & ipsi ad mortuos nos convertamus: sed Dominum quæramus, hic docebit nos utilia, Esa. 48. v. 17. Habemus firmiorem sermonem Propheticum &c. 2. Petr. 1. v. 19.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. Ex Lazari appellatione. Christus enim eum nomine appellat, ubi ex adverso impium divitem indignum censet, cujus nomen ab Evangelistis consignetur, quod luculentum indicium, Lazarum in numero oviculatum ejus fuisse, quas nominatim vocat, Joh. 10. v. 3. & in libro monumenti sui scripsit, ut in æternum non obliviscatur eorum, Mal. 3. v. 16. Hinc Paulus: Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus, qui sunt ejus, 2. Tim. 2. v. 19.

Quodsi igitur bonum nomen conservare gestis, ut post mortem honorifica tui mentio fiat, operam da pietati, & dispone negotia tua in judicio, Psalm. 112. v. 5. *Pulcherrima* quippè *sepultura pietas*, ut Basilius ait. In memoria æterna erit justus, Psal. 112. v. 6. Deum ergò time, & mandata ejus observa, hoc enim omnes homines decet, Eccles. 12. v. 13. Sic & tua memoria cum laudibus erit, Prov. 10. v. 7.

II. *Ex Angelorum præsentatione*, qui animam Lazari portarunt in sinum Abrahæ, & adhuc hodiè sunt administratorii Spiritus: in ministerium emissi propter eos, qui hæreditatem capient salutis, Hebr. 1. v. 14.

Jacobo patriam suam repetituro, Esau frater infensus obviabat cum quadringentis viris armatis, hinc metu percellebatur: Sed Deus ostendebat ipsi duo Angelorum castra, quæ comitabantur ipsum, hinc gaudio perfusus ait: Mahanaim, i. e. castra Dei hæc sunt.

Quando morimur, Fratres, & quidem beatè in Domino, & nos tendimus ad cœlestem patriam, ubi Christus sanguine & morte suâ πολίτευμα acquisivit nobis Phil. 3. v. 20. Infernalis verò Esau obviam procedit nobis, ut viam intercludat: id ipsum non terreat nos, quia Angelos comites habemus, qui sunt potentes virtute, Psal. 103. v. 20. adeoque Diabolo & satellitibus ejus ad resistendum pares sunt Ps. 103. v. 20.

Nec

Nec in agone deserent nos, sed animam, ut mater infantem, portabunt in sinum Abrahæ, ubi custodietur in fasciculo viventium, 1.Sam.25.v.29.

Mardochæo magnæ fuit gloriæ, quod Regio equo in plateâ civitatis inequitavit, & supremus Princeps Haman clamavit coram ipso: Sic fiet viro, quem Rex volet honorare, Esther 6. v.11.

Sed nos majoris æstimamur in oculis Dei, quod cœli Principes sancti Angeli apparitores nostri sunt. Quis non hîc exclamaret cum Davide: Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visit[illegible]um? Psal.8.v.5.

III. *Ex jucundâ refocillatione*, quâ Lazarus pòst mortem in sinu Abrahæ affectus est: portabatur enim ab Angelis in sinum Abrahæ. Sinus Abrahæ nihil aliud est, quàm locus, ubi est sine fine felicitas, Augustino dicente. Abraham enim Pater omnium credentium est, Rom. 4. v. 11. Qui igitur in sinu ejus est, ibi degit, ubi Abraham est, nempè in vitâ æternâ, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo, Tob.2.v.18.

Antè Lazarus, proprio domicilio destituebatur, jacens ad januam divitis in fimo; jam verò ἐν τοῖς κόλποις Abrahæ est, ubi sat spatii habet ambulandi coram Deo in terrâ viventium, Psal.27.v.13.

Antè ab omnibus amicis desertum, nemo erat, qui cognosceret, Psal.142.v.5. Sed jam accessit ad multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, & judicem omnium Deum, & spiritus justorum perfectorum, & testamenti novi Mediatorem Jesum, Hebr.12.v.22. Hic non immeritò exclames: Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unũ, Psal.133. v.1.

Antè non habebat, quo corpus ex necessitate tegeret, sed querelam Pauli repetere cogebatur: Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, 1. Cor. 4.v.11. sed jam incedit ornatu speciosissimo, Esa.61. v.10. in byssino candido, Apoc.7.v.14.c.19.v.8. superindutus habitatione de cœlo. 2 Cor.5.v.2.

Antè adeò despectus erat, ut dives epulo aspectu eum non dignaretur; sed jam honoratur à Christo, qui eum nominetenus vocat: ab Abrahamo, qui eum in sinum suum recipit; ab Angelis, qui ipsum in manibus portant; à Deo Patre ipso, qui ut mater eum consolatur, Esa.66.v.13.

Antè cibo destitutus micas mendicare cogebatur, à mensâ divitis cadentes, quibus tamen minus potiebatur: sed jam ad mensam Christi sedet, qui torrente voluptatis eum potat, Psal.36.v.9. ut vitam & abundantiam habeat, Joh.10.v.11.

Ante ulceribus scatebat, & doloribus: Jam terrestre hoc habitaculum deposuit, 2. Cor.5.v.1. expectatq; corpus clarificatum, Phil.2.v.ult. fulgens quasi splendor firmamenti, Dan.12.v.3.

Adhuc hodiè multi egeni Lazari hîc illic inveniuntur, qui auxilium Dei præstolantur: Verùm confidant modò, Dominus non permittet illos tentari suprà id, quod possunt, 1.Cor.10.v.13. sed liberabit ab omni opere malo, & salvos faciet in Regnum suum cœleste, 2.Tim.4.v.18. ubi apud Deum, in Deo, cum Deo & in conspectu Dei abundantiâ gaudiorum fruentur in æternum, Psal.16. v. ult.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus includitur Regulis, quarum

I. *Luxum tempera.* De Epulone dicitur, quod indutus fuerit purpurâ & bysso, epulatusque quotidiè splendidè. Sed infelici eventu! hoc ipso enim viam sibi stravit ad infernum, in quem etiam & anima & corpore migravit.

Nos exemplo ejus cautius mercari discamus. Quod enim Epuloni accidit, idem omnibus illis evenit, qui à tricipiti mundi Cerbero, concupiscentiâ carnis, concupiscentiâ oculorum, & superbiâ vitæ infatuantur. Ubi sunt amatores mundi? comederunt, biberunt, riserunt, in bonis dies suos duxerunt, & in puncto ad infernum descenderunt, inquit Bernhardus. Nonne vir ille Israeliticus in lupanari lanceâ transfossus est? Num.25. v.8. Ballasar temulentus interfectus, Dan.5.v.30. Eli ob nimiam in filios indulgentiam fregit cervicem, 1.Sam.4. v.18. Jezebel è fenestrâ præcipitata & à canibus devorata, cum in gratiam Jehu Regis se exornasset, 2.Reg.9.v.33. Si nemo certus est, quando, ubi & quomodo moriturus sit, unde quilibet animæ rationem sedulam agat, ne momentum in ejusmodi statu versetur, in quo salvari nequeat. Sicut enim ceciderit lignum, ibi erit, Eccles.11.v.3.

Nolite igitur hoc seculum diligere, velut Demas, 2. Tim.4.v.9. Transit enim mundus & concupiscentia ejus, 1.Cor.7.v.29. 30. Qui hoc credere recusat, cum mundo damnabitur, 1.Cor.11.v.32.

Jonas lætabatur super hederâ, quæ umbram capiti ejus præbebat: sed paravit Deus vermem postridiè, qui percussit hederam & exaruit, & omne gaudium cessavit, Jer. 4. v. 6.7. Quid mundus aliud, quàm jucunda hedera, cujus voluptate multi capiuntur, adeò, ut Dei obliviscantur & salutis detrimentum patiantur? Amicitia enim hujus mundi inimicitia Dei est, Jac.4. v.4.

Caveamus proindè ne mundi deliciis inescemur: Momentaneum est, quod delectat, æternum quod cruciat. Qui verò in Domino delectatur, dabit ei petitiones cordis ejus, Psal.37. v.4.

II. *Finem pondera.* Dives Epulo securus in diem vivebat, putans, [illegible] prosperâ valetudine, & omnium rerum abundantiâ frueretur, nullum subesse periculum: Verùm ubi non existimabat, à morte abripiebatur, nec in morte suâ aufferebat, quo linguam suam torridam refrigerare potuisset.

Hoc *dehortationi* nostræ inserviat, Inquit Paulus: Omnibus statutum est mori, & deindè judicium, Hebr.9.v.27. Semper igitur meminerimus, *quod mors certa sit.* Determinati enim dies hominis sunt, Job. 14. v. 5. quæ in manibus Dei sunt, Psal. 31. v.16. diem verò mortis ignorat, Gen. 27. v.3. Eccles.9 v.12. Sedulò igitur de morte cogitemus, orantes cum Mose: Doce nos numerare dies nostros, ut applicemus cor ad sapientiam, Psal.90.v.12.

Deindè & judicium paratum est, ubi unusquisque pro se rationem reddet Deo, Rom. 14.v.13. prout gessit, sive malum, sive bonum, 2.Cor.5. v.10. Ibi nihil occultabitur, judex enim omniscius est, sciens, quod in homine est, Joh.2.v.ult. Nemo effugiet: Judex enim omnipræsens, Psal.139.v.7. Ne-

Nemo contradicet: Judex enim omnipotens, qui vel verbulo omnes damnatos in infernum præcipitabit. Verba enim ejus quasi ignis sunt, & quasi malleus, conterens petram, Jer.23.v.29.

Hæc probè perpendamus, cum metu & tremore salutem nostram operantes, Phil.2.v.12.

Equidem multi hodiè Epicurei in mundo inveniuntur, qui cœlum & beatitudinem suam in hoc seculo quærunt, de futurâ vita non multum solliciti, hinc ajunt: Fortuitò nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus, Sap.2.v.2.seqq. Verùm habent illi mercedem suam, Matt. 6.v.2.

Thebanus Princeps Epaminondas, militem excubias agentem, somno oppressum offendit, hunc gladio transfixit, inquiens: Talem te relinquo, qualem te invenio.

Idem eveniet die extremo Epicureis & filiis hujus seculi, qui peccatorum somno immersi, ad bonum nunquam evigilaturi sunt, ut Christus horâ, quâ non putabunt, venturus sit, Matth.24.v.44. & tunc quoque locum habeat: Qualem te invenio, talem te judico. Quin adeò rigorosè judicium exercebitur, ut justus vix salvetur: impius & peccator ergo, ubi comparebunt? 1.Pett.4.v.18.

III. *Mosen & Prophetas honora.* Hoc dives Epulo minimè fecit, ideò Abraham ad ejus petitum, quo Lazarum ad fratres suos mittendum vult, respondet: Habent Mosen & Prophetas. Quia verò ille Mosen & Prophetas despexit, hinc & mali fructus secuti sunt, ut substantiam hujus mundi habens, clauserit viscera sua à fratre suo, 1.Joh.3.v.17, item, ultrà convenientem conditionem purpurâ & bysso vestitus, & quotidiè splendidè epulatus sit. Et quamvis nonnunquam à Sacerdotibus & Levitis admonitus fuerit, tamen non credidit, quod illi de judicio ultimo, inferno & vita æternâ dixerunt. Jam verò irreparabili damno suo comperit, quod tùm credere renuit.

Sapiamus nos ejus exemplo, ut hîc in tempore gratiæ Mosen & Prophetas sedulò audiamus, & vitam ad eorum doctrinam componamus, nec dubitemus, quin hoc modo æternam damnationem effugere, & ad salutem æternam transire possimus. Sed fiat necesse est, dum fores gratiæ patent: in altero enim seculo tempus deploratum est. Vocavi & renuistis, Prov.1.v.21.

Non dubium est, quin dives Epulo seriâ pœnitentia ductus, jam Mosen atque Prophetas libenter audisset, & morem gessisset, si è loco tormentorum redimi potuisset. Verùm omnis ejus spes decollavit! Nos verò in Regno gratiæ adhuc vivimus, propterea inservientes tempori, ne deseratis collectionem vestram, Hebr.10.v.25. sed observate Mosen & Prophetas, audite verbi Præcones, quando nihil extrà dicunt, quàm ea, quæ Prophetæ locuti sunt, futura esse, & Moses, Act.26.v.22. Scrutamini quoque Scripturas, exemplo Berrhoënsium, Act.17.v.11.

Alii libri & ipsi utilitatem suam habent, ideoque magnifaciendi sunt, sicut Alphonsus Arragoniæ Rex libros in tanto pretio habuit, ut aurum, margaritas & gemmas amittere maluerit, quam libros: unde etiam librum patentem symboli loco

logus inversus, qui semper nititur in vetitum, cupitque negata, Rom. 7. v. 22.

Quin & tota hominis natura pòst lapsum adeò depravata est, ut jam non Dei, sed Satanæ imaginem geramus. Qui enim peccatum facit, ex Diabolo est, 1. Joh. 3. v. 8. seqq.

Omnes igitur ratione carnalis nativitatis nostræ damnaremur, nisi Deus pro infinita misericordia sua, lavacrum regenerationis instituisset, ubi à peccatorum reatu abluti, ad vitam æternam renascimur, & in fœdus divinæ gratiæ recipimur. Quicunque enim in Christum Jesum baptizati estis, Christum induistis, Galat. 3. v. 27. Agnoscamus id grata mente, cum Petro dicentes: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos &c. 1. Petr. 1. v. 3. seqq.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex Nicodemi admissione.* Noctu enim Christum accedit, & tamen ei gratus est, ut inveniat, quod quærit, & accipiat, quod cupit.

Tibi quoque mi Christiane! gratiæ ostium semper patescit, ut quandocunque veneris, misericordiam consequatis, & gratiam invenias, in auxilium opportunum, Hebr. 4. v. ult.

Nehemias coràm Deo, nocte & die, pro filiis Israel oravit, & ipse annuit precationi ejus, Nehem. 1. v. 6.

Idem fecerunt Cives Bethulienses ab Holoferne obsessi, Judith. 6. v. ult.

Rex David non modò manè ejulavit, Psal. 55. v. 18. sed & per singulas noctes lectum lacrymis rigare solitus fuit, Psal. 6. v. 7.

Idipsum nos quoque faciamus. Non enim dormitat, neque dormit, qui custodit Israel, Psalm. 121. v. 4. sed ut olim Israelitas per diem in columnâ nubis, & per noctem in columna ignis præcessit, Exod. 13. v. 21. ita neque nos derelicturus sed potius valida sua dextra nos sustentaturus est, ne per diem Sol nos urat, neque Luna per noctem, custodiet potius nos ab omni malo: custodiet animam nostram, custodiet introitum & exitum nostrum, Psal. 121. v. ult.

II. *Ex Baptismi descriptione*, cui hîc regeneratio attribuitur, quando hîc Christus gemino juramento adseverat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest introire in Regnum Dei. Ex quo è contrario consequitur, quod, ubi regeneratio hæc ritè in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti juxtà admonitionem Christi instituatur, certò & infallibiliter vita æterna speranda sit. Hinc Theophylactus: *Adam cœlos clausit, sed per baptismum aperiuntur.* Tota enim SS. Trinitas in cujus nomen baptizamur, præstò est, & in baptizando regenerationem efficaciter operatur, unde rectè Veteres dixerunt: Pater donat, Filius acquirit, Spiritus sanctus confirmat. Utique Pater donat: nempè ut Basilius loquitur, πλάσιν καὶ ἀνάπλασιν, generationem & regenerationem. Plasmat enim nos in utero matris, Job. 10. v. 8. & quod ad regenerationem necessarium est, ordinat. Hinc Paulus, Gal. 4. v. 4.

Filius idem acquisivit, & efficit, ut partis his thesauris, per baptismum fruamur. Mundat quippè nos lavacro aquæ in verbo,

bo, Eph. 5. v. 26. ut in illo habeamus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, Ephes. 1. vers. 7. Col. 1. v. 14.

Spiritus S, confirmat: est enim pignus hæreditatis nostræ, Eph. 1. v. 14. quo signamur in diem redemtionis, Ephes. 4. v. 30. quin & baptismum signaculum justitiæ fidei facit, Rom. 4. v. 11. ut de salute certissimi esse possimus, nec portæ inferorum adversus nos prævalere valeant, Matth. 16. v. 18.

III. *Ex vita æterna promissione.* Nam sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. Historia ipsa exstat Num. 21. v. 7. 8. Sicut enim tùm temporis morsu serpentum ignitorum læsi, signum salutis habentes, ad quod qui convertebantur, non per hoc, quod videbant, sanabantur, sed per te omnium Salvatorem, Sap. 16. v. 7. 8. sic in N. T. revelata facie Christum intueri possumus, 2. Cor. 3. v. 18. qui eum in finem à Patre nobis factus est, & sapientia, & justitia, & sanctificatio & redemtio, 1. Cor. 1. v. 30. ut per fidem vitam habeamus, in nomine ejus, Joh. 20. v. 31.

Hinc elucescit, quinam genuini vitæ æternæ Candidati sint, qui vitam æternam hæreditatiò consequantur, nimirum soli credentes. Fides enim manus est, sine quâ vitam æternam, quæ donum Dei est, apprehendere non possumus, Rom. 6. v. 23.

Fides quasi *scala* est. Sicuti igitur sine scalis arborem non conscendes; sic neque sine fide ad vitam æternam pervenies. Qui enim incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, Joh. 3. v. ult.

Fides est quasi *lampas*. Sicut igitur fatuæ virgines, quæ lampades suas non exornaverant, non idoneæ erant cum sponso nuptias adire, Matth. 25. v. 11. Ita corda nostra fide exornemus, si cœlesti sponso placere velimus, sine quâ impossibile placere Deo, Hebr. 11. v. 6.

Hoc verò admiratione dignum est, quod Servator tàm largam remunerationem fidei reposuit, nempè vitam æternam, ubi videbimus Deum Patrem, qui nobis Filium suum dedit, ut vivamus per eum, 1. Joh. 4. v. 9, Deum Filium, qui frater noster factus, salutem hanc sanguine suo nobis acquisivit. Deum quoque Spiritum sanctum, qui hæc omnia obsignat in cordibus nostris, ut sciamus, cui credamus, certi, quod potens sit servare depositum nostrum in illum diem, 2. Tim. 1. v. 12. 1. Cor. 2 v. 9.

Quæ ergò retrò sunt obliviscentes fratres, ad ea quæ priora sunt, extendite vos, ad destinatum scopum persequentes, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Phil. 3. v. 14. Sic demùm exultabitis lætitiâ inenarrabili & gloriosa, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum, 1. Petr. 1. v. 9.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

I. *Ad Christum accede.* Est enim Doctor eruditæ linguæ, Esa. 50. v. 4. in quo omnes sapientiæ & scientiæ thesauri absconditi, Colos. 2. vers. 3. ideò missus à DEO

ut nobis notas faciat vias vitæ, Psal.16.v. ult. Id quod quoque fecit, dum quæcunque audivit à Patre suo, nota fecit Apostolis, Joh.15.v.15. qui deinde & Scriptis comprehenderunt, & per sermonem tradiderunt, quæcunque Jesus cœpit & facere & docere, usque in diem, qua assumtus est in cœlum, Act.1.v.1.2.

Nos quoque hodieтenus Christum accedere æque ac Nicodemus possumus, *non gressu corporis, sed mentis*, Augustino loquẽte. Est enim nobiscum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. ult.

Fit verò hoc

1. *Baptismi susceptione.* Adhuc hodiè enim quasi clamat: Sinite parvulos ad me venire, & ne prohibueritis eos, talium est enim Regnum Dei, Marc.10. v.14. Hinc baptismus appellatur ab Augustino: *Porta prima gratiæ*; à Bernhardo: *Investitura Christianismi*; à Nazianzeno: *Vehiculum ad Deum*; à B. Luthero: *Puerpera Regni cœlorum*, Ibi enim baptizatus infans verâ nobilitate insignitur, quæ cotàm Deo valet, & in filium Dei adoptatur, super quâ gloriâ exclamat Johannes: Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, 1. Joh. 3.vers.2.

2. *Pœnitentiæ maturatione.* Per peccata vertimus ad Deum tergum, Jer.2.v.27. discedimus à regiâ viâ, quâ incedendum esset, aut in viam augurum, Jud.9.v.37. aut in viam Jeroboam, 1.Reg.16.v.2. aut in viam Balaam filii Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, 2.Petr.2.v.15. hæ meræ viæ tenebrosæ, Prov.3.v.13. perversæ viæ, Prov.28.v.18. curvæ viæ. Psal.125. v. ult. & iniquitatis & perditionis sunt, Sap.5.v.7. quæ non ad cœlum, sed ad perditionem ducunt, Matth.7.v.13.

Per pœnitentiam igitur Christo accelеremus oportet. Revertere aversatrix Israel, vocat Dominus, Jer.3.v.12. Hinc Pœnitentia Hebræis vocarut Schuba, i. e. reversio ad Deum, sicut filius prodigus ita ad patrem reversus est, Luc.15.v.22. Sic verum evadit: Si pœnitet haud nocet error, Ezech.18.v.21.

3. *Devotâ oratione.* Quando nos mutuò alloquentes cum Israelitis dicimus: Venite, & revertamur ad Dominum, Os.6. v.1. Multum enim valet deprecatio justi idonea, Jac.5.v.17. Quod reipsa comperére Hiskias, 2.Reg.14.v.20. Jonas, Jon. 2.v.11. Judith, Jud.13.v.6. Hæc exempla & nos imitemur, ut in omnibus adversitatibus, ad orationem, tanquam ad asylum confugiamus. Prov.18.v.10.

4. *Templi visitatione.* Ibi enim Deus per Ministros suos ad nos loquitur, docens nos utilia, Esa.48.v.17. Luc.10.v.16. Proinde compellamus nos invicem dicentes: Venite & adscendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, Esa.2.v.3.

In Ecclesiâ Deus Pater habitaculum, imò ignem & caminum habet, Esa.31.v. ult. ubi exaudiet nos invocantes in cœlo, 1.Reg.8.v.23. Deus Filius ibi officinam suam habet, ubi sedet, velut aurifaber & purgat filios Levi, ut deinde offerre sacrificiũ in justitiâ possint, Mal.3.v.3. Deus Spiritus sanctus, ceu cœlestis columba habet ibi nidum suum, ubi evolat & revertitur, sicut columba Noæ, Gen.8.v.8. & pullos gignit, h. e. filios Dei ad vitam æternam, Psal.84. v.4. Ubi igitur SS. Trinitas præsens

sens est, ibi & sanctorum Angelorum myriades adsunt, castra metantes in circuitu timentium Deum, Psal.34. v.8.

5. *Beatâ emigratione.* Certa est sententia mortis, & immota: Pulvis es, & in pulverem reverteris, Gen.3.v.19. Verum immane quantum interest inter mortem piorum & impiorum. Quando enim pii moriuntur ad Dominum illi migrant, cum quo semper erunt, 1.Thess.4. v. ult. Phil. 1. vers. 23.

Impii verò abeunt ad progeniem patrum suorum, & in æternum lumen non videbunt, Psal.49.v.20. Eccles.11.v.3.

Vivamus igitur hîc Christo, & aliquando in Christo quoque moriemur, & pòst mortem inveniemus cum eo vitam & abũdantiam, Joh.10.v.11.

Hac ratione adhuc hodiè cum Nicodemo ad Christum pervenire possumus. Proficiamus igitur in notitiâ Dei, ut ab eo vitæ viam discamus; nosse enim te, consummata justitia est, & scire virtutem tuam, radix est immortalitatis, Sap.15.v.3.

II. *Carnem reprime.* Hîc audimus Christum dicentem: Nisi quis renatus fuerit, ex aquâ & spiritu, non potest introire in Regnum Dei, quod enim natum est ex carne, caro est.

Per carnem non intelligitur humana natura, quæ bona à Deo creata est, sed intima naturæ corruptio, quæ originem habet à Diabolo, & invidiâ ejus introivit in orbem terrarum, Sap.2.v.24. hinc oculi pleni sunt adulterii, 2.Petr.2. v.14. aures sunt incircumcisæ, Act.7.v.51. os plenum maledictione, Psal.10. v.7. manus supergrediuntur, 1.Thess.4.v.6. veloces pedes, ad currendum in malum, Prov.6. v.18. Cor venenatus fons, ex quo exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, Matth.15.v.19. Breviter: omnia hominis membra peccati veneno infecta sunt, ut à plantâ pedis usque ad verticem non integrum quiddam sit in homine, Esa.1. vers. 6.

Est igitur veri Christiani, ut semper adversus pravas concupiscentias militet, quæ in membris se exerunt, ne in opus erumpant: Concupiscentia enim, cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem, Jacob.1.v.15.

Quodsi igitur os tuum justitiam non loquitur, Psal.58. v.2. sed sermone spurco & otioso delectatur, Eph.4.v.29.c.5. v.4. ora cum Siracide: Quis dabit ori meo custodiam, Sir.23.v.1. Matth.12.v.37.

Quodsi oculus tuus scandalizaverit te, erue eum & projice abs te, Matth.18. v.9. Sir. 9. v.8.

Quando aures verbum Dei fastidiunt, aut ad clamorem pauperum obsurdescunt, audi, quid Christus dicat: Qui ex Deo est, verbum Dei audit, Joh.8.v.47. & Salomo, Prov.21.v.13.

Quodsi manus tuæ unguibus furtivis præditæ, varias technas, ut defraudent proximum, machinantur, pone modum prudentiæ tuæ, Prov.23. v.4. resecans ungues cultro justitiæ, quoniam vindex est Dominus de his omnibus, 1.Thess.4.v.6.

Si claudicas ut Mephiboseth, 2.Sam.4. v.4. nec incedis in viâ justitiæ, Luc.1.v.79. averte gradum, & intra per angustam portam, Matth.7.v.13.

Quando variæ concupiscentiæ è corde tuo

tuo protuberant, dum parvus est hostis interfice. *Ex uno* quippe *injustitiæ grano, infinita bellorum seges pullulat*, teste Senecâ; & qui seminat mala in sulcis injustitiæ, metet ea in septuplum, Sir. 7. v. 3.

III. *Rationem compesce.* Cum Christus Nicodemum de regeneratione instrueret, quærebat ille: Quomodo fiet istud? quin adeò stupidus erat, ut hominem in ventrem matris suæ introire & ita renasci oportere, censeret. Hinc justâ reprehensione à Christo notatur, dicente: Tu es Magister in Israël, & hæc ignoras? &c.

Ejusmodi Nicodemi adhuc hodiè non pauci sunt, quorum Symbolum est, ut Augustinus eos loquentes introducit: *Non cogor credere, quod mihi non potes ostendere.* Verùm si hoc valeret, Christianismus noster actutùm collabasceret. Fide namque intelligimus aptata esse secula verbo Dei: ut ex invisibilibus visibilia fierent, Hebr. 11. v. 1. Hîc si ratio Magistra esset, & præponderaret, utique ineptè judicaret. Ex nihilo enim nihil fit, intellige, naturaliter. Sed nos Deum omnipotentem credimus, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, Rom. 4. v. 17.

Fide quoque intelligimus Deum unum in essentia & trinum in personis esse, Deut. 6. v. 4. 1. Joh. 5. v. 8. Quodsi & hîc ratio consulatur, illa stultum reputabit, quod unum tria, & tria unum sint. Verùm quando perpendimus, quod per fidem ambulamus, non per speciem, 2. Cor. 5. v. 7 facilè acquiescimus. Difficile quippè æstimamus quæ in terris sunt, Sapient. 9. v. 16. Mysterium Trinitatis fide amplectendum, non ratione perscrutandum, ait Athanasius, & Bernhardus: Scrutari temeritas, nosse autem vita æterna est. Quilibet oret cum Davide: Doce me Domine viam tuam, fac ut ambulemus. Psalm. 86. v. 11.

Fide quoque intelligimus, quod Christus in unâ indissolubili Persona sit θεάνθρωπος. Quis hoc ratione comprehenderet? Est siquidem ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον, 1. Tim. 3. v. ult.

Hoc & de aliis fidei articulis intelligendum est. Compescat se humana temeritas, inquit Augustinus, & id, quod non est, non quærat, ne illud quod est, non inveniat. Et iterum: Noli intelligere, ut credas, sed crede, ut intelligas. Scrutans gravia gravatur, Prov. 25. v. 27.

In rebus Politicis ratio utiliter adhiberi potest: Verùm si Deum ejusque verbum concernit, mulier taceat in Ecclesia, 1. Cor. 14. v. 34.

Si quis igitur videtur inter vos sapiens esse, in hoc seculo, stultus fiat, ut fiat sapiens: Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum, 1. Cor. 3. v. 18. Largiatur nobis DEUS gratiam suam, per & propter Christum, Amen.

DOMI-

DOMINICA I. POST TRINITATIS.

Evangelium Luc. 16. v. 19 -- 31.

EXORDIUM.

ERat tempore Christi Servatoris mulier quædam, quæ habebat Spiritum infirmitatis decem & octo annis: & erat incurvata, nec omninò poterat sursum respicere. Quam cùm vidit JEsus, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tuâ. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificavit Deum, Luc. 13. v. 11. 12. 13.

Hæc mulier idea est, omnium Epicureorum & filiorum hujus seculi, quos Diabolus adeò ad terrena incurvavit, ut non multùm de Deo, nec cœlestibus cogitent: sed in concupiscentiâ oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ summum suum bonum quærant. Propterea thesauros sibi colligunt de auro & argento, quibus confidunt, & ubi thesaurus eorum, ibi & cor eorum, Matth. 6. v. 21. quin quò pluribus divitiis abundant, eò feliciores putant se, dicentes: Beatum populum, cui hæc sunt, Psal. 144. v. ult. Et hæc causa est, quod æque juvari nequeant, atque Christus mulieri huic opem tulit, quia morbum suum non agnoscunt, sed benedicunt sibi in hoc statu, Psal. 10. v. 3. incessabiles delicti; 2. Petr. 2. v. 14. donec in puteum cadant, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11. Tum fastus eorum cessat. Dabit enim Deus ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant, usque in sempiternum, Judith. 16. v. 21.

Exemplum prostat in prælecta Pericope in divite epulone, qui omninò carnaliter affectus, non modò induebatur purpura & bysso, sed & quotidiè splendidè epulabatur. Sed infelici tandem eventu! Quia enim terrenis planè immersus fuit, tandem ex illis devenit ad locum tormentorum, ubi adhuc inter damnatos pœnas dat, interitum æternum, à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

Videbimus pro instituti ratione

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

JJ.

Exegesis.

OPtimè Regius Psaltes de Deo dicit, quod in cœlo sedeat, palpebræ verò ejus probent filios hominum, Psal. 11. v. 4. In prælectâ enim Pericope ejus luculentum prostat exemplum, ubi Salvator noster, qui Deus est benedictus in secula, Rom. 9. v. 5. de duabus diversi status & ordinis personis verba facit, & accuratè novit, quæ cujusque ratio sit, non modò quod ad terrenas facultates, sed & pietatem & impietatẽ concernit. Hinc alterum, divitem epulonem ad infernũ, alterum verò nempè Lazarum ad cœlum relegat, quæ sententia quoq; in utroq; pòst mortem consumatur. Non, quasi divitiæ ex seipsis damnandæ forent, siquidem Scriptura expressè memorat, quod benedictio Dei divites faciat,

Si hodiernum mundum inspicimus, idem fere fieri videmus: plurimi proprio commodo inserviunt, & quando marsupia sua impleverunt, nihil patiuntur super contritione Joseph, sive Lazari, Amos 6. v. 6. sed continuò ut sanguisugæ clamant: Affer, affer, Prov. 30. v. 15. Manus enim eorum porrectæ sunt ad accipiendum, & ad dandum collectæ, Sir. 4. v. ult. sicut & de Sodomitis dicitur: Saturitas panis, & felicitas tranquillitatis, & manum egeno & pauperi non porrigebant, Ezech. 16. v. 49. In his locum habet illud Augustini: *Si non pavisti occidisti:* & talis homo sanguinis est, Sir. 34. v. 27.

Sed hæc omnia susque deque habent, concedentes potius, ut aurum & argentum in cistâ æruginent, Jac. 5. v. 2. quàm ut pauperi levamento sint. Hinc Poeta avarum ita introducit, ut aurum ipsum eundem quasi accuset:

Ferrea cista auri, custos tibi, ferrea porta,
Ferrea tota domus, ferreus es Dominus.

His aliquando judicium sine misericordia erit, Jac. 2. v. 13. Qui enim obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur, Prov. 21. v. 13. *Audiant ista divites, qui nolunt esse misericordes*, exclamat hîc Augustinus. Emendate igitur mores, donec hodiè cognominatur, Hebr. 3. v. 13. & concludite eleemosynas in conclavibus vestris, h. e. in ærarium Christi, Sir. 29. v. 15. & aliquando largam retributionem impetrabitis, Prov. 19. v. 17. Sicut enim Magi ex Oriente apertis thesauris suis obtulerunt Christo, aurum, thus, & myrrham, Matth. 2. v. 11. ita nos hodiè pauperes habemus, his quicquid largiemur, Christus sibi factum reputabit, Matth. 25. v. 40.

Dum tempus igitur habemus, operemur bonum, tempore enim suo metemus, non delassati, Gal. 6. v. 9.

III. *Mortuorum accessum.* Dives Epulo hîc Abrahamum orat, ut mittat Lazarum in domum Patris sui, ad quinque fratres suos, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in locum tormentorum. Si enim quis, dicit, ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Verùm repulsam ipse patitur, siquidem Abraham ait: Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Hoc olim apud Paganos non insolens fuit, qui defunctis peculiaria sacrificia præstiterunt, & varia incantamenta adhibuerunt, quibus ex opinione illorum animæ demortuorum vel inviti apparere, & futura indicare coactæ sint. Quod & Judæi à gentibus didicerunt, ut Saulis exemplum indicat, 1. Sam. 28. v. 7. seqq.

In Papatu quoque multa de animabus defunctorum blaterantur, quæ, ut ipsi quidem prætendunt, hic illic apparent, & quæ ratio Purgatorii & aliarum occultarum rerum sit, manifestare perhibentur. Unde & Spiritus illos per peculiares characteres & formulas variis incantationibus adjurare amant. Verùm hoc ipsum verbo Dei è diametro repugnat. Vide Deut. 18. v. 9. 10. Esa. 8. v. 19. 20.

Præterea ne unicum quidem exemplum, neque in Veteri nec Novo Testamento legitur, quod DEUS unquàm per mortuos cum viventibus egerit, aut hoc modo voluntatem suam

iisdem manifestaverit: sed postquam Deus multifariam multisque modis olim locutus est patribus in Prophetis, novissimis his diebus locutus est nobis in Filio, Hebr. 1. v. 1. seq. Et cœlitus mandavit, ut eum audiremus, Matth. 17. v. 5. in quo quoque acquiescimus, reverenter suscipientes, quod nobis per Ministros suos annunciat. Qui enim vos audit, me audit, Luc. 10. v. 16.

Quod verò in Papatu fit, præstigiæ Satanæ sunt, qui operatur in filios diffidentiæ, Eph. 2. v. 2. ut superstitiosa dogmata, de purgatorio, invocatione sanctorum, Missis pro defunctis & ejus farinæ alia confirmet, quo illis, qui caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, mittitur operatio erroris, ut credant mendacio, 2. Thess. 2. v. 10. Nec rarò à Clericis ipsis ejusmodi præstigiæ ad imponendum simplicioribus exercentur, qualia exempla de Dominicano & Franciscano apud Sleidanum, apud Erasmum, & alios passim exstant.

Caveamus proindè ne palpum nobis obtrudi patiamur, ut & ipsi ad mortuos nos convertamus: sed Dominum quæramus, hic docebit nos utilia, Esa. 48. v. 17. Habemus firmiorem sermonem Propheticum &c. 2. Petr. 1. v. 19.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Lazari appellatione.* Christus enim eum nomine appellat, ubi ex adverso impium divitem indignum censet, cujus nomen ab Evangelistis consignetur, quod luculentum indicium, Lazarum in numero ovicularum ejus fuisse, quas nominatim vocat, Joh. 10. v. 3. & in libro monumenti sui scripsit, ut in æternum non obliviscatur eorum, Mal. 3. v. 16. Hinc Paulus: Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus, qui sunt ejus, 2. Tim. 2. v. 19.

Quodsi igitur bonum nomen conservare gestis, ut post mortem honorifica tui mentio fiat, operam da pietati, & dispone negotia tua in judicio, Psalm. 112. v. 5. *Pulcherrima* quippè *sepultura pietas*, ut Basilius ait. In memoria æterna erit justus, Psal. 112. v. 6. Deum ergò time, & mandata ejus observa, hoc enim omnes homines decet, Eccles. 12. v. 13. Sic & tua memoria cum laudibus erit, Prov. 10. v. 7.

II. *Ex Angelorum præsentatione*, qui animam Lazari portarunt in sinum Abrahæ, & adhuc hodiè sunt administratorii Spiritus: in ministerium emissi propter eos, qui hæreditatem capient salutis, Hebr. 1. v. 14.

Jacobo patriam suam repetituro, Esau frater infensus obviabat cum quadringentis viris armatis, hinc metu percellebatur: Sed Deus ostendebat ipsi duo Angelorum castra, quæ comitabantur ipsum, hinc gaudio perfusus ait; Mahanaim, i. e. castra Dei hæc sunt.

Quando morimur, Fratres, & quidem beatè in Domino, & nos tendimus ad cœlestem patriam, ubi Christus sanguine & morte suâ πολίτευμα acquisivit nobis Phil. 3. v. 20. Infernalis verò Esau obviam procedit nobis, ut viam intercludat: id ipsum non terreat nos, quia Angelos comites habemus, qui sunt potentes virtute, Psal. 103. v. 20. adeoque Diabolo & satellitibus ejus ad resistendum pares sunt Ps. 103. v. 20. Nec

Nec in agone deserent nos, sed animam, ut mater infantem, portabunt in sinum Abrahæ, ubi custodietur in fasciculo viventium, 1. Sam. 25. v. 29.

Mardochæo magnæ fuit gloriæ, quod Regio equo in plateâ civitatis inequitavit, & supremus Princeps Haman clamavit coram ipso: Sic fiet viro, quem Rex volet honorare, Esther 6. v. 11.

Sed nos majoris æstimamur in oculis Dei, quod cœli Principes sancti Angeli apparitores nostri sunt. Quis non hîc exclamaret cum Davide: Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Psal. 8. v. 5.

III. *Ex jucundâ refocillatione*, quâ Lazarus pòst mortem in sinu Abrahæ affectus est: portabatur enim ab Angelis in sinum Abrahæ. Sinus Abrahæ nihil aliud est, quàm locus, ubi est sine fine felicitas, Augustino dicente. Abraham enim Pater omnium credentium est, Rom. 4. v. 11. Qui igitur in sinu ejus est, ibi degit, ubi Abraham est, nempè in vitâ æternâ, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo, Tob. 2. v. 18.

Antè Lazarus, proprio domicilio destituebatur, jacens ad januam divitis in fimo; jam verò ἐν τοῖς κόλποις Abrahæ est, ubi sat spatii habet ambulandi coram Deo in terrâ viventium, Psal. 27. v. 13.

Antè ab omnibus amicis desertum, nemo erat, qui cognosceret, Psal. 142. v. 5. Sed jam accessit ad multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, & judicem omnium Deum, & spiritus justorum perfectorum, & testamenti novi Mediatorem Jesum, Hebr. 12. v. 22. Hic non immeritò exclames: Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unū, Psal. 133. v. 1.

Antè non habebat, quo corpus ex necessitate tegeret, sed querelam Pauli repetere cogebatur: Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, 1. Cor. 4. v. 11. sed jam incedit ornatu speciosissimo, Esa. 61. v. 10. in byssino candido, Apoc. 7. v. 14. c. 19. v. 8. superindutus habitatione de cœlo. 2 Cor. 5. v. 2.

Antè adeò despectus erat, ut dives epulo aspectu eum non dignaretur; sed jam honoratur à Christo, qui eum nominetenus vocat: ab Abrahamo, qui eum in sinum suum recipit; ab Angelis, qui ipsum in manibus portant; à Deo Patre ipso, qui ut mater eum consolatur, Esa. 66. v. 13.

Antè cibo destitutus micas mendicare cogebatur, à mensâ divitis cadentes, quibus tamen minus potiebatur; sed jam ad mensam Christi sedet, qui torrente voluptatis eum potat, Psal. 36. v. 9. ut vitam & abundantiam habeat, Joh. 10. v. 11.

Ante ulceribus scatebat, & doloribus: Jam terrestre hoc habitaculum deposuit, 2. Cor. 5. v. 1. expectatq; corpus clarificatum, Phil. 2. v. ult. fulgens quasi splendor firmamenti, Dan. 12. v. 3.

Adhuc hodiè multi egeni Lazari hîc illic inveniuntur, qui auxilium Dei præstolantur: Verùm confidant modò, Dominus non permittet illos tentari suprà id, quod possunt, 1. Cor. 10. v. 13. sed liberabit ab omni opere malo, & salvos faciet in Regnum suum cœleste, 2. Tim. 4. v. 18. ubi apud Deum, in Deo, cum Deo & in conspectu Dei abundantiâ gaudiorum fruentur in æternum, Psal. 16. v. ult.

Nemo contradicet: Judex enim omnipotens, qui vel verbulo omnes damnatos in infernum præcipitabit. Verba enim ejus quasi ignis sunt, & quasi malleus, conterens petram, Jer.23.v.29.

Hæc probè perpendamus, cum metu & tremore salutem nostram operantes, Phil.2.v.12.

Equidem multi hodiè Epicurei in mundo inveniuntur, qui cœlum & beatitudinem suam in hoc seculo quærunt, de futurâ vita non multum solliciti, hinc ajunt: Fortuitò nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus, Sap.2.v.2.seqq. Verùm habent illi mercedem suam, Matt. 6. v. 2.

Thebanus Princeps Epaminondas, militem excubias agentem, somno oppressum offendit, hunc gladio transfixit, inquiens: Talem te relinquo, qualem te invenio.

Idem eveniet die extremo Epicureis & filiis hujus seculi, qui peccatorum somno immersi, ad bonum nunquam evigilaturi sunt, ut Christus horâ, quâ non putabunt, venturus sit, Matth.24.v.44. & tunc quoque locum habeat: Qualem te invenio, talem te judico. Quin adeò rigorosè judicium exercebitur, ut justus vix salvetur: impius & peccator ergo, ubi comparebunt? 1.Petr.4.v.18.

III. *Mosen & Prophetas honora.* Hoc dives Epulo minimè fecit, ideò Abraham ad ejus petitum, quo Lazarum ad fratres suos mittendum vult, respondet: Habent Mosen & Prophetas. Quia verò ille Mosen & Prophetas despexit, hinc & mali fructus secuti sunt, ut substantiam hujus mundi habens, clauserit viscera sua à fratre suo, 1.Joh.3.v.17. item, ultrà convenientem conditionem purpurâ & bysso vestitus, & quotidiè splendidè epulatus sit. Et quamvis nonnunquam à Sacerdotibus & Levitis admonitus fuerit, tamen non credidit, quod illi de judicio ultimo, inferno & vita æternâ dixerunt. Jam verò irreparabili damno suo comperit, quod tùm credere renuit.

Sapiamus nos ejus exemplo, ut hîc in tempore gratiæ Mosen & Prophetas sedulò audiamus, & vitam ad eorum doctrinam componamus, nec dubitemus, quin hoc modo æternam damnationem effugere, & ad salutem æternam transire possimus. Sed fiat necesse est, dum fores gratiæ patent: in altero enim seculo tempus deploratum est. Vocavi & renuistis, Prov.1. v. 21.

Non dubium est, quin dives Epulo seriâ pœnitentia ductus, jam Mosen atque Prophetas libenter audisset, & morem gessisset, si è loco tormentorum redimi potuisset. Verùm omnis ejus spes decollavit! Nos verò in Regno gratiæ adhuc vivimus, propterea inservientes tempori, ne deseratis collectionem vestram, Hebr.10.v.25. sed observate Mosen & Prophetas, audite verbi Præcones, quando nihil extrà dicunt, quàm ea, quæ Prophetæ locuti sunt, futura esse, & Moses, Act.26.v.22. Scrutamini quoque Scripturas, exemplo Berrhoënsium, Act.17.v.11.

Alii libri & ipsi utilitatem suam habent, ideoque magnifaciendi sunt, sicut Alphonsus Arragoniæ Rex libros in tanto pretio habuit, ut aurum, margaritas & gemmas amittere maluerit, quam libros: unde etiam librum patentem symboli loco

Transtulit Eurum sub cœlo: Et induxit virtute suâ Aphricum. Et pluit super eos, sicut pulverem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata, Psal. 78. v. 24. seqq. Verùm tædio ejus affecti, jactabant pisces, cucumeres & pepones, porrosque & cæpe & allia, quæ in Ægypto comederant, Num. 11. v. 5. Propterea prostrati sunt in deserto, 1. Cor. 10. v. 5. ut de sexcentis millibus virorum, non nisi duo, Josua & Caleb Palæstinam ingressi sint, Num. 26. v. ult.

Hæc figuræ fuerunt nostri. Christum enim Servatorem in hunc mundum venientem, qui verè Manna sive panis cœlestis est Joh. 6. v. 35. & in sacra Eucharistiâ carnem & sanguinem suum ad edendum & bibendum nobis ordinavit, Matth. 26. v. 26. despexerunt Judæi, dicentes: Nolumus, hunc regnare super nos, Luc. 19. v. 14. Ideoque deindè ingratos hos hospites abjecit, & Apostolos suos ablegavit in vias gentium, ut illis gratiam suam offerrent, plures fortè & meliores fructus laturis, majorique zelo Christi doctrinam amplexuris ut Paulus Judæis id exprobrat, Act. 13. v. 46. Verùm & illi non melius gesserunt se. Licet enim in principio Evangelium cum gaudio susceperint, & ut Propheta loquitur, filios suos in ulnis attulerint, & filias suas super humeros portaverint, Esa. 49. v. 22. attamen & ipsi Mannæ cœlestis nauseâ capti, Servatori ansam dederunt, ut ille ex Palæstinâ in Græciam, ex Græciâ in Italiam, ex Italia in Germaniam discesserit, sicut nec hodierno die fixam sedem habet, sed si alicubi contemnitur, candelabrum loco movet, & exit de templo, Joh. 8. v. ult. At væ illis, cum discessero, Os. 9. v. 12.

Hanc nefandam ingratitudinem Servator parabolicè ostendere voluit, sub lautâ & instructa cœna, ad quam quidem multi invitati sint, verùm non comparuerint, sed variis excusationibus quæsitis, terrena cœlestibus prætulerint, ut prælectum Evangelium pluribus indicat.

Videbimus nos

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Memorabile est illud Siracidis: Miseratio Domini quidem magna est: sed tàm citò irasci potest, quàm misereri: & ira illius in peccatores non desinit, c. 5. v. 6.

Ideam illius exhibet prælecta Pericope: ubi cœlestis ille Oeconomus quidem magnam cœnam apparat, ad quam multos invitari curat: Verùm ubi convivæ venire renuunt, irâ exardescit, ut omni gratia renunciata expressè dicat, neminem illorum gustaturum cœnam suam.

Querela respicit

1. *Terrenorum curam*, quæ hodiè nimis invaluit, ut plerique terrenorum amore inebriati, conciones verbi divini, & Sacramenta aspernentur. Hæc innuitur

1. *Per agrorum cultores.* Primus enim dixit: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excusatum. Non dicit emturus sum, sed emi, quod probè notandum. Hinc enim patet, quâm stolidè egerit, quod antè emtionem ratam fecerit, & postea demùm abiturus est,

Ss emtam

emtam villam conspecturus, hoc enim ante factum oportuit. Sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis, Sir. 33. v. 24.

Sic Diabolus multis adulterinas merces venditat, qui ad forum hujus mundi otiosi stant, quibus illi inescantur, ut non visas easdem mercentur, cum maximo suo damno: postmodùm oculi illis aperiuntur, utquàm præposterè egerint, deprehendant, quodsi antè id perspexissent, proculdubio cum Demosthene dixissent: Tanti pœnitere non emo: Mors enim stipendium peccati, Rom. 6. v. ult.

Quod agriculturam concernit, ea ex se ipsa damnanda non est. Abraham, Isaac, Jacob & alii Sancti Dei homines sine jacturâ salutis eam exercuerunt. Verùm si salutem tuam in eâ quæras, ut dives ille rusticus, Luc. 12. v. 19. id sanè in damnum cedit. Nam omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operabitur, ibit cum illo, Sir. 14. v. 20.

2. *Per boum emtores.* Alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum. Hoc illi denotantur, qui fœnore & fraudibus cit circumveniunt fratrem suum in negotio, 1. Thess. 4. v. 6. & etiam ex malo acquiruut, Sap. 15. v. 12. per stateras injustas, & pondera iniqua, Levit. 19. vers. 36. Vide Sir. 27. v. 1. seqq.

Qui igitur insidiantur quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros, Jer. 5. v. 26. cor exercitatum in avaritia habentes, 2. Petr. 2. v. 14. graviter delinquunt, & nisi pœnitentiam egerint, in infernum devenient, juxta illud: Mercatorum disperierunt omnes, comportantes argentum, Soph. 1. v. 11.

3. *Per mulierum amatores*, qui fœminarum amori tribuunt, quod neque coràm Deo nec conscientia sua excusare possunt, veluti Salomo, 1 Reg. 11. v. 4.

Apud Judæos illi peculiari gaudebant privilegio, qui matrimonio se devinxerant, Immunitas enim belli, ipsis concedebatur, Deut. 20. v. 7. Sed à cultu Dei exemti non erant: sed quia thalamus calamus, eò magis adstringebantur, Deo se & res suas devovere, qui solus aquam tribulationis in vinum lætitiæ commutare valet, Joh. 2. v. 9. ideò calva excusatio est, quam hi mulierosi prætexunt, dum matrimonio se excusare satagunt: sicut adhuc hodiè inveniuntur, qui rem Oeconomicam prætendunt, & putant, Deum non ad amussim omnia cum ipsis exacturum, licet quandoque in cultu ejus visitando & precibus ei offerendis negligentiores sint, cùm ipse jusserit domesticorum cùram habere, 1. Timoth. 5. v. 8.

Verùm sic non excusabunt se. Utrumque enim mandavit Deus, quin antè omnia Regnum Dei quærendum est, si benedictio Dei sequi debeat; dilectis enim suis dat in somnis, Psal. 127. v. 3. Hi verò amici ejus sunt, qui voluntatem ejus faciunt, Joh. 15. v. 14. Confide igitur Deo & mane in loco tuo. Facile enim est in oculis Dèi ditare pauperem, Sir. 11. v. 22. seqq.

II. *Excusationem præposteram*, quam hospites invitati prætendunt. Non enim cœnam Domini se contemnere videri volunt, ideò rogant servum, quia aliis negotiis districti teneantur, ut meliori modo apud Dominum eos excuset.

Ad-

Adhuc hodie filii hujus seculi sibi persuadent, non Deum omnia ad amussim exacturum, si temporalibus impediti, non semper cultui divino vacare possint.

Hinc idololatriam, hypocrisin, blasphemias, execrationes, superbiam & alia nefanda peccata palliare minus verentur. Quando à verbi Præcone publicè ex suggestu arguuntur, mandato Pauli, 1. Tim. 5. v. 20. illum nimis strictè omnia exigere opinantur. Verùm non moveat hoc verbi Ministros, sed clament potius, nec cessent, quasi tuba exaltantes vocem suam, Esa. 58. v. 1. quodsi enim peccatores ad pœnitentiam perduxerint, gaudium Angelorum excitabunt, Luc. 15. v. 11.

Qui frugi sunt, agnoscunt, si fortè deliquerint, orantes cum Davide: Non declines cor meum, in rem malam, ad excusandas excusationes in peccatis, Psal. 141. v. 4. Prov. 28. v. 13.

Imprimis verò caveant sibi Ecclesiæ Pastores, ne cuipiam blandiantur, sed officio suo probè perfungantur, veritatem nemini abscondentes. Quodsi servus hic assentationibus placere voluisset, non est dubium, quin à singulis non contemnendum honorarium reportasset. Verùm religio ipsi est, Domino aliter rem referre, quàm reapte est: Iccircò omnia, prout habebant se, eidem renunciabat.

Eodem modo omnes animarum Pastores affecti sint. Sed non pauci hodiè occurrunt Excusantes, Dissimulantes, Sycophantæ, qui muneribus corrupti ad placitum hominum loqui non verentur. Non carpunt peccata, non reprehendunt scandala, hinc à Prophetis Jerusalem egreditur hypocrisis, super omnem terram, Jer. 23. v. 15. O quàm rigorosa ratio requiretur ab ipsis, die novissimo, quando rationem de sanguine deperdito dabunt, Ezech. 3. v. 18. Quilibet proindè, quæ officii sui sunt, sedulò agat. Quodsi auditores excusari volunt, ita se gerant, ut excusari possint: aut nos excusent, quando quæ officii nostri sunt, facimus. Vos estis sal terræ, ait Salvator, quodsi sal infatuatus fuerit, in quo salietur? Matth. 5. v. 13.

III. *Mundanorum incuriam*. Hic audimus, Christum hospitibus ingratis severam pœnam annunciantem, quod non gustaturi sint cœnam ejus in æternum.

Equidem Judæi, quod Christus hîc minatus est, irreparabili suo damno experti sunt: ut adhuc hodiè sint in exsecrationem, & in stuporem, & in maledictionem, & in opprobrium, Jer. 42. v. 18.

Nos exemplo eorum instructi, ingratitudini hujusmodi renunciemus. Noli superbè de te sentire, sed time: Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit &c. Rom. 11. v. 21. Psal. 7. v. 13. 2 Chron. 36. v. 16.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex cœnæ præparatione*, quam Deus ab æterno decretam, in plenitudine temporis instituit,

1. *Ex summa necessitate.* Quia enim serpens antiquus Protoplastos nostros seduxit, ut de arbore scientiæ boni & mali escam prohibitam comederint, Gen. 3. vers. 6. unde mortis temporalis & æternæ rei facti sunt, Sapient. 2. vers. 24.

Rom.5.v.12. Deus benignissimus animam nostram amavit, Esa.38.v.27. & in concione Evangelicâ, lapso generi humano efficax antidotum præparavit, quo ipso mors corporalis in placidum somnum transmutata, Joh.11.v.26. æterna verò penitus sublata est, ne fidelibus ulterius nocere posset, modò cœnæ huic sedulò intersint, & Mannam cœlestem in scrinio cordis sui fideliter custodiant, quoties in concionibus dispensatur, ut ipsa Veritas ait: Amen, Amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum, Joh.8.v.51.

2. *Ex immensa caritate.* Scimus enim, quod JEsus Servator cum Ecclesia suâ se desponsaverit, Os.2.v.19.

Atqui nuptiæ agni & domi-deductio quam proximè instant, & propediem vox insonabit: Ecce, Sponsus venit, Matth.25. v.6. Propterea Dominus cœnam instituit, quâ in Ecclesia in his terris frui possumus, sicuti legimus, quod in desponsatione junioris Tobiæ, cum Sara filia Raguelis, conscriptione conjugii factâ, etiam convivium instruxerint, Tob.7.v.16. Postea nuptiæ demùm secutæ sunt, ubi amici in ædibus Raguëlis convenientes, novis nuptis gratulati sunt, dicentes: Benedicat te Deus Israel: & dicatur benedictio super uxorem tuam, & super parentes vestros: & videatis filios vestros, & filios filiorum vestrorum, usque in tertiam & quartam generationem: & sit semen vestrum benedictum, à Deo Israel, qui regnat in secula seculorum. Cumque omnes dixissent, Amen, accesserunt ad convivium: sed & cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant, Tob.9.v.9.

Similiter magna hæc cœna, de qua sermo est in præsenti Evangelio, desponsationi nostræ accommodata est, quando verò nuptiæ & repotia consequentur, cum Abraham, Isaac, & Jacob recumbemus in Regno Dei, Matth.8.v.11. Luc.13.v.29. Esa.65.v.14.

II. *Ex multorum invitatione.* Vocavit enim multos, ut Servator ait. Hoc ipso potissimum respiciuntur Judæi, ex quibus Ecclesia V.T. ordinariè collecta est: illorum quippè erat adoptio & testamenta, & legislatio & cultus & promissa: quorum patres, ex quibus est Christus, secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Rom.9.v.4.5. Ideò & principiò non multum curavit gentiles, sed expresse mulieri Cananeæ respondit: Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel, Matth.15.v.24. Verùm hoc de officio Prophetico intelligendum, quod in Judæa ipsi obeundum fuit, unde & Minister circumcisionis appellatur, Rom.15. v.8. Sed quod officium Sacerdotale concernit, tradidit semetipsum oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis, Eph.5. v.2. propitiatio factus non pro Judæorum duntaxat, nec gentilium modò: sed & totius mundi peccatis, 1.Joh.2.v.2. Propterea quoque Apostolos suos ablegavit in mundum universum, cum hâc instructione, ut prædicent Evangelium omni creaturæ, Marc.16.v.15.

Sicut igitur antè dicebatur: Non fecit taliter omni nationi, Psal.147. v.10. cum Judæi adhuc existerent populus ejus peculiaris, Deut.7.v.6. nunc ob fœdam eorum ingratitudinem, qua Evangelium quasi conculcarunt, & repulerunt, Act.13.v.46.

eò

eò res rediit, ut dicatur: Taliter non facit Judæis. Nos enim jam sumus genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, 1. Petr. 2. v. 9. superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapidi JEsu Christo, Eph. 2. v. 19.

Nemo proindè Deum injustitiæ insimulare potest, quasi non omnes homines salvos velit. *Vocatorum crimen est, non vocantis*, Chrysostomo dicente. Quod enim hodiè Judæi, Turci, aliæque barbaræ gentes magnæ huic cœnæ non adeò propinquæ sunt, ac nos, id non Deo vocanti, sed vocatis Majoribus adscribendum est, quod nobile verbi & Sacramentorum depositum non diligentius conservarunt, & ad posteros propagarunt. Imputent hoc sibi ipsis. Deus sanè adeò misericors est, ut non delectetur in ullius hominis perditione, Tob. 3. v. 22. Quando verò Judæi nolunt, vocat gentiles; quodsi & hi venire renuunt, pauperes ac debiles & cœci & claudi invitantur, quo impleatur Dei domus. Non enim personarum acceptor est Deus; sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi, Act. 10. v. 35.

III. *Ex lautissimâ tractatione.* Quia enim magna vocatur cœna, quam Deus cœli & terræ apparari curavit, facilè colligendum est, apparatum quoque non vilem, sed lautissimum esse. Quoniam omnes Dii gentium Elilim: Dominus autem cœlos fecit. Laus & magnificentia est in conspectu ejus, robur & decus est in sanctuario ejus, Psal. 96. v. 5.

Quando olim Christus in diebus carnis suæ in convivium admissus est, quatuor potissimum, illata sunt: Primò *aqua* ad mundandum. Secundò *Cibus*. Tertiò *potus*, & quartò *balsamus*, quo Judæi convivas suos inungere soliti, Matth. 26. v. 6. Joh. 12. v. 1. & seqq.

Hæc omnia quoque in magnâ hâc cœnâ reperiuntur.

1. *Aqua* nobis exhibetur, quæ non vulgaris, sed aqua vitæ est, quâ cor, caput, manus, pedes, anima & corpus purificari possunt, Tit. 3. v. 6. ita ut neque macula neque ruga ulla in nobis amplius reperiri debeat, Eph. 5. v. 26.

2. Nec *cibus* desit. Judæi in V. T. habebant sacrificia, & Manna: at typi tantummodò erant & umbræ, hinc Servator ad Judæos: Amen, amen dico vobis: Non Moses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus &c. Joh. 6. v. 32.

3. *Potus* quoque generosus nobis porrigitur, qui est sanguis Jesu Christi Filii Dei, emundans nos ab omnibus peccatis, 1. Joh. 1. v. 8. Nam calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est, 1. Cor. 10. v. 15. Confer Matth. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22. Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 23.

Quod 4. *balsamum* concernit, quod in Judæorum conviviis ad ungendos convivas exhibitum fuit, ejus vicem subit in hâc magna cœna oleum lætitiæ Spiritus sancti, Psal. 45. v. 8. qui unctio est, omnia nos docens, 1. Joh. 2. v. 20.

Horum consideratione dicamus cum Davide: Quàm pretiosa est misericordia tua Deus &c. Psal. 36. v. 8. 10.

De cœna Platonis olim dicebatur:

Sapuisse etiam in diem alterum. Verùm de hâc cœna multò æquius adseverare possumus; quod piis salutare sit in æternum. Ego sum panis vitæ, inquit Christus, qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam, Joh. 6. v. 35.

In conviviis corporalibus sæpè arcta amicitia & fraternitas conciliatur, sicut Isaac facto convivio, fœdus feriit cum Abimelecho, Gen. 26. v. 30. Verùm in hoc spirituali convivio emolumentum majus restat nobis: hîc enim venimus in adoptionem Patris, Joh. 1. v. 12. fraternitatem inimus cum Christo, Joh. 20. v. 17. communionem habemus cum Spiritu sancto, qui hâc ratione ad nos venit, Joh. 16. v. 7. quin & participes reddimur divinæ naturæ, 2. Petr. 1. v. 4. & consequimur vitam æternam, ut cum Christo non destituamur ullo bono, Psal. 34. v. 11.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Bonitatem Dei admirare.* Est enim homo ille, qui cœnam hanc magnam paravit, de quo Christus hîc loquitur, verus φιλάνθρωπος, qui non modò universo mundo Filium suum unigenitum donavit: sed continuò adhuc ad hominum salutem promovendam operosus est, facitque vineæ suæ quæ potest, eô fine ut ferat uvas non labruscas, Esa. 5. v. 4. Hæc magna est gratia, quam in æternum demereri non possimus.

Cum arca fœderis è domo Obed Edom in arcem Sion translata esset, quâ in re universus Israel occupatus fuerat, partitus est Rex singulis, tàm viris quàm mulieribus collyridam panis unam, & assaturam bubulæ carnis unam, & unam lagenam vini, quod Spiritus sanctus in memoriam consignari jussit, 2. Sam. 6. v. 19. Verùm in prælectâ Pericope major munificentia nobis ostenditur, quam Rex Regum in eo probavit, quod non pro aliquot, sed omnibus hominibus pretiosam cœnam paravit; sicut hîc nobis describitur,

1. *Tanquam hospes humanissimus.* Erat enim homo quidam, qui fecit cœnam magnam. Super qua verba Chrysostomus: Quando Deus homini se confert, nil nisi gratiam significat, quando vero leoni, urso vel alii bestiæ se comparat, nil nisi iram & indignationem minatur. Sit ergò nobis merum gratiæ indicium, quod peccatoribus nobis hanc cœnam paraverit. Utique habemus Deum benignissimum, qui diligit populos, Deut. 33. v. 3. & sicut nos in principio ad imaginem suam creavit, Gen. 1. v. 27. sic nos dilexit in Christo, ante jacta fundamenta mundi, Eph. 1. v. 5. Quis hîc non consisteret, & admirabundus diceret: Quid est homo, quod memor es ejus? Psal. 8. v. 5.

2. *Tanquam hospes liberalissimus.* Nihil hîc meruimus, nec unquam referendo sumus, quæ nobis præstitit. Attamen adeò munificus est, ut ex merâ benignitate, sine ullo nostro merito & compensatione lautissimam hanc cœnam præpararit, ut sugamus, & fatiemur ab uberibus consolationis ejus, Esa. 66. v. 11. Eph. 2. v. 11.

3. *Tanquam hospes candidissimus.* Parat enim convivium, non cœdes, ut Absolon, 2. Sam. 13. v. 28. vel Ptolomæus Dux in campo Jericho, 1. Macc. 16. v. 15. Id hîc minimè

nimè metuendum, est enim fidelis, 1. Cor. 10. v. 13. cot & os concordant. Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, Ezech. 33. v. 11.

Quando igitur mundus omnem gratiam nobis denegat, & perimere nos intendit, non desperemus propterea, quia Deus profugium & tutela nostra est, dives in omnes, qui invocant illum, Rom. 10. v. 12. mutatio dexteræ ejus, Psal. 77. v. 11. Luc. 1. v. 38.

II. *Invitatus appare.* Hic audimus Dominum irasci, ubi servus ipsi renunciat, quàm calvas exceptiones convivæ invitati prætenderint, propter quas cœnam ejus neglexerint. Tu igitur cautius mercari disce, & veni, quando invitaris, dum hodiè dicitur, dum fores gratiæ patent. *Indulgentiam nobis promisit Dominus, sed non promisit crastinum*, ait Bernhardus. Ignoramus, quid sit crastinum, Jac. 4. v. 13. Nescimus, quid serus vesper vehat, Sir. 18. v. 26.

Olim pro ignominiâ reputabatur, si quis tardius convivium accederet, hinc dicebatur, Athenæo referente: *Ad convivium, qui tardè venit, hunc puta etiam aciem desertu-rum.* Plautus huic opinioni consentit, propterea ait: *Ad cœnam vocavit, religio fuit denegare.*

Quantò magis igitur nostri officii erit, ut ad cœnam magnam, quam Pater cœlestis nobis apparavit, sedulò compareamus, nec ultrà tempus adventum differamus. Hora jam est, nos de somno peccati surgere, dicit Paulus, Rom. 12. v. 9. Præpara te igitur: lava inter innocentes manus tuas, Psal. 73. v. 13. indue vestem nuptialem, Matth. 22. v. 13. Propera cum devotione cordiali ad domum Ecclesiæ, & audi verbum devotè, accede locum confessionis, utere sacra cœnâ, & fac, quod est bonum, & quod Dominus requirit à te, Mich. 6. v. 8. sic gustabis, quam bonus sit Dominus, Psal. 34. v. 9. Sir. 18. v. 13.

III. *Compelle intrare.* Hic Pater-familias servo suo mandavit, ut si invitati comparere nolint, compellat eos intrare. Pontificii hîc probare satagunt, quod religio igne & gladio cogi possit, unde si quis characterem bestiæ assumere nolit, hoc in ipsa praxi demonstrant, ut non modò carceri repugnantes includant, sed variis suppliciis afficiant. Operosi hîc valdè sunt Jesuitæ, qui, quia à milite originem trahunt, ita die nocteque id moliuntur, ut illos igne & gladio è medio tollant, qui Pontificis jugum subire nolunt. Alii nomen Ignatii Jesuitarum Antesignani, ab igne derivant. Et verè ille ignem evomit, non caritatis, quam Christus per Spiritum suum accendit: sed odii, quem Diabolus spirat, quia per hanc ignis spirantem societatem Ecclesia, velut nocentissimo aliquo incendio, consumitur.

Verùm hoc ipso indicant, cujus Spiritus illi sint, Luc. 9. v. 55. Deus enim noster obedientiam spontaneam requirit, Psal. 110. v. 3. quod coactè vel invitè fit, ipsi non probatur, quia cor intuetur, 1. Sam. 16. v. 7. Talis itaque externa & violenta coactio hic non intelligitur, quæ etiam unico huic servulo impossibilis fuisset. Sed ejusmodi compulsio, quæ per verbi ministerium fit, quando illi, quos Deus vigiles domus suæ constituit, non canes muti sunt, Esa. 56. v. 10. sed arguunt, increpant, exhortantur, opportunè, importunè, 2. Tim. 4. v. 2. hoc ipso multos lucrantes,

qui

qui alias damnationi obnoxii facti essent, sicut hoc modo Petrus in prima concione Pentecostali Judæos compulit, ut appositæ sint in die illa animæ circiter tria millia, Act. 2. v. 41.

Hoc adhuc hodiè Pastorum munus est: propterea illis duæ virgæ assignantur, quarum una vocatur *amabilis*, & significat Evangelium, quod est jugum suave, Matth. 11. v. 29. illis destinatum, qui diligunt disciplinam, Sap. 6. v. 19. altera vocatur *dolor*, & notat legem, quæ & sceptrum exactoris dicitur, Esa. 9. v. 4. iram enim modò operatur, Rom. 4. v. 15. estque Pædagogus ad Christum, Gal. 3. v. 24.

Utramque virgam verbi Ministri sedulò adhibeant, ut oviculas obsequentes compellant per salutarem informationem, ne desperent in peccatis suis, sed per Christum resurgant, qui in mundum venit, peccatores salvare, ubi quilibet in individuo se includat, 1. Tim. 1. v. 15. Impios vero terrere debent, annunciatione iræ Dei, ut & temporalis pœnæ & æternæ damnationis, quam sibi attrahunt, nisi in tempore gratiæ revertantur, & resipiscant. Non miseretur enim omnibus Deus, qui operantur iniquitatem, Psalm. 59. v. 6.

Qui per has duas virgas non compelli potest, inveniet judicem suum tempore judicii. Interea & triticum & zizania sinamus utraque crescere, Matth. 13. v. 30. coactione enim violenta nihil quicquam efficitur. Conscientiæ cogi non possunt. *Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus*, ait Theodosius Imperator. Multi quidem hoc modo efficiuntur hypocritæ, at, pauci Christiani. Quodsi verò juxtà sinceram doctrinam, & vitam piam duceremus, dignè ambulantes DEO, Phil. 1. v. 9. & in sapientiâ ergà eos, qui foris sunt, Col. 4. v. 5. multò plus, quàm vi corporali effici potest, efficeremus: illi enim, qui jam detrectant de nobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus nos considerantes, glorificaturi essent Deum, per quem ad agnitionem erroris pervenerunt, 1. Pet. 2. v. 12.

Hæc cogitate, Vos mei! & quia Deus adeò benignus est, ut non modò convivas amicè invitet, sed & servum suum in vias & sepes exire jubeat, ad invitandum quosvis, maturè vos parate, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, 2. Cor. 6. v. 1. sic delectabitur in pinguedine anima vestra, Esa. 55. v. 2. habebitisque cum Christo vitam, & abundantiam, Joh. 10. v. 11.

Quod Christus nobis omnibus largiatur, Amen.

DOMINICA III. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 15. v. 1 -- 11.

EXORDIUM.

POsteaquam Jacobus Patriarcha infideli socero Labano viginti annos subservierat, tandem abitum parabat dicens: Da mihi uxores & liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam: *Justum est igitur, ut aliquando provideam etiam*

etiam domui meæ, Genes. 30. v. 30. Nos omnes, Vos mei! per peccata in tristem servitutem redacti sumus, Diaboli mancipia facti, omnis enim qui facit peccatum servus est peccati, Joh. 8. v. 34. Verùm merces pessima tandem persolvitur, nempè ira & indignatio, tribulatio & angustia, in omnem animam hominis operantis malum, Rom. 2. v. 9. proptereà meliori mente imbuti, infernali Labano servitium suum in tempore renunciemus. Satis est nobis, quòd anteacto vitæ tempore, voluntatem gentium patraverimus, cum versaremur in lasciviis, concupiscentiis, vinolentiis, comessationibus, compotationibus, 1. Petr. 4. v. 3. *Domui* aliquando etiam *providere nostræ* æquum est, quò anima à corpore recedens sciat, ubi habitatura sit, nempè in cœlesti Hierusalem, ubi Christus abitu suo πολίτευμα acquisivit nobis, Phil. 3. v. 20. Verum est enim illud Chrysostomi: *Omnia nobis duplicia dedit Dominus: duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes: si igitur horum alterum lædatur, per alterum necessitatem consolamur: animam verò tantummodò unam dedit, si hanc perdiderimus, quâ quæso vivemus?* Ideoque maximæ curæ nobis sit, ut cum Jacobo animæ domui provideamus. Quid enim prodesset homini, si universum mundum lucraretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Matth. 16. v. 28.

Fit hoc per seriam pœnitentiam: Sicut enim peccata nos & Deum nostrum dividunt, Es. 59. v. 2. ita per pœnitentiam ipsi redunimur, ut qui aliquando eramus longè, fiamus propè, Eph. 2. v. 14. nec amplius Diabolo sed Christo serviamus, in justitiâ & sanctitate omnibus diebus vitæ nostræ, Luc. 1. v. 75. Egregium prostat Exemplum in publicanis & peccatoribus in prælecta Pericope: hi & ipsi infernali Labano in peccatis servierant, verùm pœnitentiâ seria ducuntur, probè enim cernebant mercedem iniquitatis suæ, cauteriatam habentes conscientiam, quâ inquietabantur, 1. Tim. 4. v. 2. ideò melius provisuri domui suæ, Christo appropinquant, ut gratiam, solatium & refectionem, quam omnibus laborantibus & oneratis promisit, adipiscantur.

Videbimus nos

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

II.

Exegesis.

Sicut in arcâ Noë *corvi* & *columbæ* promiscuè degebãt: Ita & in Ecclesia, quæ per arcam Noë præfigurata est, reperiuntur boni & mali. *Corvus* vocem habet odiosam, quâ semper clamat: Cras, cras. Ita plurimi inter Christianos occurrunt, qui cantum hunc corvinum ingeminant, & licet ad pœnitentiam stimulentur, tamen eandem malitiosè procrastinant, ideò non rarò fit, ut justo diutius in peccatis detenti excludantur è Regno cœlorum, ut virgines fatuæ, Matth. 25. v. 11.

Columba vero vocem habet gementem, Esa. 38. v. 14. & imago est resipiscentium, qui instar columbæ Noë revertuntur, quando diu in mundo circumvolarunt, & vanitatem ejus compererunt. Hinc peccatorum remissionem quærentes, ingemiscunt ad Deum: Non intres in judicium

cum servo tuo, Psal. 143. v. 2. Psal. 25. v. 6. Hoc gratum est Deo, ut vicissim respondeat ille: Nonne Ephraim est filius mihi carissimus? Nonne in hoc filio sunt deliciæ meæ? Conturbata sunt viscera mea, super eum: miserans miserebor ejus, Jer. 31. v. 20.

Publicani & peccatores in prælectâ Pericope & ipsi cantum corvinum diu continuaverant, & pœnitentiam distulerant: ubi verò Christum ad pœnitentiam se vocare audiunt, & ipsi accedunt, gratiam apud eum quærentes, quam & sufficienter ad animæ tranquillitatem impetrarunt.

Querela respicit

1. *Peccatorum frequentiam*, adhuc hodiè ubique obviam. Christo appropinquabant omnes peccatores & publicani. Idem hodiernus subindè fit, quando Christus per Ministros suos peccatores ad pœnitentiam vocat. Ecclesia etenim non omninò pura est in hac vita: Sed ut in vineâ uvæ & labruscæ occurrunt, Esa. 5. v. 3. sic & fideles cum hypocritis permixti sunt, unde non immeritò Ecclesia lilium inter spinas nominatur, Cant. 2. v. 2.

Et si verum fateri fas est, varii quoque peccatores sicut tempore Christi occurrunt. Alii palliare peccata nituntur, pertinentque ad generationem, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lora à sordibus suis, Prov. 30. v. 12. Tales sunt scortatores & adulteri, invidi & hypocritæ, fœneratores & rixosi, hi si ex suggestu notentur, instar adulteræ tergent os suum, dicentes: Non sum operata malum, Prov. 30. v. 20.

Alii agnoscunt quidem iniquitatem suam, desperant verò de gratiâ Dei, ut Cain, Saul, Judas, aliique plures. Geminum itaque peccatum perpetrant, primò quod mandatum Dei transgressi sunt. Deinde quod Deum mendacii arguunt, non credentes, quod misericors sit, ut in verbo suo se declaravit, Jer. 3. v. 12.

Alii petulanter pergunt, suntque quasi venundati, ut faciant malum, ut de Achab dicitur, 1. Reg. 21. 25. Hi sunt Epicurei, incessabiles delicti, 2. Petr. 2. v. 14. dicentes, quando mala patrant: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob, Psal. 94. v. 7.

Alii quidem peccarunt sed pœnitentiam maturant, ut David, Manasse, Petrus, Maria Magdalena aliique, & hi optimi censendi sunt, 1 Joh. 1. v. 8.

Verùm rara horum messis est: Mundus enim totus in maligno positus, 1. Joh. 5. v. 7. nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens: Quid feci? Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus, impetu vadens ad prœlium, Jer. 8. v. 6. Intereà verbo, confessione & S. Synaxi quandoque utuntur, ut Christiani videantur, quâ de hypocrisi conqueritur Deus, Matth. 15. v. 8.

Quodsi verò genuinos Christianos vos præstare velitis, Fratres, agnoscite malitiam innatam, & ad Christum vos recipite, qui velut secundus Adam omnia restituit, quæ prior Adam deperdidit, Rom. 5. v. 20. qui enim in peccatis suis mortuus fueris, in peccatis quoque suis resurget, auditurus cum iniquitatis operatoribus tristem illam sententiam: Non novi vos, Matth. 7. v. 23.

II. *Pharisæorum invidentiam.* Murmurabant

bant enim hi dicentes: Hic peccatores recipit,& manducat cum illis.

Talis mundi genius est,ut qui veræ pietati studet, ejus ludibrium habeatur. Si de mundo fuissetis, mundus, quæ suum erat, diligeret, Joh. 15. v.19. Hic multi offenduntur, ut instar ineptæ calcis labascant, & ut Luna mutentur, Sir.27. v.12. quando ex adverso alii, per Spiritum sanctum roborati, ut murus consistunt, & per adversariorum murmurationes eò magis confirmantur & eriguntur, scientes,quod Dominus, qui in eis est, major sit, quàm qui in mundo, 1.Joh.4. v.4.

Cæterùm multi adhuc hodiè passim murmurant. *Murmurant delicatuli*, quando peccata & flagitia seriò reprehenduntur,maximè ubi clavis ligans usurpatur,& disciplina Ecclesiastica exercetur in delinquentes, dicentes: Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis funes ipsorum,Psal.2.v.3. sermonem non audiemus ex te, Jer. 44. v.16.

Murmurant Epicurei, qui peccatum illudunt,Prov.14.v.19. & illos, qui disciplinæ Ecclesiasticæ subjiciunt se, pro simplicibus & stultis habent, hinc vox eorum: Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, Sap.2.v.12.seqq.

Murmurat Pontifex cum Asseclis suis,quòd doceamus in Ecclesiis A.C. Deum peccatores resipiscentes in gratiam recipere,sine ullis eorum meritis. Id tolerare nescit, quia hoc ipso Vigiliæ & Missæ pro defunctis,peregrinationes religiosæ, vota monastica, & ejus farinæ alia superstitiosa dogmata non parùm labefactantur, & merces suas nemo emet amplius,Apoc.18.v.12.

Quin & ex illis non pauci *murmurant, qui boni Christiani videri volunt*, quando in calamitates incidunt, & auxilium diutius differtur. Quare inquiunt,factus est dolor noster perpetuus,& plaga nostra desperabilis renuit curari? Jer.15.v.18.

Abstineamus hoc murmure. Quis enim Deo litem intendet? Esa.50. v.8. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? Thren.3.v.39.

III. *Lapsus humani pestilentiam*; quam Christus nobis ad animum revocat, in gemina parabola quarum prima desumta est ab ove perdita,altera de drachma amissa.

De ovicula Physici memorant, quod omnium animalium simplicissimæ sint. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Esa. 1. vers. 8. Ovicula vero nescit viam suam, nisi pastorem & ductorem suum habeat. Præterea nec cornibus, nec dentium & ungvium vi pollet, quibus sedefendere possit. Hinc Alexander M.certior redditus,quod Darius pluribus copiis instructus esset, respondit: Oves licet plures, ab uno aut altero lupo capiuntur.

Ita comparatum cum nobis est post lapsum, ut omnes, quasi oves, erraverimus Esa.53. v.6. nec contrà truculentiam Satanæ nosmetipsos defendere possimus, qui ut leo rugiens circuit quærens, quem devoret, 1.Petr.5.v. 8.

Hinc Ecclesia:

Nil ecce! nostris viribus,
Mox ille nos prostravit:
Nostris at est à partibus
Quo Jova nos beavit.
Si quæris ille quis?
Christus vocatur is,
Rex gloriæ summus,
Nec alter est Deus
Solus hic est invictus.

Quod verò *drachmam* attinet, iterum illâ commonemur, quinam ante lapsum fuerimus, & quorsum Diaboli fraude devenerimus.

Drachma gerit inscriptionem & imaginem ejus Domini, qui ipsam cudi fecit, hinc quæsivit Christus ex Legatis, qui ipsi obtulerunt denarium, cujus est imago hæc & superscriptio? Matth. 22. v. 21.

Sicut igitur Magnates, Reges, Imperatores & Principes, imaginem suam in monetâ cudi faciunt, quò subditi commoneantur obedientiæ, quam Magistratui debent: unde in Latina lingua Moneta appellatur, à monendo, quod commonefaciat subditos officii sui ergà Magistratum: Ita Deus hominem principiò ad imaginem suam creavit, ut hoc ipso Creatoris, Redemtoris & Sanctificatoris recordari, ejusque laudem celebrare debeat, ad exemplum Davidis, Psalm. 103. vers. 1. seqq.

Sicut vero drachma amissa in angulo vel sordibus sæpè aliquot annos jacet, ubi ærugine consumitur, & inscriptionem amittit, ut imago vel inscriptio vix agnoscatur: Sic & nos ipsi per peccata in Regnum tenebrarum sub potestatem Satanæ devenimus, terrenorumque amore adeò fascinati sumus, ut imaginem cœlestem penè amiserimus, nec nos ipsos restituere valeamus, sicut nec drachma amissa seipsam restituere potest. Christus hic succurrere nobis tenetur, qui & devotâ oratione invocandus est cum Jeremia: Converte me, Domine, & convertar, Jerem. 31. v. 18.

Facit verò hoc non immediatè, sed mediante verbi Ministerio, quod ideò Ministerium damnationis vocatur, 2. Cor. 3. v. 9. & scopis legis drachmam movet, ut sonitum edat, & hâc occasione reperiatur. Ex lege enim est agnitio peccati, Rom. 7. v. 7. ut Davidis exemplum probat, 2. Sam. 12. v. 13.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex querela amittentium.* Uterque enim & pastor de ove perditâ & mulier de drachma amissa solicitus est, licet ille de ovibus nonaginta novem adhuc, & hæc drachmas novem residuas habeat.

Hoc ipso verò Servator amorem suum ardentissimum innuere voluit, quo ergà nos incensus est. Dolet enim quempiam periturum eorum, pro quibus occubuit & sanguinem suum profudit: sicut & in mundum venit, non unum atque alterum, sed omnes peccatores salvare, 1. Tim. 1. v. 15.

Nota sunt ex historiis *Titi Vespasiani humanitas, Trajani Pietas, & Alexandri M. in milites benevolentia*, quâ infirmos prosecuti sunt.

Quando Christum intuemur, ille plus adhuc generi humano præstitit. Propter salutem enim nostram de cœlo descendit, non modò ad invisendum infirmos, sed & pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, Act. 10. v. 39. Propterea non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo: sed seipsum humiliavit, factus obediens Patri, usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. v. 7. & per vulnera sua, nostra vulnera sanavit, Esa. 53. v. 5.

Quandocunque igitur quis perit, adeò dolet

dolet, ut vel denuò mori paratus sit, ut ad peccatorem desperabundum dixisse fertur. Verùm sufficit unica hostia, quam in odorem suavitatis Deo Patri obtulit, Eph.5.v.2. hanc spernentibus jam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam exspectatio judicii & ignis æmulatio, quæ consumtura est adversarios, Hebr.10.v.27.

II. *Ex studio requirentium.* Pastor in deserto discurrit, quæritque in omnibus vepretis & dumis, allicit & investigat oviculam, dum inveniat eam. Mulier accensa lucerna verrit domum, quæritque in omnibus angulis & sordibus, dum reperiat drachmam. Utrumque Ministerio verbi convenit, quod Christus eo fine instituit, ut usque ad diem novissimum, concio de pœnitentia & remissione peccatorum in Ecclesia continuetur, Luc.24. v. 47. unde & Verbi Præcones pastores appellantur, Eph.4.v.11. qui oviculas suas habent, quas pascere tenentur, Act.20.v.28. sanguinem verò deperditum de manu eorum requiret Deus, Ezech.3.v.18.

Quodsi igitur officio suo satisfacere volunt, curam gerere ovium tenentur, & quando animadvertunt, unam atque alteram in curvas peccatorum vias declinaturam, Psal.125.v. ult. omnem eos oportet movere lapidem, ut tempestivè instauretur, in Spiritu lenitatis, Gal.6. v.1. sic salvabunt animam ejus à morte, & operient multitudinem peccatorum, Jac.5.v.ult.

Quando deprehendunt, drachmam ipsis elapsam, & verendum, ne perdatur, lucernam accendant, deinde scopis legis arreptis, tamdiu vertant, dum reperiant eam. Huic muneri eos Christus destinavit, & quidem in gratiam peccatorum, ne illi in peccatis desperent, sed per ordinaria media ad pœnitentiam revertantur, *Millies peccasti,* dicit Chrysostomus, *millies conversus ingredere, nam etiam publicanus factus est Evangelista, blasphemus Apostolus magnus, latro Paradisi colonus: Medicus noster potentior est, quàm omnis infirmitas.* Solatium hinc cape, mi Christiane! habes benignissimum in cœlis Deum, qui bonæ spei fecit filios suos, se daturum locum in peccatis pœnitentiæ, Sap.12.v.19. Si modò veneris, cum publicano pectus percutiens & dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori, Luc. 18.v.14. delebuntur peccata tua, nec recordabitur amplius iniquitatum tuarum Deus Ezech.18.v.22.

III. *Ex gaudio invenientium*: quod oritur

1. *In solo.* Non enim pastor modò & mulier, sed & amici & vicini congratulantur & gaudent, ovem perditam & drachmam amissam repertas esse. Sic hodietenus pii gaudio superfunduntur, quandò peccator pœnitentiam agit, & ad frugem reducitur. Stolidi ergò meritò habentur, quos pudet reverti, quando aliquamdiu Diabolo in peccatis servierunt. Diaboli hæc fraus est, quâ illos captivos tenet ad obsequium suum. Peccare enim flagitium est, sed reverti gloria: & quandò pii id vident, Deum celebrant, qui ex Saulo Paulum fecit, & Ecclesiam suam membro pœnitenti auxit, Act.10.v.18.

2. *In polo.* Nam & gaudium erit in cœlo, coràm Angelis Dei, super uno peccatore, pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ.

Hoc ipsum stimulus nobis sit, ut à peccatis desistamus, & seriâ pœnitentiâ Domino obviemus, quia audimus, eo nos gaudium excitare coràm Deo, beatis Angelis & electis. Deus enim expectat pœnitentiam nostram, Esa. 56. vers. 2. & venientes nos, cum lætitiâ excipit, ut pater filium prodigum, Luc. 15. v. 23.

Sancti Angeli sunt administratorii Spiritus, in ministerium emissi, propter eos, qui hæreditatem capient salutis, Hebr. 1. v. ult. & sicut illi per peccata contristantur, ita ex adverso lætantur, si peccator resipiscat: & quot lacrymas ille profundit, tot jubila oriuntur in cœlo, ut Angeli cum electis Dei, qui fratres & sorores nostri sunt, Dominum laudent & celebrent, qui super nos misericordiam & fidelitatem confirmat in æternum, Psalm. 107. v. 2.

Agite proinde pœnitentiam, Vos mei! dum hodiè dicitur, & Deus lætabitur, Angeli exultabunt, & vos ipsi exultabitis lætitiâ inenarrabili & gloriosa, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum, 1. Petr. 1. v. 9.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Miseriam deplora.* Ante lapsum homo nobilis drachma fuit, insignita imagine Dei, quæ consistebat in vera justitiâ & sanctitate, Ephes. 4. v. 24. In intellectu enim ejus fulgebat clarissimus Sapientiæ radius: in voluntate ejus pura voluptas & amor, ad perficienda omnia, quæ bona & Deo grata erant: cor quoque ejus mundum & incontaminatum erat, domicilium Dei & Templum SS. Trinitatis. Corpus quoque morbis & mortalitati subjectum non fuisset, sed quando tempus à Deo definitum in Paradiso terreno consummasset, vivus in cœlum assumtus, & ita de virtute in virtutem translatus fuisset.

Verùm per peccata imago Dei, cum concreata justitia & sanctitate penitus amissa est, ut commodè huc applices illud Esaiæ, c. 1. v. 6.

Propterea Christi sermo hîc est, de meris rebus deperditis, de ove perditâ, de drachma amissa, de filio prodigo. Fuimus Troës! pulchritudo nostra instar vestis detritæ est amissa, & ut tenebræ lucem fugant, sic & peccatum concreatam justitiam & sanctitatem expulit, ut nunc sine cognitione Dei, sine fide, caritate, & justitia in utero matris concipiamur & nascamur: quod enim ex carne natum est, caro est, Joh. 3. v. 6.

O nunquam satis lugendam miseriam! Ante felicissimi eramus, ad imaginem Dei creati, jam malis planè immersi, Diaboli imago evasimus, quam per peccata contraximus. ideò agnoscamus illud, enixè laborantes, quomodo è labyrintho hoc expediamur.

Cum Arca Dei capta esset, uxor Pinees adeò consternabatur, ut in ipso partu occumberet, dicens: Translata est gloria ab Israel, eò quod capta est arca Dei, 1. Sam. 4. v. 22.

Nos majorem conquerendi causam habemus, quia per peccata imaginem Dei amisimus, in quâ velut in Arca fœderis, gratia, vita, & salus nobis adservata sunt, ideò non leviter æstimemus hoc, sed ingemisca-

miſcamus in contritione lumborum, & in amaritudinibus ingemiſcamus, Ez.21.v.6.

Cum Jeremias miſeram populi Iſraelitici conditionem ſecum perpenderet, exclamabat: Quis dabit capiti meo aquam! Jer.9.1.

Quanto magis nos miſeriam noſtram deploremus? Noſtrum enim periculum multo majus eſt, ſedemus in cribro Satanæ, ſingulis momentis ne pertranſeamus, & in barathrum infernale præcipitemur, metuentes. Hinc non temerè optabimus: quis dabit capiti noſtro aquam, ut ploremus die ac nocte peccata noſtra. Quod & ipſe Deus ſic requirit à nobis, Joël.2.v.13.

Ejusmodi lacrymæ non fruſtrà effunduntur. Sicuti enim filia Pharaonis videns parvulum Iſraeliticum vagientem, miſerta eſt ejus, Exod.2.v.6. ſic multò magis cœleſtis Pater miſerebitur, quando cum fletu & lacrymis, coràm facie ejus comparebimus. Iccircò non derelinquet nos orphanos, Joh.14.v.18. ſed ut mater conſolabitur, Eſa.66.v.13. & tandem omnem lacrymam abſterget ab oculis noſtris, Apoc.21.v.4.

II. *Chriſto auſculta.* Exemplo ſunt publicani & peccatores, qui Chriſto appropinquabant, ut audirent illum.

Chriſtus erat Doctor eruditæ linguæ, Eſa.50.v.4. eratq; docens, ὡς ἐξουσίαν ἔχων, & non ſicut Scribæ & Phariſæi, Matth.7.v.ult. Propterea certatim inſequebatur ipſum turba, ut & navem conſcendere teneretur, Luc.5.v.1.

Quantumvis igitur in cœlum adſcenderit, nec ita pertranſeat amplius in terris, ut in diebus carnis fecit, Actor.10.v.38. attamen continuè per Miniſtros & Præcones ſuos loquitur, juxtà illud: Luc.10.v.16.

Proindè Auditores haud inviti compareant, non dubitantes, quin, ſi Eccleſiaſtes in ſuggeſtum adſcendat, & Magnalia Dei annunciet, Chriſtus ipſe ad oſtium ſtet & pulſet, qui aperuerit illi januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo, Apoc.2.20.

Hic conſilium Dei de ſalute noſtrâ annunciat nobis, Apoc.20.v.27. Reſiſtentes & refragantes illud ſuſcipere, poteſt quoad animam & corpus perdere in gehennam, Matth.10.v.28. Sicut exempla Scripturæ, contemtum verbi variis modis illum puniviſſe, teſtantur,

1. *Martis inclementiâ.* Quod Judæi non modò in captivitate Babylonicâ, ſed & pòſt adſcenſum Chriſti experti, quia Chriſtum audire noluerunt, Matth.23.v.27.

2. *Aquarum violentia.* Quod exemplum primi mundi, juſtitiæ Præconem Noam deſpicientis probat, Gen.7.v.23.

3. *Ignis vehementia,* ut Sodomitæ experti, Gen.19. Sap.10.v.7.

4. *Brutorum truculentia,* 2.Reg.2.v.23. 2.Reg.9.v.39. Sir.40.v.35.

5. *Verbi carentia.* Ubi enim Judæi Chriſtum deſpexerunt, exivit de templo eorum, Joh.8.v.59. Quod idem adhuc hodiè facit, ſi verbi miniſtri deſpiciuntur: tùm movet candelabrum de loco, Apoc.2.v.5. mittitquè verbi contemtoribus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, 2.Theſſ.2.v.10.

Veri Chriſtiani audiant Chriſtum per miniſtros loquentem. Ex auditu enim fides eſt, Rom.10.v.17. quam ſi Spiritus S. operari debet, aures non obſtruendæ ſunt, ſed dicendum cum Samuele: Loquere, ſervus

tuus audit, 1. Sam. 3. v. 4. sic efficacia verbi certissimè sequetur, juxtà illud: Esa. 55. v. 10. seqq.

III. *Quærenti obtempera.* Hic audimus, quod seipsum Christus pastori comparet, qui de centum ovibus unam perdiderat, quam quò reciperet, dimisit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniret eam.

Adhuc hodie, Carissimi! multæ oves perditæ occurrunt, & optandum foret, ut de centum una amitteretur: verùm vice versa dicendum est: quod nonaginta novem perdantur, ubi una saltem servatur.

Multi perduntur *die Dominicâ*, quando cultus Dei invisendus esset, inter officia & domestica negotia. Multi discurrunt ad *scorta*, ut Israelita ille, Num. 25. v. 6. Multi amittuntur inter *exsecratores*, quando orandum; inter *fœneratores*, quando necessitatibus Sanctorum subveniendum; inter *invidos*, quando ignoscendum proximo esset, Sir. 28. v. 2.

Id non latuit Christum. Ideò venit salvare, quod perierat, Matth. 18. v. 11. & adhuc hodiè propitiatio illius convertentibus ad se, Sir. 17. 28. Nostrum erit, ut nos reduci patiamur, cum Davide orantes: Erravi, sicut ovis, quæ periit, quære servum tuum, Psal. 118. v. 176.

Hoc votum, hoc desiderium nostrum esto. Pœnitentiæ enim omnes indigemus, magis quàm Solis in cœlo, magis quàm aëris sub Lunâ, & magis quam panis in terrâ. Moveat nos miseria nostra, in quam per tristem Protoplastorum lapsum incidimus.

Nullâ re ovis amissa & perdita magis indiget, quàm ut sedulò investigetur, quia aliàs facilè à lupo infernali rapi potest? Quid grosso amisso magis expedit, antequam rubiginem contrahat, quàm ut accensâ lucerna domus verratur, & omni studio quæratur. Hîc Christus quæ potuit, fecit, & adhuc facit, per Ministros suos, qui scopis legis domum Ecclesiæ diligenter verrunt, & simul lucernam accendunt, nempè lucernam Evangelii, lucentem in loco caliginoso, 2. Petr. 1. v. 19. idque eô fine, quò ovis perdita & drachma amissa reperiatur. Beatum illum, qui obsequentem se præbet, qui enim divitias has bonitatis, & patientiæ & longanimitatis contemnit, Rom. 2. v. 4. eum Dominus tandem in irâ suâ visitabit scopabitque, in scopa exterminationis, Esa. 14. v. 23. Morigeros verò imponet in humeros suos gaudens, & perferet in Hierusalem cœlestem; & multorum millium frequentiam, Hebr. 12. v. 23. ubi non amplius aberrabimus: sed sequemur agnum, quocunque ierit, Apoc. 14. v. 4. erimusque cum Christo semper. Fiat id per Christum, Amen.

DOMI-

DOMINICA IV. POST TRINITAT.

Evangelium Luc. 6. v. 36 -- 42.

EXORDIUM.

Cum Templum Hierosolymitanum aliquamdiu in manu hostium fuisset, cessante in illo vero Dei cultu, sanctificatio deserta erat, & altare prophanatum, & portæ exustæ, & in atriis virgulta nata, sicut in saltu, vel in montibus. Propterea Judas Maccabæus, in fugam conjectis hostibus, ordinavit, ut sanctuarium emundaretur, contaminatio tolleretur, & altare, quod ab hostibus prophanatum erat, destrueretur, ejusque loco novum ædificaretur. Deindè obtulerunt sacrificium, secundum legem, in canticis, & cytharis, & cingriis, & in cymbalis; & cecidit omnis populus in faciem, & adoraverunt & benedixerunt in cœlum eum, qui prosperavit eis, 1. Macc. 4. 38.

Nos Dilecti! principiò conditi eramus, ut Templum Dei viviessemus, 1. Corinth. 3. v. 16. Verùm per tristem Protoplastorum lapsum in Dæmonis infernalis potestatem devenimus, is templum cordis nostri occupavit adeò devastatum, ut loco fructuum Spiritus, nil nisi spinæ & tribuli enascantur, quales sunt: homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, aliaque nefanda, quæ coinquinant hominem, Matth. 15. v. 19. Iccircò Christus venit, tanquam Dominus templi, Mal. 3. v. 1. & reformationem instituit, dum nobis voluntatem Patris cœlestis manifestavit, ut sciamus, quid facere, quidque omittere nos oporteat. Deum enim nemo vidit unquam: Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit, Joh. 1. v. 18.

Quando ad hujus voluntatem vitam nostram componimus, tunc debitum nostrum implemus, offerentes Deo sacrificium in justitiâ: quod placebit Domino, sicut in diebus antiquis, & sicut in annis prioribus, Mal. 3. v. 4. & hoc quidem propter Christum, in quo nos gratificavit Pater, Eph. 1. v. 6.

Præclaram hujus rei ideam in prælectâ Pericope habemus, ubi Dominus Legislatoris officio fungitur, & non modò discipulis & Apostolis suis; sed nobis quoque omnibus Regulas certas præscribit, quomodo nos ergà proximum gerere debeamus, nisi Spiritus sancti templum destruere atque disperdere velimus: non enim habitat in anima malevola, nec in corpore peccatis subdito, Sap. 1. v. 4. sed ubi templum suum habet, ibi & fructus ejus inveniuntur, descripti, Galat. 5. v. 22.

Nos videbimus pro instituti ratione

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Ante octiduum audivimus de ove perditâ, quanta cura à Pastore restituta fuerit, nempè sic, ut nonaginta novem

uu in

in deserto dimiserit, vadens ad illam, quæ perierat, donec invenerit eam, & ad gregem reduxerit. Hoc de Christo Servatore intelligendum, qui tanquam verus, & fidelis pastor in mundum venit, quærere & salvare, quod perierat, Matth. 18. v. 11.

Quemadmodum vero terrenus pastor oviculas suas non modò in sana pascua deducit; sed & adversus lupum easdem tuetur: Ita Christus fidelis ille ἀρχιποιμὴν & Episcopus animarum nostrarum facit, 1. Petr. 5. v. 4, quando non saltem agenda nobis præscribit, sed & ab iis, quæ animæ incommodant, dehortatur, idque modò *Negativè*: Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini: modò *Affirmativè*: Dimittite, & dimittetur vobis, date & dabitur vobis &c.

Querela respicit

I. *Judicandi levitatem*, quæ in hoc mundi senio adeò invaluit, ut optima quæque in sequiorem partem mali interpretentur. Hoc non latuit optimum Servatorem, cui id sæpè accidit, ideò inquit in prælectâ Pericope: Nolite judicare & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. Quibus verbis judicium temerarium notatur, quando quis alterum contrà propriæ scientiæ & conscientiæ dictamen mendaciis & calumniis onerat, & condemnat, ut Pontificiis valdè familiare est, qui nostram Evangelico-Lutheranam doctrinam in verbo Dei sufficienter fundatam, hæreseos arguunt, adeoque nos condemnant & Diabolo devovent. Sic & suspicio contrà proximum, quæ tamen utplurimum vanissima est, invaluit. Exempla invenies, 1. Sam. 22. v. 18. & Act. 28. v. 4.

Adhuc hodiè judicandi hæc levitas in omnibus Hierarchiis subindè exercetur. Quis me constituit judicem? ait Absolon. Quis me consulem? quis vicarium? ajunt nasutuli; Verùm, quid ait Siracides? Altiora te ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris, Sir. 3. v. 24.

Equidem quod ipsa Dei lex pro peccatis agnoscit, id minimè probandum, sed potius judicandum & condemnandum est, à quolibet eâ ratione, quam officii ejus ratio requirit: Væ enim, qui dicunt malum bonum, & bonum malum, Esa. 5. v. 20.

Verùm res certa sit oportet, observandum quippè illud Siracidis: Corripe amicum, ne fortè non fecerit, aut si fecerit, ne iterum addat facere, c. 19. v. 13.

Secus res se habet, si exploratum satis est, quempiam in falsa doctrinâ vel vita profanâ, sine prævia pœnitentia decessisse: cur enim ibi non judicares? cur non condemnares? Caritas quidem meliora quæque spectat, 1. Cor. 13. v. 7. sed non sine fundamento: Ut enim lignum ceciderit, ibi erit, Eccles. 11. v. 3.

II. *Cæci ducis & ducti temeritatem*, de quâ Servator: Num potest cæcus cæcum ducere, nonne ambo in foveam cadent?

Ejusmodi cæcorum duces hodiernus adhuc multi occurrunt:

1. *In Choro*, ut sunt hypocritæ & Pharisæi, qui de vero Christianismo multa garriunt, sed ne digitulo quidem attingunt, de his Servator: Dicunt & non faciunt, Matth. 23. v. 3. Iccircò verè cæcorum duces sunt; cæci in notitiâ Dei, occæcati

cati in hypocrisi & incredulitate, ut non ineptè in illos quadret illud Pauli, Rom. 2. v. 22.

2. *In Foro.* Ubi hic vel ille judex mali pœnam irrogare tenetur, cui tamen ipse profundius immersus est. Hinc infinita mala & scandala in subditos transeunt. Nam secundum judicem populi, sic & ministri ejus: & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in eâ, Sir. 10. v. 2. Magistratui Deus gladium accinxit, quem non sine causa portat: sed Dei minister est, vindex in iram ei, qui malè agit, Rom. 13. v. 4. idque fiat oportet, sine acceptione personæ cujusdam, Deut. 1. v. 17. ubi igitur muneribus corrumpi se patitur & connivet, ubi justitia excercenda foret, ibi locum habet illud Prophetæ: Qui dirigunt populum istum, seductores sunt, & qui diriguntur, absorbentur, Esa. 9. v. 17.

3. *In Toro.* Tales sunt parentes illi, quorum esset liberos suos ad bonum educare, & ipsi didicerunt malum, ut nequeant benefacere, Jer. 13. v. 23. quo ipso liberi scandalizantur, ut à teneris in omnibus nequitiis patrissent, donec abeant ad progeniem patrum suorum, & in æternum usque non videant lucem, Psal. 49. v. 20. Hi omnes cæci cœcorum duces sunt, à quibus nos Christus in Evangelio præmonet.

Quilibet in rebus fidei accuratè sibi prospiciat, quibus doctoribus & ducibus utatur, non credens omni Spiritui, sed probans Spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum, 1. Joh. 4. v. 1. ab impiis egredietur impietas, 1. Sam. 24. v. 14 & fascinatio nugacitatis obscurat bona Sap. 4. v. 12.

III. *Hypocritarum iniquitatem*, qui festucam in oculo fratris facilè vident, sed trabem in oculo suo non considerant, ut Servator in Evangelio loquitur. Quod iterum Pharisæis & Scribis dictum: qui multa in Christo ejusque discipulis reprehendebant, cum ipsi vitiis non exiguis obnoxii fuerint.

Adhuc hodiè multi reperiuntur hypocritæ, qui seipsos justificant, alios verò despiciunt. Non enim videmus manticæ, quod in tergo est. Considera ergò teipsum, ne & tu tenteris, Gal. 6. v. 1. Filii Jacobi fratrem Josephum odio infensissimo prosequebantur, quod somnia habebat, somniatorem eum inde appellantes, Gen. 37. v. 19. & hoc sufficientem inimicitiæ causam arbitrabantur, ipsi verò homicidæ & incestuosi erant, quod non videbant, Gen. 37. v. 5. Confer parabolam Matth. 18. v. 25.

Quodsi quotidianam praxin intuemur, hic alterum contemnit ratione paupertatis, & ipse trabem avaritiæ in corde suo non sentit, quæ in interitum & perditionem mergit homines, 1. Tim. 6. v. 9. Alius spernit proximum ob inscitiam & simplicitatem, & ipse non cernit in corde suo trabem impietatis, quod arte & scientia suâ abutatur in perniciem proximi, unde haud abs re Siracides: Melior est homo, qui minuitur sapientiâ & deficiens sensu in timore Dei, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi, Sir. 19. v. 21.

Hoc turpe vitium, quod meritò declinandum est nobis. Judæi proverbio utebantur, quod perperàm Christo applicabãt, dicentes: Medice, cura teipsum, Luc. 4. v. 23. Satius verò erit, ut nos ipsos eo invicẽ

excitemus, quoniam omnes in corruptione sumus, Sir.8.v.6.

Qui igitur ad aliorum errata notanda proclivis est, is meminerit, quanta vitiorum colluvies ad januam suam versetur, apprimè studens, quomodo eam removeat, & facilè nævis aliorum condonaturus est. Deindè pœnam recordetur, quæ certissimè ejusmodi malevolos insequetur, ut & ipsi tandem judicium sine misericordia subituri, abominatio omni carni futuri sint, Esa. 66. v. ult.

- - Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit; hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Hic Ethnicus minimè probavit iniquos hosce judices, quanto minus Deus probabit? Quin potius occinet illis Davidis illud: Cur recitas statuta mea, & assumis testamentum meum per os tuum? Psal.50. v. 16.

Hæc memineritis Vos mei! prohibentes linguam vestram à malo, & labia vestra, ne loquantur dolum, Psal. 34. v.14. Psal.15. v.13.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

1. Ex affectus paterni consideratione: hinc Christus: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

Principes atque Magnates pro insigni gloriâ sibi ducunt, si illustri loco nati, majores nobiles à quarta usque generatione arcessere possint. Sed nihili æstimandum est, respectu nobilitatis, quâ Christus fideles suos insignivit, quod cum ipso eundem Deum & Patrem habeamus, hinc ait: Adscendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, ad Deum meum, & Deum vestrum, Joh.20. v.18.

Confidite, vos mei! in omnibus calamitatibus. Si Deus Pater noster, benè nobis erit, nos enim liberi ejus sumus. Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? Matth. 7. v.9.

Si Deus Pater, nosque filii ejus, Christus frater noster est, hinc compellare possumus eum: Fratrem ne desere frater! hoc si fecerimus, exaudiet nos, futurus nobiscum in tribulatione: eripiet nos & glorificabit nos, Psal.191. v.15.16. Propterea enim non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, & ut repropitiaret delicta populi. In eo, enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est eis, qui tentantur, auxiliari, Hebr.2. v.16.

Si Deus Pater & nos filii ejus, hæredes quoque ejus sumus, ut Paulus colligit, Rom.8. v.17. Utique hæredes ejus, quos præclara hæreditas manet, nempè vita æterna, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo, Tob. 2. v. 18.

Margareta, Daniæ, Sveciæ, Norvvegiæque Regina, adoptavit Ericum, Ducem Pomeraniæ: hæc magna gratia fuit. Sic enim hic Dux tria accepit Regna. Sed nos hæreditas multò amplior manet, ratione spiritualis adoptionis, quam Christus nobis

bis apud Patrem suum peperit, nempè non coronas tres transitorias, ut Ericus: sed coronas tres nunquam desituras, coronam vitæ, Apoc. 2. v. 10. coronam justitiæ, 2. Tim. 4. v. 8. coronam gloriæ, 1. Petr. 5. v. 4. Reges quippe futuri sumus coràm Deo Patre & Filio ejus Jesu Christo, in æternum, Apoc. 1. v. 6.

II. *Ex superabundanti mensuratione.* Eadem quippè mensura, ait Servator, quâ mensi fueritis, remetientur vobis alii. Est hoc jus talionis quod Deus optimè moderari novit. Nos homunciones facilè in excessu delinquimus, ratione vindictæ privatæ, quæ multis adeò arridet, ut mortem non refugiant, modo vindictam in hostem exercere queant. Sed nefas hoc est. Non vosmetipsos vindicantes, carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus, Rom. 12. v. 18. quod fiet die novissimo, quando Dominus retribuet retributionem unicuique in caput ipsorum, Sir. 17. v. 19. 2. Thess. 1. v. 6.

Recordemini hoc, si crux vos infestet. Dominus omnia disposuit, in mensurâ & numero & pondere, Sap. 11. v. 21. Quæcunque igitur obvenerint tibi, sive bona sive mala, boni consule, & memento Deum tibi admensurasse, hinc neque plus neque minus obtingere tibi potest, quàm Deus ordinavit tibi, siquidem neque capillus capitis perire potest, Matth. 10. v. 30.

Quandocunque igitur in prosperis mensuram plenam infundit tibi Deus, gratias ei age, inquiens: Calicem salutis accipiam, & de nomine Domini prædicabo, Psal. 116. v. 13. sin verò in adversis mensura lacrymarum & mœroris tibi infunditur, animam tuam in patientia custodi, cum Jobo inquiens: Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus, Job. 2. v. 10. Eccl. 7. v. 15.

Hoc si feceris, Deus suo tempore luctûs & lacrymarum mensuram aufferet, tibique mensuram bonam, & confertam & coagitatam, & superfluentem gaudii cœlestes dabit in sinum tuum. Nam momentanea levitas tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, 2. Corinth. 4. v. 17.

III. *Ex beneficentiæ compensatione.* Non enim fallit verbum Christi: Date & dabitur vobis. Si multùm igitur tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum, etiam exiguum libenter impertiri stude, Tob. 4. v. 9. Non certè pœnitebit te, hilarem enim datorem diligit Deus, 2. Cor. 9. v. 7.

Vidua Sareptana ministravit Eliæ cibum: & hydria farinæ non defecit, nec lecythus olei minuta est, quamdiu annonæ caritas duravit, 1. Reg. 17. v. 9.

Id quod & Sunamitis experta: quia enim erga Elisæum benefica erat, ut quoties transiret, diverteretur ad eam, & comederet panem: quin & cœnaculum parvum faceret ei, poneretque ei in eo lectulum, & mensam & sellam, & candelabrum: Deus beneficentiam hanc filiolo compensavit, quem mortuum Elisæus resuscitavit, 2. Reg. 4. v. 8. seqq.

Jobus buccellam suam non solus comedit, sed comedit ex eâ pupillus. Job. 31. v. 17. & copiosè benedixit ei Dominus, & licet felicitas ejus aliquantisper interrumperetur; tamen fide ejus probatâ, omnia duplò recepit Job. 42. v. 12.

Cornelius Centurio fecit eleemosynas multas plebi, propterea non modò quoad corpus & facultates terrenas, sed animam quoque, largiter benedictus fuit. Actor. 10. v. 1.

Hæc exempla hodietenus veri Christiani imitentur, & largiter liberalitatem seminent, instar agricolæ, qui semen suum plenâ manu & cum cantu disseminat, non dubitantes, quin copiosam aliquando messem sint recepturi. Qui enim seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet: qui verò parcè seminat, parcè & metet, 2. Cor. 9. v. 6.

Quodsi igitur parcè metere non vultis, parcè neque seminare vos oportet, sed liberaliter de substantia vestra erogetis, nec de terrenis modò sed & cœlestibus bonis idem retribuetur vobis. Pro pane enim quem pauperibus communicastis, manducabitis panem in Regno Dei, Luc. 14. v. 15. invenientes cum Christo vitam & abundantiam, Joh. 10. v. 11.

De *Tertio*.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Misericordiam exerce.* Ideò Christus in ipso Evangelii exordio ait: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Hæc verba mandatoria sunt, in quibus Christus nobis ob oculos ponit, primò, *Naturæ nostræ perversitatem*, quæ adeò depravata est, ut nos ipsos saltem respiciamus, nihil patientes super contritione Joseph, Amos 6. v. 6. propterea dicitur: γίνεσθε, ut indicetur, naturâ tales non esse, ideoque opus esse, ut misericordiam insequamur, instar venatoris, tamdiu feram investigantis, dum in rete suum pertrahat. Deindè ostendit quoque nobis *Continuationis necessitatem*, ut bonum facientes non defatigemur, tempore enim suo metemus non delassati, Gal. 6. v. 9. Tertiò, *debitam conformitatem*. Probi filii libenter vestigiis parentum insistunt, & apprimè cavent, ne degenerent, ut junior Tobias, cui propterea Gabel hoc elogium accinit: Benedicat te Deus Israel, quia filius es optimi viri, & justi, & timentis Deum &c. Tob. 9. v. 9.

Quodsi igitur filii Dei esse cupimus, & nos misericordiæ studeamus, sicut Pater noster in cœlo misericors est: secus spurii sumus, Hebr. 12. v. 19. quos aliquando judicium sine misericordiâ expectabit, Jac. 2. v. 13.

Potuisset nobis Servator alia exempla, quæ affatim in Scripturâ exstant nobis commendare, imprimis illud Jobi, c. 31. v. 18. c. 29. v. 16. Verùm ab omnibus creaturis abducit nos, unicè ad exemplum Patris cœlestis nos relegans, qui aliàs Pater misericordiarum dicitur, 2. Cor. 1. v. 3. cujus miserationes diluculo novæ, Thren. 3. v. 23. & usque in æternum super timentes eum, Psal. 103. v. 17.

Sicut igitur Deus misericordiam suam exercet

1. *Universaliter*, juxta illud Psal. 145. v. 15. ita & nos bonum facientes, non defatigemur, Gal. 6. v. 10. Caritas enim benigna est semper, 1. Cor. 13. v. 4. Hinc Servator, Matth. 5. v. 43. Hæc vera misericordiæ proprietas est, ut non respiciat personam proximi sed Dei mandatum: si proximus indignus videtur cui detur,

detur, attamen Dei mandatum dignum est, quod observetur: quodsi illi compensare nequeunt, Deus remunerator summus memor erit, Sir. 3. v. 34.

2. *Simpliciter.* Non enim compensationem venatur Deus, sed contentus est gratiarum actione. Sic nos quoque misericordiam exerceamus, non ut videamur ab hominibus, ut Pharisæi, Matth. 23 v. 5. *Venatio hoc magis quàm beneficentia est*, ait Hieronymus. Talis habet mercedem suam, Matth. 6. v. 3.

Quodsi verò Patrem cœlestem in misericordiâ imitamur, vicissim misericordiam consequemur, Matth. 5. v. 7. audituri lætabilem ex ore Christi vocem: Venite benedicti Patris mei, Matth. 25. v. 35. & seqq.

II. *Proximo ignosce*, sic enim Servator: Remittite, & remittetur vobis.

Id probè observemus.

Quando duo comites in via cœnosa & lubrica iter faciunt, facilè fieri potest ut alter alterum inquinet, fieri quoque potest, ut alter titubet & cadat; ibi comitis est, ut ipsi ignoscat, eumque porrecta manu erigat. Sic via vitæ hujus admodum cœnosa & lubrica est, unde facilè fieri potest, ut præoccupemur in delicto aliquo, & offendamus proximum, vel offendamur ab eo. Hîc utrinque æqua *ἐπιείκεια* locum habeat, ne iracundiæ frena laxemus: sed eo ipso die cum proximo in gratiam redeamus, *ne Sol abscedat testis nostri furoris*, ut Lactantius loquitur, Ephes. 4. v. 27.

Exempla sunt Josephus, Genes. 50. v. 19. Christus, Luc. 22. v. 51. Luc. 23. v. 34. Stephanus, Actor. 7. vers. ult. Julius Cæsar, qui se offendenti dixit: Indignus es Cæsaris irâ.

Idem & nos faciamus. Sicut enim apis vindicatura se, aculeum, & cum aculeo vitam amittit: Ita & vindictæ cupidus non modò vitam abbreviat sibi: sed & thesaurizat sibi Dei iram in diem iræ, & revelationis justi judicii Dei, Rom. 2. v. 5. Ira enim & vindictæ cupiditas opera carnis sunt, quæ qui faciunt, Regnum Dei non hæreditabunt, Galat. 5. v. 20. Simus igitur ad reconciliationem proni, sive offenderimus proximum, sive offensi simus à proximo, Matth. 6. v. 14.

III. *Pauperibus succurre.* Quò respicit Christus, inquiens: Date & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam & coagitatam, & superabundantem dabunt in sinum vestrum.

Ah Dilecti! multi occurrunt fratres & sorores, qui nudi sunt, & indigent victu quotidiano, Jac. 2. v. 15. id quod Dominus sic ordinavit, ut dives & pauper obvient sibi: utriusque operator est Dominus, Prov. 22. v. 2. & juxtà severè mandavit, ut opulentiores indigentes sublevent, utque illorum abundantia horum inopiæ sit supplementum, 2. Cor. 8. v. 14.

Hoc ipsa æquitas naturalis postulat. Sol homini largitur lucem & calorem, aliàs in tenebris & frigore periret, vide Sir. 43. v. 4. Terra quotannis producit fœnum jumentis, & herbam servituti hominum, ut educat panem de terrâ, & vinum lætificet cor hominis, Psalm. 104. v. 15.

Sicut

Sicut igitur universa natura de beneficentia prædicat, & omnes facultates suas homini communicat, sic & nos munificentiæ operam demus, ut spreto Mammonâ cogitemus, Deum nos dispensatores terrenarum facultatum constituisse, ut easdem ad ejus voluntatem administremus, Luc.16.v.1. Sed & Dei voluntas est, ut proximo laboranti succurramus, ejusque inopiam inde sublevemus. Et quidni illud faceremus? cum non de nostro sed Dei benedictione idem erogemus, ut David confitetur, 1.Paral.29. v.14.

Hoc si agnoscere nolimus, Deus aurum & argentum, frumentum, vinum & oleum suum sumere potest, Os.2.v.9. sicut de Sodomitis legimus, quod illis fuerit saturitas panis, & felicitas tranquillitatis: quia verò manum egeno & pauperi non porrexerunt, Ezech.16.v.50. Deus subvertit civitates regionis illius, & universam terram, Gen.19.v.25.

Optimum igitur erit, ut is, quem Deus terrenis opibus cumulavit, derivet in plateas rivulos aquarum, Prov.5.v.16. & necessitatibus Sanctorum communicet, Roman.12.v.13. Talis enim mutuò dat Domino, qui retributionem suam reddet ei, hîc & in æternum, Psal.41. v.1. seqq. Bonum igitur facientes non defatigemur: tempore enim suo metemus non delassati, Psal.41.v.1. seqq. nempè æternam gloriam & salutem, quam nobis DEUS ex gratiâ largiri dignetur, per & propter Christum, Amen.

DOMINICA V. POST TRINIT.

Evangelium Luc.5.v.1.-- 11.

EXORDIUM.

ISraelitas olim agnos anniculos immaculatos, duos quotidiè in holocaustum sempiternum Deo offerre oportuit, unum manè, & alterum ad vesperum, Num.28.v.4.

Hoc ipso *mysticè* innuitur, quod non modò diem cum Deo inchoare, cumque eodem finire debeamus: sed eo ipso respicitur *labor vocationis nostræ*, & omne propositum sub Sole, ubi Dei auxilio, & adsistentiâ maximè opus est, si feliciter succedere debeat. Cor enim hominis disponit viam suam: sed Domini est, dirigere gressus ejus, Prov.16.v.9.

Inveniuntur homines temerarii, qui parùm de Deo & precibus soliciti sunt, sed quando manè evigilant & surgunt, illotis quasi manibus ad operas vocationis transeunt, vel etiam talia perpetrant, quæ neque coràm Deo, nec honesto mundo excusare possunt, ideoque benedictione carent, & omnia quæ incipiunt, in maledictione sunt, Mal.3.v.92.

Qui Deo dediti sunt impietatem hujusmodi fugiant, omne, quodcunque faciunt, in verbo, aut in opere, in nomine Domini nostri JEsu Christi facientes, Colos.3. v.17.

A Jove

A Jove fac orsum, ne serpens det tibi morsum.

Dante enim illo colligimus: aperiente illo manum suam, satiamur bonis. Abscondente autem illo faciem, turbabimur: auferet Spiritum nostrum & deficiemus, & in pulverem nostrum revertemur, Psal. 104. v. 28. 29.

Eò quoque ablegat nos prælecta Pericope, quando Petrum rectè intuemur, qui profectò totam noctem frustrà laboraverat. Verùm ubi in verbo Christi laxavit rete, tàm copiosam conclusit piscium multitudinem, ut ambas naviculas impleverit, ut prælecta historia testatur.

Videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

II.

Exegesis.

Magnus ille Dei amicus Moses, ex experientiâ vitam humanam ita descripsit, quod nihil aliud illa sit, quam *labor & dolor*, Psal. 90. v. 11.

Id quod nemo omnium inficiabitur. In labore enim & dolore nascimur, primam vocem emittimus plorantes, Sap 7. v. 4. In labore & dolore vivimus, sicut dies mercenarii sunt dies nostri, Job. 7. v. 1. in labore & dolore morimur, non enim cum risu, duo illi amici, anima & corpus divelluntur; unde non immeritò mors amara dicitur, Sir. 41. v. 1.

Intuentes Petrum in prælectâ Pericope in eo quoque verificari videmus, quod Moses de vita humana pronunciavit, per totam enim noctem cum navicula sua in mari navigaverat, & hoc non sine labore, frustraneo tamen. Deindè ubi concludit piscium multitudinem copiosam, hæc fortuna annata est, ut rumpatur rete, & naviculæ submergantur. Quin & in magnam animi perturbationem conjicitur, ratione peccatorum commissorum, ut Christo quasi abjecto, dicat: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.

Querela respicit

I. *Vanum in acquirendo laborem*, de quo hîc Petrus conqueritur, inquiens: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. Hæc antiqua illa cantilena est, quam hodietenus multi Patres familias in labore & dolore ingeminare coguntur. Tempora enim difficilia sunt, & licet cum Petro totam noctem laboret, attamen nihil rete retinet, ita ut vix tantum comparare possit, quantum ad quotidianam sustentationem opus est. Hinc nonnulli ansam arripiunt, nocte piscari, h. e. variis technis uti, & undecunque etiam ex malo acquirunt, Sap. 15. v. 12. Verùm infelici cum successu: technæ enim hujusmodi avolant in cœlum, Prov. 23. v 4. & maledictionem post se trahunt, ut tandem panis mendacii impleat eorum os calculo, Prov. 20. v. 17.

Alii quidem in numerum impiorum referendi non sunt, sed frequentant templum, orationi vacant, & quæ Christianos decet, faciunt, & tamen res familiaris eorum claudicat, sicuti multi pauperes fuerunt, quorum tamen saluti id minimè obfuit, causam reddit Salomo, dicens: Dives & pauper obviaverunt sibi, Prov. 22. v. 2.

Quandocunque igitur Deus cuidam divitias subtrahit, ex caussis, quas ille optimè novit, tunc frustrà laborat, currit & macerat se. Ecclesi. 9. v. 11.

Optimum proindè est, ut æquo id animo feras. Præcipuum vitæ hominis, aqua & panis, & vestimentum, & domus, tegens ea, quorum nos pudet, Sir. 29. v. 28. qui igitur sua sorte contentus est, magnus huic quæstus est, 1. Tim. 6. v. 6.

Diogenes Cynicus mundi delicias adeò sprevit, ut in dolio habitaverit. Aliquando Alexander M. adiit illum ante dolium sedentem, qui cum offerret, ut quo indigeret à se peteret: nihil aliud ille rogavit, quàm ut è Sole ille discederet: cujus rei admiratio tantoperè cepit Alexandrum, ut dixerit, nî Alexander essem, Diogenes esse vellem. Hi gentiles fuerunt, & tamen è lumine naturæ id perspexerunt, veram animi tranquillitatem cum divitiis & magnis opibus consistere non posse, sed unicè in *αὐταρκείᾳ*, ut contentus sis præsentibus, Hebr. 13. v. 5. & terrena despicere discas. Omne quippe opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur ibit cum illo, Sir. 14. v. 20.

Quando igitur Deus labori tuo benedicit, gratias ei age, nec cura, licet invidentes tibi habeas:

Θεοῦ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει φθόνος,
Καὶ μὴ διδόντος, οὐδὲν ἰσχύει πόνος.
Deo dante nihil valet invidia,
Et non dante, nihil valet labor.

Quodsi verò diligentia & labor tuus frustranea sunt, ut querelâ Petri uti cogaris: Per totam noctem laborantes nihil cepimus: cogites velim, nolle tibi Deum divitias largiri, idque expedire tibi. Est homo laborans & festinans, & dolens impius, & tanto magis non abundabit, Sir. 11. v. 11. 1. Tim. 6. v. 9. Dic igitur cum Ecclesia, Jesu!

Nil pendo temporalia,
Dona modò cœlestia,
Quæ tu parasti mi:
Mortem ferens tristissimam
Hæc spes levat molestiam.

II. ***Multiplicem in retinendo angorem***, sive dolorem. Verè enim dicitur:

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Id quod nobis egregiè monstratur in Petro, ejusque sodalibus: illi ad verbum Christi concluserunt piscium multitudinem copiosam: verùm præter omnem expectationem rumpebatur rete eorum, & licet provideant, ne pisces elabantur, sed omnes in naviculas deferant: aliud tamen infortunium subotitur, dum umbæ naviculæ adeò implentur, ut mergantur. Ibi anxietas, cura & periculum eorum *majus* adhuc erat, siquidem hâc ratione non modò piscium & naviculæ, sed & vitæ jacturam facere potuissent.

Sic hodiè adhuc evenit, ut subindè panis quotidianus acquiratur, qui tamen non sine curâ & solicitudine, metu & periculo conservatur. Modò *rete rumpitur*, h. e. annona difficilis redditur; modò *navicula submergitur*, hoc est, omnium fortunatum jactura imminere videtur, ut Jobi exemplum testatur, Job. 1. v. 13.

Experti id sumus in superiori bello, ubi omnia direptionibus exposita fuerunt, quæ cives & rustici magno labore seminarunt atque plantarunt; nemo dicere potuit, mea hæc sunt. Ex improviso enim venerunt,

runt, qui auferendo abstulerunt omnia à facie terræ, Soph. 1. v. 4. Ex improviso misit Deus ventilatores in horrea, Jer. 15. v. 2. mactatores in stabula, Jer. 46. v. 20. stratores in cellas, Jer. 48. v. 12. fures in domos, Joel. 2. v. 9. devoratores in cibaria, Mal. 3. v. 11. hi adeò depopularunt omnia in regione, ut merces hominum non esset, nec merces jumentorum esset, nec introeunti neque exeunti pax esset, præ tribulatione, Zach. 8. v. 10.

Jam cogitavit Dominus super nos cogitationes pacis, Jer. 29. v. 11. ut nos habitare rursus faciat, bonisque donet majoribus, quàm habuimus anteà, Ezech. 36. v. 11. Verùm caveamus vos mei! ne Deum denuò peccatis nostris ad iram provocemus, securitas magna est, tùm & obstinatio, licet peccata reprehendantur, nemo est qui vitam emendet, fronte illi perfrictâ dicunt: Manda, remanda, manda, remanda, Es. 28. v. 10. sermonem quem locutus es ad nos, in nomine Domini, non audiemus ex te, Jer. 44. v. 16. Quicunq; igitur nocet noceat adhuc, Apoc. 22, 11. Sanguis eorum sit super eis, sermo, quem locutus sum illis, ille judicabit eos in die novissimo, Joh. 12, 48.

III. *Subitum conscientiæ terrorem*, quo Petrus obrutus est. Ubi enim videt, Piscium hanc capturam suprà naturam esse, dum rete rumpitur, & tamen pisces retinentur, naviculæ merguntur, nec tamen submerguntur, ad genua Jesu procidit, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Petrus præ animi consternatione nescit, quid dicat. Quia verò indignum se censet, qui cum Christo converserur, ob peccata quorum sibi conscius erat, ex præcipitantia illum à se exire jubet, cum tamen satius fuisset, ut eum, quò secum maneret, invitasset, exemplo discipulorum Emaunticorum, Luc. 24. v. 29.

Cernimus hîc, quàm *tenera res conscientia* sit, quæ *diario* confertur, quod Deus cujuslibet cordi indidit, & quasi insculpsit, in eo scripta sunt peccata stylo ferreo, in acuto Adamante exarata, super tabulã cordis, ut deleri & exstingui nunquam possint. Jer. 17. v. 1. & licet aliquamdiu ad ostium cubent, Gen. 4. v. 7. attamen facilè instar canis ad januam dormientis excitari possunt: & tùm hominem in tantas angustias redigunt, ut multi cum Caino & Juda in desperationem incidant.

Peccata enim respondent homini, Esa. 59. v. 12. & licet quis peccata sua verbis inficiari, vel quoad speciem extenuare vel excusare velit, attamen *conscientia plus valet, quàm mille testes*, ut Quintilianus loquitur, cui refragari non possis. Non enim saltem indicat peccata, sed & omnes circumstantias, horam & momentum, quando, locum ubi, & modum quo patrata sint, ut rectè Juvenalis dixerit:

Nocte dieq; suum gestat sub pectore testẽ.

Habetq; cauteriatam conscientiam, in quâ non est requies, 1. Tim. 4. v. 2. hinc fit *αὐτοκατάκριτος*, Tit. 3. v. 11. Cor enim proprium condemnat ipsum, 1. Joh. 3. v. 20. quin & in perpetuo metu atque pavore versatur, Psal. 53. v. 6. Prov. 28. v. 1.

Inserviat hoc *dehortationi nostræ*, ne conscientiam nostrã peccatis mortalibus vulneremus, ut multi faciunt, non perpendentes, quàm tenera res cõscientia sit, & quam difficile sedetur, ubi semel læsa est.

Quis nescit exsecrationes & blasphemias peccata contra secundum præceptum esse,

& tamen exsecrationum & blasphemiarum modus non est: ubi conscientia!

Quis nescit contemtores verbi Dei & Sacramentorum ejus, rursum contemtum iri? & tamen multi ultrà annum in hoc contemtu perseverant: ubi conscientia?

Quis nescit scortatores & adulteros, licet occultissimi sint, à Deo punitum & judicatum iri? Hebr. 13. v. 4. & terra tamen repleta est adulteris: ubi conscientia?

Similis ratio omnium peccatorum est, ut principiò vilipendantur, at ubi conscientia evigilat, & Diabolus suggestiones suas ei immittit, in montes degenerant peccata, ut ejusmodi homo consilii expers, & corpore & anima Diabolo mancipetur.

Vis igitur tranquillè vivere & beatè mori, rationem habeto conscientiæ: in omnibus actionibus tuis conscientiâ utere pro lucernâ: hoc modò à peccatis immunis, habebis fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 18. ubi verò tranquilla conscientia, ibi juge convivium est, Prov. 15. v. 15. & ejusmodi lætitia, in quâ gaudere possumus coràm Deo & hominibus, 2. Cor. 1. v. 12.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Christi præconio.* Adscendens enim in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum, à terra reducere pusillum: & sedens docebat de navicula turbas. Hoc ipso satis probavit, se esse Prophetam magnum, Deut. 18. v. 15. item Præconem justitiæ, Joel 2. v. 23. qui ubique occasionem arripuit, ut ignaros informaret, infirmos in fide confirmaret, & verbo: Salvaret, quod perierat, Matth. 18. v. 11.

Hoc inservit *consolationi*

1. *Pastorum.* Pontificii ex contemtu nos prædicantes appellitant. Verùm hujus tituli non pudet nos, siquidem Christus ipse prædicavit. Pulchrum est cum Christo pati, non est discipulus suprà Magistrum, Matth. 10. v. 24. Verùm ut ipse per passiones intravit in gloriam suam, Luc. 24. v. 26. sic & momentanea levitas tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, 2. Cor. 4. v. 17.

2. *Auditorum.* Quia enim Servator tanto studio Evangelium prædicavit, facilè hinc colligere possumus, nolle ipsum mortem peccatoris, Ezech. 18. v. 23. sed omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, 1. Tim. 2. v. 9. hinc & pro omnibus mortem gustavit, Hebr. 2. v. 9. Col. 1. v. 20. Sic nemo hîc simpliciter reprobatus est, sed, ex te tua perditio Israel, Ose. 13. v. 13.

II. *Ex insigni miraculo.* Postquam Petrus & reliqui Apostoli rete laxarunt, ad mandatum Christi, concluserunt piscium multitudinem copiosam, dum Servator pisces quasi in rete propulit, iisdemque mandavit, ut ad capiendum se obtulerint, sicut ipsi Pater cœlestis non modò gentes dedit hæreditatem suam, & possessionem suam terminos terræ, Psal. 2. v. 8. sed & pisces maris, qui perambulant semitas maris, omnes imperio ejus subjecti sunt, Psal. 8. v. 19. ita ut facere possit, quæcunque velit, in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis, Psal. 135. v. 6.

O ter-

O terque quaterque beatos nos, qui ejusmodi Domino gaudemus! Quando enim inter Scyllam & Charybdin navigamus, modò clamaverimus ad eum, nos auxilio suo non derelinquet, manus enim ejus abbreviata non est, Esa.50.v.2. novitque multa media pios de tentatione eripere, 2.Petr. 2. v.9.

II. *Ex Petri alloquio*, ad quem ait: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens: q.d. Non est quod timeas, re hic submergendum, & periturum. Ad majorem enim functionem adhibebo te. Hactenus in Galilææ mari, piscatura victum tibi comparasti: at propediem ablegabo te in magnum mundi mare, ubi homines capies. Hoc est: servus, præco, Apostolus & testis meus eris in universo mundo. Sic Petrus hic consilio & voluntate Christi è piscatore fit Apostolus, è nauta concionator, è laico columna Ecclesiæ N.T. En, beatam & optatam permutationem!

Hunc morem adhuc hodiè Servator cum Ecclesia sua observat. Sæpè derelictus aliquis orphanus in juventute suâ panem propter Deum petit, rete rumpitur, navicula studiorum videtur submergi, dum nullis mediis instructus est, nemo enim hodiè ferè est, qui literas promotum it. Tandem Christus accedit, & capientem homines eum constituit, h. e. in Ministerium verbi eum vocat, dignis donis instruit, ut Ecclesiæ suæ magnam utilitatem adferat, sicut in Augustino, Luthero, aliisque exempla prostant. Quis imperat regionibus & hominibus? Quærit Lutherus: Et respondet sibi ipsi: Pauperum filii. Erigit enim Deus de pulvere inopem, & de stercore exaltat pauperem, ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui, Psal.113.v.7.

Maximè verò hoc, Noli timere, omnes Christiani sibi applicent; Siquidem & illis dictum est: Quod vobis dico, omnibus dico, Marc.13.v.ult.

Petrus meticulosus erat ratione peccatorum commissorum: at Christus erigit ipsum, inquiens: Ne metuas. Sic adhuc hodiè neminem in peccatis perire vult, unde vocatur Jesus, Matth.1.v.21.

Noli itaque animum despondere, Jesus amavit animam tuam, ut non pereas, Esa. 38. v. 17. id quod & porrò facturus est, non morieris in peccatis tuis, quæ sanguine suo expiavit, sed vives, vives inquam, ut repetitò ait, Ezech.16.v.6. Ubi enim abundavit delictum, superabundavit & gratia, ut sicut peccatum regnavit in mortem; ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, Rom.5.v.ult.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum.

1. *Zelum populi imitare.* Id fecit turba in Evangelio, de quâ Evangelista: Factum est, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei. In Gr. est vox ἐπικεῖσθαι, quâ innuitur, quod ita turba Christo incubuerit, ut non habuerit locum in littore subsistendi.

In V. T. quoque præclari Præcones & θαυματουργοὶ fuerunt, quos Deus aliquoties excitavit: non verò legimus, turbas in eas irruisse, ad conciones eorum audiendas, ut Evangelista hîc de Servatore memorat. Quæ vero causa? Erat ipse Doctor

eruditæ linguæ, Esa.50. v.4. in cujus labiis gratia diffusa, Ps.45.v.3. habebatque verba vitæ æternæ, Joh.6.v.69.

Quando veteres vim eloquentiæ depingere voluerunt, in peculiari picturâ senem proposuerunt, multa turba circumdatum, è cujus ore multæ catenulæ prominuerunt, quæ auditorum aures attigerunt, quibus illos sine resistentia perduxerit, quò voluerit, ut eum sequi coacti fuerint.

Hoc commodè ad Christum applicari potest, qui sanè homines ad se pellexit, quasi catenis constricti essent, hinc cum Pontifices & Pharisæi ministros suos ablegassent, ut Christum apprehenderent, re infectâ redierunt. Et quærentibus illis: quare non adduxerint eum? responderunt Ministri: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur, Joh.7.v.46.

Atqui adhuc hodiè prædicat, præbetq; se audiendum labiis electis, Zeph.3.v.9. per Ministros & Præcones suos, qui verbum ejus annunciant in Ecclesia in his terris, unde etiam Ministri Christi, 1.Cor.4. v.1. & pro Christo legationem fungentes dicuntur, 2.Cor.5. v.20. qui ipsos audit, Christum audit, Luc.10.v.16. Quî fit igitur, ut adeò somnolenti simus, nec tanto zelo ad cultum Dei properemus? Sanè idem nobis evenit, quod vaccis, quæ bona pascua depascentes, reliquias pascuarum conculcant pedibus, Ezech.34.v.18.

Olim cum desiderio ad ædem Domini accelerarunt, jam majori desiderio ad abitum sese parant, hinc non dubium, quin certissima Dei pœna secutura sit, eaque eò gravior, quò major verbi contemtus est. Vocavi & renuistis, Proverb.1. vers.24. seqq.

II. *Omnia cum Christo auspicare.* Tale exemplum habemus in Petro. Licet enim per totam noctem laborasset incassum, attamen propterea non abjicit animum, sed colligit se dicens: In verbo tuo laxabo rete.

Idem & nos faciamus: Non enim homo potest accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo, Joh.3.v.27. Et licet Paulus plantet, Apollo riget, tamen omnia frustranea sunt, nisi det incrementum Deus, 1.Cor.3.v.6.

Hoc verum deprehenditur

1. *In Corporalibus*, quæ ad corporis sustentationem & indigentiam pertinent, ut sunt cibus, potus, vestimenta &c. Homo enim non minimum gramen è terra producere valet, sed hoc omnipotentiæ divinæ est, qui vocat non modò ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, Rom.4.v.17. sed etiam cuilibet seminum proprium corpus dat, ut vult, 1.Cor.15.v.38. & quando ipse cœlos exaudit, cœli exaudiunt terram, terra exaudit triticum, vinum & oleum, & hæc exaudiunt Jesrael, h.e. nos filios gratiæ ejus, Os.2.v.22. ut vinum lætificet cor hominis; nitidam faciat faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet, Psal. 104. v. 15.

2. *In Spiritualibus.* Hîc iterum nihil ex nobis ipsis præstare possumus, sed Spiritus sanctus operatur in nobis & velle & perficere, Phil.2.v.13. supremus enim Director est omnium cogitationum, verborum & operum nostrorum, & sine ipso nihil facere possumus, Joh.15.v.10. Siquidem omne figmentum cogitationum cordis nostri tantummodò malum est, omnibus diebus, Gen.6. v.5. in carne nostra nihil boni habitat,

bitat, Rom. 7. v. 18. quin & in peccatis mortui sumus, Eph. 2. v. 4. Sicut igitur homo defunctus seipsum resuscitare nequit, ad vitam hanc terrenam: sic multò minus homo in spiritualibus ad conversionem suam quicquam conferre potest, ut rectè cum Jeremiâ oremus: Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus, Jer. 31. v. 18.

Nemo proindè in arte, robore, sapientia & eruditione suâ confidat, ut fortassis Petrus fecit, qui quia peritum se piscatorem censuit, de felici successu minus desperavit: & nihil tamen cepit; Non enim velocium est cursus, Eccles. 9. v. 11.

Es igitur *Concionator*, suggestum adscensurus, ora: In verbo tuo laxabo rete Domine: sic labor tuus non inanis erit in Domino, 1. Cor. 15. v. ult. Esa. 55. v. 10. & seqq.

Si *Magistratus officio fungeris*, curiam aditurus similiter ora: Domine in verbo tuo laxabo rete: sic tibi Deus Spiritum sapientiæ & intelligentiæ, Spiritum consilii & fortitudinis largietur, Esa. 11. v. 2. ut omnia prosperè geras: & subditi sub tutelâ tua quietam & tranquillam vitam agant, in omni pietate & honestate, 1. Tim. 2. v. 2.

Si *Mechanicus*, & ipse operas tuas incepturus ora: In verbo tuo laxabo rete, & benedictio largissima sequetur te. Nam omnia sanctificantur per verbum Dei, & orationem, 1. Tim. 4. v. 5.

Et ut paucis absolvam, quilibet cum D. Bernhardo oret: *O Domine, hac sit mea prima cura, ut te quaram mente pura*, Psalm. 127. v. 1.

III. *Socius socio opitulare.* Intuet Petrum & socios ejus promtum obsequium cernimus. Ubi enim tàm largâ beatus est capturâ, ut minimè par sit, ad rete in navim solus pertrahendum: ecce, annuit sociis, qui erant in aliâ navi, qui propediem adsunt, & adjuvant Petrum, ut benedictionem Dei in portum perferre, & ad usum suum accommodare possit.

Discamus ab eo, ut & nos necessitatibus Sanctorum communicemus, Rom. 12. v. 13. hoc caritas Christiana requirit, quæ non in verbis saltem, sed & in operibus se exerat, 1. Joh. 3. v. 18. Jac. 2. v. 15. Ideò fideliter inserviamus proximo, maximè tempore necessitatis, ubi ope nostra indiget, Sir. 42. v. 23. *Nihil enim tàm probat amicum, quam onera amici portare*, ut Augustinus ait. Et Ambrosius: *Nihil tàm secundum naturam, quàm juvare consortem natura.* Non enim saltem socii sumus, velificantes in impetuoso hujus mundi mari, ubi eandem passionem sustinemus, 1. Petr. 5. v. 9. sed sumus quoque fratres & sorores, qui unum in cœlis Patrem habemus, unus enim Deus creavit nos omnes, Mal. 2. v. 10. Deindè & omnes unam habemus matrem, ex qua orimur, Eva enim est mater cunctorum viventium, Gen. 3. v. 20. & eandem matrem quæ post mortem nos in sinum suum recipit nempè terram, quæ mater omnium est, Sir 40. v. 1. Tandem & eandem hæreditatem expectamus, nempè incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conservatam in cœlis, 1. Petr. 1. v. 5.

Promtè igitur nobis invicem, tanquam fratribus & sororibus inserviamus. Hic Petrus annuit modò, & socii ejus appropetant ad juvandum. Idem raro hodie fieri videmus: refriguit enim caritas multorū.

Matth. 24. v. 13. Quilibet sibi velificat, nihil passurus super contritione Joseph, Amos 6. v. 6. Quodsi fortè cui manus porrigitur, id subindè ei exprobratur: Verùm idipsum improbatur à Siracide, cap. 20. v. 13. seqq. & cap. 42. v. 27. Agnoscamus potius, nos pro virili proximo ad serviendum obstrictos esse: & hoc debitum nullis beneficiis, quantacunque sint, compensari posse. Hoc qui rectè secum perpendit exprobrationis iniquæ facilè obliviscetur. Cum enim feceritis omnia, inquit Christus, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus, Luc. 17. v. 10. Hîc finem facimus, Deo sit laus & gloria in æternum, Amen!

DOMINICA VI. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 5. v. 20 -- 27.

EXORDIUM.

De Messiâ prædictum est: Ipse erit quasi ignis conflans, & quasi sapo fullonum: & sedebit conflans & emundans argentum, Mal. 3. v. 2. 3.

In hoc vaticinio *officium Messiæ* haud inconcinnè nobis depingitur,

1. *Sub imagine fabrorum.* Ipse quasi ignis conflans. Sicut igitur aurifaber ignem adhibet, quo aurum & argentum purgat, ut à scoriis separetur, ita & Servator duplici igne utitur, quando filios Levi, h. e. populum suum peculiarem purgaturus est: Primò *ignem lucis:* nunquid non verba mea sunt, quasi ignis, dicit Dominus, Jer. 23. v. 29. Utique quasi ignis, consumens ligna, fœnum & stipulas, h. e. inventa hominum, quando illa Ecclesiæ obtrudi volunt. Deindè *ignem crucis,* quando fideles suos in furno afflictionis excoquit, ut electos eos faciat, Esa. 48. v. 10. & fidem eorum probat, ut multò pretiosior sit auro, quod perit, quod per ignem probatur, 1 Petr. 1. v. 7.

2. *Sub imagine lotorum:* erit enim ut sapo fullonum. Lutherus expressit: wie die Seiffe der Wäscherin. Sicut igitur lotrices saponem & alia media habent, quibus linteum mundant, & maculas eluunt: Ita & Christus sapone verbi sui, Pharisaicas traditiones, quibus legem depravarant & maculaverant, iterum eluit & purgavit, ut jam sciamus, non sufficere obedientiam externam, sed cor cum omnibus interioribus affectibus & concupiscentiis purgandum esse, si legi Dei satisfieri debeat. Hoc in nostris naturalibus viribus non consistit, ideò de alia justitia circumspiciamus, quam Christus nobis acquisivit, qui est finis legis, ad justitiam omni credenti, Rom. 10. v. 4.

Hoc ipsum inculcat in prælecta Pericope, ad discipulos suos inquiens: Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum

barum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum. Deinde reformationem instituit, ostendens nobis, quomodo lex intuenda sit, non modò superficialiter, sed tanquam regula & norma, ad quam non modò verba & opera nostra: sed & interiores cordis affectus & cogitata conformemus.

Videbimus nunc
I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

DE officio Spiritus sancti elenchtico ait Servator ad discipulos suos: Arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De justitia verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me. De judicio autem quia Princeps hujus mundi jam judicatus est, Johan. 16. v. 8. 11.

Hoc quomodo intelligendum sit, alibi expositum est. Jam ansam nobis suppeditat prælecta Pericope, ut de secundo muneris elenchtici membro dicamus, ubi de Spiritu sancto memoratur, quod mundum arguturus sit de justitiâ. Hæc Pharisaica fuit justitia, quâ multi in cœlum pervenire satagebant, negligentes interea justitiam, quam nobis Christus per abitum suum ad Patrem peperit. Propterea fine vero excidunt, nec intrare in Regnum cœlorum possunt.

Querela respicit

1. *Pharisæorum copiam*, qui propriæ justitiæ confidentes, hoc ipso amittunt justitiam, quæ coràm Deo valet, hi minus Servatori placent, ideò inquit ad discipulos: Nisi abundaverit justitia vestra, plus, quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum.

Pharisæi erant separatores, qui in se confidebant, quod essent justi, & adspernabantur cæteros, Luc. 18. v. 9. unde & à Paraz, h. e. divisit, denominantur, hinc si Pharisæum nominas, idem est, ac si sectarium eum voces, siquidem expresse Paulus hunc ordinem sectam vocat, Act. 26. v. 5.

Tales Separatores hodietenus adhuc multi occurrunt, non modo inter Monachos in Papatu, ubi unus plus mereri satagit quàm alter: sed & inter nos incommuni vitâ, ubi hypocritarum multi inveniuntur, qui de malitiâ & injustitia, quæ ubique invaluit, conqueruntur, & ipsi palmam aliis in malitiâ & injustitia præripiunt: hæc generatio est, quæ sibi videtur munda, & tamen non est lota à sordibus suis, Prov. 30. v. 12.

Optimè verò hodierni Jesuitæ cum Pharisæis comparati possunt.

Illi orti sunt tempore Maccabæorum Anno Mundi 3690. & ita paulò ante adventum Christi in carnem. Hi vero Anno Christi 1540. & ita paulò ante diem ultimum, ubi Christus redibit ad judicandum vivos & mortuos, Actor. 10. v. 42.

Illi optimi legis Interpretes videri volebant, reipsa verò erant pessimi depravatores ejusdem, unde Christus ratione fermenti Pharisæorum fideliter nos præmonet, Matth. 16. v. 6. hi verò & ipsi aliis se præ-

præferunt, majoremque scientiam sibi arrogantes, unde & Doctores Seraphicos se vocari volunt, sibique nomen Jesuitarum arroganter attribuerunt. Reipsa verò homines sunt nocentissimi, qui non acquiescunt sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est doctrinæ, 1. Tim. 6. v. 3. sed detorquent Scripturas, ad suam ipsorum perditionem, 2. Petr. 3. v. 16. Rectius Anti-Jesuitæ vocantur, quia Anti-Christi Regnum fulcire juvant, qui extollit ut super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, 2. Thessal. 2. v. 4.

Illi legem intelligebant tantummodò de exteriori obedientiâ, eamque propriis naturæ viribus impleri posse docebant, unde & interiores animi affectus pro peccatis non habebant. Idem & Neo-Pharisæi faciunt, sicut in Concilio Tridentino expresse decreverunt: *Si quis dixerit homini justificato, & sub gratia constituto, præcepta Dei esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Similiter concupiscentiam pro peccato cognoscere nolunt Sess. V. Utrumque contrà Scripturam. Vide Luc. 17. v. 10. 1. Joh. 3. v. 4. Rom. 7. v. 8. Rom. 6. v. 1. 6. 7. 12. 14. c. 7. v. 7. c. 8. v. 2. 19.

Illi multum tribuerunt traditionibus, quas νόμον ἄγραφον legem non scriptam, sed oretenus traditam appellabant, quò pertinent, traditiones de Sabbatho, Matt. 12. v. 2. Luc. 6. v. 7. Joh. 9. v. 16. de jejunio, Matth. 9. v. 14. Luc. 1. v. 33. de manus lotione, Marc. 7. v. 3. Matth. 15. v. 2. & ejus generis plures. Hi, Jesuitæ nimirū, cum asseclis suis idem faciunt. Ideò decernunt Patres in dicto Concilio: *Traditiones tùm ad fidē, tùm ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia conservatas, pari pietatis affectu suscipit & veneratur sacrosancta Synodus.* Verùm enormis est error. Sine mendacio consummabitur verbum legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur, Sir. 34. v. 8.

Illi exterius sanctitatem simularunt, dilatantes phylacteria sua, & magnificantes fimbrias, Matth. 23. v. 5. in multiloquio orarunt, Matth. 6. v. 7. circumiverunt mare & aridam, ut facerent unum proselytum, Matth. 23. v. 15. Hodierni quoque Pharisæi insignes hypocritæ sunt, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, 2. Tim. 3. v. 4. adnumerant Deo precationes suas, in iisque tanquam opere operato confidunt, licet neque fides neque devotio adsit, quin & omnem movent rudentem, quo orthodoxos à rectâ calle abducant.

Oremus nos Deum, ut nos à generatione hâc prava custodiat, circumquaque etenim impii obambulant, cùm exaltantur leves inter filios hominum, Psalm. 12. v. ult.

II. *Ira noxam.* Hîc audimus Christum dicentem: Qui irascitur fratri suo temerè, reus erit judicio.

In genere experientia testis est, iracundiam parùm boni attulisse. Nam

1. *Animum turbat*, ut homo suiipsius compos non sit. Ira quippe in sinu stulti requiescit, Eccles. 7. v. 10. eumque qui præceps ad iram est, stultum efficit, ut operetur stultitiam, Prov. 14 v. 17.

2. *Conscientiam gravat.* Homo enim iracundus sæpè execratur & seipsum devovet, & multa alia patrat, quæ excusari nunquam

quam possunt: Hinc conscientia sauciatur, quæ si evigilat, sæpè homines ad desperationem adigit, ut Caini, Saulis, Judæ, aliorumque exempla probant.

3. *Vitam abbreviat.* Nam stultum occidit indignatio, & insipientem interficit zelus, Job. 5. v. 2. unde & inter opera carnis recensetur, Gal. 5. v. 21.

III. *Implacabilitatis culpam*, quæ in multis tantas radices egit, ut in inimicitiâ mori malint, quàm proximo ignoscere. Sunt hi nefarii homines, quos Scriptura pro homicidis habet. Omnis, qui odit fratrem, homicida est, & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in seipso manentem, 1. Joh. 3. v. 15. Hinc & religio eorum vana est, precatio inefficax, & spes frustranea, quamdiu in implacabilitate vivunt. Incedunt in via complanata lapidibus, & in fine illorum, profunditas inferni, Sir. 21. v. 11.

Hoc ita probari potest: Ubi odium & invidentia regnat, ibi caritas non est, caritas enim non æmulatur, 1. Cor. 13. v. 4. ubi caritas non est, ibi nec fides est: fides enim per caritatem efficax est, Gal. 5. v. 6. ubi fides nulla, ibi nec bona conscientia, fides enim corda purificat, Actor 15. v. 9. ubi bona conscientia non est, ibi nulla ad Deum fiducia, 1. Joh 3. v. 21. ubi nulla ad Deum fiducia, ibi nec vita. Nam in Deo vivimus, movemur, & sumus. Act. 17. v. 18. Ubi vita nulla, ibi nec salus, salus enim est perpetua vita; Sap. 5. v 16. Quicunque igitur in implacabilitate perseverat, salutem & vitam æternam amittit, quæ majoris æstimanda, quàm universus mundus. Quid enim prodesset homini, si universum mundum lucraretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, Matth. 16. v. 26.

Inter Themistoclem & Aristidem diuturnæ inimicitiæ & simultates fuerant. Orto verò bello Persico Collegæ sibi invicem adjungebantur in gravissima legatione. Tum Aristides: *Cessent inter nos inimicitiæ, quia alibi satis est effusi sanguinis.* Hi gentiles fuerunt, nec tamen simultates fovere voluerunt: quantò magis nos iram & indignationem deponamus, Col. 3. v. 7. & in pace & concordia cum proximo vivere studeamus. Memento novissimorum, & desine inimicari. Sir. 28. v. 6. 7.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex justitiæ abundantioris præmio.* Nisi enim abundaverit justitia vestra plus, quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum. Ex quo è contrario consequitur, quod si abundaverit, Regnum cœlorum nos expectet.

Quoties terreni Reges & Principes de Regnis terrenis disceptant, ut sæpè sanguinem cum vita profundant? & nil est nisi particula terræ, vanitati subjecta, & quando minus hâc de re cogitant, à morte abripiuntur, & cum interierint non sument omnia, neque descendet cum eis gloria eorum, Psal. 49. v. 18. In morte enim Imperatoria Majestas cessat, im Tode hat sichs außgekäyfert / dixit Ferdinandus I. R. Imp. h. e. ut Salomo aliis verbis id exprimit: Non manet corona à generatione in generationem, Prov. 27. v. 23.

Danieli quatuor Regna, in terris futura, ostenduntur, ubi sunt illa? unum

præferunt, majoremque scientiam sibi arrogantes, unde & Doctores Seraphicos se vocari volunt, sibique nomen Jesuitarum arroganter attribuerunt. Reipsa verò homines sunt nocentissimi, qui non acquiescunt sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est doctrinæ, 1. Tim. 6. v. 3. sed detorquent Scripturas, ad suam ipsorum perditionem, 2. Petr. 3. v. 16. Rectius Anti-Jesuitæ vocantur, quia Anti-Christi Regnum fulcire juvant, qui extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, 2. Thessal. 2. v. 4.

Illi legem intelligebant tantummodò de exteriori obedientiâ, eamque propriis naturæ viribus impleri posse docebant, unde & interiores animi affectus pro peccatis non habebant. Idem & Neo-Pharisæi faciunt, sicut in Concilio Tridentino expresse decreverunt: *Si quis dixerit homini justificato, & sub gratia constituto, præcepta Dei esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Similiter concupiscentiam pro peccato cognoscere nolunt Sess. V. Utrumque contrà Scripturam. Vide Luc. 17. v. 10. 1. Joh. 3. v. 4. Rom. 7. v. 8. Rom. 6. v. 2. 6. 7. 12. 14. c. 7. v. 7. c. 8. v. 2. 19.

Illi multum tribuerunt traditionibus, quas νόμον ἄγραφον legem non scriptam, sed oretenus traditam appellabant, quò pertinent, traditiones de Sabbatho, Matt. 12. v. 2. Luc. 6. v. 7. Joh. 9. v. 16. de jejunio, Matth. 9. v. 14. Luc. 1. v. 33. de manus lotione, Marc. 7. v. 3. Matth. 15. v. 2. & ejus generis plures. Hi, Jesuitæ nimirū, cum asseclis suis idem faciunt. Ideò decernunt Patres in dicto Concilio: *Traditiones tùm ad fidē, tùm ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia conservatas, pari pietatis affectu suscipit & veneratur sacrosancta Synodus.* Verùm enormis est error. Sine mendacio consummabitur verbum legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur, Sir. 34. v. 8.

Illi exterius sanctitatem simularunt, dilatantes phylacteria sua, & magnificantes fimbrias, Matth. 23. v. 5. in multiloquio orarunt, Matth. 6. v. 7. circumiverunt mare & aridam, ut facerent unum proselytum, Matth. 23. v. 15. Hodierni quoque Pharisæi insignes hypocritæ sunt, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, 2. Tim. 3. v. 4. adnumerant Deo precationes suas, in iisque tanquam opere operato confidunt, licet neque fides neque devotio adsit, quin & omnem movent rudentem, quo orthodoxos à rectâ calle abducant.

Oremus nos Deum, ut nos à generatione hâc prava custodiat, circumquaque etenim impii obambulant, cùm exaltantur leves inter filios hominum, Psalm. 12. v. ult.

II. *Ira noxam.* Hîc audimus Christum dicentem: Qui irascitur fratri suo temerè, reus erit judicio.

In genere experientia testis est, iracundiam parùm boni attulisse. Nam

1. *Animum turbat*, ut homo suiipsius compos non sit. Ira quippe in sinu stulti requiescit, Eccles. 7. v. 10. eumque qui præceps ad iram est, stultum efficit, ut operetur stultitiam, Prov. 14 v. 17.

2. *Conscientiam gravat.* Homo enim iracundus sæpè execratur & seipsum devovet, & multa alia patrat, quæ excusari nunquam

quam possunt: Hinc conscientia sauciatur, quæ si evigilat, sæpè homines ad desperationem adigit, ut Caini, Saulis, Judæ, aliorumque exempla probant.

3. *Vitam abbreviat.* Nam stultum occidit indignatio, & insipientem interficit zelus, Job. 5. v. 2. unde & inter opera carnis recensetur, Gal. 5. v. 21.

III. *Implacabilitatis culpam*, quæ in multis tantas radices egit, ut in inimicitiâ mori malint, quàm proximo ignoscere. Sunt hi nefarii homines, quos Scriptura pro homicidis habet. Omnis, qui odit fratrem, homicida est, & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in seipso manentem, 1. Joh. 3. v. 15. Hinc & religio eorum vana est, precatio inefficax, & spes frustranea, quamdiu in implacabilitate vivunt. Incedunt in via complanata lapidibus, & in fine illorum, profunditas inferni, Sir. 21. v. 11.

Hoc ita probari potest: Ubi odium & invidentia regnat, ibi caritas non est, caritas enim non æmulatur, 1. Cor. 13. v. 4. ubi caritas non est, ibi nec fides est: fides enim per caritatem efficax est, Gal. 5. v. 6. ubi fides nulla, ibi nec bona conscientia, fides enim corda purificat, Actor 15. v. 9. ubi bona conscientia non est, ibi nulla ad Deum fiducia, 1. Joh 3. v. 21. ubi nulla ad Deum fiducia, ibi nec vita. Nam in Deo vivimus, movemur, & sumus. Act. 17. v. 18. Ubi vita nulla, ibi nec salus, salus enim est perpetua vita, Sap. 5. v 16. Quicunque igitur in implacabilitate perseverat, salutem & vitam æternàm amittit, quæ majoris æstimanda, quàm universus mundus. Quid enim prodesset homini, si universum mundum lucraretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, Matth. 16. v. 26.

Inter Themistoclem & Aristidem diuturnæ inimicitiæ & simultates fuerant. Otto verò bello Persico Collegæ sibi invicem adjungebantur in gravissima legatione. Tum Aristides: *Cessent inter nos inimicitiæ, quia alibi satis est effusi sanguinis.* Hi gentiles fuerunt, nec tamen simultates fovere voluerunt: quantò magis nos iram & indignationem deponamus, Col. 3. v. 7. & in pace & concordia cum proximo vivere studeamus. Memento novissimorum, & desine inimicari. Sir. 28. v. 6. 7.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex justitiæ abundantioris præmio.* Nisi enim abundaverit justitia vestra plus, quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum. Ex quo è contrario consequitur, quod si abundaverit, Regnum cœlorum nos expectet.

Quoties terreni Reges & Principes de Regnis terrenis disceptant, ut sæpè sanguinem cum vita profundant? & nil est nisi particula terræ, vanitati subjecta, & quando minus hâc de re cogitant, à morte abripiuntur, & cum interierint non sument omnia, neque descendet cum eis gloria eorum, Psal. 49. v. 18. In morte enim Imperatoria Majestas cessat, im Todt hat sichs außgekäysert / dixit Ferdinandus I. R. Imp. h. e. ut Salomo aliis verbis id exprimit: Non manet corona à generatione in generationem, Prov. 27. v. 23.

Danieli quatuor Regna, in terris futura, ostenduntur, ubi sunt illa? unum post

post alterum transiit, & quamvis Romanum Imperium adhuc duret, attamen digiti pedum ex parte ferrei, & ex parte fictiles sunt: & haud difficulter conjicimus, fore, ut invictissimus Imperator Christus Jesus, propediem cum ultimo suo adventu irrupturus, & huic, ut & omnibus aliis Regnis finem impositurus sit, Dan. 2. v. 38. 41. 44.

Verùm Regnum Dei, quod hæreditariò consequemur, quando aliam eamque meliorem justitiam quærimus, quam Christus nobis acquisivit, Regnum æternum est, quod non commovebitur, Psal. 93. v. 1.

Ibi magnificè habitabimus, nempè in Palatio non manu facto, cujus ædificationem ex Deo habebimus, 2. Cor. 5. v. 1. Apparitores nostri non erunt Principes, Comites & Nobiles, ut in aulâ Imperatorum & Regum fieri amat, sed sancti Angeli & Archangeli, Cherubin & Seraphin: sicuti jam tum in hoc seculo Spiritus administratorii sunt, Hebr. 1. v. ult. Corona, quam nobis Dominus imponet, erit corona vitæ, Apoc 2. v. 10. corona justitiæ, 2. Tim 4. v. 8. immarcessibilis gloriæ corona, 1. Petr. 5. v. 4. quæ in æternum non auferetur à nobis, Joh. 16. v 22. Eò anhelemus, & quoniam in Regno hujus Regis judicium diligitur, Psal. 99. v. 4. apprimè studeamus, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, modestè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, Tit. 2. v. 13. & seqq.

II. *Ex singulari hominis privilegio*, quem Deus in tutelam suam recepit, & severè prohibuit, ut eum neque verbis neque operibus, neque cogitationibus neque gestibus, neque corde, neque ore, neque oculis neque manibus lædamus. Prohibuit Deus ne cum ipso irascamur, ne ipsum morosè intueamur, ne ipsum calumniis & execrationibus oneremus, multò minus ullo modo manus ipsi inferamus violentas: sic Deus unicuique proximum suum commendavit, Sir. 17. v. 12. ut illum diligamus sicut nos ipsos, Levit. 19. v. 18.

Hominem Romanum non facilè licuit vincire & flagellare; Act. 22. v. 25. Verùm majoris faciendum est civicum jus spirituale in Ecclesia. Qui enim proximus & frater noster in Christo factus reverenter habendus est, ne temerè lædatur, ut Petrus mandat, 2. Petr. 1. v. 6. seqq.

Hoc privilegio adhuc hodie omnes gaudemus: Sicut enim proximum nobis commendavit Deus; sic & nos vicissim proximo commendavit, ut ipsi non liceat, iracundia, invidentia, inimicitia, vindictæ cupiditate, insidiis, vi & malitia nos prosequi, sicut nec nobis concessum est, ipsi horum quicquam inferre. Hoc solatium nostrum, hæc prærogativa nostra est; qui ad hanc legem vitam non componit, hoc ipso fit judicio, concilio & gehennæ igni reus. Magnatum patrocinium tempore belli sæpè cùm consolationem tùm gaudium parit: Verùm Deus multò melius & gravius patrocinium nobis præstitit. In quinto præcepto præsidio munivit corpus & vitam nostram. In sexto uxorem & liberos. In septimo facultates & opes. In octavo bonam famam, ne quis vel cogitationibus, affectibus, verbis vel gestibus nos infestet, si Dei amicus esse, & ab igne infer-

nali

nali immunis esse velit. Hæc magna consolatio est, quâ pii in omnibus adversitatibus confirmare se possunt. Nam si Deus pro nobis, quis contrà nos? Rom. 8. v. 32.

III. *Ex longanimitatis divinæ rivulo*, quæ hinc elucescit, quod Christus ait: Si offeramus munus nostrum ad altare, & ibi recordati fuerimus, quod frater noster habeat aliquid adversum nos, ut relinquamus ibi munus nostrum ante altare, & vadamus prius, & reconciliemur fratri nostro. Interea Deus nos tamdiu præstolaturus est, dum eamus & redeamus & reconciliati simus fratri nostro. Quis tale quid coram Magnatibus terrenis auderet? Si quis impetrata audientia, causam suam propositurus, in conclavi Principis recordaretur rerum domesticarum, abiretque domum ad eas expediendas, & tùm demùm rediret, querelam suam expositurus, quâ ratione ille exciperetur à Principe? vix alia vice admitteretur. Sed Deus ter Opt. Max. tantâ benignitate & mansuetudine ergà nos præditus est, ut tantisper cultum suum differri velit, quin & ipse jubet nos cum proximo in gratiam redire, deindè remeare, & munus nostrum offerre, quod hoc modò sibi gratum & acceptum fore, pollicetur.

Nonne verò hæc magna patientia & longanimitas, quam Rex Regum & Dominus Dominantium, 1. Tim. 6. v. 15. qui excelsior cœlo est, & profundior inferno, longior terra mensura ejus, & latior mari, Job. 11. v. 8. 9. ergà nos miseros homunciones probat? quos jure optimo ad infernum detrudere posset, ratione magnæ inobedientiæ, quâ ipsum offendimus, ut ipse ait, Ose. 11. v. 8. Hæc consolatio nostra sit, si ex imbecillitate humanâ in delicto aliquo præoccupati fuerimus, ne desperemus, sed cogitemus, Deum esse propitium & misericordem, ideoque locum daturum pœnitentiæ. Est enim verus φιλόψυχος, Sap. 11. v. 27. nec delectatur in perditionibus nostris, Tob. 3. v. 22. sed multùm parcendo nos regit, Sap. 12. v. 18. utrùm in tempore gratiæ resipiscere velimus à Diaboli laqueis, à quo captivi tenemur, ad ipsius voluntatem, 2. Timoth. 2. v. ult.

De Tertio.

Superest *Cautela*, quam tribus includemus Regulis, quarum

I. *Justitiam sectare.* Hic Christum, cum Scribarum & Pharisæorum justitia minimè contentum esse audimus: aliam verò requirit justitiam, quæ coràm Deo valeat, Rom. 10. v. 3. Deus enim in generatione justa est, Psal. 14. v. 6. injusti verò Regnum Dei non hæreditabunt, 1. Cor. 6. v. 9.

Hæc justitia considerari potest bifariam:

1. *Secundum legem*, cujus summam Christus enarrat, Matth. 22. v. 37. Hâc verò ratione impossibile nobis est, legem Dei implere, lex enim spiritualis est, nos verò carnales sumus, venundati sub peccato: hinc quidem delectamur lege Dei secundùm interiorem hominem: videmus autem aliam legem in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ, Rom. 7. v. 22. 23.

2. *Secundum fidem*, quatenus Christus eam nobis acquisivit,

1. *Agendo*: Non enim venit solvere legem, sed implere, Matth.5 v.17.

2. *Patiendo*: Factus enim est maledictum pro nobis, ut nos à maledictione legis redimeret, Gal.3. v.13. & per vulnera ejus sanati sumus, Esa.53. v.5.

Medium verò, quo justitiam hanc apprehendimus, nobisque applicamus, est fides, cujus anima & vita vocatur fiducia, quâ homo sanctissimo Christi merito quasi immergit se, nec modò in genere credit, Christnm mortuum esse & resurrexisse, id quod & Diaboli credunt, & contremiscunt, Jac.1. v.10. sed sibi omnia Christi merita in individuo quasi pro se solo præstita applicat exemplo Pauli, dicentis: Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, Gal.2.v.21.

Hæc vocatur *justitia imputata*, quam non in nobis reperimus, sed extra nos in Christo quærere oportet, qui factus est nobis à Patre suo sapientia, & justitia, & sanctificatio & redemtio, 1.Cor.1.v.30. Ex hâc fluit *justitia inchoata*, quâ verus Christianus ostendit, quod justitiæ Dei subjectus sit, Rom.10.v.3. quando nimirum lucem fidei suæ lucere sinit coràm hominibus ut videant opera sua bona, & glorificent Patrem, qui in cœlis est, Matt.5.v.16. Sicut enim corpus sine Spiritu mortuum est; ita & fides sine operibus mortua est, Jac.2. v.ult.

Hæc vero opera quibus fidem nostram probamus, in genere justitia in Scripturâ dicunrur, quia *justitia est Regina & Domina omnium virtutum*, Cicerone teste, cujus proprietas est: ***Honestè vivere, Neminem lædere, Suum cuique tribuere***, vide Matth. 7. v.12.

Quodsi igitur hîc felices, & in æternum beati esse vultis, videte ut in numero justorum inveniamini, in Christum credatis, & ergà proximum quoque æquitati studeatis. Dominus enim diligit justos, Psal.146.v.8. habitacula eorum benedicentur, Prov.3. v.33. semita eorum, quasi lux splendens, Prov.4.v.18. nec affliget Dominus fame animam eorum, Prov. 10. v.3. Tandem eò illos deducet, ubi justitia habitat, 2. Petr.3.v.13. nempè in cœlestem Hierusalem, populus enim ejus omnes justi erunt, Esa.60.v.21.

II. *Iram moderare*. Propterea ait hîc Christus: qui fratri suo irascitur, reus erit judicio, h.e. ut Bibl. Weimariensia explicant, dignus est, qui palàm in judicium inferius, in quo apud Judæos XXIII. Judices sedebunt, adducatur, & capitis damnetur. Semper enim unum ex alio sequitur: *Ira excipit rixam, rixa convitia, convitia ictus, vulnera*, ut Basilius ait. Et hic ratio nulla proximi consanguinei habetur. Per iram trucidavit Cain fratrem suum Abelem, Gen.4. v.8. Saul generi sui vitæ insidiabatur, 1.Sam.19. v.10. Herodes filios proprios perimi jussit, ex merâ suspicione, quasi insidias vitæ suæ tenderent. Hinc Syracides: Vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam, c.28.v.11. iratus nil nisi crimina loquitur, quidam ex Veteribus ait.

Quilibet igitur iram declinet, & si fortè bilis ipsi moveatur, confestim *speculum consulat*, & deprehendet, quomodo à seipso quasi mutatus sit: sic multi iram abjecerunt, ait Plato.

In linguâ Hebræa Ira Aph, h.e. nasus dicitur, quia per nares fumat, sicut flamma

per

per caminum: quin nihil est in toto corpore, per quod iracundia se non exserat. Facies immutatur, fitque primò rubicunda, deindè pallida: labia tremunt, dentes strident, pili sursum eriguntur, oculi scintillant, lingua hæsitat, pedes calcitrant, manus contremiscunt, totum corpus concutitur, ut rectè dixerit Basilius: *Ira quadam hominis Dæmoniaci effigies est*, nec modò effigies, sed & exemplar & viva idea. Qui enim odit fratrem suum, homicida est, 1. Joh. 3. v. 15. Hoc à Diabolo oritur, qui homicida ab initio est, Joh. 8. v. 44.

Deinde *humilitati studeat*. Quando enim homo nimium sibi arrogat, & omnia ad libitum desiderat, facilè ad iram incitari potest. Qui verò humilitati studet, in omni fortuna æquo animo esse potest.

Tertiò *nihil ex iracundia faciat*, sed prius orationem Dominicam recitet, ut Ambrosius Theodosio suasit, sic interea ira evanescet.

Archytas Tarentinus à famulitio ad iram provocatus, nihil iratus fecit, sed dixit: Jam te percuterem, nisi iratus essem.

Alphonsus Arragoniæ Rex, pugionem abjecit, quando ab iracundiâ invadebatur. Hîc patientia opus est, quæ non cujusvis est: Ideò à Deo impetretur, qui inde Deus patientiæ vocatur, Rom. 15. v. 5.

Hoc si fecerimus, iram refrenantes, Deus quoque nobis ignoscet, si fortè deliquerimus, est enim benignus, & misericors, longanimis & multæ misericordiæ, & talis, quem pœnitet super malo, Joel. 2. v. 13.

III. *Cum proximo reconciliare*. Ad hoc monet nos Christus emphaticis verbis, unde & offendentem & offensum salutariter instruit. Offendenti ait: Vade, reconciliare fratri tuo: quo ipso injungit, ut is, qui proximum offendit, aut ipse, aut per internuncios proximo deprecetur, quò res componatur, antequam ad sacram cœnam accedat: alias enim melius foret ut planè eâ abstineat, quicunque enim manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, 1. Cor. 11. v. 27. Quando verò qui offendit, injuriam suam agnoscit & veniam orat, alter promtus ad remittendum exhibere se debet, non modò septies, sed septuagesies septies, Luc. 17. v. 4.

Hoc ipsa necessitas requirit: Confitemini alterutrum peccata vestra: & orate pro invicem, ut sanemini, inquit Jacobus c. 5. v. 16.

Exempla sunt Abraham, Gen. 13. v. 8. 9. Joseph, Genes. 50. v. 19. seqq. Moses, Exod. 32. v. 11. 31. David, 2. Sam. 16. v. 5. seqq. Christus ipse, 1. Petr. 2. v. 23. Luc. 23. v. 34.

Hæc exempla nos quoque imitemur, sedulò caventes, ne vincamur à malo, sed vincamus in bono malum, Rom. 12. v. ult. Hæc optima est victoria.

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire potest.

Vide Prov. 16. v. 32. Largiatur nobis Deus hunc affectum, per Christum Dominum nostrum.
Amen.

DOMI-

DOMINICA VII. POST TRINIT.

Evangelium Marc. 8. v. 1 -- 9.

EXORDIUM.

CUm Fratres Josephi in Ægyptum venirent ad fratrem, commeatûs emendi gratiâ, ob difficilem annonæ caritatem, quæ Palæstinam occuparat, mandabat Josephus Procuratori suo, ut impleret saccos eorum frumento, & poneret pecuniam singulorum in summitate sacci, scyphum autem argenteum, & precium tritici poneret in ore sacci junioris. Fecit id Procurator, & hoc ipso eos in magnam consternationem & angustias conjecit, Gen. 44. v. 1. seqq.

Hæc historia *typus Christi* est, qui nos etiam bonis suis ditat, & implet omne animal beneplacito, Psal. 145. v. 16. educit enim panem de terra, ut vinum lætificet cor hominis, & nitidam faciat faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet, Psal. 104. v. 15. hoc modo adhuc hodie sine testimonio semetipsum non relinquit, benefaciens, de cœlo dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda nostra, Act. 14. v. 17.

Intereà tamen non sine afflictione nos relinquit, ne carni frena laxemus, & ejus obliviscamur, sicut Judæi fecerunt, postquam pascua habuêre & saturati sunt, ut conqueritur Deus, Os. 13. v. 6. quia calix in manu Domini, vini meri plenus infusus: & effundit ex eo, veruntamen feces ejus sorbebunt, & bibent omnes impii terræ. Psal. 75. v. 9.

Sicut igitur Josephus scyphum suum jussit ponere in sacco fratris junioris, quem præ cæteris dilexit: Ita etiam non iræ, sed amoris signum est, quando Deus uni atq; alteri calicem crucis porrigit. Quem enim diligit Dominus, castigat, Hebr. 12. v. 6. quod si verò virgâ castigatoria nihil efficit, arripit scopam exterminationis, & tribulat nos, ut inveniamur, Jer. 10. v. 18. vel elevat calicem iræ, ut feces calicis titubationis ebibendo exsugamus, & potat usque ad feces, Esa. 51. v. 17.

Hoc prægustum nobis præbet ad explicationem hodierni Evangelii, ubi audimus de turba, quæ triduum cum Christo commorata, conciones ejus magno fervore auscultaverat, quâ de causa etiam sibi illam cibandam proposuerat, non verò confestim id facit, primo vel altero die, sed probat eosdem in scholâ crucis, dum nihil habeant, quod manducent, unde adeò debilitati, ut verendum esset, ne si dimisisset eos jejunos in domum suam, deficerent in viâ, maximè illi, qui de longè venerant. Similis afflictio adhuc hodiè Evangelii comes est. Est enim verbum crucis, 1. Cor. 1. v. 18. & omnes qui juxtà illud piè vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2. Tim. 3. v. 12.

Videbimus nunc

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

Exe-

II.

Exegesis.

Optimè ait Regius Propheta David: Inquirentes Dominum, non destituentur omni bono, Psal.34. v.11. id quod verificatur in prælectâ Pericope, quia enim turba in magna frequentia inquisiverat, & insequuta fuerat Dominum, misericordiâ ergà ipsos movetur, non habentes quod manducent, eosque ita cibat, ut saturati, optimè contenti, iter suum absolvere, domumque repetere possint.

Querela respicit

I. *Victus penuriam*. Etsi enim paupertas quoque à Deo venit, Sir.11.v.14. attamen pœna peccati est, quæ post lapsum demùm initium sumsit. Aliàs inopia & pauperies in mundo non fuissent, si Protoplasti in Paradiso mansissent, nec peccassent. Ager non indiguisset culturâ, sed spontè fructus produxisset: Arbores non opus habuissent insitione sed suâ sponte crevissent: plantæ non eguissent irrigatione, siquidem fluvius eosdem spontè humectasset. Verùm post lapsum omnia in deterius vergunt, unde Evangelium prælectum ita incipit: Turba multa erat (cum Jesu) nec habebant, quod manducarent. Sic adhuc hodiè nonnunquam commeatus deficere solet, potissimum quando Deus terram puniturus est. Habet enim naturam in manu suâ. Et sicut automatarius faber, horologium adornare potest, ut non modò multa loquatur, sed & pauca: Sic Deus annum coronare potest benignitate suâ, Psal. 65. v. 12. sed & facilè frumentum auferre potest, & annonæ caritatem immittere, si bona & dona ejus profundantur, & nescire nolimus, quod ipse det frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicet & aurum, Os.2. v.8. Utitur hic Deus

1. *Mediis conspicuis*. Quando aut prohibet imbrem, ut licet pluat super unam civitatem, super alteram civitatem non pluat, Amos 4. v.7. hinc confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores super tritico, vino, & hordeo, quia periit messis agri, Joël. 1.v.11. sive pluvias superfluas mittit, ut fruges meti nequeant, sed in agris computrescant: si emiserit enim aquas, subvertit terram, Job.12.v.15. sive pruinas & frigus Majale, grandinem, & insecta immittit, quibus frumentum depascitur & perit, Joel.1.v.4. sive accersit Deus populos, qui pecora abigunt, agriculturam impediunt, sementem pessundant, & ita studiose annonam in angustias cogunt, ut superiori bello, quod dilectam patriam nostram inundarat, satis experti sumus, ubi terra, quæ antè quasi hortus voluptatis erat, quasi solitudo deserti facta, Joel. 2. v.3.

2. *Mediis inconspicuis*. Quando maledictiona immissa omnia consumit, ut nemo rationem ejus reddere possit: Seminatur multùm & infertur parum, Hag.1. v.6. aut licet inferatur, tamen evanescit, ut acervus viginti modiorum fiant decem, & quinquaginta lagenæ fiant viginti, Hagg. 2. v.17. aut germen non facit farinam, Os. 4.v. 7. Breviter, ipse maledictione suâ illud perdere potest, ut licet in cibario habeas, vel dentibus comminuas, vel & stomacho immiseris, tibi nihil prosit, & commedens non satureris, Os. 4.v.10.

Hæc & alia media habet Deus, quibus efficere potest, ut dicatur sicut in Evange-

 lio:

lio: Non habent, quod edant. Cautè igitur ambulemus, & peccata declinemus, ne iram & maledictionem Dei incurramus. Ipse quippe ait: Si populus meus audierit me; Israel si in viis meis ambulaverit: brevi eorum inimicos humiliarem, & super tribulantes eos verterem manum meam, Psal 81. v. 14.

II. *Hominum incuriam.* Hic audimus, Christum quidem commiserationem habere cum turbâ & misericordia populi tangi, quod triduum secum commoratus, non habeat, quod manducet. At Apostoli parùm fortè hâc de re soliciti fuerunt, ideò ubi Dominus ipsis significat, quod nolit turbam jejunam dimittere in domum suam, quia periculum sit, ne deficiant in viâ; illi tergiversantes quærunt: Unde sumemus panem in deserto?

Idem adhuc hodiè evenire amat, si unus aliquis est, qui necessitatibus Sanctorum fideliter communicat, aut ad res sacras quicquam legat, aut monumentum aliquod in templis erigit, ibi plurimi inveniuntur, qui sinistrè interpretantur illud, dicentes: Ad quid perditio hæc? Hinc fit, ut amor magis magisque frigescat, Matth. 24. v. 13. & nemo ferè quicquam patiatur super contritione Joseph, Amos 6. v. 6.

Hoc à Diabolo est, qui verus est ἐπιχαιρέκακος, coram quo gaudet mœror, unde etiam Abaddon dicitur, Apoc. 9. v. 11.

Fugiant hoc vitium Christiani, sintque compatientes, fratrum amantes, misericordes, 1. Petr. 3. v. 8. Sumus enim membra ejusdem corporis, Christus est caput, Eph. 1. v. 22. Sicut igitur in corpore humano hæc harmonia obtinet, ut, si quid patitur unum membrum, compatiantur & omnia membra, gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra, 1. Corinth. 12. v. 26. Sic & verus Christianus proximi fortuna moveatur, ut non modò gaudeat cum gaudentibus, sed & fleat cum flentibus, Rom. 12. v. 15. Psal. 41. v. 1. seqq.

Veteres avaritiam variè depinxerunt, inter alia quoque in formâ viri, qui in cistâ sedet, & manus compactas in gremium ponit: hoc ipso innuentes avaros, thesauros & opes suas abscondere & concludere, ne quis illis fruatur, ideò hîc in arca sedet, ne quis illam aperiat, & manus conclusas habet, hoc est, ut Siracides ait: Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? & non jucundabitur in bonis suis, Sir. 14. v 5.

Verùm de Christo dicitur: Manus ejus sunt circuli aurei pleni Hyacinthis, Cant. 5. v. 14. h. e. plenæ cœlestium bonorum, quæ non à nobis abscondit, sed præstat abundè nobis ad fruendum, 1. Tim. 6. v. 17. Discamus hoc ab ipso, ut & nos necessitatibus Sanctorum communicemus, Rom. 12. v. 13, facilè tribuamus & communicemus egentibus, 1. Tim. 6. v. 18.

Quando igitur quempiam Christi vestigia legere, & ex commiseratione manum suam ergà proximum aperire videmus, non prohibeamus ipsum, sed potius stimulemus, & ipsi pro facultate erogemus, quò Ecclesia, Scholæ & pauperes sustententur; Hic est παροξυσμὸς τῆς ἀγάπης, ad quem Paulus hortatur, Hebr. 10. v. 24.

III. *Multorum injuriam.* Apostoli dicunt: Unde istos quis poterit hîc saturare panibus in solitudine. Lutherus reddidit: Woher nehmen wir Brod hie in der Wüsten. Non, quasi vi aliis panem eripere velint,

velint, & ad cibandum populum adhibere: sed hoc scire avent, quis commeatum ipsis advecturus sit, si Christus in sententia sua persistere, & populi multitudinem jejunam non dimittere velit.

Qui adhuc hodie aliquid sumit, unde jure sumere potest, minus ei dedecorosum est. Verùm si mundi hodierni morem intueamur,

Hic sumit panem *mutuando*, dum promtus est ad mutuandum, difficilis verò ad reddendum. Mores illorum describit Siracides cap. 29. v. 6. & seqq. Psalm. 37. v. 21.

Ille sumit panem *defraudando*, variis utens insidiis & technis, quibus circumvenit in negotio fratrem, 1. Thess. 4. v. 6. quisquilias frumenti vendit, imminuit mensuram, & auget siclum, & supponit stateras dolosas, Amos 8. v. 6. & verbo: propter inopiam delinquit, Sir. 27. v. 1. Verùm ejusmodi bona non sunt bona, nec juvant hæredem, Jer. 17. v. 11.

Iste sumit panem *fœnerando*, dum proximum iniquis usuris & fœnore aggravat. Verùm hoc ipso gravissimè peccatur. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, quâ fœnus exerceri solet, Deut. 23. vers. 19. Tandem sequetur maledictio, Job. 20. v. 15. seqq.

Hæ species furti sunt, quibus contrà septimum præceptum peccatur. Inhabita proindè terram, & victum quære in veritate. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, Psal. 37. v. 3. 4. Quodsi panem quotidianum accipere vis, invoca Dominum ex animo, & aperiet manum suam, dabitque quæ rogabis juxta illud: Petite & accipietis, Matth. 7. v. 7. Confer Sir. 11. v. 15.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Christi condolentia.* Ait enim: Misereor super turbam. Hæc inexhausta scaturigo & fons est, ex quo omnia oriuntur & derivantur, quæ comedimus, & quibus vivimus. Ideò non diligentiæ & labori nostro adscribamus; nam à nobis ipsis tanquam à nobis ipsis æque nihil habemus, ac turba hæc in Evangelio, postquam in Adamo planè ad incitas redacti, unà cum amisso Regno cœlorum, etiam plenariam jurisdictionem, in pisces maris, aves aëris & omnia quæ ex terris enascuntur, & in terrâ repunt, amisimus. Verùm dante Deo colligimus: & aperiente illo manum suam, satiamur bonis, Psal. 104. v. 28. Hoc facit singulis diebus, non ex debito, sed ex merâ misericordia, quæ viscera ejus conturbat, ut non expectet, donec pulsemus: sed ut populi hîc curam gerit, antequam de inopia panis quisquam queritur: ita adhuc hodiè, antequam clamemus, nos exaudiet: adhuc nobis loquentibus audiet, Esa. 65. v. 24. Ipse enim fame pressus, Matth. 4. v. 2. & miseriam nostram expertus est: ideò quàm optimè novit, quomodo affecti simus, quando in paupertem, calamitates & adversitates incidimus, & quia caro & sanguis ejus sumus, propter quos vitam quoque suam profudit, non odisse nec derelinquere nos potest, sed portat nos quasi in utero, Esa. 46. v. 3. & affectu verè materno, quin plus, quàm materno nos pro-

Matth. 24. v. 13. Quilibet sibi velificat, nihil passurus super contritione Joseph, Amos 6. v. 6. Quodsi fortè cui manus porrigitur, id subindè ei exprobratur: Verùm idipsum improbatur à Siracide, cap. 20. v. 13. seqq. & cap. 42. v. 27. Agnoscamus potius, nos pro virili proximo ad serviendum obstrictos esse: & hoc debitum nullis beneficiis, quantacunque sint, compensari posse. Hoc qui rectè secum perpendit exprobrationis iniquæ facilè obliviscetur. Cum enim feceritis omnia, inquit Christus, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus, Luc. 17. v. 10. Hîc finem facimus, Deo sit laus & gloria in æternum, Amen!

DOMINICA VI. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 5. v. 20 -- 27.

EXORDIUM.

De Messiâ prædictum est: Ipse erit quasi ignis conflans, & quasi sapo fullonum: & sedebit conflans & emundans argentum, Mal. 3. v. 2. 3.

In hoc vaticinio *officium Messiæ* haud inconcinnè nobis depingitur,

1. *Sub imagine fabrorum.* Ipse quasi ignis conflans. Sicut igitur aurifaber ignem adhibet, quo aurum & argentum purgat, ut à scoriis separetur, ita & Servator duplici igne utitur, quando filios Levi, h. e. populum suum peculiarem purgaturus est: Primò *ignem lucis:* nunquid non verba mea sunt, quasi ignis, dicit Dominus, Jer. 23. v. 29. Utique quasi ignis, consumens ligna, fœnum & stipulas, h. e. inventa hominum, quando illa Ecclesiæ obtrudi volunt. Deindè *ignem crucis,* quando fideles suos in furno afflictionis excoquit, ut electos eos faciat, Esa. 48. v. 10. & fidem eorum probat, ut multò pretiosior sit auro, quod perit, quod per ignem probatur, 1. Petr. 1. v. 7.

2. *Sub imagine lotorum:* erit enim ut sapo fullonum. Lutherus expressit: wie die Seiffe der Wäscherin. Sicut igitur lotrices saponem & alia media habent, quibus linteum mundant, & maculas eluunt: Ita & Christus sapone verbi sui, Pharisaicas traditiones, quibus legem depravarant & maculaverant, iterum eluit & purgavit, ut jam sciamus, non sufficere obedientiam externam, sed cor cum omnibus interioribus affectibus & concupiscentiis purgandum esse, si legi Dei satisfieri debeat. Hoc in nostris naturalibus viribus non consistit, ideò de alia justitia circumspiciamus, quam Christus nobis acquisivit, qui est finis legis, ad justitiam omni credenti, Rom. 10. v. 4.

Hoc ipsum inculcat in prælecta Pericope, ad discipulos suos inquiens: Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum

barum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum. Deinde reformationem instituit, ostendens nobis, quomodo lex intuenda sit, non modò superficialiter, sed tanquam regula & norma, ad quam non modò verba & opera nostra: sed & interiores cordis affectus & cogitata conformemus.

Videbimus nunc
I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

De officio Spiritus sancti elenchtico ait Servator ad discipulos suos: Arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De justitia verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me. De judicio autem quia Princeps hujus mundi jam judicatus est, Johan. 16. v.8.11.

Hoc quomodo intelligendum sit, alibi expositum est. Jam ansam nobis suppeditat prælecta Pericope, ut de secundo muneris elenchtici membro dicamus, ubi de Spiritu sancto memoratur, quod mundum arguturus sit de justitiâ. Hæc Pharisaica fuit justitia, quâ multi in cœlum pervenire satagebant, negligentes interea justitiam, quam nobis Christus per abitum suum ad Patrem peperit. Propterea fine vero excidunt, nec intrare in Regnum cœlorum possunt.

Querela respicit

1. *Pharisæorum copiam*, qui propriæ justitiæ confidentes, hoc ipso amittunt justitiam, quæ coràm Deo valet, hi minus Servatori placent, ideò inquit ad discipulos: Nisi abundaverit justitia vestra, plus, quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum.

Pharisæi erant separatores, qui in se confidebant, quod essent justi, & adspernabantur cæteros, Luc. 18. v. 9. unde & à Paraz, h.e. divisit, denominantur, hinc si Pharisæum nominas, idem est, ac si sectarium eum voces, siquidem expresse Paulus hunc ordinem sectam vocat, Act. 26. v. 5.

Tales Separatores hodierenus adhuc multi occurrunt, non modo inter Monachos in Papatu, ubi unus plus mereri satagit quàm alter; sed & inter nos in communi vitâ, ubi hypocritarum multi inveniuntur, qui de malitiâ & injustitia, quæ ubique invaluit, conqueruntur, & ipsi palmam aliis in malitiâ & injustitia præripiunt: hæc generatio est, quæ sibi videtur munda, & tamen non est lota à sordibus suis, Prov. 30. v. 12.

Optimè verò hodierni Jesuitæ cum Pharisæis comparari possunt.

Illi orti sunt tempore Maccabæorum Anno Mundi 3690. & ita paulò ante adventum Christi in carnem. Hi vero Anno Christi 1540. & ita paulò ante diem ultimum, ubi Christus redibit ad judicandum vivos & mortuos, Actor. 10. v. 42.

Illi optimi legis Interpretes videri volebant, reipsa verò erant pessimi depravatores ejusdem, unde Christus ratione fermenti Pharisæorum fideliter nos præmonet, Matth. 16. v. 6. hi verò & ipsi aliis se

præferunt, majoremque scientiam sibi arrogantes, unde & Doctores Seraphicos se vocari volunt, sibique nomen Jesuitarum arroganter attribuerunt. Reipsa verò homines sunt nocentissimi, qui non acquiescunt sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est doctrinæ, 1. Tim. 6. v. 3. sed detorquent Scripturas, ad suam ipsorum perditionem, 2. Petr. 3. v. 16. Rectius Anti-Jesuitæ vocantur, quia Anti-Christi Regnum fulcire juvant, qui extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, 2. Thessal. 2. v. 4.

Illi legem intelligebant tantummodò de exteriori obedientiâ, eamque propriis naturæ viribus impleri posse docebant, unde & interiores animi affectus pro peccatis non habebant. Idem & Neo-Pharisæi faciunt, sicut in Concilio Tridentino expresse decreverunt: *Si quis dixerit homini justificato, & sub gratia constituto, præcepta Dei esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Similiter concupiscentiam pro peccato cognoscere nolunt Sess. V. Utrumque contrà Scripturam. Vide Luc. 17. v. 10. 1. Joh. 3. v. 4. Rom. 7. v. 8. Rom. 6. v. 2. 6. 7. 12. 14. c. 7. v. 7. c. 8. v. 2. 19.

Illi multum tribuerunt traditionibus, quas νόμον ἄγραφον legem non scriptam, sed oretenus traditam appellabant, quò pertinent, traditiones de Sabbatho, Matt. 12. v. 2. Luc. 6. v. 7. Joh. 9. v. 16. de jejunio, Matth. 9. v. 14. Luc. 1. v. 33. de manus lotione, Marc. 7. v. 3. Matth. 15. v. 2. & ejus generis plures. Hi, Jesuitæ nimirũ, cum asseclis suis idem faciunt. Ideò decernunt Patres in dicto Concilio: *Traditiones tùm ad fidẽ, tùm ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia conservatas, pari pietatis affectu suscipit & veneratur sacrosancta Synodus.* Verùm enormis est error. Sine mendacio consummabitur verbum legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur, Sir. 34. v. 8.

Illi exterius sanctitatem simularunt, dilatantes phylacteria sua, & magnificantes fimbrias, Matth. 23. v. 5. in multiloquio orarunt, Matth. 6. v. 7. circumiverunt mare & aridam, ut facerent unum proselytum, Matth. 23. v. 15. Hodierni quoque Pharisæi insignes hypocritæ sunt, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, 2. Tim. 3. v. 4. adnumerant Deo precationes suas, in iisque tanquam opere operato confidunt, licet neque fides neque devotio adsit, quin & omnem movent rudentem, quo orthodoxos à rectâ calle abducant.

Oremus nos Deum, ut nos à generatione hâc prava custodiat, circumquaque etenim impii obambulant, cùm exaltantur leves inter filios hominum, Psalm. 12. v. ult.

II. *Ira noxam.* Hîc audimus Christum dicentem: Qui irascitur fratri suo temerè, reus erit judicio.

In genere experientia testis est, iracundiam patiùm boni attulisse. Nam

1. *Animum turbat*, ut homo suiipsius compos non sit. Ira quippe in sinu stulti requiescit, Eccles. 7. v. 10. eumque qui præceps ad iram est, stultum efficit, ut operetur stultitiam, Prov. 14 v. 17.

2. *Conscientiam gravat.* Homo enim iracundus sæpè execratur & seipsum devovet, & multa alia patrat, quæ excusari nunquam

quam possunt: Hinc conscientia sauciatur, quæ si evigilat, sæpè homines ad desperationem adigit, ut Caini, Saulis, Judæ, aliorumque exempla probant.

3. *Vitam abbreviat.* Nam stultum occidit indignatio, & insipientem interficit zelus, Job. 5. v. 2. unde & inter opera carnis recensetur, Gal. 5. v. 21.

III. *Implacabilitatis culpam*, quæ in multis tantas radices egit, ut in inimicitiâ mori malint, quàm proximo ignoscere. Sunt hi nefarii homines, quos Scriptura pro homicidis habet. Omnis, qui odit fratrem, homicida est, & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in seipso manentem, 1. Joh. 3. v. 15. Hinc & religio eorum vana est, precatio inefficax, & spes frustranea, quamdiu in implacabilitate vivunt. Incedunt in via complanata lapidibus, & in fine illorum, profunditas inferni, Sir. 21. v. 11.

Hoc ita probari potest: Ubi odium & invidentia regnat, ibi caritas non est, caritas enim non æmulatur, 1. Cor. 13. v. 4. ubi caritas non est, ibi nec fides est: fides enim per caritatem efficax est, Gal. 5. v. 6. ubi fides nulla, ibi nec bona conscientia, fides enim corda purificat, Actor 15. v. 9. ubi bona conscientia non est, ibi nulla ad Deum fiducia, 1. Joh 3. v. 21. ubi nulla ad Deum fiducia, ibi nec vita. Nam in Deo vivimus, movemur, & sumus. Act. 17. v. 18. Ubi vita nulla, ibi nec salus, salus enim est perpetua vita, Sap. 5. v. 16. Quicunque igitur in implacabilitate perseverat, salutem & vitam æternam amittit, quæ majoris æstimanda, quàm universus mundus. Quid enim prodesset homini, si universum mundum lucraretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, Matth. 16. v. 26.

Inter Themistoclem & Aristidem diuturnæ inimicitiæ & simultates fuerant. Orto verò bello Persico Collegæ sibi invicem adjungebantur in gravissima legatione. Tum Aristides: *Cessent inter nos inimicitiæ, quia alibi satis est effusi sanguinis.* Hi gentiles fuerunt, nec tamen simultates fovere voluerunt: quantò magis nos iram & indignationem deponamus, Col. 3. v. 7. & in pace & concordia cum proximo vivere studeamus. Memento novissimorum, & desine inimicari. Sir. 28. v. 6. 7.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex justitiæ abundantioris præmio.* Nisi enim abundaverit justitia vestra plus, quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum. Ex quo è contrario consequitur, quod si abundaverit, Regnum cœlorum nos expectet.

Quoties terreni Reges & Principes de Regnis terrenis disceptant, ut sæpè sanguinem cum vita profundant? & nil est nisi particula terræ, vanitati subjecta, & quando minus hâc de re cogitant, à morte abripiuntur, & cum interierint non sument omnia, neque descendet cum eis gloria eorum, Psal. 49. v. 18. In morte enim Imperatoria Majestas cessat, im Tode hat sichs außgekäyfert / dixit Ferdinandus I. R. Imp. h. e. ut Salomo aliis verbis id exprimit: Non manet corona à generatione in generationem, Prov. 27. v. 23.

Danieli quatuor Regna, in terris futura, ostenduntur, ubi sunt illa? unum

post alterum transiit, & quamvis Romanum Imperium adhuc duret, attamen digiti pedum ex parte ferrei, & ex parte fictiles sunt: & haud difficulter conjicimus, fore, ut invictissimus Imperator Christus Jesus, propediem cum ultimo suo adventu irrupturus, & huic, ut & omnibus aliis Regnis finem impositurus sit, Dan. 2. v. 38. 41. 44.

Verùm Regnum Dei, quod hæreditariò consequemur, quando aliam eamque meliorem justitiam quærimus, quam Christus nobis acquisivit, Regnum æternum est, quod non commovebitur, Psal. 93. v. 1.

Ibi magnificè habitabimus, nempè in Palatio non manu facto, cujus ædificationem ex Deo habebimus, 2. Cor. 5. v. 1. Apparitores nostri non erunt Principes, Comites & Nobiles, ut in aulâ Imperatorum & Regum fieri amat, sed sancti Angeli & Archangeli, Cherubin & Seraphin: sicuti jam tum in hoc seculo Spiritus administratorii sunt, Hebr. 1. v. ult. Corona, quam nobis Dominus imponet, erit corona vitæ, Apoc 2. v. 10. corona justitiæ, 2. Tim 4. v. 8. immarcessibilis gloriæ corona, 1. Petr. 5. v. 4. quæ in æternum non auferetur à nobis, Joh. 16. v. 22. Eò anhelemus, & quoniam in Regno hujus Regis judicium diligitur, Psal. 99. v. 4. apprimè studeamus, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, modestè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, Tit. 2. v. 13. & seqq.

II. Ex *singulari hominis privilegio*, quem Deus in tutelam suam recepit, & severè prohibuit, ut eum neque verbis neque operibus, neque cogitationibus neque gestibus, neque corde, neque ore, neque oculis neque manibus lædamus. Prohibuit Deus ne cum ipso irascamur, ne ipsum morosè intueamur, ne ipsum calumniis & execrationibus oneremus, multò minus ullo modo manus ipsi inferamus violentas: sic Deus unicuique proximum suum commendavit, Sir. 17. v. 12. ut illum diligamus, sicut nos ipsos, Levit. 19. v. 18.

Hominem Romanum non facilè licuit vincire & flagellare, Act. 22. v. 25. Verùm majoris faciendum est civicum jus spirituale in Ecclesia. Qui enim proximus & frater noster in Christo factus reverenter habendus est, ne temerè lædatur, ut Petrus mandat, 2. Petr. 1. v. 6. seqq.

Hoc privilegio adhuc hodie omnes gaudemus: Sicut enim proximum nobis commendavit Deus; sic & nos vicissim proximo commendavit, ut ipsi non liceat, iracundia, invidentia, inimicitia, vindictæ cupiditate, insidiis, vi & malitia nos prosequi, sicut nec nobis concessum est, ipsi horum quicquam inferre. Hoc solatium nostrum, hæc prærogativa nostra est; qui ad hanc legem vitam non componit, hoc ipso fit judicio, concilio & gehennæ igni reus. Magnatum patrocinium tempore belli sæpè cùm consolationem tùm gaudium parit: Verùm Deus multò melius & gravius patrocinium nobis præstitit. In quinto præcepto præsidio munivit corpus & vitam nostram. In sexto uxorem & liberos. In septimo facultates & opes. In octavo bonam famam, ne quis vel cogitationibus, affectibus, verbis vel gestibus nos infestet, si Dei amicus esse, & ab igne infernali

nali immunis esse velit. Hæc magna consolatio est, quâ pii in omnibus adversitatibus confirmare se possunt. Nam si Deus pro nobis, quis contrà nos? Rom. 8. v. 32.

III. *Ex longanimitatis divinæ rivulo*, quæ hinc elucescit, quod Christus ait: Si offeramus munus nostrum ad altare, & ibi recordati fuerimus, quod frater noster habeat aliquid adversum nos, ut relinquamus ibi munus nostrum ante altare, & vadamus prius, & reconciliemur fratri nostro. Interea Deus nos tamdiu præstolaturus est, dum eamus & redeamus & reconciliati simus fratri nostro. Quis tale quid coram Magnatibus terrenis auderet? Si quis impetrata audientia, causam suam propositurus, in conclavi Principis recordaretur rerum domesticarum, abiretque domum ad eas expediendas, & tùm demùm rediret, querelam suam expositurus, quâ ratione ille exciperetur à Principe? vix alia vice admittetur. Sed Deus ter Opt. Max. tantâ benignitate & mansuetudine ergà nos præditus est, ut tantisper cultum suum differri velit, quin & ipse jubet nos cum proximo in gratiam redire, deindè remeare, & munus nostrum offerre, quod hoc modò sibi gratum & acceptum fore, pollicetur.

Nonne verò hæc magna patientia & longanimitas, quam Rex Regum & Dominus Dominantium, 1. Tim. 6. v. 15. qui excelsior cœlo est, & profundior inferno, longior terra mensura ejus, & latior mari, Job. 11. v. 8. 9. ergà nos miseros homunciones probat? quos jure optimo ad infernum detrudere posset, ratione magnæ inobedientiæ, quâ ipsum offendimus, ut ipse ait, Ose. 11. v. 8. Hæc consolatio nostra sit, si ex imbecillitate humanâ in delicto aliquo præoccupati fuerimus, ne desperemus, sed cogitemus, Deum esse propitium & misericordem, ideoque locum daturum pœnitentiæ. Est enim verus φιλόψυχος, Sap. 11. v. 27. nec delectatur in perditionibus nostris, Tob. 3. v. 22. sed multùm parcendo nos regit, Sap. 12. v. 18. utrùm in tempore gratiæ resipiscere velimus à Diaboli laqueis, à quo captivi tenemur, ad ipsius voluntatem, 2. Timoth. 2. v. ult.

De Tertio.

Superest *Cautela*, quam tribus includemus Regulis, quarum

I. *Justitiam sectare.* Hic Christum, cum Scribarum & Pharisæorum justitia minimè contentum esse audimus: aliam verò requirit justitiam, quæ coràm Deo valeat, Rom. 10. v. 3. Deus enim in generatione justa est, Psal. 14. v. 6. injusti verò Regnum Dei non hæreditabunt, 1. Cor. 6. v. 9.

Hæc justitia considerari potest bifariam:

1. *Secundum legem*, cujus summam Christus enarrat, Matth. 22. v. 37. Hâc verò ratione impossibile nobis est, legem Dei implere, lex enim spiritualis est, nos verò carnales sumus, venundati sub peccato: hinc quidem delectamur lege Dei secundùm interiorem hominem: videmus autem aliam legem in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ, Rom. 7. v. 22. 23.

2. *Secundum fidem*, quatenus Christus eam nobis acquisivit,

1. *Agendo*: Non enim venit solvere legem, sed implere, Matth.5 v.17.

2. *Patiendo*: Factus enim est maledictum pro nobis, ut nos à maledictione legis redimeret, Gal.3. v.13. & per vulnera ejus sanati sumus, Esa.53 v.5.

Medium verò, quo justitiam hanc apprehendimus, nobisque applicamus, est fides, cujus anima & vita vocatur fiducia, quâ homo sanctissimo Christi merito quasi immergit se, nec modò in genere credit, Christum mortuum esse & resurrexisse, id quod & Diaboli credunt, & contremiscunt, Jac.1. v.10. sed sibi omnia Christi merita in individuo quasi pro se solo præstita applicat exemplo Pauli, dicentis: Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, Gal.2.v.21.

Hæc vocatur *justitia imputata*, quam non in nobis reperimus, sed extra nos in Christo quærere oportet, qui factus est nobis à Patre suo sapientia, & justitia, & sanctificatio & redemtio, 1.Cor.1.v.30. Ex hâc fluit *justitia inchoata*, quâ verus Christianus ostendit, quod justitiæ Dei subjectus sit, Rom.10.v.3. quando nimirum lucem fidei suæ lucere sinit coràm hominibus ut videant opera sua bona, & glorificent Patrem, qui in cœlis est, Matt.5.v.16. Sicut enim corpus sine Spiritu mortuum est; ita & fides sine operibus mortua est, Jac.2. v.ult.

Hæc vero opera quibus fidem nostram probamus, in genere justitia in Scripturâ dicuntur, quia *justitia est Regina & Domina omnium virtutum*, Cicerone teste, cujus proprietas est: *Honestè vivere, Neminem lædere, Suum cuique tribuere*, vide Matth. 7. v.12.

Quodsi igitur hîc felices, & in æternum beari esse vultis, videre ut in numero justorum inveniamini, in Christum credatis, & ergà proximum quoque æquitati studeatis. Dominus enim diligit justos, Psal.146.v.8. habitacula eorum benedicentur. Prov.3. v.33. semita eorum, quasi lux splendens, Prov.4.v.18. nec affliget Dominus fame animam eorum, Prov.10.v.3. Tandem eò illos deducet, ubi justitia habitat, 2. Petr.3.v.13. nempè in cœlestem Hierusalem, populus enim ejus omnes justi erunt, Esa.60.v.21.

II. *Iram moderare*. Propterea ait hîc Christus: qui fratri suo irascitur, reus erit judicio, h.e. ut Bibl. Weimariensia explicant, dignus est, qui palàm in judicium inferius, in quo apud Judæos XXIII. Judices sedebant, adducatur, & capitis damnetur. Semper enim unum ex alio sequitur: *Ira excipit rixam, rixa convitia, convitia ictus, vulnera*, ut Basilius ait. Et hic ratio nulla proximi consanguinei habetur. Per iram trucidavit Cain fratrem suum Abelem, Gen.4. v.8. Saul generi sui vitæ insidiabatur, 1.Sam.19. v.10. Herodes filios proprios perimi jussit, ex merâ suspicione, quasi insidias vitæ suæ tenderent. Hinc Syracides: Vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam, c.28.v.11. iratus nil nisi crimina loquitur, quidam ex Veteribus ait.

Quilibet igitur iram decliner, & si fortè bilis ipsi moveatur, confestim *speculum consulat*, & deprehendet, quomodo à seipso quasi mutatus sit: sic multi iram abjecerunt, ait Plato.

In linguâ Hebræa Ira Aph, h.e. nasus dicitur, quia per nares fumat, sicut flamma per

per caminum: quin nihil est in toto corpore, per quod iracundia se non exserat. Facies immutatur, fitque primò rubicunda, deindè pallida: labia tremunt, dentes strident, pili sursum eriguntur, oculi scintillant, lingua hæsitat, pedes calcitrant, manus contremiscunt, totum corpus concutitur, ut rectè dixerit Basilius: *Ira quadam hominis Dæmoniaci effigies est*, nec modò effigies, sed & exemplar & viva idea. Qui enim odit fratrem suum, homicida est, 1. Joh. 3. v. 15. Hoc à Diabolo oritur, qui homicida ab initio est, Joh. 8. v. 44.

Deinde *humilitati studeat*. Quando enim homo nimium sibi arrogat, & omnia ad libitum desiderat, facilè ad iram incitari potest. Qui verò humilitati studet, in omni fortuna æquo animo esse potest.

Tertiò *nihil ex iracundia faciat*, sed prius orationem Dominicam recitet, ut Ambrosius Theodosio suasit, sic interea ira evanescet.

Architas Tarentinus à famulitio ad iram provocatus, nihil iratus fecit, sed dixit: Jam te percuterem, nisi iratus essem.

Alphonsus Arragoniæ Rex, pugionem abjecit, quando ab iracundiâ invadebatur. Hîc patientia opus est, quæ non cujusvis est: Ideò à Deo impetretur, qui inde Deus patientiæ vocatur, Rom. 15. v. 5.

Hoc si fecerimus, iram refrenantes, Deus quoque nobis ignoscet, si fortè deliquerimus, est enim benignus, & misericors, longanimis & multæ misericordiæ, & talis, quem pœnitet super malo, Joel. 2. v. 13.

III. *Cum proximo reconciliare.* Ad hoc monet nos Christus emphaticis verbis, unde & offendentem & offensum salutariter instruit. Offendenti ait: Vade, reconciliare fratri tuo: quo ipso injungit, ut is, qui proximum offendit, aut ipse, aut per internuncios proximo deprecetur, quò res componatur, antequam ad sacram cœnam accedat: alias enim melius foret ut planè eâ abstineat, quicunque enim manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, 1. Cor. 11. v. 27. Quando verò qui offendit, injuriam suam agnoscit & veniam orat, alter promtus ad remittendum exhibere se debet, non modò septies, sed septuagesies septies, Luc. 17. v. 4.

Hoc ipsa necessitas requirit: Confitemini alterutrum peccata vestra: & orate pro invicem, ut sanemini, inquit Jacobus c. 5. v. 16.

Exempla sunt Abraham, Gen. 13. v. 8. 9. Joseph, Genes. 50. v. 19. seqq. Moses, Exod. 32. v. 11. 31. David, 2. Sam. 16. v. 5. seqq. Christus ipse, 1. Petr. 2. v. 23. Luc. 23. v. 34.

Hæc exempla nos quoque imitemur, sedulò caventes, ne vincamur à malo, sed vincamus in bono malum, Rom. 12. v. ult. Hæc optima est victoria,

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire potest.

Vide Prov. 16. v. 32. Largiatur nobis Deus hunc affectum, per Christum Dominum nostrum. Amen.

DOMI-

DOMINICA VII. POST TRINIT.

Evangelium Marc. 8. v. 1 -- 9.

EXORDIUM.

CUm Fratres Josephi in Ægyptum venirent ad fratrem, commeatûs emendi gratiâ, ob difficilem annonæ caritatem, quæ Palæstinam occuparat, mandabat Josephus Procuratori suo, ut impleret saccos eorum frumento, & poneret pecuniam singulorum in summitate facci, scyphum autem argenteum, & precium tritici poneret in ore sacci junionis. Fecit id Procurator, & hoc ipso eos in magnam consternationem & angustias conjecit, Gen. 44. v. 1. seqq.

Hæc historia *typus Christi* est, qui nos etiam bonis suis ditat, & impletomne animal beneplacito, Psal. 145. v. 16. educit enim panem de terra, ut vinum lætificet cor hominis, & nitidam faciat faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet, Psal. 104. v. 15. hoc modo adhuc hodie fine testimonio semetipsum non relinquit, benefaciens, de cœlo dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda nostra, Act. 14. v. 17.

Intereà tamen non sine afflictione nos relinquit, ne carni frena laxemus, & ejus obliviscamur, sicut Judæi fecerunt, postquam pascua habuêre & saturati sunt, ut conqueritur Deus, Os. 13. v. 6. quia calix in manu Domini, vini meri plenus infusus: & effundit ex eo, veruntamen feces ejus sorbebunt, & bibent omnes impii terræ. Psal. 75. v. 9.

Sicut igitur Josephus scyphum suum jussit ponere in sacco fratris junioris, quem præ cæteris dilexit: Ita etiam non iræ, sed amoris signum est, quando Deus uni atq; alteri calicem crucis porrigit. Quem enim diligit Dominus, castigat, Hebr. 12. v. 6. quod si verò virgâ castigatoria nihil efficit, arripit scopam exterminationis, & tribulat nos, ut inveniamur, Jer. 10. v. 18. vel elevat calicem iræ, ut feces calicis titubationis ebibendo exsugamus, & potat usque ad feces, Esa. 51. v. 17.

Hoc prægustum nobis præbet ad explicationem hodierni Evangelii, ubi audimus de turba, quæ triduum cum Christo commorata, conciones ejus magno fervore auscultaverat, quâ de causa etiam sibi illam cibandam proposuerat, non verò confestim id facit, primo vel altero die, sed probat eosdem in scholâ crucis, dum nihil habeant, quod manducent, unde adeò debilitati, ut verendum esset, ne si dimisisset eos jejunos in domum suam, deficerent in viâ, maximè illi, qui de longè venerant. Similis afflictio adhuc hodiè Evangelii comes est. Est enim verbum crucis, 1. Cor. 1. v. 18. & omnes qui juxtà illud piè vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2. Tim. 3. v. 12.

Videbimus nunc

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

Exc-

II.

Exegesis.

OPtimè ait Regius Propheta David: Inquirentes Dominum, non destituentur omni bono, Psal. 34. v. 11. id quod verificatur in prælectâ Pericope, quia enim turba in magna frequentia inquisiverat, & insequuta fuerat Dominum, misericordiâ ergà ipsos movetur, non habentes quod manducent, eosque ita cibat, ut saturati, optimè contenti, iter suum absolvere, domumque repetere possint.

Querela respicit

I. *Victus penuriam.* Etsi enim paupertas quoque à Deo venit, Sir. 11. v. 14. attamen pœna peccati est, quæ post lapsum demùm initium sumsit. Aliàs inopia & pauperies in mundo non fuissent, si Protoplasti in Paradiso mansissent, nec peccassent. Ager non indiguisset culturâ, sed spontè fructus produxisset: Arbores non opus habuissent insitione sed suâ sponte crevissent: plantæ non eguissent irrigatione, siquidem fluvius eosdem spontè humectasset. Verùm post lapsum omnia in deterius vergunt, unde Evangelium prælectum ita incipit: Turba multa erat (cum Jesu) nec habebant, quod manducarent. Sic adhuc hodiè nonnunquam commeatus deficere solet, potissimum quando Deus terram puniturus est. Habet enim naturam in manu suâ. Et sicut automatarius faber, horologium adornare potest, ut non modò multa loquatur, sed & pauca: Sic Deus annum coronare potest benignitate suâ, Psal. 65. v. 12. sed & facilè frumentum aufferre potest, & annonæ caritatem immittere, si bona & dona ejus profundantur, & nescire nolimus, quod ipse det frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicet & aurum, Os. 2. v. 8. Utitur hic Deus

1. *Mediis conspicuis.* Quando aut prohibet imbrem, ut licet pluat super unam civitatem, super alteram civitatem non pluat, Amos 4. v. 7. hinc confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores super tritico, vino, & hordeo, quia periit messis agri, Joël. 1. v. 21. sive pluvias superfluas mittit, ut fruges meti nequeant, sed in agris computrescant: si emiserit enim aquas, subvertit terram, Job. 12. v. 15. sive pruinas & frigus Majale, grandinem, & insecta immittit, quibus frumentum depascitur & perit, Joel. 1. v. 4. sive accersit Deus populos, qui pecora abigunt, agriculturam impediunt, sementem pessundant, & ira studiose annonam in angustias cogunt, ut superiori bello, quod dilectam patriam nostram inundarat, satis experti sumus, ubi terra, quæ antè quasi hortus voluptatis erat, quasi solitudo deserti facta, Joel. 2. v. 3.

2. *Mediis inconspicuis.* Quando maledictiona immissa omnia consumit, ut nemo rationem ejus reddere possit: Seminatur multùm & infertur parum, Hag. 1. v. 6. aut licet inferatur, tamen evanescit, ut acervus viginti modiorum fiant decem, & quinquaginta lagenæ fiant viginti, Hagg. 2. v. 17. aut germen non facit farinam, Os. 4. v. 7. Breviter, ipse maledictione suâ illud perdere potest, ut licet in cibario habeas, vel dentibus comminuas, vel & stomacho immiseris, tibi nihil prosit, & commedens non saturetis, Os. 4. v. 10.

Hæc & alia media habet Deus, quibus efficere potest, ut dicatur sicut in Evange-

lo: Non habent, quod edant. Cautè igitur ambulemus, & peccata declinemus, ne iram & maledictionem Dei incurramus. Ipse quippe ait: Si populus meus audierit me; Israel si in viis meis ambulaverit: brevi eorum inimicos humiliarem, & super tribulantes eos verterem manum meam, Psal 81. v.14.

II. *Hominum incuriam.* Hîc audimus, Christum quidem commiserationem habere cum turbâ & misericordia populi tangi, quod triduum secum commoratus, non habeat, quod manducet. At Apostoli parùm fortè hâc de re solicitu fuerunt, ideò ubi Dominus ipsis significat, quod nolit turbam jejunam dimittere in domum suam, quia periculum sit, ne deficiant in viâ; illi tergiversantes quærunt: Unde sumemus panem in deserto?

Idem adhuc hodiè evenire amat, si unus aliquis est, qui necessitatibus Sanctorum fideliter communicat, aut ad res sacras quicquam legat, aut monumentum aliquod in templis erigit, ibi plurimi inveniuntur, qui sinistrè interpretantur illud, dicentes: Ad quid perditio hæc? Hinc fit, ut amor magis magisque frigescat, Matth.24. v.13. & nemo ferè quicquam patiatur super contritione Joseph, Amos 6. v. 6.

Hoc à Diabolo est, qui verus est ἐπιχαιρέκακος, coram quo gaudet mœror, unde etiam Abaddon dicitur, Apoc.9.v.11.

Fugiant hoc vitium Christiani, sintque compatientes, fratrum amantes, misericordes, 1. Petr.3.v.8. Sumus enim membra ejusdem corporis, Christus est caput, Eph.1.v.22. Sicut igitur in corpore humano hæc harmonia obtinet, ut, si quid patitur unum membrum, compatiantur & omnia membra, gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra, 1.Corinth.12.v.26. Sic & verus Christianus proximi fortuna moveatur, ut non modò gaudeat cum gaudentibus, sed & fleat cum flentibus, Rom.12.v.15. Psal.41.v.1.seqq.

Veteres avaritiam variè depinxerunt, inter alia quoque in formâ viri, qui in cistâ sedet, & manus compactas in gremium ponit: hoc ipso innuentes avaros, thesauros & opes suas abscondere & concludere, ne quis illis fruatur, ideò hîc in arca sedet, ne quis illam aperiat, & manus conclusas habet, hoc est, ut Siracides ait: Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? & non jucundabitur in bonis suis, Sir,14.v 5.

Verùm de Christo dicitur: Manus ejus sunt circuli aurei pleni Hyacinthis, Cant. 5.v.14. h. e. plenæ cœlestium bonorum, quæ non à nobis abscondit, sed præstat abundè nobis ad fruendum, 1.Tim.6.v.17. Discamus hoc ab ipso, ut & nos necessitatibus Sanctorum communicemus, Rom. 12. v.13, facilè tribuamus & communicemus egentibus, 1. Tim.6.v.18.

Quando igitur quempiam Christi vestigia legere, & ex commiseratione manum suam ergà proximum aperire videmus, non prohibeamus ipsum, sed potius stimulemus, & ipsi pro facultate erogemus, quò Ecclesia, Scholæ & pauperes sustententur; Hic est παροξυσμὸς τῆς ἀγάπης, ad quem Paulus hortatur, Hebr.10.v.24.

III. *Multorum injuriam.* Apostoli dicunt: Unde istos quis poterit hîc saturare panibus in solitudine. Lutherus reddidit: Woher nehmen wir Brod hie in der Wüsten. Non, quasi vi aliis panem eripere velint,

velint, & ad cibandum populum adhibere: sed hoc scire avent, quis commeatum ipsis advecturus sit, si Christus in sententia sua persistere, & populi multitudinem jejunam non dimittere velit.

Qui adhuc hodie aliquid sumit, unde jure sumere potest, minus ei dedecorosum est. Verùm si mundi hodierni morem intueamur,

Hic sumit panem *mutuando*, dum promtus est ad mutuandum, difficilis verò ad reddendum. Mores illorum describit Siracides cap. 29. v. 6. & seqq. Psalm. 37. v. 21.

Ille sumit panem *defraudando*, variis utens insidiis & technis, quibus circumvenit in negotio fratrem, 1. Thess. 4. v. 6. quisquilias frumenti vendit, imminuit mensuram, & auget siclum, & supponit stateras dolosas, Amos 8. v. 6. & verbo: propter inopiam delinquit, Sir. 27. v. 1. Verùm ejusmodi bona non sunt bona, nec juvant hæredem, Jer. 17. v. 11.

Iste sumit panem *fænerando*, dum proximum iniquis usuris & fœnore aggravat. Verùm hoc ipso gravissimè peccatur. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, quâ fœnus exerceri solet, Deut. 23. vers. 19. Tandem sequetur maledictio, Job. 20. v. 15. seqq.

Hæ species furti sunt, quibus contrà septimum præceptum peccatur. Inhabita proindè terram, & victum quære in veritate. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, Psal. 37. v. 3. 4. Quodsi panem quotidianum accipere vis, invoca Dominum ex animo, & aperiet manum suam, dabitque quæ rogabis juxta illud: Petite & accipietis, Matth. 7. v. 7. Confer Sir. 11. v. 15.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Christi condolentia.* Ait enim: Misereor super turbam. Hæc inexhausta scaturigo & fons est, ex quo omnia oriuntur & derivantur, quæ comedimus, & quibus vivimus. Ideò non diligentiæ & labori nostro adscribamus; nam à nobis ipsis tanquam à nobis ipsis æque nihil habemus, ac turba hæc in Evangelio, postquam in Adamo planè ad incitas redacti, unà cum amisso Regno cœlorum, etiam plenariam jurisdictionem, in pisces maris, aves aëris & omnia quæ ex terris enascuntur, & in terrâ repunt, amisimus. Verùm dante Deo colligimus: & aperiente illo manum suam, satiamur bonis, Psal. 104. v. 28. Hoc facit singulis diebus, non ex debito, sed ex merâ misericordia, quæ viscera ejus conturbat, ut non expectet, donec pulsemus: sed ut populi hîc curam gerit, antequam de inopia panis quisquam queritur: ita adhuc hodiè, antequam clamemus, nos exaudiet: adhuc nobis loquentibus audiet, Esa. 65. v. 24. Ipse enim fame pressus, Matth. 4. v. 2. & miseriam nostram expertus est: ideò quàm optimè novit, quomodo affecti simus, quando in paupertem, calamitates & adversitates incidimus, & quia caro & sanguis ejus sumus, propter quos vitam quoque suam profudit, non odisse nec derelinquere nos potest, sed portat nos quasi in utero, Esa. 46. v. 3. & affectu verè materno, quin plus, quàm materno nos

prosequitur, Esa. 49. v. 15. ut rectè exclamet Moses: Diligit populos! Deut. 33. v. 3.

Hoc ipso solicitudinem reprimamus, si res adversæ ingruant. Servator noster Jesus animo in nos est misericordissimo, & quando nemo vult juvare, ipse juvabit, nec in æternum dabit afflictionem justo, Psal. 55. v. 23.

II. *Ex Christi omniscientiâ.* Videt enim & novit penuriam hujus populi, numerat quoque dies, quamdiu illa pressi sint, ideò dicit: Jam triduo sustinent me. Ita adhuc hodiè dies afflictionum & miseriarum nostrarum, imò quamlibet horam, puncta quoque temporis numerat, quæ omnia descripta sunt in divina providentia, ut sine voluntate ejus ne capillus quidem capitis cadere possit, Matth. 10. v. 30.

Quando igitur exactam hanc Christi, qui omnes dies vitæ nostræ, omnes dies miseriæ nostræ, quos nobis decrevit, numeravit, providentiam in mentem nobis revocamus, eò melius confirmare nos possumus, quia exploratum nobis est, quod dies quoque & horas definiverit, quando nos juvare, cibare & exhilarare velit. Quia non repellet in sempiternum Dominus, etiamsi affligit, & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum, Thren. 3. v. 31. Tob. 3. v. 22.

III. *Ex Christi omnipotentiâ.* Apostolis absurdum videbatur, quod Dominus in deserto, ubi neque seritur neque metitur, neque frumentum neque farina præsens erat, tantam turbam cibaturus esset, propterea quasi expostulantes ajunt: Unde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Hæc cantilena veteris Adami est, quam adhuc hodiè frequenter audies. Hinc querelæ: Sumus in solitudine, in ejusmodi loco, ubi omnia argento comparanda: Commercia frigent: nemo nos conducit, unde tandem victum & amictum comparabimus?

Verùm veri Christiani respiciant miraculosam manum Christi, cui omnia facilia, quæ nobis impossibilia videntur. Vocatur enim mirabilis, Esa. 9. v. 7. potens superabundanter facere super omnia, quàm petimus, & intelligimus, Eph. 3. v. 20. Nihil itaque prodest, ut cum carne & sanguine deliberatum eas: sed in silentio & spe erit fortitudo nostra, Esa. 30, 15. unde & Pater æternus dicitur, Esa. 9. v. 7. qui per multa annorum millia Regnum suum administravit, cujus sapientiæ non est numerus, Psal. 147. v. 5. quod hîc luculenter probat, dum septem panes & paucos pisciculos, manu sua miraculosa ita auget, ut non tantum quatuor millibus sufficiant, sed & fragmenta plura supersint, quàm antè fuerunt. Sic opus commendat artificem, qui hoc ipso implevit, quod promisit: Victum ejus benedicam, Psal. 132. v. 15. & sicut in primævâ creatione omnia ex nihilo fecit, Gen. 1. v. 1. ita hîc ex paucis multa facit, & hanc multiplicationem anniversariè imò quotidiè adhuc continuat, Ezech. 36. v. 11. dum ex uno granulo vel centum producit, sicut Isaac expertus est, Gen. 26. v. 12. Quin & hic Zemah, omnia in ore, in oculis, & sub manibus crescere facit, quæ comedimus & bibimus, Zach. 6. v. 13. & sanctificat quoque benedictione suâ, ut nobis in sanitatem vergant. Alias Dæmon infernalis nullum bolum non veneno inficeret, quin & in lacte materno mortem bibis-

bibissemus, coràm ipso enim gaudet mœror. Job. 41. v. 13.

Quod verò truculentiam suam exerere nequit, id Christo acceptum feramus, qui non dormit neque dormitat, Psal. 121. v. 4. sed cujus inspectio est in electis suis, Sap. 3. v. 9. quos non modò hîc in tempore gratiæ custodit, ut pupillam oculi, Psal. 17. v. 8. sed salvos quoque faciet in Regnum suum cœleste, 2. Tim. 4. v. 18. ubi non amplius esuriemus neque sitiemus, Apoc. 7. v. 16. Sed Sol & clypeus erit Dominus, gratiam & gloriam dabit Dominus, non privabit nobis eos, qui ambulant in innocentiâ, Psal. 84. v. 12.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Deo gratias age.* Id Christus nos suo exemplo docet: ubi enim panes accipit, gratias agit antè Patri suo cœlesti, qui illos dederat.

Idem & nos faciamus: hæc enim est voluntas Dei ad nos. Cum comederis & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo, pro terra optima, quam dedit tibi, Deut. 8. v. 10. Siracides idem vult, inquiens: Super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, & inebriantem te, ab omnibus bonis suis, c. 32. v. 17. Paulus quoque ait: Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite, 1. Cor. 10. v. 31. Omnia enim sanctificantur per verbum Dei & orationem, 1. Tim. 4. v. 5.

Hoc observant aves sub cœlo, quando manè avolant victum quæsitutæ. Sicibum invenerunt & satiatæ sunt, in honorem Dei cantilenam modulantur, voce, quâ à Deo ornatæ sunt.

Ecce suum tireli, tireli, teretireli tractans
Candida per vernum ludit alauda solum.

Imprimis vero Scriptura mentionem facit pullorum corvorum invocantium suo modo Deum, Psal. 147. v. 9.

Quidni & nos homines potius ante & post cibum preces nostras funderemus? qui verbo Dei instructi scimus, omne donum bonum, & omne donum perfectum, venire desuper à Patre luminum, Jac. 1. v. 16. *Mensa ab oratione incipiens, & in oratione desinens, nunquam deficiet, sed fonte largius omnia bona nobis offeret*, ait Chrysostomus. Sacrificans laudem, honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutem Dei, Psal. 50. v. ult.

De Judæis scriptum est: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere, Exod. 32. v. 6. hic precum nulla injicitur mentio, propterea ita Deus benedixit illis, ut plerique prostrati sint in deserto, 1. Cor. 10. v. 5.

Pro omnibus beneficiis suis, quibus Deus nos affatim cumulat, nihil magis desiderat, quàm gratiarum actionem, hanc si à mundo ingrato impetrare nequit, indignatur, nosque per Mosen affatur: Hæccine reddis Domino, popule stulte, & insipiens? Deut. 32. v. 6. Si emendamus mores, gratum est ei: Sin minus, sententia jam tùm lata est: quod non benè futurum sit beneficia non compensanti, Sir. 12. v. 3.

II. *Frugalitati stude.* Id fecit populus in

prælecta Pericope. Servator neque assatis neque carnibus, sed panibus hordeaceis, & pisciculis paucis eos cibat, attamen id magis illis arridet quam vituli & arietes delicatulis Hierosolymitanis, Esa. 22. vers. 13. Magnus ergò quæstus est pietas, cum animo suâ sorte contento, 1. Tim. 6. v. 6. In multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit, usque ad choleram, Sir. 38. v. 32. & seqq.

Omnes Sancti in victu frugalitatem observarunt, sicut videmus in Abrahamo, qui convivis suis butyrum & lac obtulit, Gen. 18. v. 4. in junioribus studiosis tempore Elisæi, qui collegerunt herbas agrestes, 2. Reg. 4. v. 39. In messoribus Booz, qui intingebát buccellam suam in aceto, quod in maximis delitiis habebant, Ruth. 2. v. 14. In Habacuc, qui coxerat pulmentum. Fragm. Daniel. In Baptistâ, cujus esca locustæ, & mel sylvestre, Matth. 3. v. 4. Quin Christus ipse in diebus carnis suæ comedit *panem necessitatis, non voluptatis*, ut Beda loquitur. Primi quoque Christiani in agapis suis assumsisse dicuntur, *Quantum pios decet, & pudicis utile est.*

Hâc quoque laude à Cornelio Tacito celebrantur veteres Germani, quod cibum simplicem, lac concretum, & poma agrestia comederint: & tamen robusti & sani fuerint. Sic & de Daniele, ejusque sociis dicitur, quod à cibo leguminum apparuerint vultus eorum meliores & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio, Dan. 1. v. 15.

Hoc ad *instructionem* nostram observemus, ut non modò contenti simus præsentibus, Hebr. 13. v. 5. sed & fragmenta, quæ supersunt, sedulò colligamus, ne quid pereat. Siquidem quilibet pater-familias septem sportas semper præsentes habeat, ut singulis quæ conveniunt imponat.

Prima sporta est *Ecclesiæ*, ubi quilibet cultus divini rationem habeat, ut ille conservetur, juxtà illud: Prov. 3. v. 10.

Altera est *scholarum*, ne illæ intereant, sed anniversariè juventus adolescat, & in artibus & linguis erudiatur, quò Ecclesia & Resp. in esse suo conservetur. Ubi enim scholæ negliguntur, ibi nil, nisi mera barbaries sequatur necesse est, Proverb. 29. v. 18.

Tertia est *Magistratus*, cui debetur tributum, Rom. 13. v. 6.

Quarta necessitati nostræ reservetur. Tempus enim ingruere potest, ubi vel infirmitate, vel senio delassati, nihil amplius acquirere possumus. Hîc non exiguus quæstus est, si quid in juventute comparseris, ne aliorum ope indigeas. Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tuâ invenies, Sir. 25. v. 5.

Quinta pro liberis impleatur, quò honestè educentur, dotentur, & habeant, quod post mortem hæreditent. Si quis enim suorum, & maximè domesticorum curam non habet; fidem negavit, & est infideli deterior, 1. Tim. 5. v. 8.

Sexta est *pauperum*, qui aut infirmi, aut alii calamitati immersi sunt, & mediis necessariis destituuntur, quibus se sustentent. Hos non sine auxilio relinquas. Quæcunque enim illis exhibueris Deus compensabit, licet potus aquæ frigidæ saltem fuerit, Matth. 10. v. ult.

Septima est pro *bono communi*, ut illud in esse suo conservetur, id enim singulis conducit. Hinc Deus ad Judæos in captivitate

tate Babylonicâ constitutos: Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci: & orate pro eâ ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis, Jer.29.v.7.

Hoc qui non agnoscit, sed quotidiè genio indulget, videat ne tandem ad stipem redigatur, ut filius prodigus, Luc.15.v.16.

III. *Panem esurientibus frange.* Hîc audimus, Christum esurientibus panes fregisse & dedisse discipulis suis, ut apponerent eos turbæ. Hoc non fortuitò factum. Hoc ipso enim Servator innuere voluit, quando legatos suos promtè susceperim*, iisdemq; largiti fuerimus, quibus egent, se nos non inopes deserturum, sed exiguis ita benedicturum, ut cum illis edamus, & omnes saturemur. Hinc factum, quod in V.T. Israelitæ panem & polentam & spicas non potuerint comedere, antequam Domino deis sacrificarint, & primitias ad Sacerdotes detulerint, Levit. 23.v.10. In genere præceptum est: Frange esurienti panem. Esa.58. v.7. seqq.

Exempla sunt, vidua Sareptana, 1.Reg. 17.v.13. Obadias, 1. Reg.18.v.4. Jobus c.31. v.17.

Hæc exempla & nos imitemur, ut juxtà auream Tobiæ regulam, quomodo potuerimus, misericordes simus. Si multum nobis fuerit, abundanter tribuamus: Si exiguum, etiam exiguum libenter impertiri studeamus, Tob.4.v.9.

Hoc si fecerimus, bonum opus faciemus, nec tàm pauperibus, quàm nobismetipsis proderimus. Mutuò enim dat Domino, qui miseretur pauperis, & retributionem suam reddet ei, Prov.19. v.17.

Nos erogamus terrena & temporalia, & recipimus cœlestia & æterna, ejusmodi thesauros thesaurizantes nobis, quos nec ærugo, nec tinea demolitur, & quos fures non effodiunt, nec furantur, Matth. 6. v.20.

Nos proximo communicamus vilem obolum, vel frustum panis, vel pannos detritos, quibus nuditatem suam contegere possit: & recipimus gratiæ grossum vitæ æternæ, Matth.20.v.8. ubi nos Christus ad mensam cœlestem evecturus, & torrente voluptatis suæ potaturus est, Psal.36.v.9. quin & induet nos vestimentis salutis, & indumento justitiæ aperiet nos, Esa. 61. v. 10. ne appareat confusio nuditatis nostræ, Apoc. 3. v.18. sed digni inveniamur stare antè Filium hominis, Luc. 21. v.36.

Nos largimur de iis, quæ in morte relinquimus, & recipimus opes verissimas, Prov.8. v.18. nulli vanitati subjectas, sed quæ æternæ sunt & manent in cœlo, hinc rectè Augustinus: *Fac bonum de bono, unde non es bonus, ut acquiras verum bonum*: quod Christus ita explicat: Facite vobis amicos, de Mammonâ iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, Luc. 16. v.9. Qui enim parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, 1. Cor. 9. v.6. & aliquando cum exultatione portabit manipulos suos, nempe manipulos æternæ salutis, Psal. 126. v.ult.

Quos Deus omnibus nobis largiri dignetur, per & propter Christum, Amen.

DOMI-

DOMINICA VIII. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 7. v. 15 -- 23.

EXORDIUM.

CUm Israëlitæ è captivitate Babylonica reduces collapsam Hierosolymam cum templo ædificare inciperent, vicini Ethnici congregati sunt ut irritam facerent structuram. Verùm Nehemias excubias egit, & ordinavit, ut alterâ manu opus facerent, & alterâ tenerent telum, Nehem. 4. v. 7. 17.

Hanc historiam *sensu mystico* interpretabimur.

Omnes veri Christiani spirituales Israëlitæ vocari possunt. Non enim omnes, qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen, i e. non qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine, Rom. 9. v. 7. 8.

Quemadmodum igitur Israelitæ alterâ manu telum tenere cogebantur, ne hostes vicini impetum facerent, alterâ verò manu opus faciebant: Ita & Christianismus noster in duobus versatur: ut oderimus malum & adhæreamus bono, Rom. 12. v. 9. h. e. adversus Diabolum, mundum & carnem nostram strenuè pugnare tenemur, qui nobis varia impedimenta objicientes, viam ad cœlum intercludere satagunt: ex adverso verò temperanter, justè & piè vivamus in hoc seculo, Tit. 2. v. 11. id vocat Apostolus bonam militare militiam, habere fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 19.

Præprimis quia Diabolus hâc ultima ætate magnam habet iram, Apoc. 12. v. 12. ablegando Pseudo-Prophetas magno numero, in quorum ore Spiritus mendax futurus est, 1. Reg. 22. v. 22. efficacibus erroribus seducturus eos, qui à veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur, 2. Tim. 4. v. 4. Nostrum sanè erit gladiis spiritualibus instructos esse, quibus falsis Prophetis non modò resistamus, qui nil nisi fel Draconum eructant, Deut. 32. v. 33. sed & omnem navemus operam, ut nos superædificemus sanctissimæ fidei, in Spiritu sancto, Jud. v. 20. tùm & in omni opere bono fructificemus, Col. 1. v. 10. quò alii id videant, glorificantes Patrem, qui in cœlis est, Matth. 5. v. 16.

Eò quoque spectat admonitio Christi in prælecta Pericope, ubi non saltem ratione Pseudo-Prophetarum præmonemur, sed & ad vitam juxta voluntatem Dei componendam, stimulamur, si in Regnum cœlorum pervenire velimus.

Nos sine prolixiori præloquio videbimus:

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

II.
Exegesis.

CUm Johannes Fridericus Dux Saxoniæ, A. C. 1534. templum ornatissimum

mum in S. Annæ monte lustraret, illo ipso tempore, cum Monachus quidam concionem vilem ex suggestu haberet, dixit ille: Aviarium quidem bonum est, at avis malè cantillat. Hoc ipso innuens, non convenire, Monachum ejusmodi rudem è formolo ejusmodi suggestu verba facere.

Scribæ & Pharisæi super cathedram Mosis sederunt, ut Servator ait, Matth. 23. v. 2. Verùm legem Dei adeò depravarant, ut non immeritò illis objecisses: Cavea quidem bona est, ad avis insuavem reddit sonum; Cœci enim erant, & cœcorum Duces; cœcus autem si cœco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt, Matth. 15. v. 14. Hoc & de aliis hæreticis & Pseudo-Prophetis, intelligendum, quos ex hâc ipsa causa fugiendos esse, monet Christus in prælecto Evangelio.

Querela respicit

I. *Pseudo-Prophetarum multitudinem.* Hic audimus, Servatorem non loqui in singulari de uno atque altero, sed in plurali, de multis Pseudo-Prophetis, qui cavendi sint. Nam oportet hæreses inter vos esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis, 1. Cor. 11. v. 19. Zizania hæc in hâc fece mundi adeò invaluerunt, ut omnes angulos iis repletos videas. Unus dicit, hic est Christus, alter, ibi est, Matth. 24. v. 23. Hoc ipso homines turbant, ut quid credant, nesciant: maximè ubi in vestimentis ovium veniunt, successionem suam prætendentes, sive magnos titulos ostentantes, ubi hòdiernus Papismus viva idea est. Supremum etenim locum obtinet Pontifex Maximus, qui se caput Ecclesiæ, universalem Pastorem, Vicarium Christi, & Petri Successorem profitetur, nec refragatur, si Patrem beatissimum, Patrem sanctissimum eum appelles. Sequuntur Cardinales, qui Principes mundi vocantur. Sic & Jesuitæ suave nomen sibi arrogant, dum se socios Jesu, & Doctores Seraphicos nominant, quasi claves scientiæ habeant, Luc. 11. v. 52.

His adhærent aliquot centum Episcopi, aliquot mille Prælati, & innumerabiles Monachi, in certos Ordines distincti, quod illustrem speciem coràm mundo habet. Verùm pii Christiani hoc ipso minus offendantur. Vera Ecclesia est, pusillus grex, Luc. 12. v. 32. populus pauper & egenus, Zeph. 3. v. 12. & Regnum Christi non venit cum observatione, Luc. 17. v. 20.

Quando spinæ & cardui florent, valdè speciosi videntur, ut ignaros facilè fallerent, & in admirationem raperent. Eodem modo comparatum est, cum ejusmodi Pseudo-Prophetis, qui verba sua ad ostentationem componere norunt, & adhibent varias εὐλογίας καὶ χρηστολογίας, Rom. 16. v. 18. ut eos sanctissimos censeas: Verùm ubi illis adsociaveris te, vix illæsus abibis. Intrinsecus enim lupi rapaces sunt, & quod mendaciis efficere nequeunt, cædibus machinantur, quærentes jus suum in armis, quibus sibi resistentes oppugnant. Hoc ita à patre suo Diabolo didicerunt, qui non modò mendax: sed & homicida est, ab initio, Joh. 8. v. 44.

Primogenitus ejus discipulus fuit Cain, innocentem fratrem Abelem trucidans, Gen. 4. v. 9. Quem secutus Esau, in occursum fratris Jacobi properans, cum quadringentis viris armatis, Genes. 32. v. 7.

Hodierno die Machometes acinacem suum stringit, eoque Alcoranum suum propagat. Anti-Christus Francisci laqueis & S. Antonii igne rem gerit, & excommunicatione atq; inquisitione sua omnes perimit, qui pedes ejus osculari refragantur. Hinc Baronius olim dixit: Pontificem gerere duo officia, quorum alterum: Petre pasce oves meas! alterum: Macta & ede, utrumque ipsi dictum esse, Joh. 20. v. 17. Act. 10. v. 13.

Hinc apparet, quid tibi de illis polliceri possis. Nempè idem quod ovis de lupo. Sicut igitur Christus Pharisæis se non credidit, quod ipse nosset omnes, Joh. 2. v. 23. Sic quidem tibi multi sint pacifici, consiliarius autem unus sit tantùm de mille, Sir. 6. v. 6. Nunquam enim adhæret Deo sedes iniquitatis, qui fingit laborem super præceptum, Psal. 94. v. 20.

II. *Hypocritarum turpitudinem.* Quod enim de Pseudo-Prophetis dicitur, quod in vestimentis ovium veniant, intrinsecus autem sint lupi rapaces: id in genere omnibus hypocritis applicari potest, qui ore dicunt: Domine, Domine, sed cor lævum est, ut vitam ad Dei voluntatem non componant.

Hoc ovium vestimentum occurrit

1. *In Politicis*, ubi unus atque alter mansuetudinem ovis simulat, reipsa verò lupus est rapax! Ore dicit: Domine, Domine. verùm in corde sentit: Apage! Hoc hodiè in peculiari arte ponitur, in quâ qui minus exercitus est, pro incivili & stolido habetur, ut in Michâ videre est, quem Achab oderat, quia ipsi verum prophetabat, Pseudo-Prophetæ vero numero quadringenti, magni æstimabantur, quia ipsum blanditiis lactabant, 1. Reg. 22. v. 8. seqq.

2. *In Ecclesiasticis*, quæ religionem atque fidem concernunt. Ubi multi occurrunt hypocritæ, qui audiunt sermones Dei, sed non faciunt eos: & avaritiam suam sequitur cor eorum, Ezech. 33. v. 31. existimantes, verum Christianismum consistere tantùm in externis ceremoniis, si templum frequentes, concionem audias, sacrâ synaxi utaris, precationem matutinam & vespertinam recites &c. Nucleum verò Christianismi non attendunt, ut veram pietatem amplectantur, carnem crucifigant, Christo per fidem uniantur, misericordiam proximo exhibeant, de peccatis doleant, vitam emendent &c. & quæ plura ad Christiani hominis officium requiruntur, & sub nomine fidei & dilectionis comprehenduntur. Sine his enim Deo placere non possumus, Deus siquidem cor intuetur, 1. Sam. 16. v. 7. agnoscitque omnem operam hominis, Sir. 15. v. 20. Hoc attendamus ante omnia, & servientes Deo videamus, ne simus hypocritæ in conspectu hominum, Sir. 1. v. 37.

III. *Beatorum raritudinem.* Hic Christum audimus dicere: Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Quod in sequentibus pluribus exaggeratur, quando dicitur: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus: & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.

Hinc colligere est, quanta electorum raritas die extremo futura sit. Mundus enim

enim plenus est hypocritarum, qui virtutes in Christi nomine factas jactitant. Verùm quia gloriam hominum magis diligant, quàm gloriam Dei, Joh. 12. v. 43. parum indè emolumenti capient, oculi enim Domini respiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. nec veniet in conspectum ejus hypocrita, Job. 13. v. 17. Hæredes autem salutis sunt

1. *Soli credentes*. Joh. 3. v. 16. Marc. 16. v. 16. Fides manus est, sine quâ donum aliquod accipere non possumus: Sic nec sine fide vitam æternam, quæ donum Dei est, Rom. 6. v. 23.

Fides scala est. Sine scalâ arborem conscendere nequis: sic nec sine fide pervenies in vitam æternam. Nemo venit ad Patrem, nisi per me, ait Servator, Joh. 14. v. 6.

Fides lampas est. Sicut igitur virgines fatuæ, quæ lampades suas non ornaverant, non poterant cum sponso ad nuptias intrare, Matth. 25. v. 12. Sic nec sine fide ullam salutis spem habemus. Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, Joh. 3. v. 36.

2. *Omnes credentes*. Non enim Deus discrimen observat gentis, sexus, ætatis & conditionis: sed quicunque credit, sive sit mas seu fœmina, senex vel juvenis, dives vel pauper, magnus vel parvus hæres erit salutis. Act. 10. v. 34. Gal. 3. v. 28.

3. *Tantùm verè credentes*. Hi verò illi sunt, qui voluntatem Dei pro virili faciunt, Matth. 7. v. 21. & ita fidem operibus probant, sine quibus illa mortua est, Jac. 2. v. 17. præterea non tanquam ad rem peregrinam obstupescunt propter æstum, quasi novi quid illis contingat, 1. Petr. 4. v. 12. sed strenuè currunt in stadio pietatis, dum bravium accipiant, 1. Cor. 9. v. 25.

Sicut enim miles fugitivus parum gloriæ reportat, & prehensus, capite luere cogitur: Sic & illi indigni sunt Regno cœlorum, qui ad tempus credunt, tempore autem tentationis deficiunt, Luc. 8. v. 13. Luc. 9. v. ult.

Quando proindè paucitatem Orthodoxorum inspicimus, & contrà multitudinem eorum, qui Christum non agnoscunt, vel licet agnoscant, ad regulam Christi vitam non componunt, conclusio hæc erit: Multi sunt vocati, pauci verò electi, Matth. 22. v. 14.

Universus mundus dividitur in Africam, Asiam, Americam & Europam. Tres priores partes salute excidunt, utpote, quæ è Turcis, paganis, aliisque infidelibus constant. Quarta quoque non pura est, sed hæreticis & hypocritis repleta. Videte igitur, Vos mei! ut in Orthodoxorum numero inveniamini. Deus vineæ suæ facit, quæ debet, Esa. 5. v. 4. sinitque prædicari verbum, & Sacramenta dispensari. Beatus, qui illis rectè utitur! sed pauci talium occurrunt!

Si possibile foret, ut homo ad portam inferni staret, & videret, quanta frequentiâ damnati ad infernum properarent, procul dubio tantæ multitudinis eum admiratio caperet: Ex adverso verò, si unum saltem diem ad portam cœli staret, animas electorum facilè numerari posse, perspecturus esset.

Quicunque jam congregati sumus in æde Domini, Christianos nos profitemur. Sed Deus tanquam καρδιογνώστης scit, quid in homine sit, Joh. 2. v. ult. die extremo manifestabit consilia cordium, 1. Cor. 4. v. 5.

Ibi videbimus, quod ex millibus vix centũ, & ex centum vix decem salvabuntur. Nam justus vix salvabitur: impius & peccator ubi parebunt? 1. Petr. 4. v. 18. Contendite igitur intrare per angustam portam, quia multi quærent intrare, & non poterunt, Luc. 13. v. 24.

De Secundo.

Sequitur Triplex *Medela*, quæ fluit

I. *Ex fideli Christi consilio*, quo Pseudo-Prophetas cavere monemur. Amicus enim præmonet amicum, ut Jonathan Davidem, 1. Sam. 20. v. 35. Quidni ergò Jesus amicus noster esset, quia nos adeò fideliter ratione falsorum Prophetarum præmonet, ne ab iisdem seducamur.

Sicut igitur Alexander M. pro insigni amicitiâ reputavit, ubi à Præceptore suo Aristotele admonitus fuit de virgine venenô infectâ, quæ ex India ei missa est cavenda: Ita multò magis grato animo agnoscamus, & Christum sequamur, qui unicus noster Præceptor est, Matth. 23. v. 8. quandò nos à Pseudo-Prophetis cavere jubet, qui exterius sanctitatem simulant: sed venenum aspidem sub labiis eorum, Ps. 140. v. 3. quò non modò corpus sed & animam occidant, & secum in puteum trahant, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11.

Sedulò igitur cavete hoc attendite, Vos mei! Jesus noster optimè nobis vult, nolens, quenquam perire, 2. Petr. 3. v. 9. Sed ut frater noster est, sic instar fratris diligit nos à principio usque ad finem, Joh. 13. v. 1. Beatus, qui admonitioni locum relinquit, & firmiter adhærescit verbo Dei, quod infallibilis veritas, quæ sapientiam præstat parvulis, Psal. 19. v. 9. & quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, Gal. 6. v. 16.

II. *Ex triplici hæreticorum indicio.* Quia enim in vestimentis ovium veniunt, quò palpum hominibus obtrudant, sicut & pater eorum Diabolus in Angelum lucis se quandoque transformat, 2. Cor. 11. v. 14. Optimus Servator noster tres notas indicat, ne decipiamur, sed probemus Spiritus, an ex Deo sint, 1. Joh. 4. v. 1. Familiaris enim ipsis est

1. *Scripturæ depravatio.* Hanc ob causam Christus eos vocat Pseudo-Prophetas, qui non acquiescunt sanis sermonibus, & ei, quæ secundum pietatem est doctrinæ, 1. Tim. 6. v. 3. sed detorquent Scripturas, vel etiam abjiciunt propter traditiones suas, Matth. 15. v. 3. hinc vocantur Magistri mendaciorum, 2. Petr. 2. v. 1.

2. *Spontanea insinuatio.* Veniunt enim proprio instinctu, non missi vel vocati, ut Deus queritur, Jer. 23. v. 21. unde colligendum, quod non multùm emolumenti adferant. Genuinus enim verbi Præco, non sibi ipsi honorem sumit, sed vocationem suam expectat, sicut & Aaron, Hebr. 5. v. 6. Vocatio facit concionatorem, ait Lutherus noster, qui sine vocatione docet, non sine detrimento docet, & sui ipsius, & auditorum. Sui ipsius quidem, quia in adversis non potest honorare animam suam, Sir. 10. v. 31. Auditorum verò, quia Deus labori non vocatorum non benedicit, Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur? Rom. 10. v. 14. 15.

3. *Fructus adulterini specificatio.* Doctrina quippè eorum pungit & lauciat, instar spinarum & tribulorum, ut ex sitione & plantatio-

ratione illorum, neque uvas, neque ficus legere possis, Jer. 8. v. 13. unde Petrus eos vocat fontes sive aqua, 2. Petr. 2. v. 17. in quorum ore non est veritas, Psal. 5. v. 10. Sicut & experientia testatur, salutari solatio illos carere, & præterire infirmos, ut Sacerdos & Levita, Luc. 10. v. 31. Et ut ipsi cauteriatam habent conscientiam, 1. Tim. 4. v. 2. & tandem absumuntur à terrore, Psal. 73. v. 19. sic & illi, qui sequuntur illos, multiplicarunt molestos labores suos, Psal. 16. v. 4. Dereliquunt enim fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, Jer. 2. v. 13.

Ubi igitur hæc κριτήρια inveniuntur, fuge eosdem, si amas salutem tuam, juxtà illud 2. Cor. 6. v. 17. 18.

III. *Ex Regni cœlestis præmio.* Omnes enim qui voluntatem Patris cœlestis faciunt, intrabunt in Regnum cœlorum, h. e. in vitam æternam, quæ Regnum cœlorum dicitur, quia in illâ Deus, ut Rex imperiosissimus Magnificentiam suam potenter declarabit, & electos quoque suos Reges constituet, ut cum eo regnent mille annos, h. e. in æternum, Apoc. 20. v. 6.

Cum Regina Arabiæ Hierosolymam adventaret, magnam in admirationem rapiebatur de Regno Salomonis optimè constituto, dicens: Verus est sermo, quem audivi in terrâ meâ, de rebus tuis & super sapientia tua. Major est sapientia & bonum, quàm rumor quem audivi &c.

Quantò plus nos admirabimur, quando Regem in decore suo videbunt oculi nostri, Esa. 33. v. 17. Quia non modo videbimus eum: sed quotidiè stabimus coràm ipso, & sedebimus cum eo in throno ejus, sicut & ille vicit, & sedet cum Patre suo in throno ejus, Apoc. 3. v. 21. O quantoperè exultabimus! quando nos Dominus ita extollet, & loco spineæ coronæ, quâ nunc cincti sumus, coronam vitæ imponet, quæ in æternum non tolletur à nobis, Apoc. 2. v. 11. Joh. 16. v. 23. Illic verâ vitâ perfruemur, Sir. 48. v. 12. in cujus possessione ex animo lætabimur, dicentes cum Davide: O Domine, misericordia tua super vitas, Psal. 63. v. 4. non enim ibi mors ultrà erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, Apoc. 21. v. 4. sed abundantia gaudiorum in vultu Dei, & delectationes in dextera ejus in æternum, Psalm. 16. v. ult.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Pseudo Prophetas fuge.* Προσέχετε enim, ait Servator, subintellige τὸν νοῦν καὶ ὀφθαλμούς, intendite oculos & animum, ne à Pseudo-Prophetis cum jactura salutis seducamini. Hoc verò fieri potest

1. *Per studium veritatis*, quando verbum Dei in doctrina & vita tanquam normam sequimur, illud non modo sedulò in templo audimus, sed & domi quotidiè scrutamur, an ita se habeant, ut nobiliores Berrhoënses, Actor. 17. v. 11. ita ut voluptas nostra sit in lege Domini, & in illâ meditemur die ac nocte, Psal. 1. v. 2. Prov. 2. v. 12.

2. *Per studium simplicitatis.* Nam scrutans gravia gravatur, Prov. 25. v. 27. qui verò simpliciter credit, nec curiosus est in mysteriis divinis, sed in captivitatem

redigit intellectum suum, ut Abraham, Rom.4.v.20. optimè sibi consulit, & tutissima viâ ingreditur. Quod enim jam nescimus, sciemus posteà, Joh.13.v.7. cum venerit, quod perfectum est, & evacuabitur, quod ex parte est, 1.Cor.13.v.10.

3. *Per studium pietatis.* Sedulò Dominum invocemus, ut non modò det nobis illuminatos oculos cordis nostri, Ephes.1. v. 18. sed & contrà hæreticos invocemus Dominum: Inventi sunt sermones tui & comedi eos, & factum est mihi verbum tuum in gaudium & lætitiam cordis mei, Jer.15.v.26. Psal.12.v.7.8.

4. *Per studium sinceritatis.* Quando penitus ab iis abstinentes, non abimus in consilium eorum, Psal.1.v.1. nec etiam libros eorum legimus, ubi sæpè sub verbis ambiguis venena sua occultant: sed eximus de medio illorum, Esa.52.v.11. obturantes aures ad colloquia eorum mala, quæ corrumpunt bonos mores, 1.Sam.15, v.34. ab impiis enim egredietur impietas, 1.Sam.24. v.14. Ideò vult Spiritus sanctus ut contemti sint in oculis nostris, Psal.15.v.4. nec ave eis dicamus, 2.Joh.v.10.

II. *Bonos fructus ede.* Hinc Servator: Omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit &c. Hîc elegans simile ab arboribus desumtum nobis proponitur, quibus passim homines in Scripturis conferuntur, in specie verò David de vero Christiano ait: quod sit tanquam lignum, plantatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, Psal.1. v.3.

Ubi notetur

1. *Comparatio*, quæ est inter arborem, & Christianos.

1. *Ratione decretionis*, 1. Thess. 4. v.11. Eph.4.v.13.

2. *Ratione erectionis.* Phil. 3.v. 14. Col.3. v.1.2.

3. *Ratione radicationis*, Ephes.4. v. 14. Joh.14.v 6.

4. *Ratione afflictionis*, Job.12. v.1.

2. *Plantatio.* Comparantur enim non simpliciter arboribus: sed *plantatis.* Duplices aliàs inveniuntur arbores, nonnullæ sunt sylvestres, quæ spontè enascuntur, & fructus sylvestres producunt, his Christianus non confertur: Sed plantatis & frugiferis, quæ per verbum & Sacramenta à cœlesti hortulano irrigantur & fœcundantur, ut sint arbores justitiæ, & plantatio Domini, ut glorificetur, Esa.61.v.3.

3. *Fructificatio.* Arbor eo fine plantatur, ut fructus ferat, hoc si facit grata est: sin minus, exciditur, & in ignem mittitur, ut ficus illa probat, Luc.13.v.6. Sic & Christiani gignant fructus suos, quilibet in functione, in quâ à Deo constitutus est, juxtà illud, 2.Petr.1.v.5.

Olim in scholæ Atheniensis porta scriptum erat: *Arbor es, ô homo, si sylvestris time, si campestris fuge, si hortensis gaude.* Quo ipso Præceptores discipulis suis inculcabant, ut moribus rusticanis depositis, in artibus & virtutibus se exercerent, adeoque bonos fructus ferrent.

Quodsi Gentiles hi è solo naturæ lumine collustrati, virtuti operam dandam censuerunt: Quantò magis nos arboribus frugiferis nos assimilemus, omnem moventes rudentem, ut caritas nostra magis ac magis abundet, in omni scientia, & in omni experientia: ut probemus potiora, repleti fructibus justitiæ per Jesum Christum, in glo-

gloriam & laudem Dei, Phil.1.v.9.10. In id enim nos elegit Christus, & posuit nos, ut fructum adferamus, & fructus noster maneat, Joh.15. v.16. Nisi id fecerimus, aliquando dicetur: Succidite arborem, Dan. 4.v.11. ut quid etiam terram occupat, Luc. 13.v.7. Quinimò, sicut Christus fici arborem, in quâ nil nisi folia inveniebat, maledictione impetebat, ut aresceret, Matth.21. v.19. Sic & illis maledicet die ultimo, qui quidem jam speciem habent pietatis, 2.Timoth.3. v.5. verùm fructus Spiritus, qui Gal.5.v.21. enarrantur, non adsunt.

III. *Juxta voluntatem Dei vive.* Non enim omnis, qui dicit Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.

Voluntas Dei in Scripturis describitur duplex,

1. *Voluntas arcana*, ex quâ voluntate Deus mundum non modò creavit, sed & quamdiu durare debeat, constituit, item quando Christus ad judicium venturus sit, hoc nulli creaturæ revelavit, Marc.13.v.32.

2. *Voluntas revelata.* Quæ iterum duplex:

1. *Voluntas omnipotentiæ*: juxta quam omnia, quæcunque vult facit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, Psal. 135.v.6.& huic voluntati ejus, nemo Angelorum in cœlo, nullus hominum in terra, & nullus Diabolorum in inferno resistere potest: sed quod Deus h.m. decrevit, fieri necesse est, nisi fortè conditio addita sit. Quod locutus sum, adducam illud: cogitavi & faciam illud, Esa.46.v.11.

2. *Voluntas beneplacentiæ*, qua quomodo in nos affectus sit, & quid à nobis fieri velit, manifestavit. Hanc voluntatem suam in duobus libris nobis proposuit, nimirum in libro legis, & in libro Evangelii.

In libro legis voluntatem suam breviter declarat, inquiens: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, Deuter. 6. v.5. & proximum tuum sicut teipsum, Levit.19.v.18. In his duobus mandatis, universa lex pendet & Prophetæ, Matth.22.v.37.

Quodsi igitur hic examen instituimus, facilè deprehendimus, nos legem implere non posse: unde æterna maledictio locum haberet, Deut.27.v.ult. Verùm in libro Evangelii ostenditur solatium, dum Christus nos à maledictione legis sanctissimo merito suo, quod pro totius mundi peccatis præstitit, redemit, 1.Joh.2. v.2. Hoc si verâ fide apprehendimus, certi sumus, quod nihil nos separare possit à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu, Rom.8.38.39.

Sed & *dignè Evangelio Christi conversemur*, Phil.1.v.27.& discedamus ab omni iniquitate, qui nominari Christiani à Christo volumus, 2.Tim.2.v.19. Hæc enim voluntas Dei, ut credamus in Filium ejus Jesum Christum, Joh.6.v.40. hæc voluntas ejus, ut diligamus alterutrum, 1.Joh.3.23. Hæc voluntas ejus, sanctificatio nostra, 1.Thess. 4.v.3. Summa: Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, & diligere misericordiam, & humiliter ambulare cum Deo tuo, Mich.6.v.8.

Quodsi ad perfectionem pertingere non possumus in hâc vita, tamen Pater cœlestis imbecillitate nostra contentus esse vult, propter Christum dilectum, in quo nos gratificavit, Ephes.1. vers. 8. quin & imperfectam nostram obedientiam, quæ ex sincero corde proficiscitur, ex gratia remuneraturus est.

Qui

Qui enim voluntatem Dei faciunt, exaudientur, Joh. 9. v. 31. fratres Christi erunt, Hebr. 2. v. 11. & habebunt vitam æternam, Joh. 6. v. 47. Ibi voluntatem Dei in summa perfectione faciemus, servientes Deo, die ac nocte in templo ejus, Apoc. 7. v. 15. Quod Deus ex gratia nobis omnibus propter Christum largiatur, Amen.

DOMINICA IX. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 16. v. 1 -- 9.

EXORDIUM.

Vidit Vates Zacharias in visione virum, in cujus manu funiculus mensorum, quem cum interrogaret: quò tu vadis? dixit ad illum: Ut metiar Jerusalem, & videam, quanta sit latitudo ejus, & quanta longitudo ejus, Zach. 2. v. 1.

Hæc *allegoricè* interpretanda veniunt. Vir, qui Prophetæ visus, est Dominus Deus noster, qui omnia dinumeravit & mensus est, Sir. 1. v. 9. quin adhuc hodiè metitur, non modò Jerusalem, sed & omnium hominum verba & opera, imò & gressus considerat, Prov. 5. v. 21. normâ mandatorum suorum, quæ nobis præscripsit, ut vitam ad eam componamus. Nam qui hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia Dei, Gal. 6. v. 16. quod verò cum eâ non consentit, sed declinat in curvas vias peccatorum, Psal. 125. v. 5. aut ad dexteram, aut ad sinistram, Esa. 30. v. 21. est ἀνομία, illegalitas, 1. Joh. 3. v. 4. nec Deo placebit, Psal. 5. v. 5. Proptereà aliquando dicitur: Redde rationem villicationis tuæ! Cuncta enim quæ fiunt, adducet Deus in judicium, etiam omne occultum, sive bonum sive malum sit, Eccles. 12. vers. ult. ita ut etiam ratio reddenda sit, de quovis verbo otioso, Matth. 12. v. 36.

Sicut igitur Zacharias levavit oculos suos, & vidit virum, in cujus manu funiculus mensorum fuit: Sic idem & nos faciamus, ut cogitationibus semper intenti simus in eum, qui oculos suos nunquam non in nos conjicit, & accuratè observat, quid agamus, quid loquamur, quid cogitemus: nam & cogitationes nostras de longè intelligit, Psal. 139. v. 3. sic eò cautius ambulabimus, Eph. 5. v. 15. & in æternum non peccabimus, Sir. 7. v. 40.

Id villicus non observavit, de quo in prælectâ Pericope dicitur: quod dissipaverit Domini sui bona: ex hâc ipsa causa quoque ab officio remotus.

Nos instituti nostri memores videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Sicut homines ab araneâ artem texendi, & à cornicibus, corvis & graculis domus

mus ædificare: quinimò, sicut nobis mandatur, ut à serpentibus prudentiam, & à columbis simplicitatem discamus, Matth. 10. v. 16. Ita Servator nobis in iniquo villico exemplum proposuit, & simul ostendit, quomodo prudentiam & versutiam, quâ ille in temporalibus usus est, in rebus salutem nostram concernentibus, adhibere studiosè debeamus, ne pueri efficiamur sensibus, sed malitia parvuli simus, sensibus autem perfecti, 1. Cor. 14. v. 20.

Querela respicit

I. *Iniquam dispensationem*, propter quam iniquus hic Villicus apud Dominum diffamatus, & ab officio remotus fuit. Sed & multos fratres reliquit ille pòst se in immundo hoc mundo. Pecunia enim ad multa mala perducit. **Geld macht Schälck.** Judas erat vir honestus, qui nullo malo infamis erat, cum Dominus ipsum ad Apostolatum adhiberet: verùm simulac quæstorem eum constitueret, pecuniam in proprium commodum vertebat, fur factus, Johan. 12. v. 6. Unde Proverbium enatum: Occasio facit furem. Sicut adhuc hodie multi administratores bona Dominorum suorum in suum emolumentum convertunt, & ex eorum incommodis sua comparant commoda. Ast, infelici cum successu! Divitias enim, quas devoravit injustus, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus, Job. 20. v. 15.

Huc & illi pertinent, qui eleemosynis præsunt, quibus pauperes in nosocomiis aluntur, nec verentur hinc inde detrahere, ut in bonis his conviventur. Hoc nefandum peccatum est. Panis egentium, vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est, Sir. 34. v. 25.

Idem & tutores facere non dubitant, qui pupillorum bona sub prætextu amicitiæ ad se pertrahunt, & rationem reddere jussi, judicio contendunt, cum illis sic pupillos tandem fatigant, ut nihil reliqui habeant, nisi suspiria, quæ ad cœlum, & justum judicem Deum ablegant. Non immeritò illi in Germanica linguâ vocantur **Vormünder /** quia orphanis desertis, bolum è faucibus eripiunt, **weil sie ihnen das Brod gleichsam vorm Mund wegnehmen.** Verùm in fine tandem os illorum implebitur calculo, ut in inferno tandem illum concoquere cogantur. Maledictus, qui pervertit judicium advenæ, pupilli, & viduæ: & dicet omnis populus, Amen, Deut. 27. v. 19.

Inter famulitia quoque inveniuntur iniqui dispensatores, qui nimis profusè sumtum faciunt, de illis, quæ ipsis concreduntur: sunt tardi ad labores, alacres vero ad mensam, mercenarii, qui mercedem, non Domini commodum quærunt, objurgati contradicunt, Tit. 2. v. 10. vel planè aufugiunt, ut Hagar, Gen. 16. v. 7. Sed hi servi nequam sunt, quos Dominus aliquando dividet, Luc. 12. v. 46.

Exemplum itaque capite ab iniquo hoc Villico: sicut enim ille à Domino citatus, & ab administratione remotus est: Ita Dominus eos non impunè dimittet, qui bona concredita injustè administrant. Justus enim judex est, & Deus minitans per singulos dies. Nisi conversi fueritis, gladium suum acuit, arcum suum tetendit, & adaptavit illum. Et in eo paravit vasa mortis: sagittas suas ad persequendum paravit, Psal. 7. v. 12.

II. *Otii sectationem.* Hîc audimus dispensa-

pensatorem ingenuè confitentem: Fodere non valeo. Otio namque & ignaviæ adsvetus erat, ideò non arridebat ipsi, ut jam demùm in provectâ ætate, fodiendo, pastinando, triturando, & id genus aliis molestis laboribus victum & amictum sibi acquireret.

Verùm pios Christianos non pudeat laboris, qui cuique demensus est, Eccles. 6. v.7. sed cogitent, rusticationem creatam esse ab Altissimo, Sir.7.v.16.

Moveat nos cùm magna utilitas, quæ laborem consequitur: Manus enim sedulorū divitias parat, Prov.10.4.c.13.4. tùm & dulcis quies, quæ sequitur: Dulcis est operanti somnus, sive parum, sive multum comedat, Eccl.5.v.11.

Tùm etiam ingens damnum, quod otium pòst se trahit. Unde Siracides: Multam malitiam docuit otiositas, c. 33. v.28. Utique multam malitiam. Verè enim Chrysostomus: *Nihil boni facere, hoc ipsum est malum facere.* Ita enim comparatum est hominis cor, ut semper occupatum esse velit: Si nihil boni, malum operatur. Sicut molendinum, nisi frumentum molat, seipsum consumit: sic & homo, qui otio mancipavit se, seipsum in malum præcipitat. Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas, ut dormias: & veniet tibi, quasi viator, egestas: & pauperies, quasi vir armatus, Prov.6.v.10.

Patriarcha Jacobus, sanctorum non postremus fuit, tamen laborare minus erubuit, diu noctuque æstu urgebatur, geluque, fugiebatque somnus ab oculis ejus: proptereà benedixit ipsi Deus, ut magnas divitias comparaverit, & fratri suo Esavo quingenta & quadraginta pecora donare potuerit, Gen.32. v.15.

Gideon excussit atque purgavit frumenta in areâ, Jud.6.v.11. Paulus in labore & in fatigatione nocte ac die operatus est, ne quem gravaret, 2.Thess.3.v.8. Christus ipse Patri putativo in opere fabrili adjutor fuit, unde non modò filius fabri, Matth. 13.v.55. sed & faber dicitur, Marc. 6.v.3.

Eccur igitur nos laborem subterfugeremus, quilibet in vocatione eâ, sicut vocavit eum Dominus? 1. Cor.7.v.17. Si quis non vult operari, nec manducet, 2. Thess. 3. v. 10.

III. *Versutia secularis contemplationem.* Iniquus hic villicus ex tempore fallaciam fingit, quâ ratione vitam sustentare velit, si ab officio deponatur.

Idem adhuc hodiè videmus in filiis seculi, quod fidelibus hâc in parte palmam præripiant. Inventi sunt in populo meo impii, insidiantes, quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. Sicut cavea plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo, inquit Jeremias c.5.v.26.

Ægyptii id machinabantur, quomodo sapienter opprimerent Israelitas, Exod.1. v. 9. Achitophel, tantâ mentis acie pollebat, ut nemo ipsi similis esset, tempore suo consilium ejus erat, quasi si quis consuleret Deum, 2.Sam.16.v.ult.

Quodsi animum & oculos mittimus per omnes status, nemo inficias ibit, quin multæ sint insidiæ dolosi, Sir.11. v.31.

Antonius pius ille Anachoreta, vidit aliquando in visione, totum orbem restibus opertum, & exclamavit: O Domine, quis evadet? Visio hæc quidem fuit, quæ tamen

tamen reapse vera est: Impius enim circumvenit justum, Hab. 1. v. 4. nec religio ipsi est, si possideat in argento egenos & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendere possit, Amos 8. v. 6. ut non injuriâ queratur Jeremias: Omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus proditoriè incedet, c. 9. v. 4. Verùm non est sapientia nequitiæ disciplina, & non est cogitatus peccatorum prudentia. Est nequitia & in ipsa execratio &c. Sir. 19. v. 19. seqq.

Nos abstineamus ab hâc malitia. Et quemadmodum filii hujus seculi versutiâ suâ ad malum abutuntur: ita nos operam demus, quomodo cautè ambulemus, non quasi insipientes, sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, Eph. 5. v. 15. 16.

Cum Pambo pius ille Eremita, consilio Athanasii è solitudine Alexandriam accessisset, ibique scortum venustissimè ornatum conspiceret, largissimas profundebat lacrymas: Causam rogatus, dixit: Nonnè lacrymas emitterem? Ego tantam curam non habeo placendi Deo, quàm hæc mulier habet placendi hominibus.

Ubi hodiè ejusmodi Pambones reperies? Plerique terrena sapiunt, Phil. 3. v. 19. & cum Demâ hoc seculum diligunt, 2. Timoth. 4. v. 9. Attamen paucos qui frugi sunt, existere confidimus, qui socordiæ connatæ admoniti, cum Pambone apud seipsos lacrymentur, quando perpendunt, multos reperiri, tantam curam non impendentes ad cœlum consequendum, ut impii faciunt ad infernum acquirendum. Quilibet hîc cautè agat. Nam mundus transit, & concupiscentia ejus, qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum, 1. Johan. 2. v. 17.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex divina liberalitate*, de quâ Servator: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum. Hic Dominus est, dives in omnibus, qui invocant ipsum, Rom. 10. v. 12. à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, Jac. 1. v. 17. Cœli cœlorum Domino: terram autem dedit filiis hominum, Psal. 115. v. 16. & præstat nobis omnia abundè ad fruendum, 1. Tim. 6. v. 17. coronat annum benignitate sua, Psal. 65. v. 12. aperit cataractas cœli, & effundit benedictionem, usque ad abundantiam, Mal. 3. v. 10. ut non destituamur ullo bono, Psal. 34. v. 11. Agnoscamus hoc grato animo, dicentes cum Davide: Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus, Psal. 103. v. 1. seqq.

In Papatu sanctos demortuos invocant, & cuilibet certa sparta assignata est, quâ in re opem ferre debeat. In mortis periculo S. Rochus, in aquæ discrimine S. Nicolaus invocatur, S. Catharina de sapientiâ, S. Urbanus de commodâ temperie, S. Margareta de felici partu, S. Dorothea de divitiis compellatur, & ita ulterius. Verùm nefas hoc est. Deus solus invocandus est, exaudis orationem, ad te omnis caro veniet, ait David, Psal. 65. v. 3. Abraham nescit nos, & Israel ignorat nos; Tu Domine, Pater noster, Redemtor noster, à seculo nomen tuum, Esa. 63. v. 16.

Quibuscunque igitur indigueritis, sive sint spiritualia, sive corporalia, sive cœlestia bona, ab hoc Domino ea petite, dat enim simpliciter, & non improperat, Jac. 1. v. 5. Quin quò plus dat, eò plus dare potest. Est enim supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, Ephes. 1. v. 18. & ejusmodi divitiarum altitudo, quæ nunquam exhauriri potest, Rom. 11. v. 33.

II. *Ex piorum dignitate*; quos Christus hîc vocat filios lucis.

Naturâ tenebræ sumus, Eph. 4. v. 18. ob peccata, in quibus concepti & nati sumus, Psal. 51. v. 6. quæ etiam fraude Satanæ, & seductione corruptæ carnis, indies cumulamus, ut nemo dicere valeat: Mundum est cor meum, purus sum à peccato, Prov. 20. v. 9. volentibus enim bonum facere, malum adjacet, Rom. 7. v. 21.

Sicut igitur peccata opera tenebrarum vocantur, Rom. 13. v. 12. ita illi, qui illis dediti sunt, meritò filiis tenebrarum accensendi sunt, quia in operibus tenebrarum delectantur, quæ ad Principis tenebrarum voluntatem perpetrant, unde etiam aliquando partem suam habebunt in tenebris exterioribus, ubi erit fletus & stridor dentium, Matth. 22. v. 13.

Verùm Christo acceptum feramus, quod jam filii lucis, imò lux in Domino sumus, Eph. 5. v. 8. Eripuit enim nos de potestate tenebrarum, & fecit nos idoneos in partem sortis Sanctorum in lumine, Col. 1. v. 12.

Agnoscamus hoc, ut in ejus honorem in luce quoque ambulemus, Johan. 1. v. 6. seqq. Christus Servator noster est lux mundi, Joh. 8. v. 12. & Sol justitiæ, Mal. 4. v. 2. Sicut igitur ab illo Christiani dicimur, Actor. 11. v. 26. Sic lucere studeamus, sicut luminaria in mundo, in medio nationis pravæ atque perversæ, Phil. 2. v. 16. Sic aliquando ad eum perveniemus eò, ubi non occidet Sol ultra, & Luna non minuetur, Esa. 60. v. 20. Sed Dominus electis suis erit in lucem sempiternam, & nos ipsi fulgebimus sicut Sol in Regno Patris, Matth. 13. v. 34. & ut stellæ in perpetuas æternitates, Dan. 12. v. 3.

III. *Ex beneficentiæ utilitate*: Suscipiunt enim pauperes benefactores suos in æterna tabernacula. Æterna illa tabernacula sunt Regnum cœlorum, sive vita æterna, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo, Tob. 2. v. 8. Quando igitur hîc de pauperibus dicitur, quod benefactores suos suscipiant in æterna tabernacula, non ita hoc capiendum est, quasi eleemosynis nostris cœlum promereri possemus, aut, pauperes cœlum in manibus habeant, ut idem largiri possint, quibus vellent. Hoc sensu minimè hoc intelligendum est. Christus enim cœlum nobis promeritus est, & per meritum ejus & pauperes & divites ingrediuntur; non enim in aliquo alio salus, nec aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo possent salvari, Actor. 4. v. 12.

Interea tamen *certo modo* pauperes nos suscipiunt in æterna tabernacula, quando sedulò orant pro benefactoribus suis, sicut Abraham pro hospite suo Rege Abimelech intercessit, ut non modò sanitati restitutus, sed & civis veræ Ecclesiæ factus, Gen. 20. v. 17. Die ultimo surgent, & eleemosynas illas, quas acceperunt, coràm Domino publicè enarrabunt, Sir. 31. v. 11.

Ubi

Ubi Servator respondendo dicet: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Venite benedicti Patris mei, hæreditariò accipite paratum vobis Regnum à constitutione mundi, Matth.25. v.34.40.

Videte, ô optimi! Hâc ratione pauperes, quibus bona nostra erogamus, suscipiunt nos in æterna tabernacula, ita ut opulenti vitam æternam in pauperum ædibus quasi quærere possint. Quilibet proindè videat, ut bonis sibi suis multos amicos concilier, qui beneficentiæ ejus publicum testimonium præbere possint, die ultimo. Melius eleemosynas collocare non possumus, quam si cœlestia recuperemus pro terrenis, & æterna pro temporalibus. In hoc namque mundo habitamus in domibus luteis, Job.4.v.20. ubi mors adscendit per fenestras nostras. Jer.9.v.21. ibi verò felicissima vicissitudo nobis obtinget, & in æterna tabernacula suscipiemur, ubi non accidet nobis malum, nec plaga appropinquabit tabernaculo nostro, Psal.91. v.10. sed lætitia sempiterna erit super caput nostrum, gaudium & lætitiam obtinebimus, & fugiet dolor & gemitus, Esa.35.v.ult.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Fidelem te præsta*. Omnes enim dispensatores sumus, multiformis gratiæ Dei, 1.Petr.4. v.10. & quæcunque spiritualium & corporalium bonorum possidemus, non peculium nostrum sunt, sed feudum super quo nos Dominus dispensatores & œconomos constituit, unde etiam hæreditarius omnium gentium dicitur, Psalm.82. v.ult.

Jam verò nihil magis requiritur in dispensatoribus, quàm ut fidelis quis inveniatur, 1.Cor.4. v.2. Ita igitur bona concredita nobis administranda veniunt, quò aliquando coràm tribunali ejus rationem reddere valeamus. Nam unusquisque nostrûm pro se rationem reddet Deo, Rom. 14.v.12. ut referat, prout gessit, sive bonum sive malum, 2.Cor.5.v.10.

Deus nobis concredidit *animam rationalem*, quæ immortalis est, Eccles.12.v.7. Hujus ante omnia rationem habeamus, ne perdamus eam, Matth.16.v.26.

Subdidit Deus fidei nostræ *corpus benè dispositum*, membris distinctis exornatum, quæ omnia peculiares easque necessarias functiones sustinent, ut nullum alteri dicere possit, opera tua non indigeo, 1. Cor. 12. v.21. exhibeamus ergò illa servire justitiæ in sanctificationem, Rom.6. v.20. nec ex membris Christi faciamus membra meretricis, 1.Cor.6.v.15.

Deus nobis concredidit *bona temporalia*, frumentum, & vinum, & oleum, argentum & aurum, Os.2.v.8. nudi enim egredimur ex utero matris, nihil inferentes in hunc mundum, 1.Tim.6.v.7. Quicunque igitur honestè divitias possidet, is benedictionem hanc à Deo haber, quæ divites facit, quamvis non addatur labor, Prov. 10. v.22. & implet omne animal beneplacito, Psalm. 145.v.16.

Quodsi igitur & hâc in parte fideles dispensatores esse velimus, ante omnia honoremus Dominum de substantia nostra, h. e. ad cultum Dei, & sustentationem pauperum erogemus, Prov. 3. vers. 10.

Deinde & carnis curam non faciamus ad desideria, Rom.13. v. ult. & Tertiò liberis thesaurizemus, 2.Cor.12. v. 14. qui hoc non facit, fidem negavit, & est infideli deterior, 1.Tim.5. v.8.

Deus nobis dedit Filium suum unigenitum, cum omnibus beneficiis illis, quæ nobis sanctissimo merito suo acquisivit. Nam ab ipso habemus verbum & Sacramenta, sicut & fidem, spem, caritatem, & varias virtutes, quas per illa in nobis operatur: sicut & se pro nobis tradidit, in tribulationem ad consolandum, quo misericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, Hebr.2. v. 17. 18. in mortem ad redimendum, Os.13. v.14. in vitam ad reficiendum, Matth. 11. v. 28. in æternam glorificationem ad perfruendum, Phil. 3. v.21. Breviter: opus ejus est, ut credamus, Joh.6. v.29. gratia, ut justificemur, Rom.3. v.24. donum, ut salvemur, Eph.2. v.8. sine ipso facere nihil possumus, Joh.15. v.5.

Videamus proinde ne Christo resistamus, sed refectionem oblatam grato animo suscipiamus. Qui enim Christum cum Evangelio contemnit, spernit consilium Dei adversus seipsum, Luc.7. v.30.

Sic etiam à Domino hoc est, ut hic sit Ecclesiastes, ille Magistratus, iste Paterfamilias. Verbi Præcones non ex seipsis sufficientes sunt, sed sufficientia eorum ex Deo est, qui eos idoneos fecit ministros N.T. 2. Cor.3. v.5. In manu quoque Dei est potestas terræ, qui utilem rectorem suscitat in tempus super illam, Sir.10. v.4. & ut primos conjuges initiavit, ita adhuc illos copulat, Prov.19. v.14. & facit sterilem matrem filiorum lætantem, Psal. 113. v.ult. benedicitque timentibus eum, ut labores manuum suarum manducent, Psal. 128. v. 1. seqq. Ideo necesse est, ut vicissim ipsi fideles simus, servientes ei, in justitia & sanctitate corâm ipso, Luc.1. v.74. Quilibet in functione eâ, in quâ à Deo collocatus est. Quando ita Domino fideles sumus in dispensatione nostrâ, ipse vicissim fidelis erit in promissionibus suis, ut de omnibus verbis bonis, quæ se Dominus præstiturum esse pollicitus est, unum non prætereierit incassum, Jos.23. v.14. Tandem dicet nobis: Euge serve bone &c. Matth. 25. v. 23.

II. *Citationem considera.* Hic audimus, divitem hunc hominem, villicum suum severè citare, ubi apud eum diffamatur, & rationem ab illo requirere. Idem singulis nobis eveniet, die novissimo, quem statuit Deus, judicaturus orbem in justitia, Act. 17. v.31. ibi nemo se subducet, judex enim erit judex universæ carnis, Esa. 66. v.16. omnesque gentes congregabit ad tribunal suum, Matth. 25. v.31. ut unicuique reddat, secundum vias suas, & secundum fructum adinventionum ejus, Jer.32. v.19.

Ibi dicetur: Redde rationem villicationis tuæ, qualiscunque tandem fueris, sive verbi Minister, sive Magistratus, sive paterfamilias!

O quantus terror, quanta consternatio invadet tunc eos, qui iniquè bona Domini dispensarunt, & cum injusto villico illâ dissiparunt! Corâm judice enim hoc nihil abscondetur, quia omniscius est, Joh. 16. v. 9. Job. 13. v. 9. nemo illum effugiet, quia omnipræsens est, & dominatur in medio inimicorum, Psal. 110. v. 2. Nemo ipsi refragabitur & contradicet. Est enim omnipotens, furor hominum est laus ejus,

ejus, reliquiis furoris accinget se, Psalm. 76. v. 11.

Veri proindè Christiani cum timore & tremore salutem suam operentur, Phil. 2. v. 12. nullumque prætermittant diem, nullam horam, imò nullum momentum, quo ultimam hanc rationem non reminiscantur, eamque hîc in tempore gratiæ ita adornent, ut digni avadant stare coràm Filio hominis, nec confundantur in judicio ejus, Luc. 21. v. 37.

III. *Quid agendum delibera.* Hîc audimus, iniquum villicum continuò deliberare secum, ubi à Domino citatur, & dicere: Quid faciam? Fodere non valeo, mendicare erubesco, scio quid faciam.

Discamus hoc ab ipso, ut in tempore gratiæ quæramus: Quid faciam, cum surrexerit Dominus ad judicandum? Job. 31. v. 14.

Sic multi venerunt ad Baptistam, quærentes: Quid faciemus? Venerunt Publicani, dicentes: quid faciemus? Interrogarunt milites dicentes: Quid faciemus & nos? Luc. 3. v. 12. 14.

Sic cùm Judæi ad concionem Petri corde compungerentur, dixerunt: quid faciemus, viri fratres? Act. 2. v. 39.

Hoc ideò consignatum est nobis, ut quilibet, quando peccavit, in se descendere debeat, dicens: quid faciam? Tum Spiritus sanctus reponet: Age pœnitentiam, fac fructus pœnitentiæ dignos, Matth. 3. v. 28.

Quando verò diem salutis in securitate & impœnitentiâ prætermittimus, deindè non multùm proderit, licet dicamus: Quid faciemus? Hîc *vox pœnitentis* est, quâ peccata nostra dolemus, & de mediis soliciti sumus, quibus illa aboleamus: sicut Saulus quærebat, cum illum Christus Damasco vicinum prosterneret: Quis es Domine? Quid me vis facere? Act. 9. v. 6. Sed ibi erit *vox desperantis*, ubi damnati in inferno lamentabuntur, dicturi: O dolorem! O cruciatum! ô miseriam! Quid hic faciemus in flammâ infernali? Luc. 16. v. 24. Quid faciemus, in tenebris exterioribus? Matth. 22. v. 13. Quid faciemus, in puteo, in quo non est aqua? Zach. 9. v. 11. sed ignis & ligna multa; flatus Domini, sicut torrens sulphuris, succendens eam, Esa. 30. v. ult. O montes cadite super nos! & petræ abscondite nos, à facie sedentis super thronum &c. Apoc. 6. v. ult.

Optimum est, ut idem faciamus, quod Rex ille, qui decem millibus militibus instructus, cum audiret, alium cum viginti millibus occurrere sibi, cui non par erat, legationem mittens, rogabat ea, quæ pacis sunt, Luc. 14. v. 31. Idem & nos faciamus, & quia scimus, Dominum Dominantium adversus nos expeditionem movere, qui aliàs Dominus fortis & Heros in prœlio nominatur, Psal. 24. v. 8. humiliemur sub potenti manu ejus, 1. Petr. 5. v. 6. rogantes pacem, ne jure stricto nobiscum agat: quia non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens, Psal. 143. v. 2. Job. 9. v. 3. Quilibet proindè verâ cordis devotione oret:

Remitte nobis debita,
Ne nos molestent crimina,
Nostrisque debitoribus,
Delicta condonabimus:
Servire cunctos nos juva,
In pace & in concordiâ.

DOMINICA X. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 19. v. 41. ad fin.

EXORDIUM.

CUm Noa, Præco ille justitiæ post diluvium vineam plantavisset, bibensque vinum inebriatus esset, inde nudatus jacebat in tabernaculo suo: quod cum videret Cham, verenda scilicet Patris sui esse nudata, illusit Patri suo. Evigilans autem Noë ex vino, cum didicisset, quæ fecerat ei filius minor, ait: Maledictus puer Chanaan: servus servorum erit fratribus suis, Genes. 9. v. 20.

Deus est, qui fecit vineam in cornu filio olei, & sepivit eam, & lapidibus construxit eam, & consevit eam vitibus nobilissimis & præstantissimis, Esa. 5. v. 1. 2.

Hâc intelligitur Ecclesia, quam Christus ipse vineæ confert, Matth. 20. v. 1. Sicut enim vinea exterius sine splendore est, si aliis viridariis conferatur: Sic etiam Ecclesia in hoc mundo, est lampas contemta apud cogitationes divitum, Job. 12. v. 5. Deô verò eò gratior est: & quemadmodum hanc vineam sanguine Filii preciosè acquisivit sibi, Act. 20. v. 28. præ amore quasi inebriatus singulis annis expectat, ut faciat uvas, Esa. 5. v. 3. Quando verò omnis expectatio frustranea est, & impius mundus longanimitate ejus ad peccata abutitur, excitatur tanquam dormiens, & quasi Heros jubilans à vino, Psal. 78. v. 65. & maledictione impetit ejusmodi illusores, ut quasi in signum ponantur, in quod omnia tela variarum pœnarum irruunt, Job. 16. v. 13. & si hoc modo ad pœnitentiam adduci non possunt, eos aliquando cum maledictis abjiciet in ignem æternum, Matth. 25. v. 41. ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non exstinguetur, Esa. 66. v. ult.

Exemplum prostat in Ecclesia Judaica, quam Deus ex omnibus populis in peculium sibi elegerat, & veluti vitem fœcundam de Ægypto transtulerat, plantaverat eam, ut operiret montes umbra ejus: & palmites ejus Cedros Dei, Psal. 80. v. 9.

Verùm ubi planè degeneres, non modò labruscas ferebat, Esa. 5. v. 3. sed etiam convertebantur in palmites vitis alienæ, Jer. 2. v. 21. tandem defessus est misereri, Jer. 15. v. 7. & tetendit arcum suum quasi inimicus, extendit dexteram suam, quasi hostis: & occidit omne, quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion, effudit, quasi ignem, indignationem suam. Factus est Dominus velut inimicus: præcipitavit Israel, vastavit omnia Palatia ejus, Thren. 2. v. 4. 5.

Hoc factum est ultimâ vice per Romanos, sub Imperatore Vespasiano, ejusque filio Tito, A. C. 69. ubi omnia ad unguem impleta, quæ Servator in hodiernâ Pericope de eorum interitu prædixit: Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo; & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filias tuos, quæ in te sunt &c.

Planè

Planè enim desolata & in acervum lapidum redacta est, decretumque est, quod usque ad consummationem perseverabit, Dan.9.v.27.

Videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

QUod Salomo dicit de civitate, contra quam venerit Rex magnus & vallaverit eam, & vir pauper & sapiens potuerit eam liberare per sapientiam suam, si quis illius recordatus fuisset, Eccles.9.v.14. id haud inconcinnè Hierosolymæ applicari potest. Hæc à Romanis obsidione cincta & valdè coangustata est, potuisset autem liberari, si pauperis & sapientis Christi recordati fuissent, & in tempore, quæ ad pacem suam pertinerent, perpendissent. Videns enim urbem, flevit super illâ, quô indicavit, nihil se magis in votis habere, quàm ut ab instanti interitu illa præservaretur. Propterea pergit; Si cognovisses & tu, & quidem in hâc die tua, quæ ad pacem tibi &c.

Querela respicit

I. *Judæorum obdurationem*, quod nullo modo Christi admonitioni locum reliquerint, de quo ipse conqueritur, in prælecta Pericope, inquiens, quod cognoscere noluerint. Hoc ita justo Dei judicio factum, qui ejusmodi homines tandem in perversum sensum tradit, ut dicant: pax, pax, & non est pax, Jer.6.v.14. De obduratione enim & occæcatione verè dici potest, quod sit peccatum & pœna peccati. Mundus cæcus est, & tamen perspicacior esse vult, quàm Deus omniscius, ideò exprobrat id Judæis, dicens: Locutus sum ad te, cum res adhuc salvæ essent; Non audiam: hæc est via tua ab adolescentia tua, quia non audisti vocem meam, Jerem. 22. v. 21.

Infans, qui ire incipit, & adhuc titubat pedibus, si non duci vult manu parentum, sed eripit se ab iis, tandem quidem dimittitur, sed & pœna insequitur, ut in faciem prolabatur. Eodem modo Deus agit cum filiis immorigeris, quando illi ab ipso duci nolunt, excusso regimine ejus; non audivit populus meus vocem meam, & Israel non amat me, dimisi eos, secundum cogitationes cordis eorum, ibant in adinventionibus suis, Psal. 81.v.12. & hæc obduratio pœnas Dei præcedit, ut Ethnicus ille testatur, inquiens: *Iratus ad pœnam Deus si quos trahit, auferre mentem talibus prius solet, caliginemque effundit, ut ruant suas furenter in clades.* Id in Judæis adeò impletum est, ut vel ipse Josephus scribat: Puto, si Romani contrà noxios venire tardassent, aut hiatu terræ devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum ac Sodoma incendia passuram.

Si perpendimus, Vos mei! qualis in hâc mundi fece rerum facies sit: sanè inficias ire nequimus, sed fateri cogimur, Deum Spiritum vertiginis plurimis immisisse, ut quidem videamus omnis generis peccata patrari, sicut Christus & Apostoli dudùm prædixerunt, Matth.24.v.37. Luc. 17.v.1.21.v.34. 2.Tim.2.v.3. Verùm exitium, quod simul annunciant, non ponderamus, ut in tempore resipiscentes, mediis

illis utamur, quæ ad pacem nostram pertinent: sed profanæ sunt viæ nostræ omni tempore, alta sunt judicia Dei corám nobis, Psal. 10. v. 5.

Quis recordatur amplius trigesimalis belli, quod universam nostram patriam inundarat? Quis teterrimæ pestilentiæ, ubi ceciderunt à latere nostro mille, & decem millia à dextris nostris? Psal. 91. v. 6. quis mundiciem dentium, & indigentiam panum, in omnibus locis nostris? Amos 4. 6. ubi melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame: quoniam isti extabuerunt, consumti à sterilitate terræ, Thren. 4. v. 9.

Hoc non latet Deum, ideoque nos aliquoties denuò præmonuit, cùm per belli tempestatem, tùm per varios morbos, tùm etiam per insolitum Cometam: quæ omnia nihil aliud sunt, quam Præcones pœnitentiæ, ut in nos ipsos descendentes, quilibet dicat: Quid feci? Jerem. 8. v. 6. Verùm non irridetur Deus, Galat. 6. v. 7. Est ille justus judex, & Deus minitans per singulos dies, Psal. 7. v. 12. 14.

II. *Romanorum grassationem*, de quâ Christus: Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo: & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem.

Hic processus bellicus est. Ibi enim civitates obsidentur, & igne ac fame ita coangustantur, ut homines in petras & foramina terræ se abscondant, sicut & Hierosolymis factum est, hôc modo multa loca munita vi occupantur, quæ alias expugnari non potuissent. Quando enim homines fame ita macerantur, defendere se non possunt, & ita deditionem ad hostem facere coguntur: qui sæpè crudelissimè eos tractat, & instar pecorum mactat, ut & infantum in utero materno ratio non habeatur, 2. Reg. 8. v. 12. c. 15. v. 16. Multis manuum pollices amputantur, ut Adonibezec septuaginta Regibus fecit, & ita pœnam talionis expertus est, Jud. 1. v. 7.

Multis oculi effodiuntur, ut Regi Zedekiæ factum, Jer. 52. v. 11. Ita Basilius Imperator Constantinopolitanus egit cum Bulgaris, quorum quindecim millia cepit, iisque oculos eruit, ita tamen, ut inter centum uni oculum relinqueret, qui residuos nonaginta novem domum reduceret.

Interdum populi congregantur ut arena, Hab. 1. v. 9. & instar pecorum abiguntur, ut in peregrina terrâ moriantur, Es. 22. v. 15. sive pueri dantur pro cibo, & puellæ venduntur pro vino, ut bibantur, Joel. 3. v. 3.

Tandem & civitates quandoque exscinduntur, & igne comburuntur, & solo æquantur, sicut Abimelech Sichem fecit, Jud. 9. v. 45.

Breviter: Bellum est sentina malorum, in qua omnia mala confluunt, unde & absolutè malum dicitur, Esa. 45. v. 7.

Seriò proindè oremus: Da pacem Domine, in diebus nostris. Non enim fugit nos, quid moliatur infernalis Cacodæmon, quomodo operosus sit ad novum bellum ferendum, corám eo enim gaudet mœror, Job. 41. v. 13. Sicut igitur recidivorum morbi corpori humano prioribus periculosiores sunt: ita etiam bellum dilectam patriam nostram procul dubio magis affligeret, postquam illa viribus suis enervata

vata est, ut clausi quoque defecerint, & residui consumti sint, Deut.23. v.36.

Qui sapit admonitioni locum relinquat, & emendet vitam. Jam enim securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor &c. Matth.3.v.10.

III. *Contrariam Pontificum & Scribarum imaginationem*, qui quærebant Christum perdere.

Hæc gratia Christi est, quam reportat, quod templum illepurgat. Hæc sors adhuc hodiè omnes fideles verbi Præcones manet. Mundus enim omnes fideles admonitiones spernit, omnem castigationem respuens. Si quis liberius paulò loquitur, responsum capit: Num Consiliarius Regis es? quiesce, ne interficiam te, 2. Chron. 25. v. 16.

Johannes Hussius fidelis ille Ecclesiæ Doctor, templum repurgaturus erat, à quisquiliis, quibus Pontifex & Satellites ejus illud fœdarant: verùm insidias vitæ ejus tendebant: & ubi non inveniebant, quid facerent, salvum conductum ipsi pollicebantur, ut in Concilio Constantiensi, ad rationem de doctrina sua reddendam appareret, verùm contra datam fidem ipsum cremabant, cineres ejus in Rhenum dispergentes.

Quid B. Luthero accidit? Et ipse templum purgare incipiebat, indulgentiarum nundinatoribus mensas subvertebat, & ejiciebat illos verbo Dei. Hinc Papa Romanus ejusque asseclæ quærebant illum perdere: & quamvis gratia Dei ipsi incommodare non potuerint, attamen virulentissimas calumnias in eum effuderunt, eumque permissu Dei lingua percusserunt, Jer.18.v.18.

Qui adhuc hodiè munus suum fideliter obit, peccata & flagitia justo zelo taxans, nil nisi odium & persecutionem expectet: Non sumus meliores patribus nostris, 1.Reg. 19. v. 5. Si patrem-familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus? Matth.10. v.25.

Verùm vindicta Dei inveniet ingratos hos hospites suo tempore. Qui enim reddet mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus, Prov.17.v.13. Commendemus modò vindictam Domino, ipse faciet, Psal. 37. v. 5.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex lacrymarum Christi consideratione*, quæ profluunt,

1. *Ex rivulo affectus paterni*, quem hoc ipso Judæis & toti mundo commendat. Quomodo enim pater miseretur filiorum, misertus est Dominus timentium se, Psal. 103. v. 13. hinc appellatur Pater æternitatis, Esa.9. v.7.

Quando probus pater filiorum interitum videt, quos labore & molestia educavit, animi ille propterea angitur, & dolore perturbatur, ut Davidis exemplum de interitu Absolonis dolentis, probat, 2.Sam.18. v.33.

Sic Christum valdè sollicitum reddidit, cum Judæi spirituales ejus filii ipsi obsequi renuerent, incitato vero cursu in interitum ruerent, non enim delectatur in ullius hominis perditione, Tob. 3. v.22. sed mavult, omnes ad agnitionem veritatis & salutem pervenire, 1.Timoth. 2. v. 4.

2. *Ex rivulo affectus materni*: consolatur enim fideles suos, ut mater, Esa.66.v.13. & licet mater obliviscatur infantem suum, tamen non obliviscetur nostrûm, Esa.49. v.15.

3. *Ex rivulo affectus fraterni*. Quia ergò pueri communicaverunt carni & sanguini; & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret &c. Hebr. 2. v.14.

Sicut igitur Josephus cor suum fraternum abscondere non poterat, cum fratres ejus, quos per viginti duos annos non viderat, ad eum in Ægyptum venirent, sed effusè lacrymabatur ad conspectum illorum, Genes.45.v.2. sic & Christi viscera conturbantur, ubi Hierosolymam intuetur, & gravissimam pœnam prævidet, quâ fratres ejus Judæi, propter incessabilem impœnitentiam afficiendi erant, ideò lacrymis genas humectat, & hoc modo fraternum suum in illos affectum contestatur, quem & his verbis prodit: Nonne Ephraim est filius mihi carissimus? nonne in hoc filio sunt delitiæ meæ? Icèircò conturbata sunt viscera mea, super eum: miserans miserebor ejus, Jer.31.v.20.

II. *Ex Ecclesiæ reformatione.* Ubi enim Servator Urbem ingreditur, non in cauponam divertit, sed rectà in templum pergit, ejiciens vendentes in illo & ementes, qui illud hoc modo profanaverant, & in speluncam latronum commutaverant.

Hoc beneficium fideles Deus nobis quoque multifariam exhibuit, purgavitque Ecclesiam suam semel, per electum suum Organon *B. Lutherum*, qui nundinationibus Papisticis finem imposuit, & indulgentias ejus adeò exosas reddidit, ut ut nullos emtores invenerint amplius, sicut superius dictum. Deindè *per pacis reductionem*, ubi multis in locis Monachi & Jesuitæ Ecclesias relinquere coacti, quas tempore belli de facto occuparant, ut jam confidenter prædicetur in illis, Psal.12.v.6. & tertiò templa sua continuè mundat per fideles Ecclesiæ Ministros, & Pastores, quando impiam doctrinam & prophanam vitam reprehendunt, & ita evellunt & destruunt, quod Diabolus plantavit, Jerem.1.v.9.

Nos grato id animo agnoscentes, templa & sacraria nostra eò diligentius invisemus, qui enim ex Deo est, verbum Dei audit, Joh.8.v.4. quin & insigni utilitate afficietur ex promisso Dei: in quo enim loco memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi, Exod.20.v.24.

III. *Ex consiliorum hostilium annihilatione.* Principes enim Sacerdotum & Scribæ, & Principes plebis, quærebant illum perdere: at non inveniebant, quid facerent *illi*. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

Non igitur in Tyrannorum potestate situm est, ut nobis injuriam inferant, vel planè vitam eripiant. Omnes capilli capitis nostri numerati sunt, unus ex illis non cadet super terram, sine voluntate Patris cœlestis, Matth.10.v.30.

Jezebel Eliæ mortem juraverat, sed non poterat implere juramentum, Deus enim curru igneo, & equis igneis vivum eum in cœlum assumebat, 2. Regum. 2. v. 11.

Sic Rex Jojacim Præfectis suis mandavit, ut comprehenderent Baruch Scribam, & Jeremiam Prophetam: Verùm frustrà id

id erat, Dominus enim absconderat eos, Jer. 36. v. 26.

Laban insequebatur generum suum Jacobum, ut noceret ei: sed vidit in somnis sibi dicentem Dominum: Cave, ne quicquam asperè loquaris contrà Jacob, Gen. 31. v. 24.

Hostibus nostris voluntas hactenus non defuit nobis nocendi, ut truculentiam suam in nos exsererent, verùm non permisit id Deus:

Magnas agant astutias,
Vadit Deus vias suas
Manu suâ retractans.

Hic ulterius adhuc protegat nos adversus machinationes sanguinarias inimicorum nostrorum, & prohibeat, ne portæ inferorum prævaleant adversus Ecclesiam suam, Matth. 16. v. 18. tandem quando satis in acie stetimus, liberet nos ab omni malo, & salvos faciat in Regnum suum cœleste, 2. Tim. 4. v. 18.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt:

I. *Tempus visitationis agnosce.* Id Judæi non fecerunt. Deus majoribus eorum multa beneficia exhibuerat, eosque quasi super alas aquilarum portaverat, Exod. 19. v. 4. cibaverat illos panibus de cœlo, Exod. 16. v. 4. potaverat illos aquâ è silice, Num. 20. v. 11. è servitute Ægyptiacâ eos liberaverat, Exod. 14. v. 29. sicut oves per desertum deduxerat, Psal. 77. v. ult. per diem in columna nubis, & per noctem in columnâ ignis, Exod. 13. v. 21. & tandem induxerat in Regionem, lacte & melle manantem, Num. 14. v. 8. ubi accipiebant civitates magnas & optimas, quas non ædificaverant, & domus plenas omnis boni, quas non impleverant, cisternas, quas non foderant, vineta & oliveta, quæ non plantaverant, Deut. 6. v. 11. Verùm ingrati erant, & indies delinquebant, non credebant in mirabilibus ejus, propterea deficere fecit in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione, Psal. 78. v. 33. 34.

Sicut igitur pomum non procul à stirpe cadere solet: ita & Judæi tempore Christi vestigia parentum legerunt, ut non abs re illos Christus serpentes & genimina viperarum appellet, qui mensuram patrum suorum impleverint, & æternam damnationem sibi attraxerint, Matth. 23. v. 33.

Hæc etiam causa fuit, propter quam Deus tandem à gratia sua eos abjecerit, & Hierosolymam cum templo exscindi permiserit, ut dispersi in totum orbem sint, in exsecrationem, & in stuporem, & in maledictionem, & in opprobrium, Jer. 42. v. 18. Luculento exemplo, quod, qui cum peculio suo ejusmodi Tragœdiam egerit, nec hodiè contemtoribus gratiæ parsurus sit. Adhuc enim manus ejus extensa est, Es. 10. v. 4. arcus ejus tenta, & gladius ejus acutus, Psal. 7. v. 13. nisi pœnitentiam habuerimus, omnes similiter peribimus, Luc. 13. v. 3. 5.

Hinc Scriptura duarum dierum meminit, quæ sibi invicem consequuntur. Primus est dies gratiæ, quia in illa gratiam suam hominibus offert, & Tribubus Israel fideliter offert, Os. 2. v. 9. patiens enim ergà nos est, nolens ullum perire, 2. Petr. 3. v. 9.

Alter vocatur dies iræ, quæ certissimè

sequitur, ubi dies gratiæ in impœnitentiâ prætermittitur, & omnes admonitiones spernuntur, vocavi & renuistis, Prov. 1. v. 24.

Hoc non insuper habete, Vos mei! & quia dies salutis nobis præsto adhuc est, fructus pœnitentiæ dignos agite: nolite obdurare corda vestra, sicut in Meribâ, secundum diem tentationis in deserto, Psal. 95. v. 8. Alioqui dies iræ irrumpet, dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & obscuritatis, Joel 2. v. 2. ubi Deus fores gratiæ claudet, & licet multùm pulsemus, tamen dicetur: Non novi vos, Matth. 25. v. 12.

II. *Pacem quære.* Hîc Christum Judæis exprobrare audimus, quod non cognoverint, quæ ad pacem eorum pertinent.

Hæc vocula multa comprehendit, nempè omnia bona, unde olim Concordia à Gentilibus ita picta, ut cornu copiæ manu continuerit, ex quo omnis generis fructus enati fuerint, quo indicarum, tempore pacis nusquam inopiam esse, sed potius verificari, quod Dominus ait: Vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cœli dabunt rorem suum: & possidere faciam reliquias populi hujus universa hæc, Zach. 8. v. 12. Hinc Pax in Hebræô denominatur, Schalom, quod est à radice Schalam, quod propriè significat perfectum, absolutum, & adhibetur de structurâ templi Salomonæi, ubi consummatio ejusdem his verbis concluditur: Et perfecit omne opus, quod faciebat Salomo in domo Domini, 1. Reg. 7. v. 51.

Quilibet igitur pacem inquirat, & persequatur eam, Psal. 34. v. 15.

1. *In Choro.* Ut Ecclesiarum antistites stent in unô Spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii, Phil. 1. v. 28. Quamdiu architecti turris Babylonicæ eadem linguâ utebantur, opus benè succedebat: simulac verò confusio linguarum oriretur, ut non audiret unusquisque vocem proximi, cessarunt ædificare civitatem, Gen. 11. v. 6. ita etiam cum spirituali structura Ecclesiæ se res habet, ubi animarum Pastores concordiam colunt, & ad unum scopum, gloriam nempè Dei, & ædificationem Ecclesiæ, unanimi ore & corde tendunt, illic mandavit Dominus benedictionem & vitam usque in seculum, Psal. 133. v. ult. ut labor eorum non inanis sit in Domino, 1. Cor. 15. v. ult. ubi verò linguæ confunduntur, ut hic propriam gloriam, ille proprium commodum intendat, & mera invidia regnet, ibi quod altera manu ædificatur, altera destruitur, Gal. 5. v. 15.

2. *In foro.* Quando enim Senatores concordes, & ergâ subditos affectu paterno sunt, subditi verò ab illis omnia bona expectare possunt, ibi Respublica firmo pede stat. Funiculus enim triplex difficilè rumpitur, Eccles. 4. v. 12. Luc. 11. v. 17.

3. *In Thoro.* Tria enim probata sunt coràm Deo & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier, benè sibi consentientes, Sir. 25. v. 1. ex adverso verò, ubi zelus & contentio, ibi confusio, & omne opus pravum, Jac. 3. v. 16.

Sicut igitur Jehu ad equitem Jorami dixit: quid tibi & paci? 2. Reg. 9. v. 18. sic etiam ad rixosos dixeris: Quid tibi & paci? qui enim cum domesticis pacem non colit, is publicâ pace indignus est. Hinc Paulus: Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum, 2. Cor. 13. v. 12.

Sem-

Semper itaque memineritis ô optimi, quæ ad pacem vestram pertinent. *Felix civitas, quæ cogitat tempore pacis, quæ sunt belli,* dixit Imperator Fridericus III. Idem nobis dictum esto. Et licet Deus pacem nobis restituerit, ne abutamur eâ, quasi illam amittere non possemus. O optimi! ignis adhuc in cinere scintillat, & si Dominus punire vult, facilè muscæ, quæ est in extremo fluminum, sibilare potest, ut dilectam Germaniam nostram infestet, Esa.7.v.18. Semper itaque ad animum revocemus, quàm castigatio crudelis bellum sit, Jer. 30.v.14. & Domino adhuc longè agente, rogemus ea, quæ pacis sunt, Luc.14.v.32. Nam omnia in manu sua habet, & ut facit pacem, ita creat malum, Esa.45.v.7. ita tamen, ut diligentibus Deum, omnia in bonum cooperentur, Rom.8.v.28.

III. *Peccata defle.* Quando enim lacrymas Christi rectè intuemur, non modò illæ sunt lacrymæ amoris, quas ex commiseratione profudit, ut ad sepulchrum Lazari, Joh.11.v.35. sed & lacrymæ vocationis, quibus saxea Hierosolymitanorum corda ad pœnitentiam commovere voluit. Audiamus quid Poeta dicat:

Quid magis est durum saxo? Quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cavantur aquâ.

Quodsi igitur Christus flevit ob peccata aliena: quidni flere discamus propter peccata nostra propria, quibus omnia mala nobis attrahimus? Jer.2.v.19.

Athenis fuit ara Deæ Mentiæ consecrata in quâ præter lacrymas nihil offerri fas fuit. Hæc idololatria fuit. Nos potius in corde nostro altare erigamus, in eoque triplices lacrymas offeramus:

1. *Lacrymas compunctionis*, Buß-Thränen/ juxta illud Joel.2.v.13. *Nam lacrymæ peccatorum sunt deliciæ Angelorum*, ut Bernhardus ait, Luc.15.v.11.

2. *Lacrymas devotionis*, Bet-Thränen/ ut de precibus Tobiæ & Saræ dicitur, Tob.3.v.1. ejusmodi oratio in cœlum adscendit, & descendit Dei miseratio, Sir.35. v.21. Psal.51.v.19.

3. *Lacrymas dilectionis*, Liebes-Thränen/ quales David & Jonathan profuderunt, 1.Sam.20.v.41. Eph.4.v.3. 1.Cor.13.v.13. 1.Petr.4.v.6.

Has triplices lacrymas, lacrymæ Christi nobis excutiant. Caveamus verò ne eliciamus *lacrymas viduarum aut orphanorum*, quæ quidem ad maxillam descendunt, & exclamatio, super deducentem eas, Sir.35. v.18. aut *lacrymas Sacerdotum*, quæ Auditoribus minus expediunt, Hebr.13.v.17. aut *lacrymas pauperum*, quæ Dei vindictam accersunt, Psal.12.v.6. Habebimus sic Deum beneficum, qui absterget aliquando omnem lacrymam ab oculis nostris, Apoc.21.v.4. & ex hâc miseriarum valle transferet in arcem cœlestem, ubi non audietur ultrà vox fletus, & vox clamoris, Esa.65.v.19. sed quod hîc in lacrymis seminavimus, ibi cum exultatione metemus. Fiat id per Christum, Amen.

DOMI-

DOMINICA XI. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 18. v. 9.

EXORDIUM.

SErvi Hebræorum in V.T. hoc privilegio gavisi sunt, ut si sex annis servierint, septimo in libertatem asseri potuerint: Quicunque verò libertate donari nolebant, auricula illis perforabatur subulâ, ut essent servi in seculum, Exod. 21. v. 6.

Nos paucis abhinc annis etiam servi fuimus, ferreo belli jugo onerati, quod imminebat cervicibus nostris, ubi lassis non dabatur requies, Thren. 5. v. 5.

Postquam verò Deus Opt. Max. jugum illud excussit de cervicibus nostris, nosque in pristinam libertatem asseruit, multi reperiuntur, qui libertatem hanc suam malitiosè amittunt, dum pergunt in peccatis prioribus, maluntque servi peccatorum esse, Joh. 8. v. 35. quam libertatem, quam ipse Filius, tanquam verus pacis Princeps nobis acquisivit, ubi nos ab omni iniquitate liberavit, retinere, Joh. 8. v. 36.

Hoc non exiguum, sed mortiferum maledictum, quo Noa filium suum impium Cham oneravit, ut esset servus servorum, Gen. 9. v. 25. non inveniatur hoc in hæreditate Jacob, Sir. 23. v. 15.

Cum olim Romani Legatos suos Carthaginem certis de causis mitterent, & cives illos præfractis responsis exciperent, unus ex Romanis dixit: Non opus esse multis verbis, afferre se hîc in sinu suo pacem & bellum, eligerent modò quicquid vellent. Cives Carthaginenses hoc ipso non movebantur, sed pergebant in obstinatia suâ dicentes: Promeret modò quid vellet: Tum bellum Romanus sinu suo excussit, inquiens: Accipite ergò bellum, bellum ad sufficientiam habebitis.

Nos eodem modo procedimus: Deus nobis almam pacem concessit, quæ est

1. *Thesaurus Ecclesiæ*: Legati enim pacis, qui antè foris amarè flebant, Esa. 33. v. 7. jam stant super custodiam suam vicissim, Esa. 21. v. 8. & fiducialiter prædicant, Psal. 12. v. 6.

2. *Thesaurus Reipublicæ*. Duo enim illi filii perditi: Velociter spolia detrahe, citò curre, Esa. 8. v. 1. nunc separati sunt, omnis terra habitatur & quiescit, Zach. 1. v. 11. Seniores in Senatu liberè sedent, & de bonis terræ tractant, 1. Macc. 14. v. 9. hinc misericordia & veritas obviant sibi, justitia & pax osculantur se, Psal. 85. v. 12.

3. *Thesaurus Oeconomiæ*. Agricola sementem suum facit sine curâ, in pace metit, nec verendum est Midianitas vastare proventum terræ, ut tempore Gideonis, Jud. 6. v. 4. Negotiatores in frequentiâ iter faciunt, & securè mercimonias tractant, Gen. 37. v. 28. Mechanici quoque opus suum perficere possunt in pace, Sir. 38. v. 28. Non amplius se habet, ut in prioribus diebus, ubi merces hominum non erat, nec merces jumentorum erat, neque introëunti, neque exeunti pax erat præ tribulatione: sed dixit Dominus exercituum, ut

semen

ſemen pacis ſimus: vinea dabit fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & cœli dabunt rorem ſuum, & poſſidere facit nos univerſa hæc, Zach. 8. v. 10. 12.

Hæc ingens gratia eſt, quâ ſupremum Numen, poſt tantos belli tumultus nos viciſſim affecit. Sed plurimi id non attendunt, ſed abutuntur felicitate hâc ad ſecuritatem & impietatem, ut Sodomitæ, Ezech. 16. v. 49. 50. ut non abs re conqueraris: Hæccine reddis Domino, popule ſtulte & inſipiens, Deut. 32. v. 6.

Ideò ſurrexi jam tanquam pro Chriſto legationem fungens, 2. Cor. 5. v. 20. & affero quaſi bellum & pacem in ſinu meo. Quodſi beneficia Dei grato animo agnoveritis, eique gratias egeritis tàm verbis, quàm operibus, ulterius cogitationes pacis ſuper vos cogitabit, Jerem. 29. v. 11. Sin minus: facilè virgam conficiet aliam, non enim irridetur Deus, Gal. 6. v. 7.

Teſtes hodie invoco in vobis cœlum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, Deut 30. v. 19. probate potiora, Phil. 1. v. 10. inquirite pacem; & perſequimini eam, Pſal. 34. v. 15. Gratias Domino agite pro omnibus bonis, quæ exhibuit nobis, ſedulò orantes ut gratioſum hoc donum in diebus noſtris conſervare dignetur, tanquam Dominus faciens pacem, & creans malum, Eſa. 45. v. 7.

Hoc propoſitum noſtrum non incommodè adjuvabit prælecta Pericope, ſiquidem præſenti Dominicâ ſolenne pacis reſtitutæ feſtum celebramus,

Videbimus ergò inſtituti noſtri memores,

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegeſis.

CUm Deus ob temeritatem Davidis, quòd populum numeraſſet, iratus eſſet ſuper Hieruſalem, & Angelo percutienti mandaviſſet, ut diſperderet illam, facilè pœnituit eum ſuper afflictionem, & ait Angelo percutienti populum: ſufficit: nunc contine manum tuam, 2. Sam. 24. v. 16.

O optimi! Infernalis ille Abaddon etiam crudeliter graſſatus eſt, in dilectâ Germania noſtrâ, ut terra, quæ antè erat quaſi hortus Eden, nunc fit quaſi ſolitudo deſerti, Joel. 2. v. 3. Sed gratia Dei vivi ad tempus illud pervenimus, ubi vox acceptabilis inſonuit: Sufficit, nunc contine manum tuam. Gladii enim hoſtis conſumti ſunt, Pſal. 9. v. 7. Hinc vox exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum, Pſal. 118. v. 15.

Quia verò juxta Poetam:

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri:

Audiamus, quid Dominus Angelo Philadelphiæ ſcribere jubeat: Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam, Apoc. 3. v. 11.

Sed methodum noſtram obſervantes *Querelam* videbimus, quæ reſpicit

1. *Pacis oſores*, qui ſunt Papa & aſſeclæ ejus. Quemadmodum enim Phariſæus publicanum contemnit: ſic & nos lampas contemta ſumus, apud cogitationes divitum,

ddd tum,

tum, Job.12.v.5. Maximè verò à Pontifice velut hæretici excommunicamur & damnamur, nec digni habemur, qui ex aëre respiremus, nedum tanto beneficio fruamur, sicuti Monasterii contra pacem protestatus, postmodum etiam peculiarem Bullam publicavit, in quâ omnia quæ inter Imperatoriam Majestatem, Dominum nostrum Clementissimum, & Reges Sveciæ & Galliæ unitos acta sunt, pro nihilo declarat. Jesuitæ quoque pridem Comœdiam egerunt, in quâ pacis constitutiones contumeliosè traduxerunt, & tandem ad patibulum relegarunt.

Hoc ipso hi homines ostendunt, cujus filii sint; Deus enim Deus pacis est, 2. Corinth. 13. v. 11. & Christus Princeps pacis, Esa.9.v.7. Quicunque igitur pacem odio habet, non à Deo est, nec Spiritum Christi habet, Rom.8.v.9. Verè ergò pertinet ad Synagogam Satanæ, ad filios Beelzebub, quibus non est pax, Esa.48. v.ult. sicut pater eorum est homicida ab initio, Joh. 8.v.44. imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius, Sap.2.v.ult.

Bellum est verum tohu vabohu, ubi adeò omnia turbantur, ut omnia errent in solitudine, Psal.107.v.4. Tum enim infantes alliduntur in oculis parentum, domus diripiuntur, & uxores violantur, Esa. 13. v.16. ut pueri & senes, virgines & juvenes jaceant in terrâ, Thren. 2. v.21. prægnantes interficiuntur & scinduntur, 2. Reg. 15. v. 16. juvenes confodiuntur gladio, Jer. 18. v. 21. hinc Gentiles palatium Martis ita delinearunt, ut omnes parietes, omnia conclavia, imò tectum ipsum ex ferro sint, undiquaque sanguine conspersa, & partim igne repleta, intrinsecus sedente morte tetrico vultu, quo indicarunt, in bello, nil nisi cædes & homicidia, spolia & incendia grassari. Alias pœnas & plagas vocat Deus virgas virorum, & plagas filiorum hominum, quia in illis semper gratiæ & misericordiæ suæ recordatur, 2. Sam.7. v. 14. verùm bellum castigatio crudelis est, Jer.30. v.14. in quâ Deus mittit iram indignationis suæ, Psal.78.v.49. ut nulla sit curatio, 2. Paral. 36. v.16.

Attamen malitiosi illi homines semper bellum optant, & ubique classicum canunt, ut Magnates terræ ad diffidia provocent. Et quidem, id suopte exitio fieri potest, ut quia bellum serunt, bellorum messem metant. Interea rogamus Deum ex animo, ut pacem nobis ille conservet, aufferens bella, usque ad finem terræ, Psal. 46. v. 10. ut aliquando verè dicamus: Omnis terra habitatur & quiescit, Zach. 1. v. 11. Concordia enim res parvæ crescunt: discordia magnæ dilabuntur. Hoc ipsa experientia docuit nos, ideò nullum bellum cupimus; sed pax delitiæ nostræ: eamque, quantum in nobis est, cum omnibus habebimus, Rom.12.v.18. Beati enim pacifici, Matth.5.v.9.

II. *Obstinatos peccatores*, qui peccatis adsueti in iisdem pergunt, pœnitere renuentes. Hâc in parte Pharisæus in hodierno Evangelio melior ipsis, adscendit enim in templum, ut oraret, nec minus honestati operam dedit, non erat raptor, injustus, adulter, jejunabat bis in Sabbatho, decimasque dabat omnium, quæ possidebat: hæc mera bona opera sunt, quæ facere studeamus, Rom.2.v.9.

Sed hoc parùm observatur: Pharisæus adscendit templum ut oraret: Inter

Inter nos pauci sunt, qui orationibus publicis intersunt: execratores verò & blasphemi ubique audiuntur. Sed non concedet Deus ut nomen ejus sanctum polluatur amplius, Ezech.39. v.7.

Pharisæus non fuit adulter: sed hodie unusquisq; ad uxorem proximi sui hinnit, ut equi libidinosi, Jer.5.v.8. Quod inde est, quia nō debito zelo in flagitium hoc animadvertitur, cui qui affines sunt, mortis tamen rei pronunciantur, Lev. 20. v.10.

Pharisæus non erat injustus. Hodiè querela Michæ obtinet: Periit sanctus de terrâ, & rectus in hominibus non est &c. Mich. 7. v.2. quod si violentia fieri nequit, fraudibus exercetur, sub prætextu justitiæ. Nam sicut cavea plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo, Jer.5.v.27. hinc imminuunt mensuram, & augent siclum, & supponunt stateras dolosas, Amos 8. v.5. Verùm injusti Regnum Dei non possidebunt, 1. Cor.6. v.10.

Pharisæus bis jejunavit in Sabbatho. Quis hodiè est, qui corpus suum ita affligat? Facilius reperies, qui vix bis in septimanâ sobrii sint, præcipuè inter potentes ad bibendum vinum, & fortes ad miscendam ebrietatem, Esa.5.v.22.

Pharisæus dedit decimus omnium, quæ possedit! Hoc nemo facilè imitabitur. Nam facilè beneficentiæ modum ponimus. Hoc inde est, quia Christo non creditur dicenti: Date & dabitur vobis, Luc. 6.v.38. Hinc non mirum, quod loco benedictionis maledictio sequatur. Qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam, Prov.28. v.27.

Hi ita pacis fructus sunt, quibus hactenus gratum nostrum animum contestati sumus. Putatisne verò, Deum id impunè laturum? Minimè. Non Deus volens iniquitatem tu es, Psal.5. v.6. Quicunq; igitur sapit, quiescat agere perversè, & discat benefacere, Esa.1. v.16. Vult enim Deus ut zelotes simus bonorum operum, Tit. 2. v. 14. & per illa fidem nostram ostendamus, Jac.2.v.17. hoc qui non fecerit, à Christo reprobrabitur, Matth.25. v.41.

III. *Vanos gloriatores.* Qui multùm gloriantur de bonis operibus, in corde verò ne scintillam fidei habent & amoris, quod tamen oculi Dei vel maximè respiciunt, Jer.5.v.3.

Ideam habemus in prælectâ Pericope in Pharisæo, qui quidem rectè fecit, quod bonorum operum studiosus fuit: quia verò illa pompose ostentat, iisque meritum adscribit, & gloriam hominum captat, hoc ipso meritorum mercedem amittit. Domino enim soli gloria debetur: ideò conclusit omnes in incredulitatem, ut omnium misereatur, 1. Roman. 11. v.32.

In Papatu jactabundi ejusmodi Pharisæi plurimi inveniuntur, qui peregrinationibus religiosis, votis monasticis, flagellationibus, aliisque cultibus electitiis cœlum promereri satagunt. Nota est vox Monachi illius Argentinensis: Domine, da mihi, quod promisisti, quia feci ego quod jussisti. Verùm iniquè. Quod si enim omnia fecerimus, quæ præcepta sunt nobis, dicamus: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus, Luc. 17. v.10.

Inter Nostrates quoq; ejusmodi gloriosi occurrunt, qui ore dicunt, Domine,

Domine, Matth.7. v.22. & externè honestam vitam ducunt: reipsa verò hypocritæ sunt, qui exterius sanctitatem simulant, cor verò ipsorum in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis est, Actor. 8. v. 28. Orant illi, Pater noster, in corde verò putant aurum robur suum, & obrizo dicunt: Fiducia mea, Job.31. v.24. Orant: Sanctificetur nomen tuum: intereà quærunt gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei, Joh.12. v.43. Petunt: Adveniat Regnum tuum: intereà Regnum gratiæ in cordibus suis perdunt, ut peccatum regnet in mortali suo corpore, Rom.6. v.12. Precantur: Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè: & tamen proximo bolum è faucibus eripiunt, quo ipso ceu sorices produnt se, quod in numero eorum sint, quos Siracides homines sanguinis, & homicidas appellat, Sir.35. v.25. Orant: Remitte nobis debita nostra, ut & nos remittimus debitoribus nostris: nec tamen peccatis valedicere, multò minus proximo ignoscere volunt, ideòque nec ipsi remissionem sperare possunt, ut Christus dilucidè ait, Matth.18. v.35. Petunt: Ne nos inducas in tentationem: & ipsi in peccata præcipites ruunt, dum peccatis suis Diabolum alliciunt, qui κατ' ἐξοχὴν tentator dicitur, Matth.4. v.2. Precantur denique: Domine, libera nos à malo: & tamen Dominum subindè ad iram provocant, qui creat malum, Esa. 45. v. 7. & animam & corpus in gehennam perdere potest, Matth. 10. v.28.

Hæc oratio iniquitatis est, quæ in cœlum adscendere nequit. Deus enim peccatores non audit, Joh.9. v.31. ideò humiliemur sub potenti manu ejus, 1. Petr. 5. v.6. ut Daniel, cap.9. v.19. Superbi tibi ab initio non placuerunt: sed mansuetorum & humilium semper tibi placuit deprecatio, Judith.9. v. 15.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex templorum restitutione*, quæ per pacis constitutionem recuperavimus. De Pharisæo & Publicano dicitur, quod adscenderint templum ut orarent. Hoc de templis A. C. hujus civitatis dici non potuit, quæ per quatuordecim annos clausa & Auditoribus interclusa fuerunt: ut sub dio in frigore & æstu, pluviis & tempestatibus sacra sua peregerint. Jam nobis templa nostra restituta sunt, Dei gratiâ, ad quæ cum caterva ambulare possumus, in voce exultationis & confessionis, cum sono festivitatis, Psal.42. v.5.

Hæc ingens gratia est, pro quâ nunquam Deo dignas gratias agere possumus. Templa etenim sunt

1. *Domus nostræ informationis*, ubi Doctor eruditæ linguæ, Esa.50. v.4. per Præcones suos nos utilia docet, Esa.48. v.17. artem piè credendi, patienter sustinendi, devotè orandi, piè vivendi, & beatè moriendi: quæ supereminens scientia est, Eph.3. v.19.

2. *Domus nostræ consolationis*. In hoc mundo multæ tribulationes justorum, Ps. 34. v.20. ut ad pacem amaritudo nobis amara, sicut Hiskiæ, Esa.38. v.17. optimè igitur facit, qui cum Assaph in Sanctuarium Dei intrat, Psal.73. v.17. ibi reperitur solatium adversus peccata: Christus quippè donavit nobis omnia delicta, delens, quod

adver-

adversus nos erat chirographum, Col. 2. v. 14. Solatium contrà mortem, cujus stimulum ille abstulit, 1. Cor. 15. v. 55. Solatium contra tentationes mundi, Christus namque mundum vicit, Joh. 16. v. 33. Solatium adversus omnes miserias, Deum enim diligentibus omnia in bonum cooperantur, 1. Rom. 8. v. 28.

3. *Domus nostra orationis*, ubi quasi manu facta Deum adorimur, & hæc vis ei grata est, ut Tertullianus ait. Omnes qui ita confluxerunt ad eum, non confusæ sunt facies eorum, Psal 34. v. 6. Hinc vocatur domus orationis, Luc. 19. v. 64.

O Optimi! invisemus in posterum diligentius sacraria nostra, ne dicatur, ut in Evangelio dicitur: Adscenderunt *duo homines* in templum, ut orarent: sed turbæ irruant in illa ut audiant verbum Dei, Luc. 5. v. 1. Ne Christus propter verbi contemtum exeat de templo, & nunquam revertatur, ut Judæis accidit, Joh. 8. v. 59.

II. *Ex liberi exercitii confessione.* Hic audimus, & Pharisæum & Publicanum adscendere in templum ad cultum Deo litandum. Hoc probè notandum; Judæi enim sub Imperio Romanorum erant, nec habebant Regem, nisi Cæsarem, ut ipsi confitentur, Joh. 19. v. 15. attamen Cæsar non impediebat, quò minus religionem suam liberè exercerent, quia nemo cogitur, ut credat invitus, ut Theodoricus dixit.

Hanc gratiam impetrare non potuimus, tempore Deformationis, qui enim characterem bestiæ recipere noluit, cum magno incommodo, & jactura bonorum temporalium solum vertere, & in exilium migrare coactus fuit, quod etiam hîc penè factum, ut Acta Augustana probant.

Ast nunc Dei gratia à jugo hoc immunes sumus, ut confidenter prædicare possimus, Psal. 12. v. 6. & perstet conscientiæ libertas sua. Stemus ergò in libertate, quâ Deus nos liberavit, Gal. 5. v. 1. oremusque Dominum, ut hanc gratiam & ad posteros nostros propagare dignetur, confirmetque quod operatus est in nobis, Psal. 68. v. 29. Hæc oratio non frustranea erit. Propè enim est Dominus invocantibus se, Psal. 145. v. 8. id respectu nostrûm quoque faciet, conteretque Satanam sub pedibus nostris brevi, Rom. 16. v. 20.

III. *Ex tranquillâ propria domus possessione.* De Publicano memorat prælecta Pericope, quod descenderit in domum suam.

Magna felicitas est, si dicere possis: Ego eo in domum meam, tu is in domum tuam, ille it in domum suam. Id tempore belli dici non potuit: omnia enim direptioni obnoxia erant: nemo dicere poterat, hæc mea sunt. Simulac milites limen salutabant, dicebant: Veteres migrate coloni!

Hîc iterum Deo gratiæ agendæ sunt, pro almâ nobis restitutâ pace. Jam quilibet in pace domum suam repetere potest, & sub vite suâ, & sub ficu suâ securè habitare, 1. Reg. 4. v. 25. Nunc in pace cibum nostrum comedere possumus, & eò melius credere Salomoni, quod melior sit buccella sicca cum pace, quam domus plena victimis cum jurgio, Prov. 17. v. 1. Nunc in pace quiescere possumus in lecto nostro, nec timendum, quenquam esse, qui nos exterreat, Levit. 26. v. 6.

O quanta gratia! quis condignè eam

prædicabit? Licet multa dicamus, attamen in verbis deficiemus, Sir. 43. v. 29. Observamus ergò illud Augustini: *Fac justitiam & habebis pacem, duæ amicæ sunt pax & justitia, quæ se invicem osculantur, qui igitur vult unam, & alteram non facit, frustrà laborat.* Vultis igitur filii pacis esse, & hoc bono diutius frui? Seminate vobis in justitiâ & metite misericordiam: arate vobis arationem: tempus autem requirendi Dominum, donec veniat, qui docebit vos justitiam, Ose. 10. v. 12. Id in summa perfectione fiet, quando aliquando perveniemus in habitationem pacis, Esa. 32. v. 18. & palmas in manibus gestantes, Apoc. 7. v. 9. Alleluja cum gaudio cantabimus, in omnibus plateis cœlestis Hierusalem, Tob. 13. v. 22.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt:

1. *Templum frequenta.* Hâc in re & Pharisæus & Publicanus exemplo nobis suo præiverunt. Licet enim non eandem devotionem afferant, propositum tamen eorum eatenus laudandum est, quatenus unà ad domum Dei proficiscuntur.

Discamus hoc ab ipsis, si pacem nobis concessam conservare voluerimus, juxtà illud: Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, Matth. 6. v. 33.

Quando itaque Deus à morbis, aut ex alio periculo nos liberavit, prima hæc nostra via sit, ut ad domum Domini proficiscamur. Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum, ut illuc adscendant tribus, tribus Domini, Psal 122. v. 34. & hoc ipsum quærit Deus per tribulationem, quâ nos ad se attractus est, ut serviamus ei omnibus diebus in justitiâ & sanctitate, coràm ipso, Luc. 1. v. 25.

Ubi quæso melius nobis erit, quàm eo in loco, ubi memoria nominis ejus fuerit, ibi venturus est ad nos & benedicet nobis? Exod. 20. v. 24. Gloriosa dicuntur in te, civitas Dei, Psal. 87. v. 3. hæc mysteria Dei sunt, abscondita à seculis, nunc verò tempore ultimo innotescunt, Eph. 3 v. 9. Deum enim nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit, Joh. 1. v. 18. Iccircò eò libentius ibi degamus cum Davide dicentes: Domine diligo habitaculum domus tuæ, Psal. 26. v. 8. Esa. 2. v. 3.

Hoc unicum est necessarium, quod si commendatum nobis habuerimus, optimam partem elegimus, quæ non auferetur à nobis, Luc. 10. v. 41.

Verum contrarium hodiè proh dolor experientia ostendit: plurimi obliviscuntur domus Domini, inhiantes terrenis, & festinantes in domum suam, Hagg. 1. v. 10. sive properantes ad domum convivii, Eccl. 7. v. 3. ut Belsazer, Dan. 5. 4. aut ad domum meretricis, ut juvenis ille, Prov. 7. v. 22. hoc verò non misericordiam provocat: sed potius iram excitat & furorem accendit, Judith. 9. v. 12.

Propterea libentius ad domum Domini ambulemus, non deserentes collectionem nostram, sed adhortantes, & tantô magis, quantô videritis appropinquantem diem, Hebr. 10. v. 25.

Ad hoc gravissima nos causa impellat, maximè postremis hisce temporibus, ubi Sata-

Satanas ubique classicum canit. Veluti enim Joas in infantia suâ à furore Athaliæ, quæ omne semẽ Regium interfecit, sexennium in domo Domini absconditus est, donec eum Sacerdos Jojada produxit, & diadema Regium ei imposuit, 2.Reg.11. v.1. seqq.

Sic domus Domini quasi asylum nostrum est, quò in omnibus adversitatibus confugere possumus, sic abscondemur à superbia virorum, Psal.31.v.21. ut non moveamur vehementer, Psal.62.v.3. non quidem propter domum, sed propter Dominum, qui ad se venientem non ejiciet foràs, Joh. 6. v.38.

II. *Diligenter ora.* Adscenderunt enim in templum, ut orarent. Hæc necessaria pars est, quam hodiè solenni hoc pacis festo, & aliàs semper observemus. Veluti enim aqua per canales in civitatem derivatur: Sic & fluvii divinæ gratiæ unicè per canales orationis ad nos defluunt, juxtà illud: Petite & accipietis, Matth.7.v.7.8.

Quod si cœlestis Pater in Ecclesiâ, Politiâ & Oeconomiâ benedictione suâ nos ornare debeat, oratio non negligenda, sed summum Numen invocandum est, ut in clientelam suam adversus Diaboli, & asseclarum machinationes nos recipere, & tueri dignetur. Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laborabunt, qui ædificant eam, Psal.127.v.1.

Cum exploratores Mosis ad torrentem Escol venirent, abscindebant palmitem cum uva suâ, quam portaverunt in vecte duo viri, quò popularibus suis illum ostendere, & fœcunditatẽ terræ promissæ, eò luculentius demonstrare possent, Nũ.13,29.

Ita pulcherrima uva pacis, quam Deus quasi in vecte nobis præferri sinit, ad veram pietatem nos excitet, ut mundo, ejusque concupiscentiis valedicamus, & quod reliquum est in carne, non desideriis hominum: sed voluntati Dei vivamus, 1.Petr. 4. v.2. quin & quotidie genibus flexis Deum invocemus, ut quod in nobis cœpit bonum opus, ad posteros propagare, & perficere velit, usque in diem Jesu Christi, Phil.1. v.6.

Verùm hîc parùm emendationis cernitur. Statæ quidem horæ precationi destinatæ sunt, at pauci eas visitant, vel licet accedant illas, attamen sine devotione orant, sed ululant modò, Os.7.14. aut in opere operato confidunt, ut Pharisæus noster in Evangelio. Verùm hoc ipso parùm Deo ministratur. Oculi enim ejus respiciunt fidem, Jer.5.v.3.

Diligentius igitur ad orandum conveniamus, ac hactenus factum, si pacem conservare velimus. Verè enim Origenes: *Plus valet unus sanctus orando, quàm mille peccatores præliando.* Sicut Moses oratione suâ Amalec devicit, quod vix Josua pugnando obtinuisset, Exod.17. v.11. Potissimùm verò hoc solatium nobis restat, quod devoluturus sit nobis Deus deprecationem pacis & veritatis, Jer.33.v.6. & ita confortaturus seras portarum nostrarum, Ps.147. v.13. ut nulla sagitta ab hoste mittenda sit in eam amplius, ut de Hierosolymâ dicitur 2.Reg.19.v.32.

III. *Beneficium pacis deprædica.* Hîc Pharisæum Deo gratias agere percipimus, quando ait: Deus, gratias tibi ago, quia non sum, sicut cæteri hominum: raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.

Licet

Licet autem minimè probandus fastus hîc subest, dum aliis superciliosè se præfert, tamen in genere gratiarum actionem ab eo discamus, maxime hodierno die, ubi nobis in memoriam revocamus, maxima illa beneficia, quæ nobis Deus per restitutionem pacis exhibuit, in omnibus Hierarchiis, & Domino confiteamur, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus, Psal. 118. v. 1.

Eo fine Deus olim in V. T. festa anniversaria, Paschatos, Pentecostes & tabernaculorum ordinavit, ne Israelitæ oblivi-scerentur beneficiorum ejus, sed gratâ mente ea recolentes fidem suam confirmarent. Hinc David: Suscitavit (Deus) Testimonium in Jacob: & Legem posuit in Israel &c. Psal. 78. v. 5. 6. 7.

Idem nobis quoque dictum esto. Hâc enim ex causa Deus præ omnibus aliis Creaturis ejusmodi linguis nos ornavit, quæ verba articulata proferre possunt, ut illas laudibus Dei aptemus, & cum Davide nos ipsos excitemus, dicentes: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo & Psalmum dicam Domino. Exsurge gloria mea &c. Psal. 57. v. 9. 11.

Hâc in parte sancti Dei homines exemplo suo præiverunt nobis. Israelitæ, Exod. 15. v. 1. Num. 21. v. 17.

De Davide dicit Siracides: Pro singulis rebus præclarè gestis gratias agebat sancto Altissimo, egregio Cantico. Cantabat ex toto corde, & diligebat eum, qui ipsum creaverat, Sir. 47. v. 9.

Quantum Jubilum excitavit Rex Josaphat, cum filios Ammon, Moabitas, & habitatores montis Seir sine armis prostravisset? Congregati enim sunt in valle benedictionis, & benedixerunt ibi Domino, 2. Chron. 20. v. 26. Hæc exempla nos quoque imitemur, ut sit vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum. Verum enim semper & ubique manet: Dextera Domini fecit virtutem, Psal. 118. v. 16. hoc placebit Domino super juvencum, cornua producentem & ungulas, Psal. 69. v. 33. Nam sacrificans laudem, honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutem Dei, Psalm. 50. v. ultim.

Hanc DEUS largiatur nobis omnibus, Amen!

DOMINICA XII. POST TRINIT.

Evangelium Marc. 7. v. 31. -- 36.

EXORDIUM.

De Josepho memoratur, quod Dominus propter illum benedixerit domui Putiphari. Ab eo enim tempore, quo eum domui & bonis suis præfecerat, Deus multiplicavit tàm in ædibus, quàm in agris cunctam ejus substantiam, Gen. 39. v. 5.

Josephus Typus Christi fuit. Sicut enim Deus propter Joseph domui Putiphari benedixit: Ita adhuc hodiè benedicit spi-

spirituali domui suæ, quæ Ecclesia est, 1. Tim.3.v.15. & quidem in omni benedictione spirituali in cœlestibus, Eph. 1. v.3. ut non injuriâ alloquamur animam nostram cum Davide: Benedic anima mea Domino, Psal.103.v.1.5.

Deinde, sicut Josepho omnia prosperè succedebant; nam Dominus cum ipso erat: Ita de Christo dicitur, quod unxerit eum Deus Spiritu sancto & virtute: hinc pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, Actor. 10. v.38.

Tertiò, veluti Joseph ab uxore Domini sui calumniis lacessitus, & carceri inclusus, tandem ab ipso Rege exaltatus, & Pro-Rex Ægypti constitutus est: Ita Synagoga Judaica agnoscere noluit amplissima illa beneficia, quibus illi Servator obviabat, sed omnia calumniis & conviciis proscidit, nec cessavit, donec in ligno eum suspenderit, crucifixum occiderit, & tandem in sepulchro, velut in obscuro carcere concluserit, putavitque non amplius eum consurrecturum, Psal.41.v.9. Verùm Pater ejus cœlestis suscitavit illum à mortuis, & constituit ad dexteram suam in cœlestibus, Eph.1.v.20. ut non modò in Ecclesiâ militante in his terris præclarum illud *ἐπινίκιον* canatur: Omnia benè fecit: sed ministrant quoque ipsi decies centena millia Angelorum, Dan.7.v.10. & canunt cum jubilo: Nunc facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia projectus est accusator fratrum nostrorum. Propterea lætamini cœli, & qui habitant in eis, Apoc.12.v.10.12.

Præclarum exemplum habemus in prælectâ Pericope, ubi Christus surdum & mutum restituit, ut perfectè ille audire & loqui potuerit. Id insuper habebant Pharisæi: at turba probè perspiciebat, miraculum hoc à Deo esse, ideò suprà modum admirantes, dicebant: Omnia benè fecit.

Nos instituti nostri memores videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

NOs miseri homunciones, propter lapsum Protoplastorum, quasi Satanæ mancipia facti sumus, quos laqueis suis irretivit, à quo captivi tenemur ad ipsius voluntatem, 2.Tim.2.v.ult. ideò de filiâ illa Abrahæ dicitur, quod alligaverit eam Satanas spiritu infirmitatis, Luc.13.v.16.

Ejusmodi laquei plurimi sunt. In prælecta Pericope unus exhibetur, cujus aures alligavit, ut audire, & linguam, ut loqui non possit: En miseram hujus viri conditionem! At Christus vel verbo illum curavit, Nam Ephata dixit, quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.

Querela respicit

1. *Morborum corporalium frequentiam.* Peccato hoc acceptum ferendum: Qui enim delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus Medici, Sir.38.v.15. In Paradiso nullus morbus locum habuisset: sed arbor vitæ hominem in perpetua sanitate conservasset, Genes. 2. vers. 17.

postquam verò Diabolo ille adsensit, ut contrà Dei interdictum de fructu arboris in medio horto, quæ nomen de scientiâ habuit, decerpserit & comederit, cum peccato mors, ejusque antesignani varii morbi introducti sunt, ut nunc omnes moriamur, & quasi aquæ dilabamur in terram, quæ non colliguntur, 2.Sam.14. v.14.

Julius Cæsar cepit cervum, quem monili ornatum, his verbis dimisit: Hoc me Cæsar donavit. Hic cervus post mille annos à Corolo, Galliæ Rege captus est, ut Simon Majolus scribit.

Nos Dilecti! & ipsi monile gestamus, quod est peccatum, & varia ex peccato fluentia mala, de hoc non incommodè dicere possumus: Hoc nos Adam donavit, ut hodietenus pòst quinque mille annos in his miseriis degamus, & querelam hanc ingeminare teneamur: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt, Ezech.18.v.2.

Quemadmodum igitur in Nosocomio aliquo, omnia conclavia infirmis repleti sunt, cæcis, claudis, surdis, leprosis, paralyticis, hydropicis, aliisque id genus hominibus: Ita & mundus ejusmodi Nosocomium est, plenum ægrotis, ubi quilibet infirmitatibus suis laborat, ut non abs re Lutherus dixerit: *Quot membra, tot mortes.* Hic claudus est ut Mephiboseth, 2.Sam.4. v.4. ille cæcus, ut Tobias, Tob.2.v.11. iste pestilentia laborat, ut Hiskias, Esa.38.v.21. Hic paralysi, ut servus Centurionis, Matth. 8.v.6. iste febri, ut socrus Petri, Matth.8. v.14. iste leprâ, ut Naaman, 2.Reg.5.v.1. infectus est. Hic mutus est & surdus, ut miseriæ speculum in Evangelio, ille æger pedibus, ut Assa, 1.Reg.15.v.24. iste clandestino dolore percitus, ut Paulus, qui stimulum ejusmodi in carne sensit, 2.Cor.12. v.7. Et quis omnes infirmitates enarrabit, quibus homo ob peccata obnoxius est. Nam caro ejus dum vivet, dolebit, & anima illius in ipso lugebit, Job.14.v.ult.

Hæc consideratio meritò superbiam reprimat. Sumus enim nil nisi terra & cinis, ut Abraham dicit, Genes.18. v.27. & gerimus corpora infirmitatis, Phil.3.v.ult. mortalia corpora, Rom.8. v.11. corpora peccati, Rom.6. v.6. quæ fœno & flori agri comparantur, Psal.103. v.15. & ut vapor transeunt, Jac.4.v.14. Ecquid igitur superbiamus? Nihil sanè causæ est: omnes enim mortem circumferimus, & licet quis pulchritudine Absolonem, 2.Sam.14.v.25. aut fortitudine Samsonem, Jud.15. v.15. aut divitiis Salomonem æquaret, 1.Reg.10. v.23. attamen mortem non evitabit: sed immotum manet effatum Dei: Terra es, & in terram reverteris, Gen.3. v.19. Sir.10.9.

II. *Miseria spiritualis coharentiam.* Coràm Deo enim meri Nabales seu stulti sumus, qui non intelligimus, quæ pacis nostræ sunt, Luc.19.v.42. propterea Deus ipse nos equis & mulis confert. Psal.32. v.10. quin & boves & asinos nobis præfert, qui præsepe Domini sui agnoscunt, Esa.1.v.3. nos verò adeò rudes sumus, ut sæpè oculis nostris non videamus, auribus nostris non audiamus, & corde nostro non intelligamus, Esa.6.v.10.

Equidem multi habent prurientes aures, ut nova captent, sicut Athenienses, Act.17.v.20. sed verbum Dei ipsis onus est, Jer.23.v.39. & intolerabile ipsis videtur, si per horulam cultui divino interesse de-

debeant, ut Judæi dicebant: Quando transibit mensis, & venundabimus frumenta, & Sabbathum, & aperiamus frumentum, Amos 8. v.5.

Sic & multi occurrunt, qui prompti sunt ad stultiloquium, aut scurrilitatem, Eph.5. v.4. aut ad execrationes & blasphemias, ut Rabsaces, 2. Reg. 19. v.6. obmutescunt verò ad loquendam justitiam, Psal.58.v.2. Hinc canes muti inveniuntur in Ecclesia non valentes latrare, Esa.56. v. 10. sed placentia loquuntur auditoribus, propter pugillum hordei, & fragmen panis. Ezech. 13. v. 19.

Occurrunt canes muti inter Magistratus, qui hominum iram magis verentur quàm Dei, aut muneribus se corrumpi sinunt: Xenia & dona excœcant oculos judicum, & quasi ligamentum in ore avertit correptiones eorum, Sir.20.v.31.

Quin & canes muti sese offerunt in vitâ communi, quando Parentes in disciplinâ negligentes sunt, ut Eli, 1.Sam.3.v.13, sive socordes sunt ad psallendum, ut pudeat eos laudis Dei, Sir.51.v.37. quod clarè indicat, parum devotionis in corde esse. Ex abundantia enim cordis os loquitur, Matth. 12.v. 34. iccircò indigni sunt, quibus Deus oculum videntem, aurem audientem, & linguam loquentem concesserit: quia membris his tantùm ad peccata abutuntur, & membra iniquitatis exhibeat, quibus rectius servire justitiæ debebant, Roman.6.v.19.

Sicut igitur Christus dixit Ephata, & hoc verbo aures ejus aperuit, & vinculum linguæ ejus solvit: Ita adhuc hodiè verbi Præcones, quasi tuba exaltent vocem suam, Esa. 58. v. 1. & spiritualibus his mutis ac surdis acclament: Ephata, adaperi aures tuas, peccator obstinate! & verba vitæ suscipe, Joh.6.v.69. quæ potentia Dei sunt, ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. Ephata, & vide salutem, quam facit Dominus in populo suo, Exod.14.v.13. Ephata, adaperi labia, & ora semper ad Dominum, & suscipiet orationem tuam, sicut sacrificium vespertinum, Psal.141.v.2. dabitque tibi petitiones cordis tui, Psal.37. v.4. Hoc si non attenditur, aliquando dicetur: Inferne Ephata! ubi ejusmodi contemtores gratiæ ad infernum detrahentur, ad latus laci, Esa.14. v.15. in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11. sed ignis & ligna multa: flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam, Esa.30.v.ult.

III. *Rerum prohibitarum appetentiam.* Quantò magis turbæ Christus præcipiebat ne cui dicerent, tantò magis prædicabant.

Idem hodietenus accidit. Principio Deus hominem ad imaginem suam condiderat, ut Creatorem suum perfectè agnosceret, nec modò voluptate caperetur, ad voluntatem ejus vivendi: sed & vires aderant, ut idem in summa perfectione præstare posset. Quia verò ex destinata malitia à Creatore suo descivit, & ad Satanæ impulsum de arbore vetitâ comedit: imaginem Dei cum concreata justitia & sanctitate ille deperdidit, & ejus loco successit *ignorantia in intellectu*, ut homines natura nunc tenebræ sint, Ephes. 5. v. 8. nec sapiant ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum, Matth. 16. v. 23. *malitia in corde*, ut omne figmentum cogitationum cordis ejus tantummodò malum sit omnibus diebus, Genes.6. v.18. & *repugnantia in voluntate*, ut homo post lapsum nihil aliud sit, quam

Decalogus inversus. Quæ enim lex jubet, non facit, quæ verò prohibet, ad ea facienda proclivis est, ut Paulus de seipso conqueritur, Rom. 7. v. 22. & ut Poëta canit:

Nitimur in vetitum semper cupimusque negata.

Ideam habemus in Israelitis, quibus verè applices: *Semper contrarius esto*. Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, Jer. 44. v. 16. Vide Exod. 16. v. 27. Num. 14. v. 44. 2. Chron. 36. v. 16.

Nos multa exempla eminus arcessere non opus est: Filii hujus seculi hodierno die hoc vitio laborant, ut Spiritus sancti regimen non suscipiant, sed dicant: Manda, remanda: manda, remanda, Esa. 28. v. 16.

Id quotidiè experiuntur fideles verbi Præcones. Quantò magis enim flagitia hominum, quæ passim invaluerunt, fervente zelo taxant: tanto illi magis obstinatè resistunt. Hinc quidem gementes illi faciunt officium suum, Hebr. 13. vers. 17. at Deus tempore suo id requiret, & retribuet illis, unicuique retributionem in caput ipsorum, Sir. 17. v. 19. Qui igitur nocet, noceat adhuc: & qui justus est, justificetur adhuc, Apoc. 22. v. 11. die ultimo, videbimus, quid intersit inter justum & impium, & inter servientem Deo, & non servientem ei, Mal. 3. v. ult.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex Christi digito*, quem infirmi hujus auriculæ immisit, & eo auditum ipsi restituit. Non enim comparatum est cum Servatore nostro, ut cum idolo Dagon, cujus palmæ manuum abscissæ erant, 1. Samuel. 5. v. 4. Sed duo habet brachia, & duas manus, dextram & sinistram. Sinistrâ vulnerat, dextera verò medetur, & sanat vulnera, quæ percussit, Job. 5. v. 18.

Sicut igitur aliàs quælibet manus naturaliter quinque digitos habet: sic & Christus Servator quinque digitis præditus est.

Primus est pollex, à pollendo, & notat divinam ejus omnipotentiam, qua potest subjicere sibi omnia, Phil. 3. v. ult.

Secundus est *index*, quâ nos in via vitæ instruit, Psal. 32. v. 8. & quanta pati nos oporteat, pro nomine ejus, indicat, Actor. 19. v. 26.

Tertius est *medius*, & signat miracula ejus, quæ nemo facere potest, nisi fuerit Deus cum eo, Joh. 3. v. 2. quemadmodum enim medius longissimus est, & longissimè extenditur: sic & Christi virtus & omnipotentia extendit se super omnia, quæ in cœlo & in terra sunt, in mari & in omnibus abyssis, Psal. 135. v. 6.

Quartus vocatur *Medicus*, in quo aurei annuli gestantur, quia opinio est, ab hoc digito venulam ad cor pertingere, quod cum auro singularem *συμπάθειαν* habeat, & eô corroboretur. Illo indicatur, Christum esse Sanatorem nostrum, Exod. 15. v. ult. & petram cordis nostri, Psal. 73. v. 26. quin & protectorem vitæ nostræ, Psal. 27. v. 2. Sicut omnes laborantes & oneratos ad se vocat, ad reficiendum illos, Matth. 11. v. 28.

Quintus isque *minimus*, dicitur *auricularis*,

ræ, quem procul dubio Servator huic surdo & muto in auriculam immisit: sicut adhuc hodie hoc digito valdè negotiosus est,& omnibus Christianis aures aperit, ut verbum prædicatum penetrare, & posteà in corde radicare & fructum edere possit, Luc. 8. v. 15.

Confidite proinde, Vos mei! nec desperate, quando in varias tentationes incidiris: Si JEsus noster digitulum modò movet, salus vobis parata est. Nam præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutisque ejus,neque unum deficit, Esa.40. v. 26.

Caveamus modò ne manus nostras sanguine innocente inquinemus, Esa.1. v.15. aut ad iniquitatem extendamus, Psal.125. v.3. sed levemus puras manus, sine irâ & dubitatione, 1.Tim.2.v.8. Aliàs avertet non modò manum,sed & faciem suam à nobis, Psal.27.v.9. sicut à Judæis, quibus in ira suâ dixit: Non addam, ut ultrà vos liberem, Jud. 10. v.13. hinc sequitur *πανωλεθρία*. Væ enim, ubi recessero ab eis, Os.9. v. 11.

II. *Ex forti imperativo.* Ubi enim ad infirmum ait: Ephata! statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, ut non modò audiat, sed & loquatur rectè.

En Sanatorem peritissimum, & felicissimum! Non enim indiget herbâ neque malagmate ad curationem: sed sermone suo omnia sanare potest, quæ desperata videntur, Sap.16. v.12. Scivit hoc Centurio Capernaiticus,ideò dixit: Domine,dic tantùm verbum, & sanabitur puer meus, Matth.8. v.8.

Alii Medici morbum pedetentim expellunt, qui homines impetu uno invasit: Verùm hic Medicus infirmum hunc plenariè in momento restituit,ut loqui & audire perfectè possit. Dictum enim ejus, est factum, Psal.33. v.9.

Alii Medici non sine pretio infirmos visitant: verùm id non attendit Servator, ideò hîc venit in medios fines Decapoleos, in terram arenosam & petrosam, quam Hiram respuebat, cum Salomo ipsi offerret pro lignis, quæ ad templi structuram concesserat, 1. Reg.9. v.12. luculento indicio, quod non propter se, sed propter nos homines in mundum hunc venerit, Matth. 20. v. 28.

Alii Medici quandoque ægrotis immites se præbent, ut ab iisdem multos dolores sustineant, ut exemplum Hæmorrhousæ docet, Luc.9. v.43. Verùm hic Medicus compatiens est, propterea ingemiscit,ubi infirmum hunc contuetur. In omnibus enim tentatus est, sicut & nos: & in quo passus est ipse, & tentatus, potens est eis, qui tentantur, auxiliari, Hebr.2.v.ult.

Quodsi igitur morbo vel aliis calamitatibus immersus es: confide in hoc Domino, qui hîc egregium specimen edidit; omnes enim filii ejus sumus, ideò conturbantur viscera ejus, miserans miserebitur nostrûm, Jer. 31. v. 20.

III. *Ex benefactorum cumulo*, quorum intuitu causam habemus ei gratias agendi & cum turbâ exclamandi: Omnia benè fecit!

Adam primus noster parens omnia malè fecerat, & per transgressionem suam peccatum introduxerat, & cum peccato mortem, Rom.5. v.10. ad quod nos quoque conferimus, quando sicut Adam trans-

transgredimur pactum, Os.6.v.7. Sed quod Adam deperdidit, Christus velut secundus Adam restituit, Rom 5.v.17. Hinc Vates:

Unus homo nobis moriẽdo restituit rem. Dum nos reconciliavit cum Deo Patre, Rom.5.v.10. & ita illuminavit vitam & incorruptionem per Evangelium, 2.Tim. 1.v.10.

Hoc de omnibus operibus & creaturis Dei intelligendum est. *Bona condita sunt omnia, sed malè utentibus quedam data sunt in flagellum*, ait Eucharius. Confer Sir.40. v.33. Intereà Deum diligentibus cooperantur omnia in bonum, Rom. 8.v.28. Dum enim judicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. 1.Cor.11.v.31.

Quando igitur in tribulationibus constitutus, vel diuturnis morbis immersus acerbos dolores sustinere cogeris, revoca tibi in memoriam hoc dictum: Dominus omnia benè fecit, & collige hinc, quod neque te patietur tentari, suprà id, quod potes, 1,Cor.10.13.sed tandem eripiet & glorificabit, Psal.91.v.15. ut videas justitiam ejus, Matth.7.v.9.

Si mors amicissimos quoque tibi abripit, animam in patientia custodi, nec contristare sicut illi, qui spem non habent, 1.Thess.4.v.13. sed dic cum turba hac: Omnia benè fecit. A facie enim mali collectus est justus. Veniet pax, requiescet in cubili suo, Esa.56.v.2.

Quodsi ipse à morte salutaris ad mundo valedicendum: noli expavescere! sed tranquillo animo expecta eam: Dominus qui omnia benè fecit, & hâc in parte benè faciet, & gratia atque solatio suo te corroborabit, ut mortem superare & in vitam transire possis. Ibi demùm verè canemus: Omnia benè fecit. Amen, Amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui me misit, habet vitam æternam, Joh.5.v.24. ibi implebitur, quod Christus dixit: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, Joh.16.v.22.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur à modo, Apoc.14.v.13. In vita æterna terrestrem hanc habitationem deponemus, 2.Cor.5.v.1. fulgentes sicut splendor firmamenti, Dan.12.v.3 & ut Sol in Regno Patris, Matth.13.v.43. ibi quæ in lacrymis seminavimus, cum exultatione metemus, Psal.126.v.ult.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Miseris succurre.* Hîc audimus homines quosdam beneficos se offerre, qui muti & surdi curam gerant, eumque non modò Christo adducant, sed & pro eo intercedant, ut ei imponat manum. Procul dubio audiverunt, quomodo antehâc leprosum nudo contactu mundarit, & Petri socrum à febri liberarit, Matth.8.v.3.15. nec non filiam Jairi à mortuis excitarit, Matth.9. v.25. ideò non dubitant, quin Dominus impositione manus hunc quoq; curaturus sit. Mutatio enim dexteræ ejus, Ps.77.v.11.

Discamus hoc ab ipsis, ut & nos necessitatibus sanctorum communicemus, Rom. 12.13. Requirit id caritas Christiana; sumus enim membra ejusdem corporis. Sicut igitur membrorum corporis humani hæc ratio est, ut, si unum patitur membrũ, compa-

patiantur omnia membra, gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra, 1.Cor.12.v.26. Pari ratione & nos proximi rationem habeamus, ut si prosperâ fortuna utatur, intercedamus pro incolumitate ejus: sin adversa, ut malum ab eo avertat Deus, vel ita moderetur, ut faciat cum tentatione evasionem, 1.Cor.10. v.13. hoc bonum est, & acceptum coram Servatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvari, 1.Tim.2.v.4.

Non itaque mala consuetudo est, ut infirmi ad preces Ecclesiæ confugiant; hoc Jacobus diu suasit, Jac.5.v.15. & experientia testatur, preces has non sine effectu esse. Propè enim est Dominus invocantibus eum, Psal.145. v.18.

Quilibet igitur, quando ægroti publicis precibus Deo commendantur, devotè pro iis intercedat, ex hac consideratione, quod & tempus venire possit, quo & ille aliorum intercessione egeat. Unde Christus ita Orationem adornavit, ut dicamus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie &c. dilucidè significans, ut non modò pro nobis oremus: sed aliorum miseriam precibus nostris adjuvemus. Hoc si ita fit, ut alter alterius onera portet, adimplebimus legem Christi, Gal.6.v.2.

Qui verò aliorum oratione adjuvari volunt, hoc observent, ne & ipsi eandem domi obliviscantur, & ita se gerant, ut causam habeamus pro salute eorum intercedendi. Inutilia enim terræ pondera, qui fruges tantummodò consumere nati, vel aliis exitiosi sunt, non merentur Christianam intercessionem, nisi eatenus, ut Deus eos ad frugem reducat, & nisi converti possint eosdē exitio tradat, ne & sancti propter eos cōvertantur ad stultitiā, Ps.85.v.9.

Cæterùm Christiana caritas de omnibus meliora quæq; sperat, nec cogitat malum, 1.Cor.13.v.6. Perperam igitur illi agunt, qui in aliorum infortunio gaudent, & pro precibus animum vindictæ cupidum produnt. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, Prov.24.v.18. potius diligamus inimicos nostros, oremus pro lædentibus & persequentibus, ut simus filii Patris, qui in cœlis est, Matt.5.v.44.

II. *Medico pare.* Christus miraculosus est Medicus, qui vilibus quidem utitur mediis, sed salutarem effectum edentibus, si in tempore adhibeantur. Hîc audimus, quod miserū hunc hominem à turba seorsim abducat, mittat digitos ei in auriculam, & exspuens tangat linguā ejus: deindè suspiciens in cœlum ingemiscat, dicēs: Ephata; Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.

Tu etiam ejusmodi ægrotus es, mi Christiane! ideò vide ne Medici hujus curationē contemnas. Si te à mundo seorsim abducit, promte sequere, & obliviscere domum Patris tui, Ps.45.v.11. & omnia quæ retrò sunt, Phil.1.v.14. nam si quis mundum diligit, non est caritas Patris in eo, 1.Joh.2.v.15.

Ponit tibi digitum in auriculas, subsiste, ut Spiritus sanctus in te operetur. Nam quicunq; Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei, Rom.8.v.14. Qui verò resistunt, ut Judæi, Act.7.v.51. durum erit his contrà stimulum calcitrare, Act.9.v.6.

Si vult linguam tuam solvere, pande os tuum, dicens: O Domine, sine te nō possum Jesum Dominum dicere, 1.Cor.11.3. te verò aperiente os meum, & labia mea tangente, benedicam te in omni tempore: semper laus tua in ore meo, Psal.34.v.2. Rectè loquar *respectu Dei*, quæ modesta, justa & ca-

& casta sunt, Phil.4.v.8. Rectè *respectu proximi*, ut sermo meus semper in gratiâ sale sit conditus, Col.4.v.6. ne ulli dem offensionem, 2.Cor.6.v.4.

Instructioni hoc inserviat vestræ, fratres! Christus adhuc hodiè vilia media ad animæ nostræ curationem adhibet, nempè verbum & Sacramenta. Verbum est sermo Crucis, attamen placuit ei per stultitiam prædicationis, salvos facere credentes, 1.Cor.1. v.18.21.23. Eodem modo se res habet cum Sacramentis. In baptismo enim aqua abluimur, & tamen ille nos salvos facit, 1.Petr.3. v.21. In Cœna nil videmus & gustamus nisi panem & vinum, & tamen *κοινωνία* est corporis & sanguinis Christi, 1.Cor.10.v.15.seqq. quibus ad vitam æternam nutrimur, Johan.6. v.54. Quod si absurdum videtur rationi nostræ, consideremus omnipotentiam Christi, Eph.3.v.20. 1. Cor. 10. v.5. Intereà spe salvi simus, Rom.8.v.24. scientes, quod quando Christus vita nostra apparuerit, & nos appariturі simus cum ipso in gloriâ, Col.3.v.14. Joh.12. v.26.

III. *Gratum te præbe.* Exemplo est turba in Evangelio, cui nos quoque conformemus, ut nullum momentum prætermittamus, quo non gratias pro beneficiis illi agamus. Bonum est confiteri Domino, Psal. 92. v.2.

Debemus Deo hanc gratiam,

1. *Jure creationis.* Sicut enim Adamum primum è glebâ terræ formavit, & spiraculum infudit ei, Gen.2.v.7. sic adhuc hodiè nos format in utero, & inde extrahit, Job.11. v.12. Dicamus ergò cum Davide: Laudo te, quod stupendo modo factus sum, Psal. 139. v. 14.

2. *Jure Redemtionis.* Sic enim Deus dilexit mundum &c. Joh 3.v.16. Cum enim sub potestatem Satanæ devenissemus, & concreatam justitiam & sanctitatem amisissemus, nemo erat neque Angelorum, neque hominum, qui nos redimere potuisset, Psal. 49. v.9. Sed audi cum admiratione, quid Deus fecerit? *Ut servum redimeret, Filio non pepercit*, Bernhardo dicente, Rom.8. v.22.

Rursus itaque gratias agentes, cum Zacharia dicamus: Benedictus Dominus Deus Israel, Luc.1. v.68.71.

3. *Jure Sanctificationis.* Quia enim naturâ filii iræ sumus, Eph.2.v.3. generatio mala & adultera, Matth.12. v.39. nec possumus videre Regnum Dei, Joh.3.v.5. ille nos in baptismo in hæredes adoptavit, Tit.3.v.7. & quotidiè Spiritum sanctum cordibus nostris immittit, qui adjuvat infirmitatem nostram, Rom.8. v. 27. & bonum opus perficit, usque in diem Jesu Christi, Philip. 1. v.6.

Hîc denuò gratiarum actione opus est. Deus enim qui dives est in misericordiâ, propter multam caritatem suam, quâ dilexit nos, convivificavit nos, Eph. 2. v. 4.

Sed corde fiat non ore tantùm, ne conqueratur Deus: Appropinquat mihi hic populus ore suo, & labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me, Matth.15.8.

In omnibus igitur gratias agite, hæc enim est voluntas Dei in Christo Jesu, in omnib' vobis, 1.Thess.5.18. Etenim Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare & confiteri, honorificum est, Tob.12.v.7. Sacrificans laudem, honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutem Dei, Psal.50. v.ult.

Sit ipsi laus & gloria in secula seculorum, Amen.

DOMI-

DOMINICA XIII. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 10. v. 23. -- 37.

EXORDIUM.

EX utraque parte propitiatorii, olim steterunt duo Cherubim, qui alis suis illud operierunt, & se mutuò, versis vultibus in propitiatorium respexerunt, Exod. 25. v. 17. 20.

Christus verum propitiatorium est, quem proposuit nobis Deus, per fidem in sanguine ipsius, Rom. 3. v. 25 ut nunc cum fiduciâ adire ad thronum gratiæ possimus, & gratiam invenire, in auxilium opportunum, Hebr. 4. v. ult.

Quemadmodum igitur Cherubim, in utroque latere propitiatorii steterunt, & versis vultibus in illud respexerunt, sed alis operierunt illud, ne plenè inspici posset: Sic Christus scopus & centrum totius Scripturæ est. De eo scripsit Moses, Joh. 1. v. 14. illi omnes Prophetæ testimonium perhibent, Act. 10. v. 43. illum omnia sacrificia & typi præfigurarunt, Hebr. 10. v. 1. Verùm in V. T. alis Cherubim opertus & obumbratus fuit, quò minus eâ claritate conspici potuerit, ut posteà in N. T. factum est, & indies adhuc fit, ab omnibus illis, qui verâ fide ipsum apprehendunt. Videmus gloriam ejus, gloriam, quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis, Joh. 1. v. 14. velamen ablatum est, 2. Cor. 3. v. 16. umbra cessat, Hebr. 10 v. 9. Nunc amplius nulla irrationalia sacrificia habemus, sed sacrificium, quod Deo offerimus, est rationalis cultus, Rom. 12. v. 1. Non indigemus quoque sanguine taurorum & hircorum, quô Judæi ad emundationem carnis opus habebant, Hebr. 9. v. 13. sed sanguis Jesu Christi, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 8.

Conformitas vero utrinque in eo consistit, quòd videmus in collatione utriusque, quomodo novum in veteri lateat, & vetus in novo pateat, quo ipso in fide nostrâ valdè confirmamur. Jesus Christus enim heri & hodiè, & idem etiam in secula, Hebr. 13. v. 8. hoc qui credit, signat, quod Deus verax est, Joh. 3. v 33.

Interea hoc discrimen manet, de quo Christus in prælecta Pericope: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt: siquidem N. T. diei, vetus verò nocti confertur, Rom. 13. v. 12. Sicut igitur nox timorem & pavorem, Psal. 91. v. 5. dies verò lætitiam affert omnibus creaturis: nam dulce lumen, & delectabile est oculis videre Solem, Eccles. 11. v. 7. Ita in V. T. nil nisi timor & pavor erat. Lex siquidem iram operatur, Rom. 4. v. 15. at Evangelium per Apostolos in toto orbe dilatatum, lætificat corda, Psal. 19. v. 8.

Nos instituti nostri memores videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

SApientissimus Regum Salomo, meminit generationis, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis, Prov. 30. v. 12. Ejusmodi generatio sive potius degeneratio proponitur nobis in prælecto Evangelio, in Scribâ de quo Evangelista memorat, quod surrexerit, tentaturus Jesum: Verùm ita illi obviat, ut suo ipsius gladio jugulatus abire coactus fuerit, ut mox audiemus.

Querela respicit

I. *Propriam justificationem.* Scriba hic seipsum justificatum ibat, dicens: Quis est proximus meus? Hoc vitium nobis omnibus innatum est, ut nefas nostrum non agnoscamus, sed illud excusemus & palliemus, quantum fieri potest: Sicut Adam & Eva consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, Gen. 3. v. 7.

Sic Cain seipsum justificaturus, dicebat: Nunquid custos fratris mei sum ego? Gen. 4. v. 9. Nec non Saul cum Agago Amalekitarum Regi, & melioribus ovibus & armentis pepercisset, sub prætextu, ut immolarentur Domino Deo, putabat se excusandum, 1. Sam. 15. v. 15.

Adhuc hodiè hypocritæ blandiuntur sibi in oculis suis, ut inveniant iniquitatem aliorum ad odium, Psal. 36. v. 3. nemo non extenuat, nemo non excusat peccatum suum. Omnia vitia tanquam virtutes venditantur: & licet flagitia in propatulo sint, nec rarò reprehendantur: tamen mulier adultera, quæ comedit, tergens os suum dicit: Non sum operata malum, Prov. 30. v. 20.

Quis quæso pro peccato habet, si nomen Dei sanctissimum in vanum adhibeat? Exod. 20. v. 7.

Quot inveniuntur, qui scortationem & adulterium pro oblectamento saltem habent? Nunquid caput canis ego sum, dicunt, quod arguas me pro muliere, 2. Sam. 3. v. 8. licet Paulus expressè scribat: Nullum fornicatorem neque adulterum partem habiturum in Regno Christi & Dei, Eph. 5. v. 5. 6.

Sic inter ebrietatem & ebriositatem adeò subtiliter distinguunt, velut inter infernum & purgatorium, cum tamen comessationes inter opera carnis referantur, Gal. 5. v. 21.

Sic omnia peccata damnationis reos constituunt, quæ tamen à plurimis pro peccatis non habentur. Verùm quid Augustinus ait? ***Minuta etiam peccata, si negligantur, occidunt.***

Nulla proindè peccata vilipendamus, ut nos ipsos justificemus, si fortè in aliis majora peccata conspiciamus, quàm in nobis: Sed parvorum æque magnam rationem habeamus, ut majorum. Qui enim magna patrarunt, facilius ea deprehendunt, & ita citius ad pœnitentiam pertingent: Quia verò nonnulla ut parva extenuamus, hinc fit, ut de illis non doleamus, nobiscum in sepulchrum, imò ad tribunal Christi ea afferamus, & sic in iisdem damnemur. Judicium enim extremum adeò rigorosum erit, ut justus vix salvetur: quomodo igitur impius & peccator parebunt? 1. Petr. 4. v. 18.

II. *Communem depredationem.* Hîc audimus, hunc hominem, cujus Christus

hic mentionem injicit, ab Hierusalem descendisse in Hiericho: Iter hoc non adeò spatiosum erat, vix duorum milliarum cum dimidio, & tamen indemnis evadere nequit, sed incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis, abierunt, semivivo relicto.

Ingens hæc miseria fuit: miser enim hic homuncio, non modò omnia quæ secum habuit, amisit: sed & veste & indusio exutus fuit. Despoliaverunt enim eum; sic latrocinium exercuerunt: & ad necem usque, plagis impositis vulnerarunt; sic homicidii rei evaserunt.

Tales latrones & homicidæ nullis temporibus defuerunt, qui insidiis suis viatores circumvenerunt, & spoliatos trucidarunt, ut multa exempla adduci possent, si opus foret.

Maximè verò hoc factum, durante bello, ubi milites in sylvis & vepretis viatores expectarunt, eosque non solùm despoliarunt: sed & fustibus & gladiis plagas & vulnera inflixerunt, nec rarò perimerunt, quoniam gladius inimici pavor in circuitu, Jer. 6. v. 25.

Quamvis itaque Dei gratiâ, per universalem pacis constitutionem, in dilectâ Germania nostra incendia & vastationes perierunt, Psal. 80. v. 17. attamen alibi latrocinia ejusmodi, ubi sedes belli est, liberè exercentur: imprimis in mari, ubi ferè nulla navis tuta est, ut ita commercia non parum impediantur. Verùm quid ait Scriptura? Rapaces Regnum Dei non hæreditabunt, 1. Cor. 6. v. 10.

III. *Raram commiserationem.* Hic Sacerdotem atque Levitam præterire audimus, nemo illorum spoliati, & ad necem vulnerati cura tangitur.

Hic nobis describitur *immisericordia Divitum & Potentum*, qui pressis atque egenis optimum auxilium ferre possent, attamen sine ope & solatio eos relinquunt, & sæpè plus mœroris, quàm levamenti iis inferunt. Verùm Deus id non impunè linquet, hinc Siracides cap. 4. v. 1. seqq.

Veri Christiani fugiant hoc vitium, & commiserationi ergà proximum studeant, si malis immersus est. Quod enim proximo accidit, id tibi quoque evenire potest, Eccles. 11. v. 2. Sir. 18. v. 25.

Quando igitur proximum miseriâ laborare vides, noli ideò exultare: Laqueo peribunt, qui oblectantur casu justorum: dolor autem consumet illos, antequam moriantur, Sir. 27 vers. 32. sed commiseratione cordiali in eum affectus recordare humanæ inconstantiæ. *Speres tibi accidere posse, quod alteri accidit, ita demùm excitaberis ad opem ferendam*, ait Lactantius.

Apelles fortunam pingens quærebatur: cur sedentem eam pinxisset? & respondebat: quia nescit stare, quo volubilitatem & inconstantiam ejus indicabat.

Irus is est subitò, qui modò Crœsus erat.

Hinc legimus de Sesostri Rege Ægyptiorum, quod curru ex auro lapidibusque pretiosis constructo vehi solitus sit, qui à quatuor Regibus à se victis trahebatur, Cumque unus ex Regibus, sæpè respiciens, rotam quæ volvebatur contemplaretur,

percunctatus est Sesostris, cur ita respectaret? Intuens rotæ volubilitatem, inquit ille, in quâ summa citò fiunt ima, cogito fortunæ instabilitatem, aliàs excelsa humiliantem, aliàs humiliata exaltantem. Sesostris parabolam intelligens, noluit currum à Regibus posteà trahi. Id quilibet probè observet. Eadem quippè mensurâ, qua mensus fuerit, remetietur & illi, Luc. 6. v. 38.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex novi Testamenti felicitate:* de quâ Servator ad Discipulos: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt.

Patres enim V.T. umbram tantummodò habuerunt futurorum bonorum, ideò imaginem rerum ipsam desiderarunt, Hebr. 10. v. 1. præterea sub Levitico Sacerdotio variis oneribus ita constricti & onerati fuerunt, ut jugum illud neque illi neque patres eorum ferre potuerint, Act. 15. v. 9. ideoque liberari avebant, à jugo oneris, & sceptro exactoris, Esa. 9. v. 4. & adventum Messiæ anhelabant, Joh. 8. v. 57. de quo Prophetæ prædixerant, quod locuturus sit pacem gentibus, Zach. 9. v. 10. & annum placabilem Domino prædicaturus, Esa. 61. v. 2. ut qui invocaverit nomen Domini salvus foret, Joel. 2. v. ult.

Evangelium enim lætum nuntium est, non verò de rebus terrenis & carnalibus, quibus aures afficiuntur, ut nuncium de nativitate Jeremiæ, c. 20. v. 14. de interitu Absolonis, 2. Sam. 18. v. 31. & fugâ Syrorum, 2. Reg. 7. v. 9. ejusmodi Evangelium appellatur. Sed ex hâc ratione, quia nobis remissionem peccatorum annunciat, quam Christus merito suo nobis acquisivit, Col. 1. v. 14.

Quicunque proindè verbum prædicatum de hoc vitæ Duce auribus obsequentibus excipit, & juxtà oculis suis sigilla apposita, quæ Sacramenta sunt, inspicit: fiduciam quoque ponit in Messiâ, ejusque perfecta obedientiâ, is nobilitatus Regni Dei hæres est, licet coràm mundo Iro pauperior esset. Contra verò qui oculis ejusmodi videntibus & auribus audientibus destituitur, illi Deus ignis consumens manet, licet oculis lynceis, & auribus cervinis præditus sit, & in omni rerum abundantia vivat. *Qui Christum habet, omnia habet, etiamsi nihil habeat: qui verò Christum non habet, nihil habet, etiamsi omnia possideat.* Bernhardus, Phil. 4. v. 13.

II. *Ex Samaritani benignitate:* qui iter faciens, & miserum hunc videns in sanguine suo jacentem, misericordiâ ejus motus est. Et appropinquans alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum. Deinde imponens illum in jumentum suum, duxit in diversorium, & curam ejus egit. Quin & hospiti eum commendavit, ut curam ejus haberet, quò mox restitueretur.

Hic Samaritanus imago Christi est, qui formosissimus filiorum hominum dicitur, Psal. 45. v. 3. Nos miseri in sanguine nostro inquinati eramus, Ezech. 16. v. 16. ab infernalibus latronibus adeò fœdè lacerati, ut à planta pedis usque ad verticem, non esset integrum quiddam, Esa. 1. 6. hîc nemo nos juvare poterat, Sacerdos & Le-

& Levita præteribant, h. e. Moses cum lege sua nos sanare non quibat: nulla enim lex est, quæ possit vivificare, Gal. 3. v. 21. Sed Christus tanquam cœlestis Samaritanus, gratiosè nos respexit, & peccatorum vulnera, quæ Diabolus inflixerat, obligavit & sanavit. Hinc Esa. 53. v. 4. seqq. Id hodieténus facit. Licet enim cœlum adscenderit, attamen Ministris suis, verbi Præconibus potestatem dedit, peccata remittendi & retinendi, Joh. 20. v. 23. Quandocunque igitur pœnitens peccator locum Confessionis accedit, & animum suum dolentem coràm Deo & Ministro ejus contestatur, & Confessionarius amicè ipsi respondens ait: Confide fili, confide filia, remittuntur tibi peccata tua, Matth. 9. v. 2. hoc ipso exultant ossa contrita, Psal. 51. v. 10. Hinc Christus: Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta in cœlo: & quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, Matth. 18. v. 18.

Hoc ejusmodi beneficium est, quod dignè nunquam prædicare possumus. Sed caveamus, ne impetratâ remissione peccatorum, in pristina peccata relabamur, verùm ut novæ creaturæ, 2. Cor. 5. v. 18. in novitate vitæ ambulemus, Rom. 6. v. 4.

III. *Ex visionis Christi in futura vitâ jucunditate.* Hîc audimus, Servatorem discipulos suos beatos deprædicare, quia eum videbant corporaliter in assumtâ servi forma, in qua de loco ad locum migravit. Quantò beatiores nos erimus in vitâ æterna, ubi Dominum videbimus à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 2. non per breve temporis intervallum, sed in æternum.

Jam nos quoque Christum videmus spiritualiter in verbo & Sacramentis, quin & gustamus, quàm bonus sit Dominus, Psal. 34. v. 9. sed fit quasi in ænigmate, ut Paulus loquitur, 1. Cor. 13. v. 12. ambulamus enim hîc per fidem non per speciem, 2. Corinth. 5. v. 7. at in vita æterna similes ipsi erimus, visuri eum sicuti est, 1. Joh. 3. v. 2.

Quanta hæc lætitia & beatitudo futura sit, cogitationibus non assequi, nedum verbis exprimere possumus. Per hunc enim intuitum omnia bona, quæ Christus nobis peperit, ad nos derivabuntur, ut in eô inveniamus vitam & abundantiam, Johan. 10. v. 11.

Quando Regem in throno suo sedentem, & Purpuratis stipatum videmus, magnam hoc voluptatem gignit, unde Regina Arabiæ beatos prædicat servos Salomonis quotidiè ipsi adsistentes, 1. Reg. 10. v. 8. Quanta major voluptas erit, quando Ducem vitæ, Act. 3. v. 14. Dominum gloriæ, 1. Cor. 2. v. 8. imò Regem Regum spectabimus in Majestate & gloria sua, cinctum Corona Patriarcharum & Prophetarum, Apostolorum & Martyrum, nec non Angelorum & Archangelorum, Cherubinorum & Seraphinorum: qui omnes suspiciunt gloriam illam infinitam, ad quam Christus evectus est, & altâ voce clamant: Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra, Psal. 8. v. 1.

Nicephorus scribit, Christum facie adeò venusta fuisse, ut neminem ejus conspiciendi satietas ceperit, sicut formosissimus filiorum hominum dicitur, Psal. 45. v. 3. Licet igitur ipsum non videmus in hâc vita, sicut Apostoli & alii: attamen eum con-

contemplabimur in alterâ vitâ, quando Angeli nos ei obviam ferent in aëre, dicentes: Ecce, Deus vester, Esa.40.v.9. quin Christus ipse dicet: Videte me, quia ego ipse sum, Luc.24.v.39. Hi *oculi* mei sunt, quibus laborem & afflictionem vestram vidi, Psal.10.v.13. Hæ *aures*, quibus preces vestras exaudivi, Psal.34.v.16. Hæc *facies mea*, quam propter vos à contumeliis & conspuentibus in me, non abscondidi, Esa.50.v.6. Hoc *latus meum*, quod ex amore erga vos transfodiendum præbui, ut aqua & sanguis, vita & salus emanarint, Joh.19.v.35. *hæ manus*, quibus vos de manu inferni redemi, & de morte liberavi, Os.13.v.14. *hi pedes*, quibus caput serpentis contrivi, Gen.3.v.15. O amabilem & jucundissimum adspectum!

Sicut igitur Augustini mater Monica concionem de vita æternâ audiens præ desiderio ejus exclamavit: Quid hic facio? Evolemus hinc, evolemus hinc!

Quidni & nos desiderio Messiæ nostri intuendi exclamemus: Quid hîc facimus? Evolemus hinc, ex valle miseriarum in gaudium cœleste, ubi non solùm eum clarè intuebimur: sed & sedebimus in throno ejus, sicut ipse in throno cum Patre ejus sedet, Apoc.3.v.21.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Vitam æternam desidera.* Id facit Legisperitus: etiamsi enim Christum tentat, attamen quæstio ejus minimè improbanda videtur: nos potius ad exemplum ejus similiter quæramus: Quid faciendo vitam æternam possidebimus?

Hæc quæstio maximè utilis & necessaria Christiano homini est. Non enim hic civitatem habemus permanentem, sed futuram inquirimus, Hebr.13.v.14. πολίτευμα nostrum in cœlis est, Phil.3.v.20. hinc ejus desiderio flagrantes, quæ sursum sunt, ubi Christus est, quæramus, Col.3.v.1. Nam mundus transit & concupiscentia ejus, qui verò facit voluntatem Dei, manet in æternum, 1.Joh.2.v.17.

Inveniuntur multi, qui de vita æternâ non multùm solliciti sunt, sed in his mundi delitiis vitam transigunt, cum Epicureis dicentes: Ecce, gaudium & lætitia occidere vitulos &c. Esa.22.v.13. Verùm ô vanissimum gaudium! Dilatavit enim infernus animam suam, & aperuit os suum, absque ullo termino: ut potentes isti ad bibendum vinum, & fortes ad miscendam ebrietatem descendant, Esa.5.v.14. Ideò ne inescemur hoc gaudio, quo Diabolus nos à verô gaudiô avertere, & in latam viam, quæ ad perditionem ducit perducere satagit, Matth.7.v.13.

De Macario refertur, quod aliquando in animum induxerit, diebus novem continuis nil memorare, nil cogitare, quàm de vita æternâ, ideò in casulam se inclusit, ne à quopiam in devotione perturbaretur. Id Dæmon infernalis ferre non potuit, ideò accensa casulâ, cum ille vix biduum sic transegisset, devotionem ejus impedivit. Idem adhuc agit malignus ille, quando homines ad crapulam & ebrietatem, luxum & lasciviam, aliasque mundi vanitates impellit, ut cœli ejusque gloriæ oblivione illi capiantur. Ideò summa cautione hic opus est. Ubi thesaurus vester, ait Servator, ibi & cor vestrum, Matth.16.21.

qui-

quicunque igitur in hoc seculo thesaurum suum habet, obrizo dicens: fiducia mea, Job.31.v.24. ille cor suum eò dirigit, ut divitiis cor apponat, Psal.62. v.11. ut terrena sapiat, Phil.3.v.19. hi filii hujus seculi sunt, quorum pars est in vita, Psal.17.v.14. nihil ulterius expectantes, Psal.49.v.18. qui verò thesaurum suum in cœlo habet, is despecto mundo cum Assaph dicit: Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram? Psal 73.v.25.

Et quidni vitæ æternæ desiderio flagraremus? Siquidem corona est, propter quam certamus, 2.Tim.4.v.8. bravium ad quod currimus, 1. Cor.9. v. 24. & finis fidei, quem omnes intendimus, 1.Petr.1.v.9.

Servus desiderat umbram, & mercenarius præstolatur finem operis suis, Job.7. v.2. quantò magis nos desideremus vitam æternam, ubi Sabbathum ex Sabbatho celebrabimus, Esa.66.v.23.& requiem animarum inveniemus, Matth.11.v.29.

Esuriens expetit epulas: quidni nos vitam æternam? ubi comedentes saturabimur, & bibentes inebriabimur, Esa.65. v.13.

Sponsa sponsi desiderio afficitur. Quidni nos nuptias agni desideremus? Apoc, 19.v.7. ubi vox resonabit: Ecce sponsus venit! ibi enim nos in cœlestem patriam introducet, ut cum eo semper simus, 1. Thess.4. v.ult.

Qui hæreditatem consequitur, propterea exultat, & sæpè longum iter ejus acquirendæ causa conficit. Vita æterna & ipsa hæreditas est, ut Legisperitò hîc vocatur: non verò vulgaris, sed incorruptibilis, & incontaminata, & immarcessibilis, conservata in cœlis, 1. Pet.1.v.4. Quantò magis nos ejus cupiditate ardeamus, ubi hæreditabimus domum speciosam Dei Patris, Joh.14.v.2. & ejusmodi thesauros, quos ærugo & tinea non demolitur, nec fures effodiunt, & furantur, Matth.6.v.19.

Viator gaudet, quando iter suum absolvit, ut in Jacobo videndum, qui Deo altare fecit, quod socius fuerat itineris ejus, Gen, 35. v.3. Multò magis nos in peregrinatione ærumnosæ hujus vitæ lætemur, proposita nobis cœlesti Hierosolyma, ubi pleno ore insonabimus: Convertere in requiem tuam anima mea, quia Dominus benefecit tibi, Psal.116.v.7. Ibi bonum erit habitare, Matth.17.v.4. Psal.84.v.7. seqq.

II. *Summam legis pondera.* Id vult prælectum Evangelium. Quia enim Legisperitus quærit: Magister, quid faciẽdo vitam æternam possidebo? Christus quærit ex eo: In Lege quid scriptum est? quomodo legis? cumque ille respondisset: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. hoc ejus responsum approbat Servator, inquiens: Rectè respondisti, hoc fac, & vives. Dilectio enim Dei & proximi, est impletio legis, Rom.13.v.10.

Requiritur ergò à nobis

1. *Dilectio Dei.* Ut enim ipse est summum bonum, imò omnia in omnibus, 1.Cor.15. v.28. ita ab omnibus creaturis diligi vult, ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus, & ex tota mente, ut Legisperitus respõdet, ex Deut.6 5. ubi intelligitur

1. *Totalitas subjectiva.* Finis enim præcepti est caritas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, 1.Tim.1.v.5.

2. *Totalitas objectiva*, ut solus DEus diligatur. Exterminandus igitur est amor mundi & sui ipsius; nam si quis mun-

niundum diligit, non est caritas Patris in eo, 1. Joh. 2. v. 15.

3. *Totalitas superlativa.* Amorem hominum dirimit mors, & amicos separat, Ruth. 1. v. 17. verùm amorem Dei tollere nequit. Certus sum, ait Paulus, quod neque mors neque vita &c. Rom. 8. v. 38.

2. *Dilectio proximi.* Diliges proximum tuum, sicut teipsum, ait Legisperitus ex Levit. 19. v. 38. Christus ita effert: Omnia, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis, Matth. 7. v. 12.

Notandum hîc, quod *dilectio gradus suos habeat*, qui meritò observandi sunt. Ut igitur amor à seipso incipit: ita semper unus nobis propinquior est altero. Ideircò æquum est, ut consanguinei præ alienigenis, domestici fidei præ heterodoxis, & pii præ impiis diligantur, & alantur. Deinde etiam peregrinis, ignotis, imò & inimicis benefaciendum est, ut Christus docet, Matth. 5. v. 43. Sed & videndum ne præpostera dilectio sit. Quæ enim caritas, si verbi Præco publicis flagitiis conniveret? & Magistratus maleficos impunitos dimitteret? Ideò hîc discrimen observandum inter personam & vitia personæ: hæc odio habenda, illa diligenda est, ut Augustinus docet. Vide Psalm. 139. v. 21. 22.

III. *Parabolam tibi applica.* Quò Christus collineat, in fine Evangelii dicens: Vade tu, & fac similiter. Quia enim Legisperitus ipse confitebatur, quod is proximus fuisset ei, qui in latrones inciderat, qui misericordiam in illum fecisset, ubi ex adverso Sacerdos & Levita præteriissent: monet eum Servator, ut exemplum hinc caperet, nec modò verbis dilectionem Dei & proximi jactaret, sed & reipsa probaret. Fides enim, si non habeat opera, mortua est in semetipsa, Jac. 2. v. 17.

Samaritanus commiseratione motus est ergà vulneratum: Ita & nos compatientes, fratrum amantes, & misericordes simus, 1. Petr. 3. v. 8. Misericordes enim misericordiam consequentur, Matth. 5. v. 7. Judicium autem sine misericordia erit illis, qui non fecerint misericordiam, Jac. 2. v. 13.

Samaritanus vulnerato reipsa præstò fuit, & vulnera ejus obligavit: sic non sufficit compatientem esse ergà proximum: sed & manus auxiliaria ipsi porrigenda est. Jac. 2. v. 15. Hîc iterum observes: Vade & fac similiter. Deus enim unicuique proximum suum commendavit, Sir. 17. v. 12. Qui igitur parcè seminat, parcè & metet, 2. Cor. 9. v. 6.

Samaritanus non modò vulnera infirmi obligavit, sed duxit quoque eum in diversorium, & egrediens protulit duos denarios, & dedit hospiti, ut ejus curam haberet: Ita & nos sumptibus non parcamus ratione proximi, si miseria ejus id requirat. Rursus hic observa: Vade & fac similiter. Mutuò dat Domino, qui miseretur pauperis, & mercedem suam reddet ei, Prov. 19. v. 17.

Ita, Vos mei! Christianismum nostrum opere probemus. Nam Gregorio dicente: *quantum credimus, tantum diligimus.* Et ut candela splendorem & radios de se spargit: ita & nos lucem fidei ostendamus coràm hominibus, ut videant opera nostra bona, & glorificent Patrem, qui in cœlis est, Matth.

Matth. 5. v. 16. Et ut bona arbor semper fructus bonos facit, Matth. 7. v. 17. sic & nos fructus fidei producamus, ut sunt: caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, Gal. 5. v. 22. quin ut granum sinapis, minimum quidem est omnibus seminibus: cùm autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor, ita, ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus, Matth. 13. v. 32. Ita & nos in fide crescamus, ut abundemus magis, 1. Thess. 4. v. 10. ita finem fidei nostræ reportabimus, salutem animarum, 1. Petr. 1. v. 9.

Hanc concedat nobis ex gratiâ Deus cœlestis Pater, per JEsum Christum in Spiritu sancto! Amen.

DOMINICA XIV. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 17. v. 11. -- 19.

EXORDIUM.

PRæcepit olim Deus Israelitis decimas dare & de frugibus, & de pomis arborum, ut & de bobus & ovibus, ad sustentationem Sacerdotum & Levitarum, quia illi hæreditatem non habebant, Levit. 27. v. 30.

Vetus hæc consuetudo fuit, quæ jam tempore Abrahami viguit, qui Melchisedec, Regi Salem, qui & Sacerdos Dei altissimi erat, decimas dedit ex omnibus, Gen. 14. v. 20.

Quod verò tùm voluntariè factum, id postea Deus Israelitis præcepit, ut gratitudinem eorundem probaret, utrùm divitem ejus benedictionem agnoscere, & ex illa micas quasi, decimam nempè partem ad cultum suum haud invitè elargiturі essent. Hoc si præstabant, eò copiosius illi benedicebantur. Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini: comedimus & saturati sumus, & remanserunt plurima, ait Azarias, Sacerdos primus, de stirpe Sadoc, 2. Paral. 31. v. 10. Si verò non faciebant, sed varias fraudes machinabantur, retinentes optimum, pessimum autem Sacerdoti offerebant, gravissima pœna afficiebantur. Nam maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & tamen votum faciens, immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum tremendum est in gentibus, Mal. 1. v. ult.

In prælecta Pericope audimus, quod Servator noster etiam decimas accipiat ex decem leprosis, quos omnes mundatos sanitati restituerat: sed unus saltem grato animo revertitur, dans gloriam Deo, cujus gratia à molestô lepræ contagio liberatus erat. Hæc merces persolvitur Domino! & quamvis quærit: Novem autem ubi? nemo tamen accedit, sed omnes declinaverunt simul, inutiles facti sunt, Psal. 14. v. 3. sicut adhuc hodiè hypocritarum plures, quàm verè credentium in Ecclesia Dei reperiuntur, juxta illud: Multi vocati, pauci verò electi, Matth. 22. v. 14.

Nos methodo nostræ inservientes, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

SAmaritani aliàs exiguâ laude commendantur in sacris literis, quia leves & inconstantes erant, modò cum Judæis, modò cum Ethnicis facientes, prout fortuna alterutri parti erat favorabilis, unde Siracides: Duas gentes odit anima mea: tertia autem non est gens quam oderim; qui sedent in monte Seir, & Philistiim, & stultus populus, qui habitat in Sichimis, Sir.50.v.28. Attamen aliqui ex illis fuerunt, qui Judæis palmam præripuerunt, & hodierno die nobis Christianis ad imitationem proponuntur. Sicut ante octiduum de quodam audivimus, qui despoliati & usque ad necem vulnerati viatoris tàm fidelem curam habuerit, ut vulnera ejusdem vino eluerit, deindè oleo lenierit, & obligaverit: Imò imposuit illum in jumentum suum, duxit in diversorium & curam ejus gessit, hospiti quoque persoluto pretio, mandavit, ut curam ejus gereret. Ubi ex adverso Sacerdos & Levita fraternæ caritatis obliti prætererierunt, eumque sine auxilio cum vitæ periculo reliquerunt. Ex hâc causâ Christus illum Scribæ seipsum justificanti, & cuilibet nostrûm hodierno adhuc die, hisce verbis commendat: Vade, & tu fac similiter.

Jam verò Samaritanus ex decem leprosis se offert, qui solus à leprâ mundatus regreditur, & Christo gratias agit pro curatione suâ: reliqui novem verò, qui sine dubio è Judæis fuerunt, ingrati abeunt, nec ad persolvendas gratias ad Christum revertuntur. Quod iterum egregium exemplum est, quod imitari nobis convenit, juxta illud: Invocà me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me, Psal. 50. v. 15.

Querela respicit

I. *Lepræ morbum*, qui adeò familiaris & frequens Judæis fuit, ut hîc ad unum Samariæ vicum decem leprosi unâ vice Christo occurrant.

Hæc particula est de stipendio peccati, & prænuncius mortis, quæ per peccata in mundum introducta est. Quia enim peccatum adeò nos invasit & permeavit, ut nihil boni in nobis habitet, Rom.7.v.19. sanguis ille impurus & venenatus ex omnibus venis & membris protuberat ut quotidiè moriamur, 1.Cor.15.v.32. & præterea multis iisque gravissimis afflictionibus subjecti simus, in hâc miseriarum valle. Castigabit te malitia tua, & aversio tua increpabit te, Jer.2.v.19.

Peccatum causa est, ut malitia sit vita hominis super terram, Job.7.v.1. & jugo gravi adstrictus sit homo, à die exitus de ventre matris sui, usque in diem sepulturæ, Sir.40.v.1.

Peccatum hunc leprâ inficit, ut Naëman, 2.Reg.5.v.1. illum Paralysi, ut servum Centurionis Capernaitici, Matth. 8. v. 6. istum cœcum reddit, ut Tobiam, Tob.2.v.11. quartum ulceribus scatentem, ut Jobum, c. 2.v.7. quintum claudum, ut illum ad portam templi, Actor.3. v. 2.

Pec-

Peccatum efficit, ut maledicti simus in civitate, & in agro, maledicti ingredientes & maledicti egredientes, Deut. 28. v. 16. efficit, ut in vanum laboremus, quamvis ante lucem surgamus, & postquam sederimus, manducemus panem doloris, Psal. 127. v. 3. facit, ut in penuriâ simus, Mal. 3. v. 9. expectemus multùm, & parùm in domum afferamus, Hagg. 1. v. 8.

Quodsi itaque lepram & commercia leprosorum fugis, potius quasi à facie colubri fuge peccata, nam si accesseris ad illa, mordebunt te, Sir. 21. v. 2.

II. *Animum ingratum.* Exemplum habemus in decem leprosis, quos Christus omnes curaverat, at unus saltem revertitur, qui gratum suum animum contestatur, reliqui omnes in fœdum ingratitudinis vitium prolabuntur, unde non abs re id Christus eis exprobrat, dicens: Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt?

Hodiè non melius se res habet. Ah quanta copia ingratorum est in hâc fece mundi! Optimus Servator noster gratiæ manum longissimè extendit, hîc illic decem quoad animam curans, sermone suo salvifico, qui vera herba & malagma est, quod sanat omnia, Sap. 16. v. 12. Quodsi unus iccircò Deo gratias agit, novem ubi sunt: Paucissimi sanè beneficia Dei, quibus animæ eorum liberantur, agnoscunt, ut non abs re verus Christianus querelam ingeminet: Væ mihi: prævaricantes prævaricati sunt, & prævaricatione transgressorum prævaricati sunt, Esa. 24. v. 16.

Optimus Servator noster hoc anno inter nos quoque hîc decem & ibi decem quoad corpus sanavit, ut è periculosis morbis illi emerserint: quodsi unus, qui quæcunque vovit, reddit salutem Domini, Jon. 2. v. 10. Novem ubi sunt? Paucos Samaritanos invenies. Plurimi in peccatis pergunt, & hoc ipso efficiunt, ut deterius quid ipsis contingat, Joh. 5. v. 14.

Optimus Servator aliquoties nobis fertiles annos successive largitus est, ut hîc decem & ibi decem, imò tota regio undiquaque affluenter cibata sit. Quodsi unus occurrit, qui ei gratias persolvit, Novem ubi sunt? Plurimi impiè agnoscere nolunt, quod Dominus det frumentum, & vinum & oleum, Os. 2. v. 8. & reddat nobis annos, quos locustæ & bruchi, maximè verò milites comederunt, Joel. 2. v. 25.

Est hoc

1. *Vitium Diabolicum.* Non enim in veritate stetit Diabolus, Joh. 8. v. 44. sed dereliquit domicilium suum, Jud. v. 6. similis esse voluit Deo Altissimo, Esa. 14. v. 13. ideò Deus illum præcipitavit, ut ex Angelo lucis Cacodæmon factus, & nunc catenis noctis detractus in carcerem cruciandus in judicium reservetur, 2. Petr. 2. v. 4.

Sicut igitur Cyprianus ait: *Perditus, omnes cupit perditos:* ita etiam velut μυριοτέχνης variis machinationibus utitur, ut homines in exitium præcipitet. Sicuti statim post lapsum Protoplastos nostros ingratitudinis vitio fœdavit, ut non contenti esse voluerint illâ conditione, in quâ DEUS eosdem collocarat, proptereà æternæ morti mancipati fuissent, nisi Christus, benedictum illud mulieris semen eos extraxisset, Genes. 3. vers. 15. attamen nondum quiescit, sed hoc vitio maximè nobis incommodat, dum intellectum nostrum excæcat, ut sicut equi & muli intelligere nolimus, quis ille

 sit,

sit, qui omnibus diebus & momentis nos beneficiis suis ornat, Psal.32. v.10. & hoc Deum non parùm affligit, quando amorem & beneficentiam suam male locatam cernit, hinc exclamat: Audite cœli, & auribus percipe terra: Filios enutrivi & exaltavi: ipsi autem spreverunt me, Esa.1. v.2. seqq.

2. *Peccatum inhumanum.* Ipsa enim natura docet nos, ut benefacientibus nobis vicissim benefaciamus. Hinc Seneca: *Officia etiam feræ sentiunt, nec ullum tàm immansuetum est animal, quod non cura sui mitiget, & in amorem sui vertat.* Exemplum refert Gellius de leone. Canes quoque adeò fideles sunt, ut pro Dominorum salute vitam profundant. Quod si vero hoc bruta animalia faciunt, quantò magis nos ergà Deum gratos præbeamus, qui nos ab utero matris conservavit; & plurima in nos confert beneficia, Sir.50.v.24.

3. *Vitium nocentissimum,* quod Deus omni ævo gravissimè punivit. Propter ingratitudinem Protoplasti nostri Paradiso exterminati sunt, Genes.3.v.24. Propter ingratitudinem Sodoma & Gomorrha igne & suphure cœlitus delapso conflagrarunt, Gen.19.v.24. quæ regio antè erat, ut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus universa irrigabatur, Gen.13.v.10. Propter ingratitudinem Israelitæ in deserto prostrati sunt, quia panem cœlestem despiciebant, & aliâ plurima beneficia, quæ exhibuit illis Deus, agnoscere nolebant, Num. 11. seqq. Propter ingratitudinem in captivitatem Babylonicam abducti, & in universum orbem dispersi sunt, sicut adhuc hodiè sunt populus prædæ expositus, Esa. 42.v.22. Jer.42.v.18.

Ex hâc consideratione quilibet Christianus tetrum hoc vitium fugiat oportet. Non benè erit, beneficia non compensanti, hîc & in æternum, Sir.12.v.3.

III. *Reconvalescentium typum.* Relabuntur enim in peccata priora, & oblivioni beneficia sibi à Deo exhibita tradunt, instar Pharaonis, qui quamdiu affligebatur, multa pollicebatur: simulac vero respirabat, cor suum denuo indurabat, Exod.8. v.15.

O quot eorum inveniuntur hodiè, qui morbis correpti, votum voto addunt, se vitam emendaturos, & Deo verâ pietate ministraturos esse: Quando verò reconvalescunt, rursum ad ingenium redeunt, nî pejores evadant, juxtà adagium:

Da der Krancke genaß / je ärger er waß/ aut ut versicuti veteres sonant:

Dæmon languebat, Monachus tunc esse volebat,
Sed dum convaluit, mansit, ut antè fuit.

Hâc in re Diabolus multos obsequentes filios habet, qui vestigiis ejus insistunt. Ast suo tempore vindicta certò sequetur, non enim irridetur Deus, Gal.6.v.7. sed quando videt, omnes castigationes in filiis suis irritas esse, defetiscitur misereri, Jer.15.v.7. nec ut antè arguit in virgâ virorum, & in plagis filiorum hominum, 2. Sam.7.v.14. sed tradit ingratos ejusmodi hospites tortori Matth.5.v.25. qui illos excarnificabit & cruciabit, ut manducent linguas suas præ dolore, Apoc.16.v.11. nec habeant requiem, die ac nocte, Apoc.14.v.11.

Cave proindè, mi Christiane! ejusmodi ingratitudinem, & vide, ut si reconvalueris, & vitam tuam emendes, nec verbis modò

modò sed & operibus Deo gratias reddas. In hoc enim clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum adferatis, ait Servator noster, Joh.15.v.8.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex promtâ Christi voluntate.* Ubi enim illi obviant, & clamant: Jesu, Magister bone, miserere nostri: non avertit oculos, nec nares obstruit, sed rectâ ad illos progreditur, & ad preces eorum benevolâ oratione eos dignatur.

De Rege Demetrio legimus, si subditi ejus literas supplices ei obtulerint, quod eas quidem alterâ manu acceperit, alterâ verò in aquas projecerit, ne legere easdem, aut respondere ad illas teneretur.

Id Rex Regum Servator noster non facit, sed quando rogamus, attendit, & facit voluntatem timentium se, Psal.145.v.19.

Titus Vespasianus commendatur, quod nemini quicquam denegaverit, quin potius homines, ut à se peterent, admonuit. Amicis ejus id improbantibus, respondit: *Non oportet quenquam à facie Principis tristem discedere.*

Hoc laudem meretur in Ethnico. At de Servatore nostro multò verius adseverare possumus, quod nemini quicquam deneget, sed quoque ad orationem instiget, inquiens: Petite, & dabitur vobis, Matth. 7.v.7.

Excitemur hinc, ut cum fiducia accedamus ad thronum hunc gratiæ, quem Deus proposuit nobis *ἱλαςήριον* per fidem in sanguine ipsius, Rom.3. v.25. ut misericordiam inveniamus, & gratiam consequamur, in auxilium opportunum, Hebr.4 v.ult.

II. *Ex magnâ Christi facultate*, quod verbo morbos desperatos profligare possit. Nam inter eundum purificantur.

Hæc mirabilis erat curatio.

Lepra est morbus incurabilis, quem solus Deus curare potest, 2.Reg.5. v.7.

Dum igitur Servator hos decem leprosos ad Sacerdotes remittit, & inter eundum mundationem illis omnibus procurat, hoc ipso probavit, quod mutatio sit dexteræ ejus, Psal.77.v.11. Dictum ejus est factum, Psal.33.v.9.

Terreni Imperatores & Reges quidem magnos titulos sibi arrogant, dum potentissimos & invictissimos se nominari jubent: verùm tituli sunt inanes, carentque effectu, ut experientia satis probat. Profectò filii viri sunt mendacium, si ponderentur in staterâ, ipsi simul ipsa vanitate sunt leviores, Psal.62.v.10.

At Christus non nomen modò, sed & omen habet, Jer.10.v.6. hinc dicitur Dominus, magnus consilio, & magnus operibus, Jer.32.v.19.

Quando igitur in calamitatibus & miseriis degimus, & nusquam auxilium appareat, & res desperata videatur, nescientibus quid agendum sit, ut Regi Josaphat contigit. 2. Chron. 20. v. 27. non melius consulere nobis possumus, quàm si ad Dominum hunc confugiamus. Si angustiæ nostræ magnæ, Jesus major adhuc est: Si hostes potentes, Jesus potentior est. Deus noster, Deus salvos faciendi, & Domini Domini exitus mortis, Psal. 68. v.21. Novit, novit ille pios tentationibus eripere, 2.Petr.2.v.9.

III. *Ex gratitudine est utilitate.* Hic audimus, Samaritanum Christo acceptissimum esse: quia enim beneficium ipsi præstitum, grato animo agnoscit, hoc ipso quoque spiritualem sanitatem impetrat, & per fidem conservatur ad salutem æternam, 1. Petr. 1. v. 5.

Pari ratione nos quoque inposterum à Deo omnia bona expectare possumus, si pro acceptis & præsentibus bonis, ei gratias agamus. Sacrificans laudem, honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutem Dei, Psal. 50. v. ult.

Cum Salomonis templum recenter structum consecraretur, & Symphoniaci laudarent Dominum, eumque celebrarent, & extollerent vocem tubis, cymbalis & instrumentis Musicis, & laudarent Dominum, quod benignus sit Dominus, ejusque misericordia duret in æternum: implebatur domus Dei nube, ut non potuerint Sacerdotes stare, & ministrare propter caliginem. Compleverat enim gloria Domini domum Dei, 2. Chron. 5. v. 13. 14.

Sicut igitur Dominus in templo Hierosolymitano præsentiâ gratiæ suæ habitavit: sic hodietenus adhuc habitat, inter laudes Israel, Psal. 22. v. 4. nempe eo in loco, ubi Christiani, ut spirituales Israëlitæ, se invicem docent & commonent, in Psalmis & hymnis, & cantibus spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus suis Domino, Col. 3. v. 16.

Ubi verò Deus gratia sua habitat, ibi plenitudo benedictionis, plenitudo vitæ, plenitudo gaudii, plenitudo boni, plenitudo beatitatis, semitæ quippè ejus stillant pinguedinem, Psal. 65. v. 12. & ubi est, ibi Sol & clypeus est, dat gratiam & gloriam, nec privat bonis eos, qui ambulant in innocentia, Psal. 84. v. 12.

Offeramus proindè semper ei hostiam laudis, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus, Hebr. 13. v. 14. hoc placebit ei, super juvencum, cornua producentem, & ungulas, Psal. 69. v. 33. Die novissimo publicè id commendabit, cuique, qui gratum se exhibuit, ut Samaritano dicturus: Surge, nempe à mortuis, & vade, nempe in vitam æternam: fides tua te salvum fecit.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Proximo parce.* De Leprosis memorat Evangelista, quod à longè steterint, id enim congruum erat legi divinæ, mandanti, ut leprâ infecti à reliquorum hominum commercio exclusi, nudis capitibus, scissis vestimentis & coopertis labiis incederent, quò à quolibet facilius agnosci & eò melius caveri possent, Levit. 13. v. 45. 46.

Huic legi adversari nolunt hi leprosi, ideò videntes, Christum via publicâ incedere, secedunt ad latus, ne ipsi molesti sint.

Observent hoc illi, qui morbis contagiosis infecti, nihilominus cum aliis epulantur, aut eorum commercio utuntur, quod tempore pestilentiæ subindè fieri amat: ubi apud multos superstitio invaluit, ut credant, si pestilentia alios inficere possint, se ab illâ immunes fore. Hi sicariis à Luthero assimilantur. Sicut enim Sicarii modò hunc modò illum cultro vulnerant, & tamen à culpa alienos se pro-

profitentur: sic etiam hi contaminant, hic puerum, ibi fœminam, & tamen factum à se nolunt, sed in sinu rident, quasi rem bene gesserint; hoc verò modo melius esset cum bestiis, quàm cum ejusmodi homicidis habitare, ait Lutherus. Quintum enim præceptum mandat: non occides. Quocunque igitur modo proximum occideris, homicida eris, homicida verò non habet vitam æternam, in semetipso manentem, 1. Joh. 3. v. 15.

Veri Christiani aureolum illud semper recordentur: Omnia, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis, Matth. 7. v. 12. Hoc caritas Christiana requirit, quæ non cogitat malum: sed patiens & benigna est, 1. Cor. 13. v. 4 seqq.

Mysticè hi leprosi imago sunt omnium nostrûm. Propter connatum enim peccatum originale, non habemus locum in Regno Dei, Joh. 3. v. 5. & à longè stare coacti fuissemus: siquidem peccata nos & Deum nostrum divisissent, Esa. 59. v. 2. nisi Christus nos cum Patre suo expiasset. Ne itaque superbiamus operibus nostris, ut Pharisæus ille, Luc. 18. v. 11. sed cum filio prodigo. Pater peccavi! ingeminemus, Luc. 15. 21. Hoc modò nos Dominus gratia sua ut leprosos hosce dignabitur. Respicit enim ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementem sermones suos, Esa. 66. v. 2.

II. *Ad Christum confuge.* Id leprosi fecerunt. Quia enim de Christo audierant, quod passim varias infirmitates curaverit, dum Christus ipsis in via obviat, occasioni inserviunt, & alta voce clamant: Jesu bone Magister, miserere nostri!

Discamus hoc ab ipsis. Adam absconderat se sub arbore, cum Deus diceret: Adam ubi es? Gen 3. v. 11. Cain vagus & profugus erat, Gen. 4. v. 12. Israelitæ timore percellebantur, cum inter tonitrua & fulgura, & clangorem buccinæ Deus legem promulgaret, in monte Sinai, Exod. 19. v. 16. Saul & Ahasia deterius agebant, dum ille Pythonissam in Endor, 1. Sam. 28. v. 8. hic verò Beelzebub, Deum Accaron, 2. Reg. 1. v. 2. & ita uterque Diabolum consulebat, & multiplicabat molestos labores suos, Psal. 16. v. 5.

Id neutiquam faciamus, sed ad eum confugiamus, qui percussit nos, ut nos sanet, Psal. 6. v. 2. Verè enim in Domino Deo nostro salus Israel, Jer. 3. v. 23. hic sanator noster est, Exod. 15. v. ult. nec ablegat nos cum lepra nostra ad Jordanem, ut Naaman, 2. Reg. 5. v. 10. sed sanguis ejus emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 8.

Licet igitur hodierno die non amplius circumeat in terra, ut tunc fecit: tamen manet nobiscū omnibus diebus, usq; ad consumationem seculi, Matt. 28. v. ult. sed alia ratione, nempe per modum dexteræ Dei, ut Luth. loquitur, regnans ut Rex potentissimus à mari usq; ad mare, Ps. 72. v. 8. in medio inimicorum suorū, Ps. 110. 2. Propterea non longè est ab unoquoque nostrûm, Act. 17. 28. & suspiria nostra audit, ut clamorem leprosorum audivit, gemitus enim nostri nō sunt absconditi ab ipso, Ps. 38. v. 10.

De Abgaro Rege Edessæ refert Eusebius, quod in periculoso morbo constitutus, literas exaraverit ad Christum, eumq; rogaverit, ut ad se veniret, & sibi opē ferret. Cui Christus responderit, se hâc vice præsentem accedere non posse: post adscensum vero suum se quendam ex discipulis missurum, qui ipsi & suis auxilium offerret.

Thad-

Thaddæum itaque Apoſtolum poſt adſcenſionem Chriſti Edeſſam veniſſe, & Abgarum cum multis aliis ſanitati reſtituiſſe, & ad Chriſtum convertiſſe.

Quodſi igitur corporaliter Chriſtum accedere non poſſumus, ut leproſi hi, per literas, h.e. fidelem orationem ei miſeriam noſtram explicemus. *Oratio* quippe *fidelis nuncius eſt, mandatum peragens, & penetrans, quò caro non poteſt pervenire,* ait Auguſtinus. Sic amicè Dominus reſpondebit nobis, dicens: Clamavit ad me, & ego exaudiam eum &c. Pſal.91.v.14. Sir.35.v.21.

III. *Gratitudinem exhibe.* Hic Samaritanus nobis exemplo ſuo præivit: videns enim quia mundatus eſt, regreſſus eſt, cum magnâ voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens ei.

Sanitas, Dilecti! nobile bonum eſt, melior omni auro, Sir.30.v.15. quando igitur Deus nobis hanc gratiam exhibet, ut ſanitati nos reſtituat, æquum eſt, ut ipſi mente gratias agamus, juxta illud, 1.Theſſ.5.v.18.

Equidem Servator non ſemper obviat ægris, ut his decem leproſis, quos in momento à leprâ liberavit: ſed quando animadvertit è re noſtra eſſe, morbis caſtigari nos, clamorem noſtrum minus attendit, largitur tamen patientiam, ut perferre idem poſſimus, 1.Cor.10.v.13. propterea hoc in caſu quoque ei gratias agamus, dicentes cum Davide: Bonum mihi, quia humiliaſti me, Pſal.119.v.71.

O quotusquisque ægrotat, & jacet in lecto, ut Paralyticus iſte, Matth 9.v.2. ſi ſanus foret, nunquam precibus adeò invigilaret, ſed exhiberet membra ſua ad iniquitatem, Rom.6.v.19.

Quotusquisque cœcus eſt, ſi videre poſſet, oculos haberet plenos adulterii, 2.Petr.2.v.14. & videret extraneas, Prov.23.v.32.

Quotusquisque mutus eſt, ſi fari poſſet, execrationibus & maledictis, turpiloquio & ſcurrilitate nimium delinqueret, Eph.5.v.4.

Id non fugit divinum Numen: ideò non ſemper corporis ſanitatem largitur nobis, quando invocamus eum, ſed diutius nos in morbis relinquit, ut hoc ipſo ad preces, pietatem, patientiam aliasque virtutes inflammemur. Nam qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis, 1.Petr.4.v.2.

Quandocunque itaque omnia licita media adhibuimus, quæ corporaliter & ſpiritualiter adhiberi poſſunt, & tamen ad preces noſtras nullum auxilium apparet, caveamus, ne fortè murmuremus, ſed in voluntate divinâ acquieſcentes Jobum imitemur, qui in mediis tribulationibus Deum celebravit, dicens: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum, Job.1.v.21. Deum ſiquidem diligentibus omnia in bonum cooperantur, Rom.8.v.28.

Quodſi verò auxilium tibi ſuppetit, ut è morbis emergas, multò plus cauſæ habes Deo gratias agendi, ideò exemplum cape à Samaritano, qui gratiarum actionem non diu differt, ſed confeſtim revertitur, ubi animadvertit, ſe ſanitati reſtitutum. Sic primum tuum iter ſit ad ædem Domini, ut Deum celebres, & narres omnibus timentibus Deum, quanta fecerit animæ tuæ, Pſal.66.v.16.

Samaritanus contribules suos non exspectabat, nec per ingratitudinem ipsorum à gratiarum actione abstrahebatur. Sic tu solus revertere, dans gloriam Deo. Quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, Matth. 7. v. 13.

Samaritanus magnâ voce magnificans Deum cecidit in faciem ad pedes Jesu, gratias agens ei. Sic & tu confitere Deo in directione cordis, Psal. 119. v. 7. dicens: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo & psallam in gloria meâ, Ps. 108. v. 1. seqq.

Hoc si fecerimus, Christus die novissimo fidem quoque nostram prædicabit, quæ medium illud est, per quod liberamur dum in hoc mundo vivimus. Et tùm transferet nos è valle tribulationis in palatium cœleste. Oculi enim ejus respiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. hanc qui habet, vincit mundum, 1. Joh. 5, 4. habetq; vitam æternam, quam Deus nobis omnibus largiatur. Amen.

DOMINICA XV. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 6. v. 24. -- 35.

EXORDIUM.

SApientia & divitiis inclytus Rex Salomo, non citius domum sibi construxit, quàm structuram Templi Hierosolymitani absolvisset, ut constat ex 1. Reg. 6. & 7.

Hoc *mysticè* interpretabimur. Sicut enim homo ex duabus partibus essentialibus constat, corpus è terra formatur, & in terram revertitur, Genes. 3. v. 19. Anima verò immortalis est, & corpore moriente, illa non moritur, sed redit ad Deum qui dedit illam, Eccles. 12. v. 7. Ita etiam duplicem curam adhibeat, quarum altera animam, altera corpus concernat. Anima eget spirituali nutritione, verbo nempè Dei & Sacramentis, hinc Hiskias Rex: Domine, in illis vivent, & in omnibus illis est vita Spiritus mei, Esa. 38. v. 16. & David: Secundum multitudinem cogitationum mearum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam, Psal. 94. v. 19. Corpus verò indiget aquâ & pane, & vestimento quo tegit ea, quorum nos pudet, Sir. 29. v. 28.

Hunc in finem Deus quoque duas domus ordinavit, quarum beneficio utramq; partem, & animam & corpus procurare possimus. Templum est animæ domus, ubi spiritualis victus distribuitur, nempe vera Manna & aqua vitæ, qui manducaverit ex hoc, nunquam esuriet, & qui biberit ex hac, non sitiet in æternum, Joh. 6. v. 51. c. 4. v. 14. Corpus autem quod attinet, hîc quilibet ædes suas habet, in quibus negotia sua obire potest, quæ ad vitæ sustentationem requiruntur: hoc Deo non adversum est, modò quilibet intra cancellos vocationis se contineat, neque supergrediatur, 1. Thess. 4. v. 6. ut verum evadat illud Prophetæ: sicut cavea plena avibus:

sic domus eorum plenæ dolo, Jer. 5. v. 27. Tales enim opes in maledictione sunt, Mal. 3. v. 9.

Sicut igitur omnia tempus suum habent, Eccl. 3. v. 1. Ita ante omnia animæ curam geramus, domum Domini sedulò invisentes. Salva animam tuam, dicit Angelus ad Lothum, Gen. 19. v. 22. Deinde majori cum successu labori operam dare, & quæ ad corporis sustentationem pertinent, acquirere possumus, sicut Petrus post auditum verbi laxavit rete suum, & conclusit piscium multitudinem copiosam, Luc. 5. v. 6. Quando verò domus Domini deserta est, & unusquisque festinat in domum suam, verum fit illud Haggai: Seminastis multum & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum, cap. 1. v. 6.

Hâc de re verba facit Servator noster in prælectâ Pericope, quando discipulos suos à servitio Mammonæ dehortatur, & tandem ita concludit: Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus &c.

Videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Herbergerus in Postilla suâ Dom. IX. post Trinitatis recenset, quod aliquando Mammonæ servus die Saturni Calendarium inspexerit, quò videret, quale Evangelium sequenti Dominica explicaretur. Videntem verò, esse Evangelium de iniquo villico, dixisse: Non accedo hâc vice templum, Pfaff hin / Pfaff her. Ex quo apparet, filios hujus seculi invitos audire, si iniquæ eorum machinationes ex suggestu reprehendantur, præcipuè quod avaritiam & fœnora concernit. Tales enim plerumque pietatem præ se ferunt, & benedicunt, h. e. felices deprædicant se, quando opibus terrenis à Deo cumulantur, Psal. 10. v. 3.

Quia verò Christus ipse hâc de re prædicavit, nemo nobis vitio vertet, si officii nostri memores, his Mammonæ servis stimulum aliquem immittamus, sive audiant, sive negligant, Ezech. 3. v. 11.

Querela respicit

I. *Syncretismum.* Nemo, inquit Servator, potest duobus Dominis servire, intellige sibi invicem contrariantibus. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Hoc declarari potest exemplo Josephi, is à fratribus suis in Ægyptum divenditus, bonum ibi habebat Dominum, qui propter fidelitatem suam eum adamabat, & universæ domui præficiebat. Quia verò Hera ejus amore meretricio illum à fide Heri avertere satagebat, quo ipso Herum suum graviter offendisset, hoc modo utrique servire non poterat, sed incurrebat inimicitiam Heræ, quæ illum falsò deferebat apud Dominum, unde aliquamdiu in vinculis ipsi erat jacendum, donec innocentia ejus in apricum producta fuit, Gen. 39. v. 4. seq.

Ejusmodi Syncretistæ sunt

1. Illi, qui apud Magnates summa officia administrant, & nihilominus ab aliis, qui tamen

tamen Dominorum suorum sive publici sive clandestini hostes sunt, munera & stipendia accipiunt. Ideoque sæpè consulunt & inserviunt Dominis suis eâ fide, quâ vix proditor pessimus illos turpius prodere posset, ut Lutherus dixit. Quale exemplum in Semaiâ filio Delaiæ cernimus, qui accepta pecunia, ab hostibus populi Dei, conabatur absterrere Nehemiam à structura templi Hierosolymitani cœpta.

2. Militiæ Duces, & propugnaculorum Præfecti, qui ab hoste corrupti, deditionem faciunt, aut connivent, ubi hosti damnum inferre, vel planè ex acie profligare possent, cum summo Domini sui dispendio.

3. Advocati illi, qui utrique parti inserviunt, & emolumenti sui gratia causas protrahunt. Tales vocat B. Lutherus argenteos JCtos, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras, Esa. 5. v. 20.

Præcipuè verò in Ecclesiasticis locum planè non habet, ut utrique dissentientium parti assentiri, hoc est, in duas partes claudicare, & Deo, & Baalim simul servire velis, quod Elias dudùm in Israëlitis culpavit, 1. Reg. 18. v. 21.

Notent hoc illi, qui hactenus in Religionis negotio conciliando magno studio desudarunt, utrum id salva conscientia fieri posse putent. Quamvis enim pia & Christiana concordia magnoperè optanda foret, attamen quomodo fieri possit non video, quamdiu adversa pars erroribus suis adeò tenaciter ut hactenus inhærere pergit. Quia enim tàm in Pontificia quàm Reformatorum Ecclesiâ fundamentum fidei dilucidè evertitur, ut probatu facile est, talis fraternitas omninò respuenda videtur, nî Christum & veritatem cœlestem inimicis Crucis Christi prodere velis. Qui non est mecum, contrà me est, & qui non colligit mecum dispergit, Luc. 11. v. 23. Apoc. 3. v. 16.

II. *Mammonismum*, cui illi dediti sunt, qui colligunt thesauros cum labore, adeò ut omnia prudentiæ & diligentiæ suæ adscribant, & ita vel Deo invito ditescere satagunt. Ideò sacrificant reti suo, Hab. 1. v. 6. dicentes: Hoc ego feci, ut Nebucadnezar, Dan. 4. v. 27.

Quando verò illis res succedit, ut quicquam colligant benedictione Dei, quâ Deus impios quoque ornat, ut confortentur divitiis, Job. 21. v. 7. tamen thesaurum illum possident cum timore, nec audent sibi ipsis, nedum aliis inde benignè facere, sed in imagine pertranseunt, & frustrà perturbantur: thesaurizant & ignorant, cui congregabunt ea, Psal. 39. v. 7. De talibus ait Siracides, c. 14. v. 3. seqq.

Tandem si per mortem, vel alium fortunæ casum divitias suas relinquere coguntur, omni solatio destituuntur, nam quod pro Deo habuerunt, evanuit: insuper ex propriæ conscientiæ dictamine norunt, quod post mortem nil nisi paupertatem & miserias cum divite epulone expectare possint, Luc. 16. v. 24. Propterea ait Servator: Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in Regnum cœlorum. Et iterum dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in Regnum cœlorum. Auditis autem his, discipuli obstupuerunt valdè, dicentes: Quis ergò poterit salvus esse? Adspiciens autē Jesus dixit illis: Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autē omnia possibilia sunt, Matt. 19. 23. seq. q. d. Servator:

cor humanum per peccata adeò depravatum est, ut terrena modo sapiat: verùm Deus corda immutare valet, ut omnia propter Christum arbitrentur detrimenta, Phil. 3. vers. 7. cum Assapho dicentes: Quid enim mihi est in cœlo &c. Psal. 73. v.25.26.

Rogemus igitur Deum, ut largiatur nobis cor αὐταρκὲς, est enim magnus quæstus, animus cum suâ sorte contentus. Qui verò divites volunt fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli &c. 1.Tim.6. v.6. seqq.

III. *Atheismum*, quo multorum corda occupantur, ut non credant, Deum in cœlo esse, qui ipsos sustentare possit, licet media non adsint, quæ quoad externam speciem requiruntur: hinc ait Servator: Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis.

His verbis vocationis cura, quam Deus cuique demandavit, neutiquam prohibetur, pastori enim incumbit cura pro ovibus, Joh.10.v.12. & animarum pastori, pro animabus sibi concreditis, Hebr.13. v. 17.

Magistratus curam gerat subditorum suorum, Rom.12.v.8. & Paterfamilias domesticorum, 1.Tim.5.v.8. Sic omnis mechanicus cor suum dabit in consummationem operum, & vigilia suâ ornabit imperfectionem, *Sir. 39. v. 31.* Et ut summatim dicam, quilibet dolere tenetur pro peccato suo, Psal.38.v.20.

Ejusmodi igitur cura minimè hîc interdicitur, sed præpostera illa dubitationis cura, quæ in multis repetitur, ut diligentes quidem sint in vocatione suâ, sed diffidunt Deo, semper de futuro se macerantes, & metuentes, ne fame tandem pereant.

Hoc gravissimum peccatum est, quod sedulò cavendum. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo! Sir.2. v.14.

Quid vero hi Mammonæ servi aliud faciunt, quàm quod non credant Deo, imò desperent de Deo? Creatoris enim sui obliviscuntur, qui sine omni ipsorum præparatione in utero matris mirabiliter eos formavit, pelle & carnibus vestivit, ossibus & nervis compegit, Job.10.v.11. Obliviscuntur gratiæ & misericordiæ ejus, juxtà quam Solem suum oriri facit, super bonos & malos, Matth.5. v.44. Obliviscuntur manus ejus omnipotentis, quam aperit, implens omne animal beneplacito, Psal.145. v.16. Obliviscuntur sui ipsius, quod sine sui curâ adoleverint, aliàs facilè colligere possent, eum qui vitam illis dedit, quæ ad sustentationem ejus pertinent nec sibi denegaturum. Lætatur enim ad benefaciendum nobis, Jer.32. v.41.

Sunt igitur, ut omnes gentes, ut Deus Judæis exprobrat, Ezech. 25. v.8. & licet quandoque sacrâ synaxi utantur, tamen judicium sibi manducant, & bibunt, 1. Cor. 11.v.20. Sine fide enim impossibile est, placere Deo, Hebr.11. v.6.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex divina providentia*, quæ & super volucres & flores extenditur. Hîc audimus, Christum Mammonæ servos ad volucres ablegare, quas Deus alit, & ad lilia cam-

campi, quæ præclarè exornat, ut discant hinc, quod potius se in divina sua providentiâ descripserit, ne inopia laborent, vel pereant.

Sæpius inculcatur, quomodo Deus sanctos Patriarchas, Abraham, Isaac, & Jacob in annonæ caritate miraculose sustentaverit, Gen. 12. 10. c. 20. v. 14. c. 26. v. 1. c. 42. v. 1. item, quomodo Israelitas Manna cibaverit, & aqua è silice potaverit, Exod. 16. v. 12. nec non quomodo Moses quadraginta dies & noctes sine cibo & potu in solitudine servatus sit, Exod. 34. v. 27. ut Eliæ corvi cibum detulerint, 1. Reg. 17. v. 6. & Daniel in lacu leonum mirabiliter servatus sit, Dan. 6. v. 12.

Verùm caro & sanguis semper habet, quæ regerat. Sunt, qui sic ratiocinantur: Illi sancti fuerunt, quibus Deus beneficia hæc præstitit, intuitu Sanctitatis eorum: ego verò homo peccator sum, nec sanctis his Dei hominibus æquiparari possum. Si ita, ut colligis, Quid verò dicturus es, quod Deus & volucres alit, & quidem abjectos passeres, rapaces accipitres, fœtentes upupas, ingratos cuculos, & venenatos vespertiliones, & id genus alia? Annon horum intuitu illationem Christi disceres, dicens: Quod si Deus aves cœli pascit, nec me deserturus est, quem ad imaginem suam creavit, Gen. 8. v. 26.

Idem flores campi nos docere possunt. Subindè quidem percipimus in concionibus, quod fecerit Deus Protoplastis nostris, Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, quibus induerit eos, Gen. 3. v. 21. item quod Israelitas in deserto servaverit, ut vestimentum, quo operti fuerunt, vetustate non defecerit, nec pes subtritus intumuerit, Deut. 8. v. 4. Verùm quod lilia & fœnum agri adeò exornet, quæ hodiè sunt, & cras in clibanum mittuntur, id majorem consolationem conciliat. Plus enim sumus, quàm lilia, meliores sumus fœno.

II. *Ex divinâ munificentia*, ad quam collineat Christus, inquiens: Quærite primùm Regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis, nempe cibus & vestitus, & si quæ plura ad sustentationem vitæ corporalis necessaria sunt. Hoc vocat Servator προσθήκην additamentum, quod parum æstimatur in oculis Dei. Est enim dives in omnes, qui invocant illum, Rom. 10. v. 12. Habetque thesaurum ex omnimodis spiritualibus & corporalibus bonis, nunquam deficientem: sed quò plus largitur, eò plus largiri potest, sic ut fons aquarum, cui non deficiunt aquæ, Esa. 58. v. 11. hæc ita altitudo divitiarum est, quam investigare non possumus, Rom. 11. v. 33. Hinc Cyprianus: *Si tu Deo non desis, quid tibi cum Deo deerit? Cum Dei sint omnia, atque habens Deum, habet simul omnia.* Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentiâ, Psal. 84. v. ult.

Quando igitur, ut filii ejus coràm facie illius comparemus, clamantes: Abba Pater, Gal. 4. v. 6. cuilibet particulam suam adjicit; cujus scit indigere ipsum, nec vacuum aliquem dimittit: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus, Sap. 6. v. 8.

III. *Ex divina Magnificentia.* Quia enim Regnum habet, facilè hinc sequitur, quod Rex sit. Utique Rex, & quidem Rex Regum, 1. Tim. 6. v. 15. præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutisque ejus, neque unum deficit, Esa. 40. v. 26. Proindè

hhh 3 agno-

agnoscamus eum talem, cum Davide dicentes: Tua est, Domine, magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus: cuncta enim, quæ in cœlo sunt, & in terrâ, tua sunt: tuum, Domine, Regnum, & tu es elevatus, super omnes Principes, 1. Paral. 29. v. 11. 12.

Sicut autem quodlibet Regnum peculiares suas constitutiones habet, ad quas subditi conformare se tenentur: ita etiam hic Rex leges suas habet, quas servari vult. Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum. Mich. 6. v. 8. justitia & judicium est basis solii ejus, Psal. 89. v. 15.

Qui igitur legitimus civis & subditus hujus Regni esse cupit, hanc regulam sequatur, necesse est, Gal. 6. v. 15. & ante omnia fidelis sit Regi suo, ut serviat ei, in decore sancto, Psal. 110. v. 3. Vult enim populum, qui ad exemplum suum componat se, & sanctus sit, ut ipse sanctus est, Lev. 11. v. 44. & sanctimoniam sequatur, sine quâ nemo videbit Dominum, Hebr. 12. v. 14. imò, ejusmodi populum, qui invocet & honorificet se, Psal. 50. v. 15.

Si quis in hoc mundo ad Regia Ministeria adhibetur, pro magna gloria id reputat, sicut & reapse est, hinc Regina Arabiæ beatos deprædicat servos Salomonis, 1. Reg. 10. v. 8.

Quantò magis nos beati dicendi, quod Deus nos fecit populum suum, Psal. 100. v. 2. & per Christum redemit, Tit. 2. v. 14. ut serviamus ei in justitiâ & sanctitate coràm ipso omnibus diebus vitæ nostræ, Luc. 1. v. 74. *Huic Domino servire, regnare est*, ait Bonaventura. Qui enim fidelis ipsi est usque ad mortem, dabit illi coronam vitæ, Apoc. 2. v. 10.

Fremant igitur gentes, & adsistant Reges terræ, & consultent adversus Dominum & adversus Christum ejus, Psal. 2. 1. 2. Hic Rex par ipsis erit resistendo, furor hominum est laus ejus, reliquiis furoris accinget se, Psal. 76. v. 11. ideò facilè nos proteget, si confidamus ipsi adversus omnes injurias, & tandem salvos faciet in Regnum suum cœleste, 2. Tim. 4. v. 18.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Mammonismum detestare.* Ab hoc Christus ipse nos dehortatur, inquiens: Non potestis Deo servire & Mammonæ.

Hoc servitium non modò intelligatur, de crassa illa idololatria, quæ Romanis usitata fuit, qui ex argento peculiarem Deum fecerunt, cui templum consecrarunt, & divinum honorem exhibuerunt, ut Augustinus memorat: sed hæc quoque Mammonæ servitus est, si aurum putes robur tuum, & obrizo dicas, fiducia mea, Job. 31. v. 24. aut divitias terrenas tanti facias, ut Deum propterea despicias, & mandata ejus negligas, quales multi inveniuntur,

1. *In Choro.* Tales sunt, qui implicant se negotiis secularibus, 2. Tim. 2. v. 4. & in avaritiâ verbis fictis de auditoribus negotiantur, 2. Petr. 2. v. 3. dum prophanant Dominum propter pugillum hordei & fragmen panis, Ezech. 13. v. 19. vel planè vendunt, ut Judas, Matth. 26. v. 15.

Hic Mammonismus multas hæreses peperit, donec tandem aureus Papismus invaluit, ubi Maozim colitur auro & argento, & lapide pretioso, rebusq; pretiosis, Dan. 11. v. 38. 39. Fugi-

Fugiant igitur verbi Præcones eundem, & pascant gregem Christi, non coactè, sed spontè, neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè, 1. Petr. 5. v. 2. Verum namque manet, illud Poëtæ:

Pectora nostra duas non admittentia curas.

Ubi enim cura terrenorum invalescit, cura animæ abjicitur, ut tales evadant mercenarii, Johan. 10. v. 12. Hinc Siracides cap. 29. v. 25.

2. *In Foro.* Qui munera super innocentem accipiunt, Psal. 15. v. 5. & vim faciunt causæ humilium, ut sint viduæ præda eorum, & pupillos diripiant, Esa. 10. v. 2. sicut Achab Nabatho vineam vi eripiebat, 1. Reg. 20. v. 7. quo pertinent gravissimæ exactiones, quæ variis nominibus venditantur. Unde Deus causam habet querendi: Audite Principes Jacob, & Duces domus Israel, Mich. 3. v. 1. seqq.

3. *In Toro.* Ubi inveniuntur profligatæ conscientiæ homines, qui proximum per iniquas ulnas, mensuras & stateras dolosas defraudant, imminuunt mensuram, & augent siclum, & supponunt stateras dolosas, ut possideant in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendunt, Amos 8. v. 6.

Pertinent huc fœneratores & usurarii, qui sub prætextu amicitiæ proximos usuris gravant, eorum bona ad se transferunt, & tandem ad stipem illos redigunt. Id enim furti species est, Deusque detestatur. Quilibet proindè Mammonismum fugiat, & disponat negotia sua in judicio, Psal. 112. v. 5. *Nam lucrum in arcâ damnum in conscientia.* Potius Christianus, quando à Satana ipsi ostenduntur Regna mundi & gloria ejus, dicat: Pecunia tua tecum sit in perditionem, Act. 8. v. 20. Quid enim prodesset homini, si totum mundum lucraretur, & animæ jacturam faceret? Matth. 16. 26.

II. *Librum naturæ contemplare.* Eò Servatur nos relegat, inquiens: Respicite volatilia cœli, quæ non serunt, neq; metunt, neque congregant in horrea. Et iterum: Considerate lilia agri, quomodo crescunt.

Quod si igitur in numero verorum Christianorum esse velimus, juxta librum Scripturæ, & librum Naturæ commendatum nobis habeamus, quod Regius Psaltes præclarè illuminat per Psalmum 104. totum, qui inspiciatur.

Idem in floribus & liliis agri videmus, quæ Deus tàm eleganter exornat, ut hoc viridis illud flava, istud rubra, aliud cœrulea tunicâ indutum sit, aliud variis coloribus tàm festivè distinctum, ut nullus pictor id imitari queat.

Quando itaque has & alias creaturas intuemur, & pulchritudinem earum admiramur, illum potius suspiciamus, qui omnium artifex est, Sap. 7. v. 21. tùm & perpendamus, quod Veteres dixerunt: Omnia propter hominẽ, homo propter Deum. Ex hâc ipsa causa etenim Deus hominem postremò, nempè die sextò condidit, ut hoc ipso indicet ei: esse eum epitomen & complementum omnium creaturarũ, & quasi quintam essentiam: sicut experientia satis probat, quod homo non illis, sed illæ homini inserviant propter jussum Creatoris.

Sol, Luna & Stellæ ipsi lumen præbent, siquidem Deus ideò eos in firmamento posuit, ut dividant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies & annos, Gen.

Gen. 1. v. 14. Aër respirationi ejus inservit, sine quâ non vivere posset. Terra in commodum ejus producit plantas varias ad victum & amictum, volucres, pisces & bruta animalia cibum ipsi ministrant: Summa, nulla creatura nominari potest, quæ non adjumento sit homini, sint licet animalia venenatissima. Non est dicere: quid est hoc? aut quid est istud? Omnia enim in tempore suo quærentur, Sir. 40. v. 26. Quod si igitur omnes creaturæ propter hominem creatæ sunt, homo hinc amorem Dei agnoscat, eique pro beneficiis ejus gratias agat: nulla etenim stellula in cœlo est, quæ nos non inclamet: Intuere me, & celebra Deum, qui me tui gratia ad ministerium tuum creavit. Nulla avicula in aëre, nullum animalculum in terra, nullus pisciculus in aqua est, quin idem nobis ingeminent.

Sicut igitur 1. Irrationales creaturæ Creatori suo obsequium præstant, ubi Ministerio eorum indiget, Psal. 148. v. 7. Sir. 39. v. 33. Similiter idipsum & nos præstemus, ne ruborem nobis incutiant, & conqueratur Deus, Esa. 1. v. 3. Jerem. 8. v. 7. 1. Sam. 15. v. 23.

Sicut 2. Creaturæ irrationales, imprimis volucres & flores, quorum hîc Christus meminit, sorte sua contenti sunt, nec sibi invicem invident, licet flosculus alio, pulchrior sit, & avicula præstet altera: Sic & nos contenti simus præsentibus, Hebr. 13. v. 5. nec admiremur in operibus peccatorum: sed confidamus in Deo, manentes in loco nostro: facilè est enim in oculis Dei subitò ditare pauperem, Sir. 11. v. 22.

3. Sicut Deus creaturas irrationales in vindictam contrà nos adhibere potest: suntque anxiæ, quod propter nos vanitati subjectæ sint, Rom. 8. v. 20. Ita summoperè caveamus, ne iis abutamur, & gemitum eorum excitemus: Alioqui lapis de pariete clamabit: & laquear ligneum respondebit, Hab. 2. v. 11. Sap. 5. v. 19.

Hoc si observaverimus, & creaturas irrationales, aves & flores Magistros nobis proposuerimus in hâc miseriarum valle: aliquando ad plenam & perfectam cognitionem pertingemus, ubi neque libro Naturæ, neque libro Scripturæ indigebimus, sed omnes à Deo docti, cognoscemus Dominum, à minimo, usque ad maximum, Jer. 31. v. 34.

III. *Regnum Dei sectare.* Propterea ait Christus: Quærite primùm Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

Filii hujus seculi non multùm curant Regnum Dei: sed plenis buccis clamant:

O cives, cives, quærenda pecunia primùm,
Virtus pòst nummos!

Ideò quærunt illi felicitatem suam:

1. *In mundi gloria,* ut Nabuchodonosor, qui dixit in corde suo: In cœlum conscendam, suprà astra Dei exaltabo solium meum, Esa. 14. v. 13. Internum eorum, domus suas in æternum, & tabernacula sua à generatione in generationem, Psal. 49. v. 12. Verùm vanissima vanitas & multa ambitio id est, Act. 25. v. 23.

2. *In divitiarum copiâ.* Hinc David ita homines qui sunt de mundo, describit: quod eorum pars, in vita sit: quod ventrem eorum impleat thesauro suo &c. Psal. 17. v. 14. Verùm hæc felicitas citò eva-

evanescit: aurum & argentum æruginat, Jac.5. v.3. & in calore solvetur, 2.Petr.3. v.10. animam non saturabit, nec ventrem implebit, Ezech.7. v.17. Quilibet videat, ut in Deo ditescat. Quia non in abundantia cujusquam vita ejus, ex his, quæ possidet, Luc.12.v.15.

3. *In vita luxuria.* Hinc Epicureorum vox: Venite & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter: quoniam hæc est pars nostra & hæc est sors nostra, Sap.2.v.6. Utique hæc pars & sors eorum. Regnum enim Cœlorum quod mundani in carnalibus voluptatibus quærunt, tandem ab inferno absorbetur, qui dalatavit animam suam, & aperuit os suum, absque ullo termino: & descendent fortes ejus, & populus ejus, & divites ac læti in eum, Esa.5.v.14.

Veri Christiani ante omnia Regnum Dei quærant, & justitiam ejus, Regnum nimirum gratiæ, quod passim Regnum cœlorum dicitur, Matth.8.19.20.22. à Petro verò regale Sacerdotium, 1.Petr.2.v.9. sic à Regno gloriæ non excludentur, ubi justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud Altissimum. Ideò accipient Regnum decoris, & diadema speciei, de manu Domini, Sap.5.v.16. Hoc sufficit nobis, est enim τέλος τῆς πίστεως ἡμῶν, 1. Petr. 1. vers.9.

Id Deus omnibus nobis largiatur, Amen.

DOMINICA XVI. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 7. v. 11 -- 17.

EXORDIUM.

De junioribus Studiosis Hierochuntis, Elisæi discipulis memoratur, quod egressi sint ad colligendas herbas agrestes, ut famem sedarent, in annonæ caritate, quæ invaluerat. Inveneruntque vitem sylvestrem, & collegerunt ex eâ colocyntidas agri, quibus pulmentum adeò amarulentum factum, ut non potuerint comedere. Detulerunt ergò id ad Præceptorem suum, dicentes: O vir Dei, mors est in ollâ! Misit ergo Elisæus farinam in ollam, & statim ab amaritudine liberatum est, ut cum voluptate pulmentum comederint, 2.Reg.4.v.39.seqq.

Allegoricè hoc ipso depingitur miseria, in quam humanum genus per peccata incidit, sicut & gratiosum auxilium, quod cœlestis Elisæus Jesus Christus nobis præstitit. Verè enim Protoplasti nostri lapsu suo id effecerunt, ut terra maledictione infecta sit: & ubi ante fructus jucundissimos protulit, qui hominem & corpore & anima refecerunt, ecce, jam vites sylvestres & amaras colocyntidas producit, quæ non aptæ sunt palato nostro: & quod maximum est, pulmentum nostrum tanto amarore infectum est, ut morti, ejusque prodromis variis morbis subjecti simus, juxta rigorosam sententiam, quam Deus statim

post lapsum super Adamum pronunciavit: Maledicta terra propter te, cum molestiâ comedes ex eâ, cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de quâ sumtus es; quia pulvis es, & in pulverem reverteris, Genes. 3. v. 17. seqq.

Verùm cœlestis Elisæus, Servator noster pientissimus, farinam saccharatam nobis attulit, & sanctissimo merito suo, omnes nostras miserias, & afflictiones, imò mortem ipsam adeò edulcavit, ut jam Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom. 8. v. 28. quod si patiuntur, non ut homicidæ, aut fures, aut malefici, sed ut Christiani patiuntur, & glorificant Deum in isto nomine, 1. Petr. 4. v. 15. Sin moriantur, exploratum habent, quod mors quoque sibi exitio non sit, sed pretiosa in oculis Domini, Psal. 116. v. 15. locuples lucrum afferens, Phil. 1. v. 21. dum è miseriis in requiem veniunt, & requiescunt in cubili suo, Esa. 57. v. 2.

Festivum exemplum prostat in prælecta Pericope, ubi Christo funus obviam offertur, cum discipulis suis Nain ingredituriendi, verè tum mors in ollâ erat: Verùm simul ac loculum tetigit, & farinam dulcissimam gratiosorum labiorum suorum super defunctum sparsit, h. e. verbum vitæ ex ore suo blandissimo emisit, inquiens: Adolescens dico tibi, surge! ecce, resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ.

Nos instituti nostri memores videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

IN Papatu multa gloriantur de S. Veronicâ, quod Christo, ad locum Calvariæ educto obviaverit, & dum ipsi strophiolum obtulerit, Dominus, ubi guttas sanguineas & lacrymas oculis suis absterserit, simul effigiem vultus sui miraculosè eidem impresserit. Hoc strophiolum Romæ in templo S. Petri, tanquam peculiare sanctuarium, anniversariè circà Paschatos festum plebi ostenditur, & juxtà magnæ indulgentiæ promittuntur. Verùm Evangelistæ ne apice quidem mentionem ejus faciunt, quod si verò id factum esset, propter miraculum illos id non reticuisse, probabile est, maximè quia reliquas mulieres, quæ Christum in eductione comitatæ sunt, nominetenus exprimunt, Matth. 27. v. 15. Marc. 15. v. 40.

Verùm in prælectâ Pericope ejusmodi Strophiolum invenimus, in quo facies Christi efficta est, quando viduæ tristissimæ lacrymas quasi abstergit, dicens: Noli flere. Id ad salutarem nostrum usum conservemus, & quando in calamitatis incidimus, hoc solatio nos confirmemus, quod non repellat in sempiternum Dominus, etiamsi affligit, & miserturus sit secundum multitudinem misericordiarum suarum. Non enim excruciat homines, ex corde suo, Thren. 3. v. 23.

Querela respicit

I. *Mor-*

I. *Mortis dominium*, quæ quidem initiò non fuit, sed per Diaboli invidiam demùm in mundum intravit, Sap. 2. v. 24. nunc verò in omnes homines pertransiit, quandoquidem omnes peccarunt, Rom. 5. v. 12.

Paulò antè optimus Servator in Capernaum mortem offenderat, non modò in domo Centurionis, apud servum Paralyticum: sed & in ædibus Jairi, cujus filiola defuncta erat. Jam ipsi denuò obviat, & in publica via superbit, cum funere & feretro. Hæc via ipsi per peccata patefacta, & stipendium peccati mors est, Rom. 6. v. ult.

Sicut igitur olim in Ægypto cum Angelus percussor transiret, nulla domus erat, in qua non jaceret mortuus, Exod. 12. v. 31. Ita & nulla civitas, nullus pagus & nulla domus reperiri potest in hoc mundo, ubi à morte tutus sis: hæc falce sua cuncta demetit, & sagittis suis omnes prosternit, ubicunque terrarum fueris. Hinc Hormisda quærenti Imperatori Constantino: quid Romæ vidisset? respondit: Mors ibi etiam dominatur.

Idem hîc Nainitæ experti, dum juvenis in flore ætatis à morte abreptus Christo obviam fertur, ut terræ mandetur & sepeliatur: nullum hîc discrimen mors observat:

Est commune mori, mors nulli parcit honori, (tis.
Dives, ut & fortis veniũt ad limina mor-

Hinc David quærit: quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem? Psal. 89. v. 49. Nos ipsi respondere possumus ex experientia: Nemo. Adam primus noster parens vixit annos nongentos & triginta, ubi est? mortuus est, Gen. 5, v. 5. Sethus vixit annos nongentos & duodecim; ubi est? mortuus est. Mathusalem vixit annos nongentos sexaginta novem, ubi est? mortuus est. Lamech vixit annos septingentos, septuaginta septem, ubi est? mortuus est, Gen. 5. v. 31. Nemo hîc exemtus est, nisi Enochus & Elias, qui & corpore & anima in cœlum assumti, ut essent Candidati æternitatis, nosque de vita æterna certiores redderent. Memento igitur mori, sedulò cogitemus, & mortem singulis momentis expectemus. Nam à manè usque ad vesperum immutabitur tempus, Sap. 18. v. 26.

Hoc nisi fiat, facilè ex temporali morte in æternam prolabi possumus, quæ damnatos arrodet in æternum, Apoc. 9. v. 6. Nam ex inferno nulla redemtio, Ps. 49. 15.

II. *Corporis domicilium.* Hîc audimus defunctum adolescentem porta civitatis efferri, ut sepeliretur in terram, matrem omnium nostrûm, Sir. 40. v. 1.

Nobis, Dilecti, idem restat. Mors enim truculenta adeò hominem deformat brevi tempore, ut consumatur, tanquam à tineâ, pulchritudo ejus, Psal. 39. v. 12.

Oculi, qui instar crystalli luxerunt, obscurantur. Genæ & labia, quæ antè purpuratæ videbantur, pallescunt. Manus & pedes, qui antè ad munia sua obeunda promti & firmi erant, languescunt. Lingua, quæ ante volubilis, & variis facetiis jucunda, ligata est. Breviter, omnia membra consumuntur, ut homo vivens adhuc terram redoleat: & postquam defunctus est, optimi ej⁹ amici nausea illius capti, cum eo ad terram properant, sicut & sancti Dei homines Abraham, Isaac, Jacob, Joseph aliiq; defunctos suos honesta sepultura affecisse, legimus.

Quamvis igitur magni beneficii loco reponendum sit, si homo sepultura post mortem honestetur: attamen si rem ipsam respicias, ingens miseria est, quæ à peccato & principaliter à Diabolo oritur, dum ita in terra ad putredinem, imò vermibus, bufonibus & serpentibus devorandum videmus exponi, Sir.10.v.13 Hinc Jobus: Putredini dixi, Pater meus es: Mater mea, & soror mea, vermibus, Job.17.v.14.

Placilla Imperatoris Theodosii Conjux, Maritum suum subindè his verbis compellasse dicitur: Semper tibi cogitandum est, ô Imperator, quid fueris, quid sis, & quid eris:

Quo ipso commonere Imperatorem voluit

1. *Ingressus*, quod nimirum ut alii homines, terra & cinis sit, Gen.18.v.27. in peccatis conceptus & natus, Psal.51.v.6. & licet summo loco natus sit, non tamen habere illum aliud nativitatis initium, sed primam vocem, similem omnibus emisisse eum plorantem, Sap.7.v.4.6.

2. *Progressus*, quod nimirum Imperator sit, Caput summum in Romano Imperio, ideò decere illum, ut Regnum fideliter administret, quia futurum sit, ut Altissimus interroget opera ejus, Sap.6.v.4.

3. *Egressus*, quod futurus sit spolium mortis & esca vermium. Omnibus quippe hominibus semel statutum est mori, Hebr. 9.v.27. ibi Imperatoria Majestas cessat, neque enim corona manet, à generatione in generationem, Prov.27.v.23.

Hoc ad omnes Christianos applicari potest, qui & ipsi tres voculas observent:

1. *Olim*, qui fuerint, videlicet, filii iræ, Eph.2.v.3.

2. *Nunc*, qui sint, nimirum Filii Dei, 1.Joh.3.v.2.

3. *Tunc*, qui futuri sint, nempè hæredes Dei & cohæredes Christi, Rom.8.v.17.

Equidem omnibus nobis moriendum, sumusque pulvis & cinis, hoc perpetuum fœdus est, Sir.14.v.18. Sed scimus, quod Redemtor noster vivit, & novissimo die de terra surrecturi sumus, Joh.19.v.25. intereà humilitatem hinc discamus, quia adeò mortalia & corruptibilia corpora habemus, ne arrogantius de nobis sentiamus, quàm oportet, Rom.12.v.3. Si ignoras te, ô pulcerrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos, juxta tabernacula pastorum, Cant.1.v.8. h.e. abi in cœmeterium, & fac tibi aperiri sepulchrum, ubi pulcherrimus hominum jacet: tum perspicies, qualis sis, nempe cadaver fœtidissimum, *saccus stercorum*, *esca vermium*, ut Bernhardus loquitur. In hâc consideratione non modò à fœdâ superbia abstrahemur, Sir.10.v.9. sed & vitæ piæ studentes, nunquam peccabimus, Sir.7.v.ult.

III. *Viduarum deliquium.* Exemplum prostat in prælecta Pericope, in viduâ Nainiticâ: hæc geminæ miseriæ exposita erat: Deus maritum pridem abstulerat, jam & filius defunctus erat, qui solamen senectutis ipsi fuisset, ut hanc spem de ipso conceperat. Hîc verè dixeris: Ærumna duplicatur piis: je lieber Kind / je schärffer Ruth. Judicium enim incipit à domo Dei, 1.Petr.4.v.17.

Viduæ sunt personæ miserabiles, quæ in tribulatione sunt, Jac.1.v.ult. caput enim suum amiserunt, h.e. maritum, Eph. 5.v.23. sicut igitur corpus sine capite est instar

ftar amputati trunci, qui seipsum adjuvare nequit: Ita & viduæ omni præsidio & solatio destituuntur in terris, quilibet ipsis insultare gestit, inquiens: Incurva te, ut transeam, Esa.51.v.23. Hinc in lingua Romanâ vocatur vidua, quasi à viro divisa. Germani dicunt Wittwe/ q.d. wie weh? Væ mihi miseræ, nemo me respicit, nemo me protegit, quando filii seculi dicunt: Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, Sap.2.v.10.

Quodsi verò miseria illis duplicatur, ut huic viduæ, ut unico filio, in quo, post Deum hæret spes eorum, priventur per mortem, dolor eò major est. Hinc Spiritus sanctus maximum luctum sic describit: quod sit planctus unigeniti, Jer.6. v.26. Zach.12.v.10.

Jacobus plurimos habuit filios attamen amisso Josepho consolationem accipere noluit, Gen.37. v.35.

Quantum luctum edebat David, mortuo filio immorigerô Absolone, cùm tamen adhuc Salomonem haberet, qui frugi erat, 2.Sam.18.v.37.

In quanto luctu & squalore putatis parentes versati, si unicum modò filiolum habeant, & illo per mortem priventur, de quo dici potest, quod Æneas de Ascanio:

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.

Jonas putabat, se non temerè lugere, quod sibi cucurbita in una nocte periisset, Jon. 4.v.9.

Quantò magis pii parentes dolore afficientur, quando non cucurbita illis periit, sed unicus filius à morte abreptus est.

Maximè ubi mater jam tum in viduatu degit, & marito privata est, qui melior est, quam decem filii, 1.Sam.1.v.9. uti ejusmodi casus sæpè accidunt, & exemplum in Evangelio prostar: Sine dubio vulnus olim in morte mariti inflictum recruduit, ut diceret cum Naëmi: Ne vocetis me Naëmi (pulchram,) sed vocate me Mara (amaram,) quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens, Ruth.1.v.21.

Sed sperent illæ in Deum, 1.Tim.5.v.5. qui respicit in orationem humilium, Psal. 102.v.18. & in verbo suo promisit, se maritum illarum futurum, Esa.54.v.5. quid igitur contristabuntur? Siquidem Domini est terra, & plenitudo ejus: Orbis terrarum, Psal.24.v.1. & potest omnia facere superabundanter, quàm petimus aut intelligimus, Eph.3.v.20. Devolvent proindè super Dominum viam suam, & sperent in eo: & ipse faciet, Psal.37.v.5.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Christi operatione*, quâ viam quasi morti intercludit, ut cursum suum absolvere nequeat.

In genere mortem timemus, & effugimus, quoad fieri potest, sicut quinque illi Reges Amoritarum fugerant, & in speluncâ se absconderant, Jos.10.v.16. Verùm Christus frontem ipsi offert, gradiens in multitudine fortitudinis suæ, Esa.63.v.1. tanquam Dux vitæ, Act.3.v.14. qui propediem morti pestilentia, & inferno lues futurus erat, Os.14. v.14. ut nos liberaret, qui timore mortis per totam vitam obnoxii eramus servituti, Hebr.2. v.15.

Summus Sacerdos V.T. in mortuis non poterat contaminari, Levit.21. v.1. hoc in-

dicat; legem neque peccatum, neque stipendium peccati abolere posse. Nulla quippe lex data est, quæ possit vivificare, Gal.3.v.21. Verùm noster Pontifex callet artem, qua per mediam mortem viam invenire, & exitium mortis ostendere possit, Psal. 68. v. 21. Ideò obviat hîc Goliatho huic immmani, nec approbat ejus Symbolum: Cedo nulli: sed funda sanctissimi meriti sui ipsum prosternit, ut & nos ipsi insultare valeamus, dicentes: Ubi est mors stimulus tuus? ubi tua, inferne, victoria? 1. Cor.15.v.55.

Hûc non inconcinnè quadrat typus Gehasi & Domini sui Elisæi, sicut Augustinus applicavit. Elisæus enim baculum suum Giezi tradebat, ut vaderet, & hospitis suæ filium resuscitaret; verum frustrà erat, donec Elisæus accederet, & rem expediret, 2. Reg.4.v.29. Sic Moses quidem Christum antecessit, & terrorem cum pœna attulit: sed mortem abolere non potuit, dum Christus ipse venit, & Diaboli opera dissolvit, 1.Joh.3.v.8. Nam lex per Mosen data: gratia & veritas per Jesum Christum facta est, Joh.1.v.17.

II. *Ex bajulorum statione.* Simulac enim Christus loculum tetigit, steterunt, qui portabant. Procul dubio & corda eorum tetigit, virtute sua divinâ, qua omnes creaturas in obsequium suum flectit, Psal.78. v.1. Dictum ejus est factum, Psal.33.v.9.

Diabolus jam nos arripuerat, ut nos in infernum deportaret: verùm, ut David leonem & ursum persecutus est, & eruit ovem de oreillorum, 1.Sam.17.v.35. ita & æternus Dei Filius prodiit, & loculum tetigit, hoc est, in susceptâ humana natura giganti prædam eripuit, Esa.49.v.24. Nunc bajuli consistunt: Mors non amplius trucidat, infernus non deglutit, Diabolus non seducit, Christus inducias nobis conciliavit. Justificati enim fide pacem habemus cum Deo per Filium ejus Jesum Christum, Rom.5.v.1. Si verò pacem cum Deo, quis contra nos erit? Rom.8.v.32.

III. *Ex adolescentis resuscitatione.* Mortui enim in oculis ejus non defuncti sunt, sed vivunt: iccircò hunc defunctum adolescentem ut sanum & valentem inclamat, qui & vocem Christi extemplò percipit. Vox enim Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, Psal.29.v.4.

Ubi unquam terrenus Rex & Monarcha tanta audaciâ & virtute fuit, ut morti unicum funus eripuerit? Sed Christus id fecit, ut hîc cernimus dum morti prædam suam eripuit, & vacuo loculo dimisit. Eadem ratione die ultimo cum omnibus nobis aget, ut ipse testatur, Johan.5.vers. 28. 29.

Idea ejus rei nobis hîc dilucidè ostenditur. Christus Nain proficiscens, magnâ comitatus est turba. Ita quando die extremo veniet ad judicium, non solus venturus est, sed omnes S. Angeli cum eo, Matth.25.v.31.

Ibi sub porta Civitatis, vox ejus insonabat, quæ dicebat ad juvenem: Adolescens dico tibi, surge! Ita die novissimo non tacitè, sed in jubilatione descendet de cœlo, 1.Thess.4.v.16. & altâ voce clamabit: Revertimini filii hominum, Psal.90.v.4.

Ibi ad vocem Christi resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui: Ita & nos die ultimo capita nostra elevabimus, & in florida juventa incedemus, ut Augustinus docet, quin similes erimus Angelis Dei, Matth.

Matth. 22. v. 30. & sicut illi utplurimum in forma juvenum comparuerunt, Marc. 16. v. 5. sic & nos frugiferi erimus, germinabimus & virebimus, & annunciemus magnalia Dei in æternum, Psal. 92. v. 15.

Ibi Christus resuscitatum adolescentem matri suæ restituit: sic & ibi amici in plenissimo gaudio convenient, unde dies novissimus, dies restitutionis omnium dicitur, Act. 3. v. 19. Hoc animum nobis addat, ne mortem exhorrescamus, quia nos in sepulchro retinere nequit, sed dimittere rursus cogitur, ut Balæna Jonam jussu Dei indemnem revomere cogebatur, Jon. 2. v. ult. Dicamus ergò cum Ecclesia:

Hoc fulcior solamine
Molestâ in ægritudine,
Scio die quod ultimo,
Cum gaudio,
Sim suscitandus ex humo.
Dei boni potentia,
Retundet mortis spicula,
Servabit ossa corporis,
Ut singulis
Convestiar membranulis.
Bonum Deum cum jubilo,
Videbo, nullus ambigo,
In sempiterna gloriâ
Quæ mî data.
Sit laus ei per secula.

De Tertio.

RESTAT *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Viduis succurre.* Cum enim Servator mœstam hanc viduam cerneret, ut funus filii sui amarissimis lacrymis persequentem; misericordiâ intima motus, non modò amicè eam compellabat, sed & reipsa adjuvabat, filium ejus resuscitando, propter quem in hunc luctum conjecta fuerat.

Nos quoque viduarum curam habeamus, easdem adjuvantes,

1. *Auxilio*, non enim multum sibi acquirere possunt, ideò aliorum beneficentiâ indigent, qui rivulos aquarum in plateas derivent, Prov. 5. v. 16. & necessitatibus sanctorum haud inviti subveniant, Rom. 12. v. 13. id Deus non sine mercede relinquet, si vel potus frigidæ saltem fuerit, Matth. 10. v. ult. Est enim judex viduarum, Psal. 68. v. 6. & sicut bonum, quod illis exhibetur, non sine remuneratione relinquit: sic & severâ pœna afficit eos, qui non verentur easdem offendere, Ex. 22. 22.

2. *Consilio.* In judicando esto pupillis misericors, ut pater, & pro viro matri illorum; & eris tu, velut Filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis quàm mater, Sir. 4 v. 10. 11.

3. *Præsidio.* Adhuc enim maleferiati inveniuntur, qui opprimunt in judicio pauperes, & vim faciunt causæ humilium, ut sint viduæ præda eorum, & pupillos diripiant, Esa. 10. v. 2. Si Magistratum compellant, & ejus opem implorant, sæpè frustrà implorant, ut exemplum prostat, Luc. 18. 7.

Hoc verò minimè fiat. Christiani enim Magistratus ante omnia operam dent in officio suo, ut viduæ & pupilli jus suum consequantur.

Hoc fecit Jobus, c. 29. v. 12. 15. David, 2. Sam. 14. v. 5.

Hâc laude quoque commendatur Imperator Ferdinandus I. Nam cum aliquando Secretarius ejus viduâ, quæ literas sup-

supplices ipsi exhibere volebat, rejicere vellet, sub prætextu, quod Imperator alia negotia expedienda haberet, quàm quod causæ ejus locum relinquere posset: Ille respondebat: Admitte miseram hanc viduam: nisi enim pauperes audiverimus, Deus quoque non audiet nos.

Idem faciant omnes, qui Magistratum gerunt, apprimè caventes, ne iisdem vim inferant. Redemtor enim illorum fortis est, & ipse aget contrà te causam illorum, Prov.23.v.11.

II. *Defunctos luge.* Hîc audimus, multam turbam cum adolescente hoc in funus prodiisse. Ex hoc exemplo instruimur, quod & nos defunctos nostros honesta sepultura afficere, & exequias eorum nostrâ præsentia honestare debeamus, juxtà admonitionem Siracidis, qui vult mortuo quoque non prohibere gratiam, c.7. v.37. nempè ut Lutherus in margine explicat, ut vestiamus eos, & honestè sepeliamus, propter Deum & resurrectionem, quia in vitâ sua membra Christi, Eph.2.v.30. & templa Spiritus sancti fuerunt, 1.Cor.3.v.16. & aliquando reviviscent & cum corpore resurgent, Esa.26.v.19.

Eò non modò Processiones spectant, quæ in honorem defunctorum instituuntur; sed & conciones funebres, qua jam olim in Gentilismo usitatæ fuerunt, siquidem Cicero veterem legem citat, quæ ita habet: Honoratorum virorum laudes in concione memorantor. Sic David Rex Abnero egregiè parentavit, his verbis: Nequaquam, ut mori solent ignavi, mortuus est Abner. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggravati: sed sicut solent cadere coràm filiis iniquitatis, sic corruisti, 2.Sam.3.v.33. Id in populo Dei perpetuus mos fuit, ut Rabbi nescio quis testatur: Nullum funus factum est in Israel, absque verbo Prophetico. Idipsum etiam apud Christianos invaluit, sicut Gr. Nazianzenus, non modò fratri suo Cæsario, & sorori Gorgoniæ, sed & Basilio M. Archiepiscopo Cæsariensi diversos Sermones funebres habuit, qui in scriptis ejus exstant. In Germania hic mos obtinuit A. C. 1246. ut Albertus Crantzius memorat, quod & à tempore illo perpetuò continuatam est, & vergit non modò in honorem demortuorum, quorum memoria nunquam obliterabitur, Psal.112.v.6. sed & afflictis in solatium. Et tandem omnibus concomitantibus in salutarem instructionem, quomodo & ipsi ad beatam εὐθανασίαν se præparare debeant, siquidem, hodiè mihi, cras tibi, Sir.38.v.23. Eccles.7.v.3.

III. *Christo confide.* Equidem mors ultimus est inimicus, 1.Cor.15.v.26. qui conjunctissimos amicos corpus atque animam divellit, & prodromi ejus sunt varii morbi, qui tamdiu hominem arrodunt, donec eum prosternant, juxta illud: Timores cordis adinventio exspectationis, & dies finitionis, Sir.40.v.2.

Sed quando Christum intuemur, qui verbo mortem fugare, & defunctos resuscitare valet, nullam causam habemus metuendi, sed potius beatam dissolutionem anhelandi, cum Paulo suspirantes: Desiderium habeo dissolvi, & esse cum Christo, Phil.1. v.23.

Hîc Servator pauca verba profert, ad quorum sonum defunctus erectus residet, & matri restituitur. Super quæ verba Cyril-

Cyrillus scribit, quod vox Christi adeò penetrabilis fuerit, ut, si tum temporis ad loculum juvenis, vel tumulum Lazari clamasset: Vos mortui qui ab Adami ætate ad hoc usque tempus occubuistis, surgite cum hoc adolescente, cum Lazaro hoc: illi omnes necessariò surrexissent & prodiissent. Quia verò tùm temporis nondum fieri debuit, ideò die novissimo efficaciter illud demonstrabit, & quamprimum vocabit: Surgite mortui, venite ad judicium! Dictum erit factum, & mortui magni & pusilli stabunt coràm throno ejus, Apoc. 20. v. 12. Esa. 40. v. 36.

Hoc illorum solatio inservit, qui parentibus, conjuge, liberis, amicis & propinquis per mortem privantur. Die novissimo omnes vicissim conveniemus. Ibi Servator, jam mœsto viduo conjugem suam, matri jam lugenti, liberos, amico jam dolenti propinquos suos restituet, ut neque vita neque mors illos amplius separare possit. Rom. 8. v. 38. sed in æterna gloria cohabitabunt, & cum Christo erunt semper, 1. Thess. 4. v. ult.

Quod nobis omnibus ex gratiâ largiatur Deus Trinunus, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

DOMINICA XVII. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 14. v. 1 -- 12.

EXORDIUM.

CYgnum Numen divinum inter aves immundas retulit, & Israelitis severè interdixit, ne carne ejus vescerentur, Lev. 11. v. 27.

Cygnus avis non contemnenda est, magnitudine anseris, vel major adhuc, & si rectè præparetur, non adeò respuendus videtur. Atqui Judæis anseribus vesci licitum fuit, non verò cygnis, causam nonnulli ex veteribus hanc reddunt, quod niveas pennas gerat, in carne nigrâ; quo ipso imaginem exhibent omnium hypocritarum, qui exterius speciem sanctitatis præferunt, in corde verò nigri sunt, omnimodis vitiis repleti: quod abominabile est coràm Deo. Ex hâc causâ Deus Israelitis interdixit, ne cygnos sacrificarent nec comederent, ut hinc exemplum caperent, sicut volucrem hanc repudiaverit, quòd sub candidis plumis nigram carnem occultet: Sic multò magis ipsi improbatum iri hypocritas, qui ore dicunt, Domine, Domine, Matth. 7. v. 22. & tamen in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis cor eorum, Act. 8. v. 23.

Deindè inde quoque esse potuit, quia de cygnis refertur, quod suaviter cantent, sed non antè, quam moriantur, ut Ovidius canit:

> Carmina jam moriens canit exequialia cygnus,
> Cantator cygnus funeris ipse sui.

Hypocritæ enim idem faciunt, ut pœnitentiam suam in agonem usque mortis procrastinent, putantes, tunc sat citò id

fieri: Deum facilè commotum iri, ut animam in cœlum recipiat. At:

Divina Christi gratia
Quâ sic abusus est datâ:
Vix prosequetur illum.

Verè siquidem Augustinus: *Simulata pietas, non est pietas, sed duplex impietas.* Ideò veri Christiani studiose id caveant, ut non modò Deo in integritate cordis serviant, sicut David, 1. Reg. 9. v. 4. sed & cum proximo sincerè agant, nam in Christo Jesu veritas, Eph. 4. v. 21.

Non hoc observavit Princeps Pharisæorum, qui quidem Christum ad convivium invitavit, quasi sincerè ergà eum affectus esset: verùm sub prætextu hoc occasionem captat, ut in periculum illum adducat, sicut prælectum Evangelium pluribus testatur.

Nos methodo nostra inservientes, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

SCribit Diodorus Siculus, quod in insula quâdam novi orbis, homines reperiantur, qui scissas linguas habeant, adeò promti loquela, ut non modò hominum orationem formare, sed & avium cantum imitari possint.

Hoc quidem quoad literam fabula videtur: verùm elegantem allegoriam hinc concinnare possumus. Inveniuntur enim inter nos quoque homines, qui non modò bilingues, sed & bicordes sunt: & externè probos & humanos se simulant, nihilominus virulentiam in corde fovent: sicut exemplum in Principe Pharisæorum, ejusque convivio hypocritico habemus,

Querela respicit

I. *Subdolam observationem.* Hic Pharisæorum Princeps Christum quidem in convivium invitabat, at non ex caritate & amicitiâ: sed ut causam haberet, quomodo ipse & contribules Domino malum concinnarent, ideò inquit Evangelista: Et *observabant eum.*

Ejusmodi sycophantæ adhuc hodie ubique inveniuntur, qui lynceis oculis omnes actiones nostras observant, nec raro exploratores emittunt, actionum nostrarum observatores, quò habeant quod carpant, vel proximo incommodum cudant, ut exemplum Doëgi probat, 1. Sam. 22. v. 9.

Id experiuntur *verbi Pracones*, quando veritatem dicunt ex suggestu, adsunt Coryphæi, qui verba in perversum sensum trahunt, egrediuntur foràs, & calumniantur, Psal. 41. v. 7.

Id comperiunt *Christiani Magistratus*, qui & ipsi Coryphæos suos habent, & modò in hoc modò in illo eosdem reprehendunt, hunc nimis leniter, illum rigorosè nimis tractant, ut utrinque verificetur, Et observabant eum.

Breviter: quilibet Coryphæos suos habet, qui sollicitam ejus rationem habent, quid loquatur, quid faciat, quid edat, quid bibat, quo se amiciat. Verùm quilibet, quæ recta sunt agat, & mittat vanos istos speculatores. Drusus habebat domum, in quam quilibet introspicere poterat, quid rerum ageret: Hanc illi

illi artifex quidam ita adornare voluit, ut nemo illam introſpiceret, ille autem foris omnia videre poſſet, ſi ei ſex millia florenorum numeratet. Sed ipſe dixit: Mi amice, non pudet me actionum mearum, ſed optarem, ut quilibet in tota Urbe videret, quomodo cum meis viverem. Eodem modo affecti ſunt veri Chriſtiani, & ita vitam agunt, ut neminem propterea vereantur. Joh.3.v.20.

II. *Sabbathi profanationem.* Chriſtus hic quærit: Licetne Sabbatho curare? Id non ex ignorantiâ facit, quaſi neſciat, quid æquum aut iniquum ſit. Minimè. In ipſo enim omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi ſunt, Col.2.v.3. Sed ut eorum ſenſa eliciat, & audiat, quid illi reſpondeant, paratus enim erat in utramque partem. Alibi hanc quæſtionem ita propoſuit: Licet Sabbathis benè facere an malè? animam ſalvam facere, an occidere?

Videmus hic *Sabbathi diem ſanctam eſſe*, quæ facilè profanari poſſit, potiſſimum ſi cultus Dei negligatur, quod in ultimâ hâc mundi ſenecta adeò invaluit, ut multi Judæorum Cantilenam canant: Quando tranſibit menſis, & venundabimus frumenta, & Sabbathum, & aperiemus frumentum: ut imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas, Amos 8.v.5. Sermo enim Dei plurimis onus eſt, Jer. 22. v. 39. ideò terrenis occupati ſunt, ut intereà viæ Sion lugeant, Thren.1. v.4.

Quodſi aurum & argentum in æde ſacrâ diſtribueretur, non dubito, quin homines in frequentia acceſſuri, & quilibet ad aufferendum paratiſſimus foret: Verùm cœleſtes theſauri, qui per verbum & Sacramenta diſtribuuntur, parùm curantur, hic facilè ſatias nos capit, ut multi unâ concione menſem, & S. Cœna annum, ſi non plures, contenti ſint. Hinc ſcitè Lutherus alicubi ſcribit: Wann ich Geld gnug hätte zu geben den Leuten/ich wolte die gantze Welt bald Lutheriſch machen/ und noch viel Lutheriſcher / als ich bin.

Dolendum ſanè eſt, impium mundum temporalia æternis adeò proferre, nec perpendere, quod Chriſtus ait: Quærite primum Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & cætera omnia adjicientur vobis, Matth. 6.33. Deus ſex dies conceſſit nobis ad corpus curandum, unum ſaltem cultui ſuo conſecravit, ut illo cibum operemur, non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, Joh. 6. v. 27. Attamen Satanas corda noſtra adeò ad terrena incurvavit, ut ea vix attollere queamus, ſed aurum magis diligamus, quàm Deum, & hoc modò conſcientiam cum ſalute perdamus. Quid verò prodeſſet homini, ſi totum mundum lucraretur, animæ verò ſuæ detrimentum pateretur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſuâ? Matth.16.v.26.

Hic multa exempla enarrari poſſent, quomodo Deus in Sabbathi profanatores animadverterit, ſi inſtituti ratio permitteret. Non verò dubium eſt, quin idem juſtiſſimus vindex adhuc vivat, & ſicut omni tempore flagitia & peccata punivit: ſic etiam non miſerebitur omnibus, qui operantur iniquitatem, Pſal.59.v.9. Ne erretis, non irridetur Deus, Gal.6.v.7.

III. *Præeminentiæ affectationem.* Hoc vitio laborabant Phariſæi, amabant illi primos recubitus in menſis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in

 foro

foro, ut Christus illis exprobrat, Matth. 23. v. 6.

Hoc turpe vitium est, quod in ultima hâc mundi fece nimiopere invaluit, ut experientia probat. Equidem cum Anabaptistis non facere possumus, qui simpliciter omnes honorum gradus rejiciunt, prætendentes, in Regno Christi æqualitatem inter omnes obtinere, ex hâc ratione, quia fides personarum acceptionem non admittat, Jac. 2. v. 1. At hoc de spiritualibus beneficiis intelligendum, quæ Christus per sanguinem & mortem suam acquisivit nobis, ad hæc tàm egeni quàm opulenti pertingere possunt, modò fidem habeant, quam oculi Domini unicè respiciunt, Jer. 5. v. 3. hanc qui habet acceptus est illi, sive sit Judæus, sive Græcus, mas aut fœmina, servus sive liber, Gal. 3. v. 28.

Intereà in exteriori vita diversi honorum gradus manent, ubi Deus alium alii prætulit: non enim confusionis est Deus, sed pacis, 1. Cor. 14. v. 33. & sicut in corpore membra distinxit, capiti primum locum adsignavit, pedibus ultimum, 1. Cor. 12. v. 23. Ita etiam in vita humana omnia juxta ordinem disposuit, ut quidam sint ἐντιμότεροι, honoratiores, ut in Evangelio vocantur, his jure quoque primus locus debetur, juxta illud: Cui honorem, honorem, Rom. 13. v. 7.

Quodsi igitur quilibet intra concellos se cohibet, & locum illum occupat, qui ipsi ratione functionis & officii debetur, rectè facit, nec à quoquam reprehendi potest. Nam unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, 1. Cor. 7. v. 17.

Ex adverso verò, tumidi multi inveniuntur, qui Pharisæis nihil in parte hâc concedentes, in omnibus prærogativam quærunt, & sæpè opprobrii loco ducunt, si honoratiores alii ipsis præferantur, hi fatui sunt, qui stultitiam suam aperiunt, Prov. 13. v. 16.

Vitent ergò Christiani hoc vitium. Ne gloriosus appareas coràm Rege, & in loco Magnorum ne steteris; melius est enim, ut dicatur tibi: Adscende huc: quàm ut humilieris coram Principe, ut videant oculi tui, Prov. 25. v. 6. 7.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Christi mansuetudine.* Non sanè latebant Dominum insidiæ Pharisæorum, attamen ad invitationem eorum apparet, occasionem quærens, utrum illos salutari colloquio ad frugem reducere possit, & unam atque alteram animam à morte salvare, Jac. 5. v. ult. si nihil efficiat, tamen quæ muneris sui sunt fecisse, & hâc φιλανθρωπίᾳ suâ quasi carbones ignis super caput illorum congessisse, putandus est, Rom. 12. v. 20.

Maximè verò propter nos id factum, ut agnoscamus hinc, quam mansuetum Dominum in Christo habemus, qui non reddit pro malo malum, sed perfidiam atque malitiam inimicorum suorum, multa patientia suffert. Illi dolos in animo versant, ipse autem esurit & sitit salutem eorum; ipsi laqueos ei tendunt, ille verò bonum ipsis exhibet & *verbis & operibus. Operibus*, dum hydropicum eorum curat. *Verbis*; dum egregiè ipsos instruit, nihil magis quærens in omnibus, quàm ut illos ad Regnum cœlorum emendare possit. Eodem modo

modo hodietenus ergà nos homines affe-ctus est: Non enim delectatur in perditionibus nostris, Tit.3. v.22. sed dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, Sap.11.v.24.

Ne itaque divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnamus, Rom.2. v.4. Tàm citò enim irasci potest, quàm misereri, & ira illius in peccatores non desinit, Sir.5.v.7.

II. *Ex Christi promtitudine.* Hic dicitur: Et respondens Jesus dixit ad Legisperitos & Pharisæos: An licet Sabbatho curare? Absonum videtur, quempiam respondere, ubi non interrogatur. Verùm implet hic Christus promissionem, quam dudùm fidelibus suis fecit: Antequam clament, ego exaudiam, Esa.65.v.24.

Et quia Sanator Israelis est, ut vocatur, Exod.15. v.ult. obligat vulnera nostra, & sanat omnes infirmitates nostras, Psal. 103. v. 3. quin & virtute sua divina efficit, ut anima & corpore sanemur, hic & in æternum. Conturbata enim sunt viscera ejus, miserans miserebitur nostrûm, Jer.31, v.20.

Quandocunque proindè in morbum incideris, in tempore ad Medicum hunc recipe te, dicens: Sana me Domine, & sanabor: salvum me fac, & salvus ero, Jer.17. v.14. sic ille benignè respondebit tibi: Ne timeas, quia ego tecum sum: neque terrearis, quia ego Deus tuus: confortabo te, & auxilium tibi feram, & sustentabo te, dexterâ justitiæ meæ, Esa.41. v.10. neminem enim ejiciet foràs, qui ad eum venerit, Joh.6. v.38.

Nos gratum animum contestemur, ut Medico huic, quia tàm promtus est ad nos juvandum, vicissim serviamus, in justitiâ & sanctitate, in conspectu ejus, omnibus diebus vitæ nostræ, Luc.1. v.75. Psal. 110. vers. 3.

In vita communi vulgares versiculi locum habent:

Tres facies Medicus habet, unam quando rogatur
Angelicam: mox est, cum juvat, ipse Deus.
Ast ubi curato poscit sua munera morbo,
Horridus apparet, terribilisq; Satan.

Verùm iniquum id est: Dignus quippe est operarius mercede sua, Luc.10. v.7. Sicut igitur tibi promtè inservíit, ita & promtè officium ejus remunerabis. Rectè enim Ovvenus:

Pharmaca das ægroto, aurum tibi porrigit æger,
Tu morbum curas illius, ille tuum.

Sic & nostrum erit, ut ergà Christum gratitudinem exhibeamus, quando nos è morbo eripuit, ne ultima fiant deteriora prioribus. Non enim benè erit beneficia non compensanti, Sir. 12. v.3.

III. *Ex Christi fortitudine.* Non enim metuit inimicos suos, sed quamvis exploratum sibi habeat, quod nihil aliud intendant, quàm ut se transgressorem legis, & profanatorem Sabbathi faciant; attamen cum curatione pergit, eamque ita defendit, ut omnes obmutescere cogantur. Verè hic impletum, quod Esaias dixit: Inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum & non fiet: quia hic est Immanuel, Esa. 8. v. 10.

Revocate hoc vobis ad animum, vos mei, & confirmate animos vestros, quando auditis, hostes Evangelicæ veritatis, va-

rias machinationes & consilia inire, ut novum bellum excitent. Qui habitat in cœlis, irridebit eos; & Dominus subsannabit eos, Psal. 2. v. 4. facilè in foveam cadere possunt, quam aliis parant. Nos Deo confidamus, qui adeò miraculosè servavit nos, ille etiam porrò auxilio suo aderit nobis, quò in pace, vallem hanc miseriarum transeamus: & ubi satis certaverimus, liberabit nos ab omni malo, & salvos faciet in Regnum suum cœleste, 2. Tim. 4. v. 18.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Frugalitati stude.* De Christo dicitur hîc, quod introiverit in domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbatho, manducare panem. Pientissimus Servator aliàs parcè ac duriter se habebat, & tantâ sæpè fame stimulabatur, ut etiam in arboribus victum quæreret, Matth. 21. v. 9. Ubi contra Pharisæorum & Pontificum Hierosolymitanorum frumentum & mustum multiplicata erant, Ps. 4. 8. & ex promtuariis plenis de frumento in frumentum educere poterant, Psal. 144. v. 13. Sed rarum contingens erat, ut Christum & membra ejus ex abundantia illa honorarent. Ideò ait Evangelista, factum esse, nimirum præter morem, & fuisse insolitum quid, quod Christus à Pharisæis in convivium adhibitus fuerit.

Sicut autem optimus Servator comparuit, non ut modum excederet, sed ut *manducaret panem*: Ita & nos ad exemplum ejus, crapulam atque luxuriam vitemus, apprimè caventes, ne ad epulas invitati, corda nostra gravemus, Luc. 21. v. 34. sed tantùm capiamus, *quantum pios decet, & pudicis utile est*, sicut Tertullianus de primis Christianis scribit. In multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram. Qui autem abstinens est, adjiciet vitam, Sir. 38. v. 33.

Imprimis verò *Verbi Præcones minimè decet* luxuriâ diffluere, & delicatis epulis inhiare. Certus enim amicus contentus est præsentibus, Hebr. 13. v. 5. & sæpè in modicis cibis plus voluptatis, quàm in opiparo obsonio.

Intereà tamen non vitio vertendum illis, si ad convivium rogati appareant, æquum enim est, ut & ipsi cum gaudentibus gaudeant, Rom. 12. v. 15. sed in timore Dei, Sir. 9. v. 23.

Videant itaque ne conforment se filiis hujus seculi, qui pro Ilio potant, uter ibi melior bellator erit inventus cantharo, ut Comicus ait: sed agitent convivium sermone suavi, habeantque oculum serpentinum in columbino corde, ut cum omnibus amicè conversentur, nemini autem nimium fidant, Sir. 6. v. 6. sicut ipse Christus ejusmodi prudentia usus legitur. Non enim JEsus credebat semetipsum Judæis, eò quod ipse nosset omnes, Johan. 2. v. 35.

Tandem & hoc observent, ne ad postremum remaneant, sed in tempore abitum maturent. Vide Sir. 32. v. 15. 16. 17.

II. *Sabbathum cole.* Judæi hîc in excessu peccarunt, dum putarunt, opera caritatis & necessitatis die Sabbathi prohibita esse, qualia sunt asinum aut bovem puteo extrahere, aut vulneratum & infirmum medicamen-

camentis adjuvare. Propterea hydropicum hunc Christo præsentarunt, rati, si ille hunc curaret, jure se eum coràm omnibus, ceu Sabbathi prophanatorem diffamaturos.

E diametro verò nos Christiani nimium frigemus, & in defectu peccamus, quod Sabbathi sanctificationem concernit. Quinimò nulla dies est in totâ hebdomade, ubi crapula, ebrietate, & promiscuis libidinibus plus peccatur, quàm die Dominicâ, quod gravissimum peccatum à Deo variis modis puniri solet. Qui polluerit Sabbathum morte morietur; qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui, Exod. 31. v. 14.

Nos regia viâ incedentes illa seponamus, quæ nos à Dei cultu & animi devotione abstrahere possunt, nisi casus necessitatis, & amor proximi diversum requirant. Nam Lieb und Noth / hat kein Gebot.

Ad hoc ipsum obstricti sumus, vi tertii præcepti. In locum enim Sabbathi, qui Judæis olim sanctus erat, successit dies Dominica, quam Apostoli ex libertate Christianâ eum in finem ordinarunt, ut eâ conveniamus docentes & commonentes nos ipsos in Psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, Col. 3. v. 16. Idque in memoriam Servatoris nostri, qui primo hebdomadis die ex mortuis resurrexit, & ita hunc diem in verum Solis diem sanctificavit, dum ipse velut Sol justitiæ, Mal. 4. v. 2. è tumulo redivivus prodiit, & totum mundum, potissimum verò tenebrosa nostra corda, radiis gratiæ suæ ad vitam æternam illuminavit, Joh. 1. v. 9.

Sicut igitur Judæi Sabbathum suum sanctificare cogebantur, vi præcepti: Memento die Sabbathi, ut illum sanctifices, Exod. 20. v. 8. 10. Ita & nostrum erit, diem Solis tanquam Sabbathum novi Testamenti sanctificare, eoque Deo cultum suum præstare,

1. *Purâ confessione.* Ne deseramus collectionem nostram, sed cum confratribus nostris ædem Domini accedamus, precibus ipsi litantes, quæ propterea domus orationis dicitur, Luc. 19. v. 46. Tum & sacrificium laudis ei offeramus, pro omnibus, quæ nobis præstitit, beneficiis. Hortor igitur, inquit Apostolus, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & honestate: hoc enim bonum est, & acceptum, coràm Salvatore nostro Deo, 1. Tim. 2. v. 1. 2.

2. *Devota attentione*, ut verbum attentè audiamus, exemplo Cornelii, dicentis ad Petrum: Omnes nos in conspectu Dei adsumus, audire omnia, quæcunque tibi præcepta sunt à Domino, Actor. 10. v. 33. Qui enim ex Deo est, verbum Dei audit, Joh. 8. v. 47. ejusmodi verbum, quod desiderabile super aurum obrizum, & dulcius super mel & favum, Psal. 19. v. 13. ejusmodi verbum in quo vivitur, Esa. 38. v. 16. & quod potentia Dei est ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16.

3. *Vitæ correctione.* Si enim à peccatis desistis, & voluntatem Dei facis Sabbatho, tùm vocabitur Sabbathum jucundû, in

in sanctitatem Domini gloriosum, Esa. 58. v. 13.

Huc pertinet, ut & de nostris facultatibus eleemosynas in pauperes erogemus, exemplo viduæ, Marc. 12. v. 42. maximè verò vitam nostram ad verbum prædicatum componamus, juxtà instructionem Jacobi: Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos, Jac. 1. v. 72.

Quodsi ita Sabbathum sanctificaverimus Dominus benedictione sua nobis præstò erit, ut benedicti simus in civitate, benedicti in agro, benedicti ingredientes, & benedicti egredientes, Deut. 28. v. 2. 6. Quodsi verò prophanaverimus, facilè Deus ignem in portis nostris succendere poterit, qui devorabit domus nostras, & non exstinguetur, Jer. 17. v. ult.

III. *Proximo succurre.* Eò collineat Servator, simili de bove & asino mutuato, in puteum cadentibus: sicut enim illi continuò extrahuntur die Sabbathi, ne pereant: Ita multò magis proximo laboranti manum porrigamus, ne despexerimus carnem nostram, Esa. 58. v. 7.

Inveniuntur, qui nihil patiuntur super contritione Joseph, Amos 6. v. 7. & licet videant proximum in extrema pauperie, sive etiam in vitæ discrimine versari, prætereunt, ut Sacerdos & Levita, Luc. 10. v. 31. Sed hoc ipso à norma Christianismi aberrant. Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & claudit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? 1. Joh. 3. v. 17. Quodsi igitur genuini Christi discipuli esse velimus, necessitatibus Sanctorum communicare tenemur, Rom. 12. v. 13. Pater quippè cœlestis Solem suum oriri facit, super bonos & malos, Matth. 5. 44. & præstat nobis omnia abundè ad fruendum, 1. Tim. 6. v. 17. Servator verò in diebus carnis suæ pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo, Act. 10. v. 38. hoc ipsum & nos faciamus, nec proximum sine ope atque auxilio relinquamus. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur, Prov. 21. v. 13.

Verùm si hodiè mores hominum spectemus, tantùm abest, ut hic vel ille proximo laboranti succurrat, ut eundem potius omnibus injuriis lacessat, & iniquè agendo sese fatiget, Jer. 9. v. 5. sed & judicium sine misericordia illi erit, qui non fecerit misericordiam, Jac. 2. v. 13. Quilibet igitur vitium hoc immane declinet, sitque potius compatiens, fratrum amans, misericors, affabilis, 1. Petr. 3. v. 8. Sic beneficum in cœlis Patrem habebimus, à quo & nos suo tempore misericordiam consequemur, Matth. 5. v. 7. introducet enim nos in vitam æternam. Quod fiat per Dominum & Servatorem nostrum JESUM Christum, Amen.

DOMI-

DOMINICA XVIII. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 22. v. 34. -- 46.

EXORDIUM.

POstquam Deus Mosi oretenus indicaverat, quomodo ab Israelitis coli vellet, ex abundantiâ duas tabulas lapideas ipsi dedit, in quibus decem præcepta digito suo insculpsit, quæ posteà aliquamdiu in arca fœderis asservatæ, Exod. 31. v. 18.

Hoc non sine ratione factum. Licet enim lex decalogi hominum cordibus inscriptum sit, Rom. 2. v. 14. ita ut sancti Patriarchæ dudum antè promulgationem ejusdem, vitam suam ad eam conformiter composuerint: Jacob simulacra abjicienda præcipit, Gen. 35. v. 2. Abraham adjurat Eleasarum, Gen. 24. v. 3. Seth cultum Dei instituit, ut cœptum sit tempore ejus invocari nomen Domini, Gen. 4. v. 26. Noah maledicit filio Cham, quia ipsi illuserat, Gen. 9. v. 25. Cain punitur ob perpetratum parricidium, Gen. 4. v. 11. Josephus commendatur ob castitatem, Gen. 39. v. 7. seqq. Jacob molestè fert, quod socer ipsum furti insimulat, Gen. 31. v. 36. & ita ulterius.

Attamen Deus actum hunc solennem in monte Sinai instituit, ne quis excusationem haberet de ignorantia suâ, Joh. 15. v. 22. Hinc Micha cap. 6. v. 8.

Quod verò duas tabulas lapideas adhibuerit, id memorabile est, si intuemur

I. *Qualitatem. Lapideæ* enim fuerunt. Rabbini Judæorum è pretioso Saphyro confectas fuisse asserunt, quod quia textus, non meminit, suo loco relinquimus. Quod verò lapideæ fuerint, eò Deus nobis ostendere voluit

1. *Cordis nostri rigorem.* Ut enim lapides duritie pollent: sic & nos naturâ corda lapidea habemus, quæ legi repugnant, Rom. 7. v. 24. nec molliri possunt, nisi digito Dei, qui legem suam cordibus nostris inscribit, Ezech. 36. v. 26.

2. *Legis suæ valorem.* Veluti enim lapis durabilis est, & quod ipsi insculptum, non facilè extinguitur: Ita Deus legem suam lapidibus insculpsit, ut indicet, eandem æternùm duraturam esse. Sicut enim ipse in essentia sua immutabilis est: sic & immutabilis est in voluntate sua. Deus ego & non mutor, Mal. 3. v. 6.

II. *Dualitatem.* Quia enim homo duo objecta habet, quæ ipsum officii sui commonent, nempè Deum in cœlo, & proximum in terra: legem quoque suam in duas tabulas distribuit. Prima agit de dilectione Dei in cœlo, altera de dilectione proximi in terrâ.

Sicut igitur Deum diligere tenemur propter ipsum, quia est summum bonum, à quo omne datum optimum & bonum perfectum, Jac. 1. v. 17. ita & proximus diligendus est nobis, quia eundem Deus nobis diligendum præcipit. Id qui non facit, pro amatore Dei haberi nequit, 1. Johan. 4. v. 19.

Sicut autem utraque tabula in arcâ fœ-

deris asservata est; Ita & Servator noster, cujus typus arca fœderis fuit, Rom.3.v.25. quandoque legem prædicavit, ut in specie exemplum habemus in prælecta Pericope, ubi Scribæ ad quæstionem de præcipuo mandato respondet, & utramque tabulam adeò artificiosè conjungit, ut idem non inveniatur in universa Scriptura, inquiens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.

Nos instituti nostri memores considerabimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J.J.

Exegesis.

DE Samsone legimus, quod hostes Philistiim ipsi multas insidias struxerint, dum funibus eum ligarunt, hâc opinione, ut illum caperent & perimerent: Verum Samson rupit vincula, quasi fila telarum, & elapsus est è manibus eorum, Jud.16.v.12.

Quod Samsoni accidit, idem & Christo, cujus typus Samson fuit, accidisse in Evangelio videmus. Pharisæi & Scribæ hostes ejus infensissimi erant, varios laqueos ipsi tendentes, per varias easque insidiosas quæstiones, quibus ipsi os obturare & autoritatem ejus coràm populo infringere satagebant: Verùm vincula illa sapientia sua ita dirupit, ut capere ipsum adeò non potuerint, ut ipse potius proprio illos gladio jugulaverit, & confuderit. Non enim est sapientia, non est consilium, non est prudentia contra Dominum, Prov. 21.v.30.

Querela respicit

I. *Hostium veritatis collusionem.* Pharisæi & Sadducæi inter Judæos, duæ contrariæ sectæ erant, reciproca invidentia laborantes, ut videre est, Act.23.v.8. Verùm ubi Christum res concernit, altera alterius opprobrium vindicatum it. Audientes enim Pharisæi, quod silentium imposuisset Sadducæis Christus, convenerunt in unum.

Id Diabolus semper in more habuit, Ammonitæ, Cananitæ, Hethitæ, Pheresitæ & Jebusitæ nunquam concordiam coluerunt inter se: at contrà Israel conspirant, & omnem movent lapidem, quo Palæstinâ excludantur, Jos.9.v.1.seqq.

Herodes & Pilatus odio dissidebant Vatiniano, verum ubi Christus ultimo supplicio afficiendus erat, in gratiam redibant, Luc 23.v.12.

Ariani & Meletiani principiò inter se dissidebant: at animadvertentes Christianam religionem incrementa capere, Syncretismum inibant, & Athanasio orthodoxo ejusque asseclis se opponebant.

Quis nescit in Papatu inter Monachos simultates gliscere, ubi penè singuli Ordines Jesuitas odio prosequuntur? at contrà Ecclesiam Evangelicam conspirant, ut in velabro olearii, plenis buccis clamantes: Destruite, destruite, usque ad fundamentum, Psal.137.v.7.

En maledictam hanc conjunctionem! trahunt iniquitatem in funibus vanitatis, & quasi funibus plaustri peccatum, Esa.5. v.18. Psal.56.v.7.8.

Veri Christiani tempori inserviant, & quia hostes ad malum faciendum cohærere

rere sentiunt: ipsi potius in amore & amicitia concordent, ita ut una anima sint, & unus Spiritus, pro fide Evangelii decertantes, Phil.1. v.27.

Maximè verò quasi manu facta in oratione consentiant, unanimi voce precantes:

Erhalt uns HErr bey deine Wort/ Und steur deß Pabsts und Türcken Mord &c.

Talis oratio non frustranea erit. Funiculus enim triplex difficilè rumpitur, Eccles. 4.v.12. Contrà verò ubi se invicem mordent & comedunt: certissimus sequitur interitus, Gal.5.v.15.

II. *Vanam pietatis persvasionem*, quæ reperitur in Scribâ prælecti Evangelii, qui instinctu Collegarum suorum cum Christo in arenam descendit, materiam desumens à Lege Mosis, quam ipse & sui similes profitebantur, Christum etenim rejiciebant, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos, Luc.19.v.14. Legem verò in alienum sensum detorquebant, ut meritò Christus objiciat ipsis, quod mandatum Dei transgressi sint propter traditionem suam, Matth.15.v.3.

Ejusmodi hypocritarum passim multi reperiuntur, ut exemplum in Pontificiis habemus, qui peculiarem sanctitatem prætendunt, & de observatione mandatorum Dei gloriantur: sin verò rem ad amussim exigas, ne digitulo quidem illa attingunt: sed traditionibus humanis occupati sunt, quibus frustrà Deus colitur, Matth.15. v.9.

Invocant sanctos demortuos: vivos verò persequuntur, & quando Christianum occidunt, putant se cultum præstare Deo, Joh.16. v. 2.

Tempore quadragesimali & diebus Veneris carnibus abstinent: intereà carnalibus desideriis indulgent, quæ militant adversus animam, 1.Petr.2.v.11.

Adorant Sacramentum, quod tamen turpissimè mutilant, dum laicos calicis usu privant, quem Christus ipsis concessit, Matth.26.v.28.

Osculantur sacram Scripturam & Biblia, quæ tamen in rebus fidei rejiciunt, prætendentes, esse imperfectam, nimis obscuram, materiam litis, & quæ epitheta talia plura sunt, quibus autoritatem ejus labefactatum eunt. Quia enim illam dogmatibus suis fictis minus favere animadvertunt, Concilia & Patres ipsi præferunt, licet Christus ipse commendet eas nobis: Scripturas scrutamini, Johan.5. v.39.

Venerantur B. Virginem Mariam, eamque divino cultu afficiunt: Filium verò ejus, cui divina gloria & cultus debetur, ignominia afficiunt, dum ipsum debito honore defraudant, qui ipsi datus, Matth. 28. v. 18.

Idem igitur illi faciunt, quod Legisperitus in hodierna Pericope, qui de præcipuo mandato quærit in Lege: & minimum nondum attigit, nedum implevit, quod Christus vocat: Culices colare, & deglutire camelos, Matth. 23. v.24.

In vitâ communi idem accidit, ubi hypocritarum plurimi occurrunt, qui putant se magistros esse, & indigent, ut doceantur, quæ sint elementa exordii ser-

sermonum Dei, Hebr. 5. v. 12. Proinde veri Christiani sicut modò geniti infantes rationabiles & sine dolo lac concupiscant, 1. Petr. 2. v. 2. non solidum cibum, dum pro consuetudine exercitatos habeant sensus, ad discretionem boni & mali, Hebr. 5. v. ult. Sapientes enim & prudentes postponuntur, Matth. 11. v. 25. sed ex ore infantium & lactentium perfecit sibi Deus robur, Psal 8. v. 3.

III. *Frequentissimam Sadducaismi professionem.* Plures enim adhuc hodiè se offerunt inter Christianos, qui neque Angelos, neq; Diabolos, neque mortuorum resurrectionem, neque vitam æternam credunt; hæc enim fuit Sadducæorum religio, Matth. 22. v. 23. Act. 23. v. 8. Hâc in parte cum gentilibus faciebant, qui & ipsi in hâc impietate degebant, & cum Paulus Athenis de hoc articulo verba faceret, malè contenti cum ipso, dicebant: Quid vult seminator verborum hic dicere? Act. 17. v. 18. Catullus hinc ad Lesbiam suam scripsit:

Soles occidere & redire possunt.
Nobis cum semel occidit brevis lux
Nox est perpetuò una dormienda.

Annon censetis, Christianorum, quid? Epicureorum hodiè plurimos inveniri, dicentium: Fortuitò nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus, Sap. 2. v. 2. seqq.

Utique non pauci sunt, qui Sadducæismum impiè profitentur, si non verbis, tamen operibus. Quod omnes illi faciunt, qui peccatis contrà conscientiam indulgent. Hi licet templum frequentent, confessione & sacrâ synaxi utantur, attamen omnia frustra fiunt, sed sermo quem audierunt, & non fecerunt, ille judicabit eos die novissimo, Joh. 12. v. 48. edunt & bibunt sibi corpus & sanguinem Domini in judicium, 1. Cor. 11. v. 27. quin seipsos excommunicant, & ostendunt vita sua profana, quod non pertineant in Regnum Christi, sed synagogam Satanæ, Apoc. 3. v. 9. dabuntque aliquando pœnas, interitum æternum à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex promtâ Christi responsione.* Est enim Doctor eruditæ linguæ, Esa. 50. v. 4. qui comprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat, Job. 5. v. 13.

Ideò hîc *sapientiam suam ostendit bifariam*, primò velamen removens à facie Mosis, 2. Cor. 3. v. 13. dum purgat legem, ut Malachias de eo prædixerat, Mal. 3. v. 3. Deindè textum desumit ex Evangelio, de persona & officio suo. Sic vetus Catecheta fit, è thesauro suo vetera & nova proferens, Matth. 13. v. 52. & totam faciam Scripturam in duabus quasi paginis proponit. *Prima ostendit nobis officium nostrum*, quod Deo & proximo debemus. *Altera* indicat, quomodo à debito liberemur, nempè beneficio sanctissimi meriti, quod tanquam filius Davidis pro totius mundi peccatis præstitit, 1. Joh. 2. v. 2.

Nos semper ad Doctorem hunc confugiamus, maximè in rebus fidei eum consulentes. Viam enim Dei in veritate docet, Matth. 22. v. 16. & talis est Dominus, cui impossibile est mentiri, Heb. 6. v. 18.

Sæpè

Sæpè accidit ut quasi in Labyrinthum incidamus, adeò turbati sensibus, ut nesciamus, quid agere debeamus, uti Josaphat, 2. Chron. 20. v. 12. Verùm hic Dominus facilè expedire nos potest; est enim magnus consilio, & magnus operibus, Jer. 32. v. 19. novitque pios de tentatione eripere, 2. Petr. 2. v. 9.

II. *Ex Persona Christi descriptione.* Est enim Dominus, & Filius Davidis, h. e. Deus & homo in individuo Christo. Ab æterno erat modò Deus, sicut Pater & Spiritus sanctus: sed ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum natum ex muliere, Gal. 4. v. 4. Hinc Johannes: Verbum caro factum est, Joh. 1. v. 14. Hoc propter salutem nostram factum. Sicut enim iris, quam Deus post diluvium in nubibus posuit, in signum fœderis, quod cum Noâ ejusque posteris pepigit, duplici colore refulget, igneo & aqueo, Genes. 9. v. 3. pari modo & Christus fons gratiæ, & Autor fœderis nostri, duabus naturis constat, ut Gr. Nazianzenus hac simili utitur, divina & humana: & tamen unus est Christus, qui mediator factus Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5.

Quodsi merus homo fuisset, nos adjuvare non potuisset. Frater non redimit, redimet homo? Psal. 49. v. 8.

Quodsi solus Deus fuisset, itidem redimere nos non valuisset. Deus enim est Spiritus, Joh. 4. v. 24. Spiritus vero carnem & ossa non habet, Luc. 24. v. 39. & hoc modo pati & mori non potuisset, quâ ratione opus redemtionis nunquam exantlatum. Nam sine sanguinis effusione, non fit remissio, Hebr. 9. v. 22. Quia verò simul Davidis Filius & Dominus est, h. e. Θεάνθρωπος in una persona, de plenaria peccatorum solutione dubitare nobis non licet. Sanguis enim pro nobis effusus, non nudi hominis sanguis est, sed sanguis Filii Dei: mors, quam pro nobis sustinuit, non nudi hominis mors, sed mors Filii Dei est. Ideò de Judæis dicitur, quod Ducem vitæ occiderint, Actor. 3. v. 15. & Dominum gloriæ crucifixerint, 1. Cor. 2. v. 8.

Quando igitur Satanas peccata tibi exprobrat, noli desperare, sed dic cum Christiano illo Poëta:

Glorior in solo sanguine, Christe, tuo.

Sicut enim Rahab in vivis servata est cum tota sua domo, ubi funiculum coccineum in fenestrâ ligavit, quo demiserat exploratores & servaverat, Jos. 6. v. 20.

Sic & nos vitam nostram conservare & salutis compotes fieri possumus, quando corda nostra signamus funiculo coccineo, sanguinei meriti, Domini nostri Jesu Christi, is enim emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 8. ut extrà nos quasi rapti, cœlum patere videamus, cum Stephano, Act. 7. v. 56. & breves tribulationes, quas hîc propter nomen ejus sustinemus, pro maxima gloria reputemus, quia scimus, quod qui venerunt de tribulatione magna, laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni: aliquando ante thronum Dei futuri sint, servientes ei die ac nocte in templo ejus &c. Apoc. 7. v. 15.

III. *Ex insigni Pharisæorum confusione.* Nam nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. Hîc impletum illud Davidis: Non potuerunt mihi

(nocere,) Dominus enim concidit funes impiorum, Psal.129. v.3.4.

Meminerimus id, quando hostes conjurant, & varia astuta consilia cudunt, ut nos deleant. Christus ante hostes vicit, & propter eum quoque nos longè vincemus, Rom.8. v.37. progredientes de victoria ad victoriam, Psal 84. v.8. non enim justificat impium, Exod.23. v.7. Virga & baculus ejus continuè virent, licet multi Chorites illi repugnent, Num. 17. v.8. Veniet aliquando tempus, ubi omnis plantatio, quam non plantavit Pater cœlestis, eradicabitur, Matth.15. v.13. consilium autem ejus stat, Esa. 46. v. 10. verbumque ejus manet in æternum, Esa. 40. v.8. Quam sententiam pius ille Elector Joannes Fridericus pro Symbolo habuit, certa fiduciâ, quod verbum Dei deleri nunquam possit.

Quid non tentarunt gentiles Imperatores, Domitianus, Trajanus, Hadrianus, Severus, Maximinus, Decius, Diocletianus, Julianus, aliique qui Christianis sacras literas planè è manibus eripuerunt, in ignem conjecerunt; & cremarunt, quin & aliis modis nefandis tyrannidem suam exercuerunt, ut non dubitaverint, quin Evangelium Christi abolituri sint? Verùm omnes pudefacti sunt; Christus adhuc sedet ad dextram Patris, inde neque Papa neque Turca eum deturbare poterit, donec venturus ad judicium, pluet super hostes suos laqueos, ignem, sulphur & spiritus procellarum, partem calicis eorum, Psal.11. v.6. Nos verò qui consortes Regni ejus sumus, rapiet sibi obviam in aëra, ut gloriam & claritatem ejus videamus, Joh. 17. v.24. cum eo semper futuri, 1.Thess.4. v. ult.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Præceptum de caritate observa*. Sic enim respondet Servator Legisperito, quærenti de præcipuo legis mandato: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.

Huc pertinet

1. *Dilectio Dei*, quæ, ut Christus Legisperito ex Deut.6. v.5. respondet, fluit, ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente: hoc enim majus est omnibus holocaustomatibus & sacrificiis, Marc.12. v.33.

Equidem ad hujusmodi perfectionem in hac vita pertingere non possumus. Quia figmentum cordis humani malum est, ab adolescentia sua, Gen.6. & 8. v.21. anima gravatur à corpore peccati, & adhæret terræ, Psal. 44. v. 25. Animus verò magis quærit aurum, quàm Deum, Job. 41. v.44. Sed Spiritus sancti auxilium implorandum, ut deducat nos in terra recta, Psal. 143. v. 10. & det nobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari, in interiori homine, Eph.3. v.16. ut *Deum diligamus super omnia*, ita ut nihil ei præferamus in amore; *Deum per omnia*, ut eum in Filiis suis & Christum in membris diligamus; *omnibus temporibus*; non modò in prosperis, sed & adversis, quin & in morte, cum Jobo dicentes: Etiamsi occiderit me Dominus, in ipso sperabo, Job.13. v.15. Matth.10. v.22.

Hæc dilectio *sigillum Spiritus sancti* est, quo certi sumus, nos filios Dei & salutis hæredes esse, Cant.5. v.6. 2.Tim.2. v.19.

Dilectio Dei est *pulcherrimum ornamentum*, quo Spiritus sanctus corda nostra exornat,

ornat, ut fulgeant instar Templi Salomonei, exterius & interius auro purissimo obducti: Nam impletio legis est dilectio, Rom.13.v.11.

Dilectio Dei est *aurea sella Salomonis*. Sicut enim Salomo in throno Regio quiescebat: ita cœlestis Salomo in ejusmodi animâ requiescet, quæ Deum diligit. Joh.14.24.

Dilectio Dei quasi *currus Eliæ* est. Sicut enim Elias curru igneo, & equis igneis in cœlum adscendit, 2.Reg.2.v.11. ita & dilectio Dei ejusmodi currus igneus est, qui corda nostra ad Deum extollit, ut quasi in cœlo habitemus & præsentes simus ad Dominum, 2.Cor.5.v.8.

Dilectio Dei est *animæ anchora*, quæ fundatur in bono æterno & immobili, & dicere potest cum Assapho: Quid enim mihi est in cœlo? Psal.73.v.25. hinc requiem animæ invenit, Matth.11.v.29. nec commovebitur in æternum, Psal.125.v.1.

II. *Dilectio proximi.* Secundum simile est huic: Diliges proximũ tuum sicut teipsum.

Alibi Servator nobis proponit misericordiam Patris cœlestis, Luc.6.v.36. sicut & suum exemplum, inquiens: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem; sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem, Joh.13.v.34. Sed hîc quemlibet in cor suum remittit, ut sicut in semetipsum affectus sit, simili affectu proximum suum prosequatur. Quod aliàs compendiosè in duabus regulis comprehenditur, quas Deus naturaliter cujusque cordi indidit. Altera affirmativa & hæc est: Omnia, quæ vultis, ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis, Matth.7.12. Altera negativa ita se habet: Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquãdo alteri facias, Tob.4.6.

Diligendus proindè proximus est,

1. *Ore*, ut non modò humaniter eum salutemus: sed & consilio & precibus adjuverimus, 1.Tim.2.v.1.

2. *Corde*, ne suspicionem, invidiam vel odium in corde alamus: sed basia manus & basia cordis concordent, ad exemplum membrorum corporis humani, 1.Cor.12.v.26. Rom.12.v.15.

3. *Opere*, 1.Joh.3.v.17. Jac.2.v.15. Esa.58.v.7. quod fiat in hilaritate, Rom.12.v.8. & sine murmuratione, 1.Petr.4.v.9. non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus, 2.Cor.9.v.7.

Sectamini igitur caritatem, Vos mei! 1.Cor.14.v.1. soliciti servare unitatem Spiritus, in vinculo pacis, Eph.4.v.3. induite caritatem, Colos.3.v.14. ambulate in dilectione, Ephes.5.v.1. hæc enim est lex Regia, quam si perficitis, benè facitis, Jac.2.v.8. *Non vidi malâ morte periisse, qui libenter opera caritatis exercuit*, ait Hieronymus. Conservat enim eleemosynam quasi sigillum, Sir.7.v.18. Matth.10.v.42.

II. *A Mose ad Christum propera.* Id Christus ipse docet nos, in prælecto Evangelio: Pharisæi & Scribæ putabant, se ex lege justificatum & salvatum iri: sed Servator aliam ipsis quæstionem proponit de Messia, dicens: Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Quô innuere voluit, non sufficere de lege quærere, & scire, quæ Deus nobis in illa præceperit: sed & Christum inquirendum esse, qui legem pro nobis impleverit, & maledictionem legis in se susceperit, Gal.3.v.13.

De Mose refertur, quod manus graves habuerit, Ex.17.12. & impeditioris & tardioris linguæ fuerit, Exod.4.10. item quod

facies

facies ejus splenduerit, quem splendorem Israëlitæ non perferre potuerint, adeoque velamen super faciem suam posuerit, Exod. 34. v.33.

Quo indicatum, legem jugum esse, quod in hac vita portare non possimus, Act.15. v.9. Icircò Christus venit, & legem pro nobis implevit, ut justificatio legis impleretur in nobis, Rom.8.v.4.

Moses Israelitas in terram promissam introducere non potuit: Josua verò eos introduxit. Ita hoc præfiguratum est, Mosem non per legem, sed Christum Jesum, cujus typus Josua fuit, per Evangelium in terram viventium nos perducere posse. Est enim finis legis, ad salutem omni credenti, Rom.10.v.4.

Lex requirit, ut natura sancti simus, Levit.11.v.44. Id in nobis non reperimus, sed in Christo, qui Sanctus Sanctorum est, Dan.9.v.24. 1.Petr.2.v.23.

Lex perfectam obedientiam requirit in sanctis cogitationibus, in sanctis verbis, & sanctis operibus. Id itidem in nobis non invenimus, sed in Christo quæramus oportet, qui omnem vitam suam, in sanctis cogitationibus, verbis & operibus, in his terris peregit, & legi perfectam obedientiam præstitit, adeò, ut apex unus non præterierit, Matth.5.v.18. Cogitationes nostras sanctificavit, per recordationem mortis suæ, quam in cœna instituit, 1 Cor.11.v.26. Verba nostra, per verbum vitæ, quod egressum de ore ejus, Joh.6.v.69. Opera nostra, per perfectam obedientiam, quam Patri præstitit usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil.2.v.8.

Lex requirit, ut vel minimum peccatum non inveniatur in nobis. Qui enim facit peccatum, servus peccati est, Joh.8.v.35. qui servus peccati est, Diabolo servit, & pertinet in Regnum ejus, Apoc.21.v.8. hoc itidem in nobis non est, sed in Christo, qui à Patre nobis factus justitia, ut de plenitudine ejus acciperemus gratiam pro gratia, 1.Cor.1.v.30. Joh.1.v.17.

Nobis Deus diligendus erat *ex toto corde*: non erat id in viribus nostris. Christus verò loco nostrûm perfecit. Propterea ait: Ecce venio, Psalm.40. vers.8. & in horto Oliveti: Fiat voluntas tua, Matth.26. v.39.

Deus diligendus erat *ex tota anima*: nec hoc in viribus nostris erat: Christus illud præstitit, dum laboravit anima ejus pro nobis, Esa.53. v.11. & contristata usque ad mortem, Matth.26.v.28. ut nos haberemus abundantiam gaudiorum, Psal.16. v.ult.

Deus diligendus erat *ex tota mente*: id non erat in nostris viribus: Christus verò præstitit. Novit enim Patrem exactè, & qui eum videt & audit, & Patrem videt & audit, qui se non modò essentialiter, sed & corde suo paterno in eo effinxit, Col.1.v.15. Hebr.1.v.3. Hoc modo in gratiam receptos, gratificavit Deus in dilecto, Ephes.1.v.6.

Proximus diligendus erat ut nosipsi: id itidem virium nostrarum non erat. Christus id fecit, dum carne & sanguine nostro se vestivit, factus nobis in omnibus similis, excepto peccato, Hebr.2.v.17. Breviter: est alter Adam, qui quæ prior Adam deperdidit, plenè restituit, Rom.5.v.19.

Sicut igitur Siracides ait: Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, Sir.29. v.20. sic & nos grata mente memores simus, Jesum Chri-

Christum resurrexisse ex mortuis, 2. Tim. 2. v. 8. & illuminasse vitam & incorruptionem, 2. Tim. 1. v. 10.

III. *Meritum Christi tibi applica.* Servator noster triplex munus gerit, quod sub nomine Christi significatur, qui unctum notat. Sicut igitur in V. T. tria hominum genera uncta sunt, summi Pontifices, ut Aaron ejusque filii, Exod. 40. v. 9. 10. Prophetæ, ut Elisa filius Saphat, 1. Reg. 19. v. 16. Reges, ut Saul, 1. Sam. 10. v. 1. Ita Servator noster Spiritu sancto unctus est, Act. 10, v. 38. ut haberemus in eo

1. *Pontificem*, non juxtà Ordinem Aaronis, sed Melchisedec, Psal. 110. v. 4. hinc tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis, Eph. 5. v. 2. & ad dexteram Dei interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34.

2. *Vatem.* Quia enim naturâ tenebris obscuratum intellectum habemus, & voluntatem Dei non cognoscimus, ipse ut Magnus ille Propheta à Mose promissus, Deut. 18. v. 18. notas nobis fecit vias vitæ, Psal. 16. v. 11. Joh. 1. v. 18.

3. *Regem.* Diabolus adversarius noster infensissimus est, qui circuit, tanquam leo rugiens, & quærit quem devoret, 1. Petr. 5. v. 18. Sed hæc consolatio nostra, quod Regem habeamus, qui Diabolo & ejus satellitibus sufficiens est. Furor hominum est laus ejus, reliquiis furoris accinget se, Psal. 76. v. 11. Dissolvit ipse opera Diaboli, 1. Joh. 3. v. 8. caput serpentis contrivit, Genes. 3. v. 15. forti armato arma abstulit, quibus confidebat, Luc. 11. v. 22. Ita ut nunc cum Esaia dicere valeamus: Dominus judex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, ipse salvabit nos, Esa. 33. v. 22.

Ad hunc igitur Salvatorem in omnibus adversitatibus confugiamus. Ut Pontifex enim noster, pro nobis orabit: ut Propheta noster, viam cœli nobis ostendet; ut Rex noster, nos defendet. Quem igitur timebimus? Dominus enim fortis est Heros, Heros in prœlio, Psal. 24. v. 9. hic Protector noster, in quo exultare possumus, dicentes: Dominus mihi adjutor; non timebo, quid faciat mihi homo? Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos, Psal. 118. v. 6. 7.

Sit illi gloria in secula seculorum, Amen.

DOMINICA XIX. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 9. v. 1 -- 8.

EXORDIUM.

De junioribus Studiosis Hierochunticis, Elisæi discipulis, refertur, quod herbatim egressi, varias herbas collegerint, ad famem in annonæ caritate sedandam. Inter alias colocyntidas quoque collegerunt, iisque pulmentum adeò amarum reddiderunt, ut comedi non posset. Quod cum Elisæo significassent his verbis: O vir Dei, mors est in olla! misit ille farinam in

ollam, & amaritudo cessavit, 2. Reg. 4. v. 39. seqq.

Elisæus idem est ac *salus Dei*, quod optimè congruit Servatori nostro; qui salus Dei est, usque ad extremum terræ, Esa. 49. v. 6. nobis herbatim eundum in hâc miseriarum valle, & in sudore vultûs vescendum pane nostro, Gen. 3. v. 19. invenimus sæpè vites sylvestres & amaras colocyntidas, ex quibus neque commodum neque voluptatem capimus, ratione maledictionis, quâ Deus terram oneravit: Quin & amara colocyntide ipsi pulmentum discoximus, ut morti, ejusque prodromis, variis morbis subjecti simus, juxtà illud Syracidis cap. 40. v. 1. & seqq.

Verùm quando ad Christum confugimus, clamantes: O vir Dei mors in olla! id est, oramus omni tempore, & in omni instantia, Eph. 6. v. 18. amarum colocyntidis pulmentum, farina præsentissimi auxilii, edulcaturus est, ut omnia nobis in bonum cooperentur, Rom. 8. v. 28.

Præclarum exemplum habemus in Paralytico præsentis Evangelii, qui & ipse de amaro colocyntidum pulmento comederat, ut morti vicinus esset: verùm ubi à beneficis quibusdam ad Christum defertur, & corpore & anima sanatur, ut à morbo & peccatis liberatus, quasi nunquàm ægrotasset, abire possit.

Nos methodo nostræ inservientes contemplabimur

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

NEmo *sine speculo*, dixit Socrates ad discipulos suos. Quo ipsô id intendebat, ut illi, qui propter formam sibi placerent, eò majorem adhiberent diligentiam, ne corpus benè dispositum, vitiis contaminarent. Qui verò deformitatem suam intuerentur in speculo, virtutibus faciem deformem emendarent.

Nobis idem facere convenit: & quia nos ipsos difficulter cognoscimus, speculum divini verbi adhibeamus, sic facilè errata nostra deprehendemus, ut dicamus cum Paulo: Scio, quod in carne meâ bonum non habitet. Velle adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Rom. 7. v. 18, 24.

Querelam movet

I. *Christi repudiatio*, quam innuunt hæc verba: Et adscendens Jesus in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem suam.

Paulò ante Servator cum discipulis suis mare penes Capernaum trajecerat; & in Regionem Gergesenorum venerat, eo fine, ut habitatoribus illius terræ, viam ad cœlum indicaret: adhuc enim in Ethnicâ infidelitate hærebant, quod inde patet, quia porcos multos aluerunt, qui Judæis permissi non erant, Levit. 11. v. 16.

Alii Gergesenos derivare volunt à Cham, filio Noæ, qui inter alios & filium genuit nomine Girgosi, Genes. 10. v. 16. à quo Gergesitæ orti, quorum mentio fit Gen. 15. v. 21. nec improbabile est, quod in terrâ Gessuri habitaverint, quæ ad Jordanem

nem sita, versus Orientem, Deut.3.v.14. Metropolis erat Gadara, aliàs Gerasa, sive Gergesa vocata, de quâ Hieronymus scribit, quod suo adhuc tempore florentissima fuerit.

In hâc Regione Christus aliquantisper substitit, & duos obsessos liberavit.

Quia vero Dæmones ejecti, in gregem porcorum migrabant, & totum gregem in mare præcipitabant: tota civitas exiit obviam Jesu, & rogavit eum, ut transiret à finibus eorum.

O quot hodietenus reperiuntur, qui porcos suos majoris æstimant, quàm concionem Evangelii, & è verbo Dei commoniti, ut à mundo immaculatos se custodiant, Jac.1.v.27. in quo nihil est, nisi concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis & superbia vitæ, 1.Joh.2.v.16. obsequi nolunt, dicentes: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus, Job.21.v.11. Hi Epicurei sunt, qui ventrem Deum constituerunt, quorum finis interitus, & gloria in confusione, Phil.3.v.19.

Sues Deus repudiavit, & non modò sacrificiis non adhibuit: sed & Israelitas carnibus eorum vesci prohibuit, Levit. 11.v.7.

Pari ratione abominatur Epicureos, qui ut sus lota in volutabro luti volvuntur, 2.Petri2.v.ult. Sir.5.v.7.

Sus quando prehenditur, ingentem clamorem edit, novit enim mortem sibi paratam, quia lana destituitur, quæ decerpi possit: Ovicula verò patiens est, nam lanam hominibus inservire novit, quæ & anniversariè detonditur. Ita norunt impii, quando in morbum incidunt, quod corpore & anima Diabolo mancipentur, ideò clamorem miserabilem emittunt, dicentes: O montes cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, Apoc.6.v.ult. Pii verò & in morte confidunt, Prov.14.v.32. quia sciunt, illâ non damnum sibi afferre, sed januam aperire ad vitam æternam, Joh.5.v.24.

Apage igitur cum suibus, quorum non est Regnum cœlorum. Oviculas vero Servator à dextris suis sistet, Matth.25.v.46. ut cum eo semper sint, 1.Thess.4.v.18.

II. *Paralytici consideratio.* Hic in lecto jacebat ut truncus, multis doloribus inquietatus, quos paralysis afferre solet.

Hæc magna est miseria, quod homo morbis adeò dolorosis subjectus est, qui ipsi somnum turbant, ut nec per noctem mente requiescat, Eccles.2.v.23. Job.7.v.4. Verùm non aliundè id est, quàm à peccato, *hic fons est*, ex quo non modò Paralysis, sed omnes alii morbi oriuntur. Hoc adeò corrupit nos, ut nihil boni in nobis habitet, Rom. 7. v. 18. sed omnia depravata sint, juxta illud, Esa.1. v.6.

Id nobis in Paralytico depingitur,

1. *Ratione auspicii.* Paralysis nihil aliud est, quam obstructio arteriæ, quâ Spiritus vitales in cerebro & corde impediuntur, quò minus in membra exteriora dividere se possint, unde obstupescunt, & ad munia naturalia inepta redduntur. Plurimi hunc morbū sibi attrahunt, intemperie, Venere & iracūdiâ. Ita peccata actualia utplurimū proveniunt inde, quia homines aures obturant, instar aspidis surdæ, Ps.58.v.5. & resistunt Spiritui S. ut primus mundus, Gen. 6.3. hinc dilectio Dei & proximi in plurimis frigescit, Matt.24.12. contrà vero opera carnis invalescunt, Gal 5.21.22. tandem

mmm 2 sequi-

sequitur Apoplexia, ut Deus defessus misereri constringat capita, verticem capilli, perambulantium in delictis suis, Psal. 68. v.22. ut incidant in puteum, in quo non est aqua, Zach. 9. v.11.

2. *Ratione exitii.* Paralysis enim nervos constringit, & omnia corporis membra, ut non modò inepti fiant ad officium suum: sed & intolerabiles dolores oriantur, unde Philemon Sophista morbo hoc correptus ait: *Comedendum est, manus non habeo, ambulandum est, pedes non habeo, dolendum est, & manus habeo & pedes.*

Sic impiis peccatum omnia membra constrinxit, ut non possint benefacere, quia didicerunt malum, Jer. 13. v.24. Verùm ubi conscientia evigilaverit, videbunt, quid fecerint, montibus dicturi, cadite super nos, Apoc. 6. v.16. Hinc Augustinus: *O peccata, peccata, dum suadetis ungitis, si persuasistis, ad mortem usque pungitis!* Jac. 1. v.15. hinc multi ad desperationem adiguntur, ut sibi ipsis manus violentas inferant, & se in interitum & perditionem mergant, 1. Tim. 6. v.9.

3. *Ratione auxilii.* Paralysis ejusmodi morbus est, qui nullo humano auxilio plenè curari potest, præsertim quando nimium invaluit: sed in principio auxilium adhiberi potest; internè, purgationibus idoneis, externè verò oleis & unguentis mollificantibus. Ita peccatum, quando in homine invaluit, morbus est desperatus. Ideò ait Bernhardus: *quando vitia in homine in consuetudinem abeunt, peculiaris Dei gratia requiritur, si exstirpari illa debeant.* Peccata enim per consuetudinem despiciuntur, ut ejusmodi homines malum manuum suarum dicant bonum, Mich. 7. v.3. adeoque eò minus juvari illi possunt. Ergò principiis obsta, purga cor tuum pœnitentiâ, quiesce agere perversè, disce benefacere, Esa. 1. v.17. Deinde unge te oleo gratiæ divinæ, quod Christus nobis merito suo acquisivit. Sic salutaris effectus sequetur. Ubi enim exsuperat delictum, exsuperat & gratia, Rom. 5. v.21.

Breviter: ut paralyticus hic ad Christum defertur, & in lecto ad pedes ejus reponitur, qui ipsum & corpore & anima curavit, & sanitati restituit: ita quando peccatorum paralysi infectus, in conscientia tua magnos dolores persentiscis, ad Christum confuge, & tua aliorumque oratione utere: id bonum est & acceptum coràm Salvatore nostro Deo, 1. Tim. 2.3. Jac. 5. v.16. Matth. 18. v.19.

III. *Perversa cogitatio*, quam Christus reprehendit in Scribis, inquiens: Quare cogitatis mala in cordibus vestris? Licet enim aliàs in Proverbio dicatur: Cogitationis pœnam nemo patitur. Tamen id valet saltem *in foro soli*, ubi agitur secundum acta & probata: Verùm *in foro poli* hæc regula minus locum habet. Corda enim & renes scrutatur Deus, Jer. 17. v.10. & intelligit cogitationes nostras de longè, Psal. 139. v.3.

Caveamus itaque, ne & ipsi pravis cogitationibus cordis, cujus figmentum malum est ab adolescentia sua, Gen. 6. v.7. indulgeamus, sed recordemur novissima, & nunquam peccabimus, Sir. 7. v.40.

Aves prohibere non possumus, ut caput nostrum supervolent: impedire tamen possumus, ne in capite resideant, aut in capillis nidificent: Ita à malis cogitationibus

bus immunes planè esse nequimus, ex corde enim proveniunt, tanquam venenatæ scaturigine, Matth.15. v.19. cavere tamen possumus, quò minus in opus erumpant, & primò peccatum, deinde mortem parturiant, Jac.1. v.15. si nimirum corpus crucifigamus, cum desideriis & concupiscentiis, Gal.5. v.24. ne regnent in mortali nostro corpore, Rom. 6. v. 12. Nam *non nocet sensus, ubi non est consensus*, ut Bernhardus dixit. Quilibet Deum semper ante oculos habeat, & in hypocausto, vel cubiculo depingi curet historiam de judicio extremo, & infernalibus suppliciis: sive proponat sibi caput mortuum, aut imaginem Crucifixi, vel simile quid: nec dubium est, quin hoc ipso pravas cogitationes repressurus sit, & ad meliores ansam capturus. Nam objecta movent sensus. Unde Salomo, Prov.23. v.29. & Siracides, c.9. v.7.

Seneca optimè consulit, inquiens: *Sic vive cum hominibus, quasi Deus semper te videat.* Sir. 23. v. 28. qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. 1.Cor.4. v.5.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex dulcissima Capernaum appellatione.* Venit enim Christus in civitatem suam. Hæc fuit Capernaum, ut Marcus testatur, cap.2. v.1. vocaturque civitas Christi, quia ibidem semper ferè habitavit, multos sermones habuit, & præclara miracula edidit. Unde Chrysostomus: *Bethlehem ipsum tulit, Nazareth educavit, sed Capernaum fuit ipsi habitaculum.*

Adhuc hodiè Christi civitas est, ubi verbum Dei purè docetur, & Sacramenta juxtà institutionem Christi dispensantur, ibi enim habitat, Psal. 132. v.14. ibi caminum & ignem habet, Esa.31. v.9. ibi veniet ad nos, & benedicet nobis, Exod. 20. v.24.

Talis est Augusta nostra Vindelicorum, non modò ratione exhibitæ Confessionis, A.C. 1530. sed & liberi exercitii, quod nobis per constitutionem pacis restitutum est, ubi confidenter prædicare, Psal.12. v.6. & Deum tranquillè laudare possumus in Sion, Psal.65. v.2.

Agnoscamus id grato animo, O optimi! ut dignè ambulemus Evangelio, Phil. 1. v.27. ne Dominus causam habeat væ super nos clamandi, ut olim super Capernaum, Matth.11. v.23. Avertat hoc benignissimum Numen, gratiam suam largiendo, sicut Capernaum, juxtà quorundam opinionem, est *vicus pœnitentiæ*, & iterum *vicus consolationis*, ut & nos semper pœnitentiam agentes, Domino deprecemur, quæ peccavimus: sic vocem amabilem audiemus, quâ nos ut Paralyticum alloquetur: Confide fili, confide filia, remittuntur tibi peccata tua! Beatus, imò terque quaterque beatus! quem ita elegisti & adjunxisti tibi, inhabitabit in atriis tuis. Replebimur in bonis domus tuæ: sancti templi tui, Psal.65. v.5.

II. *Ex perfectissima Paralytici curatione:* quam Christus ut Magister salvationum præstitit, Esa. 63. v.1. Is modò corporalem sanitatem à Domino petebat: & ecce! Dominus non modò eandem ipsi largitur, sed & animæ sanationem procurat, obstruens scaturiginem peccatorum, ex

quâ corporales morbi derivantur, Jer. 2. v. 19.

Quando igitur corpus tuum morbo affligitur, ut aut febri labores, ut Petri socerus, Matth. 8. v. 14. aut plenus sis ulceribus, ut Lazarus, Luc. 16. v. 20, aut leprâ infectus, ut Naëman, 2. Reg. 5. v. 1. aut cœcas, ut Tobias, c. 2. v. 11. aut mutus ut Zacharias, Luc. 1. v. 20. aut Paralyticus, ut hoc miseriæ speculum: Christo afflictionem tuam expone, & certissime confide, quod liberaturus te sit. Si tantùm verbum dicet, sanabitur æger, Matth. 8. v. 8. habet enim verba vitæ, Joh. 6. v. 68. quibus omnia sanat, Sap. 16. v. 2.

Quodsi animâ laboras, ut Davidis querela tua fiat: Non est sanitas in carne mea, Psal. 38. v. 4. iterum Servatori tuo id expone, is & animum sanare potest, delens ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua, Esa. 44. v. 22. sicut non modò in Paralytico hoc: sed aliis quoque exempla habemus, ut hinc certi simus, sicut illis misericordia facta est, sic nec hodiè illos eum ejecturum foràs, qui venient ad eum, Joh. 6. v. 37.

Quando peccasti per incredulitatem, specta Thomam, Joh. 20. v. 26. Psal. 37. v. 26. per perjurium, intuere Petrum, Matt. 26. v. 72. per cœlestis veritatis persecutionem, propone tibi Paulum, Actor. 9. v. 15. 1. Tim. 1. v. 16. per inobedientiam adversus parentes, filium prodigum considera, Luc. 15. v. 20. per rixas & jurgia, Apostolos vide, Luc. 22. v. 24. per adulterium, mulierem peccatricem inspice, Joh. 8. v. 7. seqq. per furtum & injustitiam, Matthæum contemplare, Matth. 9. v. 9. Luc. 19. v. 5. Hæc Christi misericordia, tua sit confirmatio, ne despetes, si fortè in delicto aliquo præoccupatus fueris.

Si culpa grandis est, Dei
Plus æquitas abundat:
Opis sat est huic in manu,
Utut malum redundat:
Hic pastor unus fidus est,
Huic Israel solutus est,
Omni suo reatu.

III. *Ex rarissima cogitationum manifestatione.* Vidit enim cogitationes Pharisæorum & Scribarum. Hæc divina proprietas est, quæ nudo homini non convenit. Quis enim cogitata in corde abstrusa cognoscet? Homo videt ea, quæ apparent; Dominus autem intuetur cor, 1. Sam. 16. v. 8.

Quando proindè clandestino dolore angeris, quem nulli revelare audes; siquidem multæ sunt insidiæ dolosi, Sir. 11. v. 31. hoc tuum solatium esto, quod Christo id non absconditum sit. Videt omnia tua desideria, & gemitus tui non latent eum, Ps. 38. v. 10. ideò non patietur te tentari suprà id, quod potes, sed faciet cum tentatione evasionem, 1. Cor. 10. v. 13.

Novit quoque machinationes hostium nostrorum, & quando putant illi, quod omnia consilia occulta sint, sanctiori eorum Senatui interest, & dicit: Inite consilium & dissipabitur, Esa. 8. v. 10.

Novit, quando morbis affligamur, imò quando mortis hora instat: & confirmat nos Spiritu suo sancto, ut bonam militemus militiam, habentes fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 18. quia & Angelos ablegat, ut animam nostram corporeis vinculis solutam, in Abrahæ sinum deportent, Luc. 16. v. 22.

De

De Tertio.

RESTAT *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Proximo succurre.* Id docent nos bajuli, qui nulli labori parcunt, quò Paralyticum hunc ad Christum deferant: Quia enim ipse se movere nequit, quatuor viri conjunctis viribus ipsum ad domum portant, in quâ Christus erat; & ubi præ magno populi confluxu, ipsum inferre nequeunt, tectum conscendunt, ægrotumque perfosso tecto funibus demittunt. Audiverant enim, quæ passim in infirmis patrasset, ideò non dubitant, quin hunc quoque possit & velit sanare.

Egregium hoc *exemplum* est *caritatis Christianæ*, quæ passim nobis in Scripturâ commendatur. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem, Joh.13.v.34. Confer Phil.2.v.1.seqq. 2.Petr.1.v.5.seqq. Jacob. 2.v.8. 1.Joh.3.v.18.

Ecce! ita sufficientem causam habemus, ut proximum opis nostræ indigum sublevemus. Hoc qui non facit, Christianismo suo maculam inurit. Sumus enim membra ejusdem corporis. Christus caput Ecclesiæ est, Eph.1. v. 22. sicut igitur membra in humano corpore hanc sympathiam habent, ut si unum patitur membrum & reliqua compatiantur, 1.Cor.12. v.26. ita & nos invicem compatientes, fraternitatis amatores & misericordes simus, 1.Petr.3.v.8. Quando videmus proximum nudum esse, & indigere victu quotidiano, Jacob. 2. vers. 15. caritas tùm, quâ illum amplectimur, sit spontanea, ut ipsi panem frangamus, Esa.58.v.7, & deriventur in plateas rivuli aquarum, Prov.5.v.16.

Quando videmus proximum *tristem & afflictum*, verbis blandis eum alloquamur, consolantes pusillanimes, 1. Thessal. 5. v.14.

Si *proximum labantem* cernimus, instauremus eum Spiritu lenitatis, Gal.6.v.1.

Quodsi *animum ejus odio ardere* conspicimus, animadvertimusque faciem ejus non sicut heri & nudius tertius, Gen.31.2, potius injuriam feramus, quàm malum malo rependamus, Domino vindictam committentes, Num.12.v.19. ipse faciet, Psal.37.v.5.

Si proximum *infirmitatibus obnoxium* conspicimus, sicut festucam in fratris oculo facilè videmus, Luc.6.v.41. non illum petulanter diffamemus, sed contegamus & excusemus: quia caritas operit multitudinem peccatorum, 1.Petr.4.v 9.

Si *ægrum* eum spectamus, iterum caritas Christiana flagitat, ut eum visitemus in tribulatione, quæ religio munda & immaculata apud Deum est, Jac.1.v.ult.

Maximè verò *ad Christum properemus*, sicuti hi bajuli cum Paralytico, quia scimus, quod operetur salutem, in medio terræ, Psal.74.v.12. Judith.9.v.5.

Nos Paralytico huic non dissimiles sumus, ratione peccati, quod ita nos depravavit, ut nec propriâ ratione, nec nostris propriis viribus, in Christum credere aut ad eû pervenire possimus: idcircò pòst nativitatem carnalem, in lectulo nostro ad Ecclesiam deportamur, ut ex aqua & Spiritu renati, à peccato originali abluamur & purificemur. Deindè verbi Præcones multum operæ impendant oportet, ut nos à curvis peccatorum viis in veram cal-

callem reducant: sicut pastor oviculam perditam humeris superimponit, & ad gregem portat, Luc.15.v.5.

Ideò non obstinatè reluctemur, sed noverimus eos, qui laborant inter nos, 1. Thess.5.v.12. licet non semper placentia loquantur, Esa.30 v.10.

Hîc Paralyticus non repugnat, quo minus portatores eum ad Christum deferant, per tectum demittant, & omnia faciant, quæ saluti ejus inserviunt: Ita quando Deus spirituales bajulos nobis mittit, qui nos ad Christum deferre volunt, h.e. Ecclesiæ suæ Pastores & Doctores concedit, ut gregis curam habeant, licet quandoque ex lege peccata arguant, Esa.58.v.1. non molestè id feramus ut delicatuli faciunt, ideoque nesciunt, quæ ad pacem suam pertinent, Luc.19.v.42. quâ ratione ad Christum nunquam perveniunt, sed foris manent, ut canes, Apoc.22.v.15. pœnas daturi interitum æternum, à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2.Thess.1.v.9. Sed obsequentes nos præbeamus, quò ad Christum perducti beneficiorum ejus participes reddamur. Nam placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, 1.Cor.1.v.21.

II. *Christo confide.* Quod factum cùm à bajulis, tùm ab ipso Paralytico, hinc ait Evangelista: Videns Jesus fidem eorum, dixit Paralytico: Confide fili! remittuntur tibi peccata tua.

Id ita utrinque requiritur. Licet enim Deus alienam quandoque fidem respiciat, & propter illam impiis indulgeat, sicuti videmus Genes.19.v.21. ubi Deus Lotho oppidum Zoar quasi donat, & ita impiis illis parcit: attamen id de temporalibus modò intelligendum est: ad justitiam verò & remissionem impetrandam, propria fides exigitur. Justus in sua fide vivet, Hab. 2.v.4.

Quandocunque igitur morbis vel aliis modis à Deo affligimur, non modò aliorum intercessione utamur: sed & ipsi devotas ad Deum preces fundamus, dum Deus adjumento sit & exaudiat. Requiritur hîc fiducialis fiducia, quæ verbo & promissione divina nitatur. Nam

Qui spem Dei non abjicit,
Haud irritâ lactatur:
In hâcce rupe qui struit,
Quamvis is invadatur
Molestia, non sentio
Talem virum cadentem,
Qui fidit hoc solatio
Non deserit fidentem.

Noli itaque fiduciam tuam abjicere, mi Christiane! sed ut bajuli hi tectum perfringunt, & Paralyticum hoc modo ad pedes Christi demittunt: sic tu, quando auxilium nullum in terris reperis, oratione tua cœlum perrumpe, ibi Christum invenies, & præsentissimum auxilium senties. Qui enim ita confluxerunt ad eum, facies eorum non sunt confusæ, Ps.34.v.6.

Causæ moventes sunt,

1. *Veritas promittentis.* Non enim inventus est dolus in ore ejus, 1.Petr.2.v.22. sed veritatem custodit in seculum, Psalm. 146.v.6. Esa.54.v.10.

Atqui promisit, se in die tribulationis nos exauditurum, Psal.50.v.15. nec daturum in æternum afflictionem justo, Psal.55. v.22. ideò firmiter promissioni ejus fidere possumus. Non enim homo est, qui mentiatur,

tiatur, Num. 23. v. 19. Sed omnia opera ejus in veritate, Psal. 33. v. 4.

2. *Bonitas annuentis.* Nam irritata est anima ejus super miseriâ Israelis, Jud. 10. v. 16. Jer. 31. v. 20. Psal. 36. v. 8.

Hoc animum addat nobis, ut cum fiducia ad thronum gratiæ adeamus, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus, in auxilium opportunum, Hebr. 4. v. 16.

3. *Potestas facientis.* Potens namque est facere omnia superabundanter, quàm petimus, aut intelligimus, Eph. 3. v. 20. Num. 11. v. 23. Luc. 1. v. 27.

Ecce! hîc est funiculus triplex, qui difficile rumpitur, Eccles. 4. v. 12. & quando vera fiduciâ hunc apprehendemus, solatio, protectione & liberatione nunquam destituemur: Voluntatem timentium se faciet, & salvos faciet eos, Psal. 145. v. 19.

III. *Ministerium cole.* Quod fecit turba, de quâ dicitur: Videntes autem turbæ, admiratæ sunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Hinc apparet, quod Christum pro Filio Dei nondum agnoverint, sed pro Propheta magno eundem habent, quales Deus olim populo suo multos misit. Intereà agnoscunt potestatem, quam homines à Deo habent, cujus beneficio peccata remittere & retinere possint, juxtà normam ipsis à Christo præscriptam.

Ut enim antè adscensum suum in cœlos mediatores ordinavit, quorum Ministerio pœnitentiam & remissionem peccatorum annunciari jussit, Luc. 24. v. 47. nempè Petrum, Matth. 16. v. 19. & reliquos Apostolos, Matth. 18. v. 18. ita adhuc hodie dat Ecclesiæ Pastores & Doctores, Eph. 4 v. 11. per quos Ministerium reconciliationis continuar, 2. Cor. 5. v. 19. faciens bonæ spei filios suos, quod daturus sit locum in peccatis pœnitentiæ, Sapient. 12. v. 9.

Agnoscamus igitur gratiæ excellentiam, quam Servator Absolutioni impertivit. Quando enim peccator in loco confessionis peccata sua Ministro Ecclesiæ confitetur, non homini, sed Christo ipsi ea exponit, cujus Legatus Confessionarius est, 2. Cor. 5. v. 20. ideò non aliter absolutionem suscipiat, quàm, si à Christo ipso pronunciata esset, juxtà illud Joh. 20. v. 23. Matth. 18. v. 18.

Quin & deprædicemus potestatem hanc à Christo hominibus datam, cum Davide dicentes: Benedic anima mea Domino, Psal. 103. v. 1. seqq.

Hoc debitum nostrum requirit, quod, si observaverimus, descendemus cum publicano in domum nostram justificati, Luc. 18. v. 14. Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum, 1. Sam. 2. v. 30.

O vos mei! peccatum grande onus est, non comparandum cum onere Samsonis, Jud. 16. v. 3. non cum onere Jobi, quod gravius erat, quàm arena maris, Job. 6. v. 3. non cum onere Israelitarum in captivitate Babylonica degentium, de qua Thren. 5. v. 5. 13. Hinc David: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, Psal. 38. v. 5.

Peccatum ejusmodi onus est, quod & cœlum ferre nequit: siquidem Angeli propter peccata in infernum detrusi sunt, Luc. 10. v. 18. ejusmodi onus, quod Filio Dei sudorem sanguineum expressit, Matth. 26. v. 39. tale onus, quod decem millia talenta superat, Matth. 18. vers. 24. & non homi-

hominem in interitum & perditionem mergit, 1. Tim. 6. v. 9.

Hinc igitur è contrario colligere possumus, quanta gratia sit, quod Christus hanc peccatorum molem à nobis in se transtulerit, Esa. 53. v. 4. & hodieenus verbi ministros mittit, qui potestatem habent hominibus peccata remittendi, & retinendi, eo cum effectu, ac si Christus ipse immediate hoc munus obiisset, Matth. 18. v. 18.

Iccircò grato animo id agnoscentes, cum turbâ glorificemus Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

In Pontificia Ecclesia indulgentiæ carè venduntur: at in nostris Ecclesiis absque argento hicce thesaurus cuique conceditur, Esa. 55. v. 1. siquidem gratia Dei pecunia non possidetur, Actor. 8. v. 20. & tamen multi gratiam hanc, magno sui dispendio abjiciunt & spernunt, unde non mirandum, si in peccatis illi maneant. Non miseretur enim Deus omnibus, qui operantur iniquitatem, Psal. 59. v. 7.

Videamus modò ut feriam in tempore gratiæ agamus pœnitentiam, sic non modò remissionem peccatorum impetrabimus, sed & tandem veniemus in eum locum, ubi nulla absolutione nec peccatorum indulgentia amplius indigebimus, sed ἰσάγγελοι erimus, Matth. 22. v. 30. Christoque exhibebimur, tanquam pura sponsa, non habens maculam aut rugam, sed sancta & irreprehensibilis, Ephes. 5. v. 27.

Fiat id per Christum JEsum, Amen.

DOMINICA XX. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 22. v. 1.-- 15.

EXORDIUM.

CUm David, superato immani Goliatho, promissis aleretur, quod Rex Saul, illi filiam suam in matrimonium collocaturus esset, ille propterea in hæc verba erumpebat: Num parum videtur vobis, generum esse Regis? 1. Sam. 18. v. 23.

Hæc *mysticè* intelligemus.

David opilio erat, minimus & contemtissimus inter fratres suos, 1. Sam. 16. v. 11. ita veri Christiani plerumque infimi sunt in mundo, & lampas contemta apud cogitationes divitum, Job. 12. v. 5. Verùm Deus novit eos extollere, si tempus adest, quod in consilio suo arcano decrevit. Licet enim in altis habitet, tamen humilia respicit, in cœlo & in terrâ; erigens de pulvere inopem, & de stercore exaltans pauperem: ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui, Psal. 113. v. 6. seqq.

Sicut enim Davidi successit, ut primò gener Regis, deindè pôst mortem Saulis Rex evaserit: ita nos Deus insigniter nobilitavit, dum filio suo desponsavit nos. Quis igitur non placeret sibi? quis non exultaret, quod Deus adeò appropinquaverit nobis, ut per spiritualem filii sui despon-

sponsationem socer noster factus sit? Num parùm videtur vobis generum esse Regis? inquit David, ad servos Saulis. Nos plus causæ habemus respectu spiritualis hujus desponsationis nobis gratulandi, non enim tenue, sed mysterium magnum est, Eph. 5. v. 32. in quod desiderant Angeli prospicere, 1. Petr. 1. v. 22. quod miseri nos homunciones, Regis Regum generi facti sumus.

Deus Pater preclaram nobis dotem largitur, dum aperto bono suo thesauro cœlo, Deut. 28. v. 12. benedicit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus, Ephes. 1. v. 3.

Deus Filius est sponsus noster, amicè nos compellans: Surge, propera, amica mea, speciosa mea, & veni, Cant. 2. v. 13.

Deus spiritus sanctus est pignus hæreditatis nostræ, & arrha, Eph. 1. v. 14. ut desponsationis hujus cœlestis certi simus, signat enim quod Deus verax est, Joh. 3. v. 33.

Quis igitur non placeret sibi, generum Regis se esse? verè enim de ejusmodi homine dicitur: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. v. 31.

Hâc de re agitur in prælecta Pericope. Deus enim Pater Rex ille est, qui Filio suo nuptias parat. Humana natura sponsa est, quam Filius Dei in unitatem Personæ adsumsit: convivæ nuptiales sunt omnes homines, Judæi & gentiles, ut in ipsa explicatione pluribus ostendetur.

Nos instituti nostri memores visuri sumus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Sicut olim Lacedæmones per mancipia temulenta filiis suis ebrietatem exosam & abominabilem reddiderunt: Ita Deus Opt. Max. in usu habet, ut in verbo suo, varia exempla peccatorum, eorumque turpitudinem nobis proponat, ut cautius mercari discentes, ea evitemus: scripta namque sunt ad admonitionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt, 1. Cor. 10. v. 11.

Idem nos observabimus in prælecta Pericope, ubi Servator noster sub eleganti parabola, de Rege, qui filio suo nuptias parat, Judæis ingratitudinem suam exprobrat. Erant enim illi populus acquisitionis, genus electum, regale Sacerdotium, 1. Pet. 2. v. 9. illorum erant adoptio, & testamenta, & legislatio, & cultus & promissa, Rom. 9. v. 4. ideò & præ omnibus gentibus eosdem ad nuptias Filii sui sub initium N. T. vocari voluit. Quia verò blandam hanc invitationem spreverunt, illis abjectis, gentiles in eorum locum substituit, ut Paulus testatur, Act. 13. v. 46.

Hoc quia ad nostram emendationem factum, *querelam* nobis moveat, eamque trifariam: hinc inspiciemus

1. *Divinæ invitationis contemtum.* Invitati enim nolebant venire. Et quamvis Rex secunda vice servos suos emiserit, ut invitatis dicerent: Ecce, prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias: tamen & hanc invitationem neglexerunt & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad ne-

gotiationem suam: reliqui verò tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt: quin & qui apparuerunt, non omnes mundi fuerunt, sed interfuit illis hypocrita, carens veste nuptiali.

Inveniuntur proinde hîc

1. *Ingrati*, qui blandam hanc invitationem spernunt, & temporibus inhiare, quàm pietatem sectari malunt, quæ tamen promissionem habet hujus & futuræ vitæ, 1.Tim.4.v.8. ideoq; non apti sunt Regno Dei, Luc.9.v.ult. Matth.10.v.32.

2. *Malcferiati*, qui socordes sunt ad bonum, hi si ad nuptias invitantur, & ad pietatem colendam exstimulantur, subsannant nuncios Dei, illuduntque Prophetis, 2.Paral.36.v.16. Nec hoc saltem: Sed si Sanctus in Israel, cessare non vult à facie sua, Esa.30.v.11. conspirant inter se dicentes: Non prophetabis in nomine Domini, & non morieris in manibus nostris, Jer.11.v.21. Id perpetrârunt in Prophetis, in Christo ipso ejusque Apostolis, quos lapidarunt, secarunt, & in occisione gladii perimerunt, Hebr.11.v.36.

3. *Imparati*, qui veste nuptiali salvificæ fidei carentes, specietenus modò sedent, ut populus Dei, Ezech.33.v.31. in corde verò sunt pleni peccatorum spurcitie, ut sepulchra dealbata, Matth.23.v.27. hi non habent partem cum Christo, in cujus conspectum non venit hypocrita, Job.13.v.17. Matth.7.v.21.

Ita parabola hæc præcipuè ad Judæos directa est, qui soli peculium & amici ejus esse volebant, nec faciebant, quæ Deo placebant. Sed applicatio adhuc hodie locum habet in Ecclesia. Ubique enim fieri amat, quod B. Lutherus dixit: Ubi verbum Dei quàm maximè prædicatur: ibi & maximam persecutionem experiri cogitur.

Magna hæc miseria est, quod Rex cœli & terræ, respectu cujus nos omnes, quasi stilla situlæ, & quasi pulvisculus stateræ reputati sumus, Esa.40.v.15. tantâ nos gratia dignatur, quam tamen quasi pessundamus, & abjicimus, ut non immeritò querelam ingeminare queat: Audite cœli, & auribus percipe terra &c. Esa.1.v.2. seqq. Ubi verò væ minatur, ibi pœna non procul est: est enim Dominus, qui loquitur & facit, Ezech.17.v.ult.

II. *Indignabundum Regis animum.* Nam Rex iratus est. O indignationem! Leo rugivit, quis non timebit? Amos 3. v.8.

Cum Rex Assuerus iratus esset, Aman statim intellexit, à Rege sibi paratum malum, Esther.7.v.7. indignatio Regis, nuncii mortis, Prov.16.v.14.

Quid igitur dicturi sumus de Deo, qui Rex Regum est, & Dominus Dominantium? 1.Tim.6.v.15. ejus ira est

1. *Ira formidabilis.* Ardet enim usque ad inferni infima, Deut.32.v.22. Montes commoti sunt ab eo, & colles colliquescunt, & contremuit terra à facie ipsius, & orbis, & omnes habitantes in eo, Nahum 1.v.5. Est enim ejusmodi Dominus, qui animam & corpus perdere potest in gehennam, Matt. 10.v.28.

2. *Ira inevitabilis.* A terrenis Regibus auffugere possumus, ut Davidis exemplum testatur, 1.Sam.27.v.1. Verùm iracundiam Regis cœlestis nemo effugere valet, Psal.139.v.7. seqq.

3. *Ira incessabilis.* Reges terreni mortales sunt, & cum morte eorum ira emoritur,

mortui canes enim non mordent. Hinc Deus mortuo Herode, Josepho annunciari jussit: Defuncti sunt, qui quærebant animam pueri, Matth. 2. v. 21. Qui verò Deum hostem habet, nunquam expiabitur: ira enim Dei manet super eum, Joh. 3. v. ult.

Hanc intolerabilem Dei iram contemtores sibi attrahunt, quando ad nuptias paratas venire renuunt. Hæc magna miseria: & major adhuc illa est, quod nemo eandem agnoscat, juxta querelam Mosis: Quis autem agnoscit iræ tuæ gravitatem? & juxta timorem tuum iram tuam? Psal. 90. v. 11.

Si quis igne læditur, continuò membrum retrahit: Nos vero adeò stolidi & temerarii sumus, ut data opera in ignem curramus, & in interitū nos præcipiremus. Hæc magna est pervicacia & obstinatio.

Asina Bileami, cernens Angelum stantem in viâ, evaginato gladio, avertit se de itinere, & concidit sub pedibus sedentis, Num. 22. v. 23. Quidni nos potius à curvis peccatorum viis decederemus, quando Deum nobis adversantem, & gladium vindictæ in manu tenentem viderimus? Est enim justus judex, & Deus minitans per singulos dies: nisi conversi fueritis gladium suum acuit &c. Ps. 7. v. 12.

III. *Pœnarum secutarum cumulum.* Rex missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit. Idem adhuc hodiè facit. Experta id est in bello trigesimali Germania nostra, ubi multæ civitates, & munimenta, propter ingratitudinem & verbi divini contemtum expugnata, & incendio consumta sunt, vel minimùm ita exhausta, ut vix pristino splendori restituantur. Non enim irridetur Deus, Galat 6. v. 7. Sed quando ficulneam satis diu coluit, & stercoravit, demùm eam, ubi fructum non invenit, succidit, Luc. 13. v. 7. eadem securi, quâ Israëlitas excidit, Rom. 11. v. 22.

Ah quanto amore prosequebatur Dominus cives Hierosolymitanos! quanto desiderio congregatum illos ibat, ut gallina congregat pullos suos sub alas, si voluissent! Matth. 23. v. 37. Quia verò tempus gratiosæ visitationis agnoscere nolebant, misso exercitu suo, civitatem illorum adeò prosternebat, ut solo illa æquaretur, & lapis super lapidem non relinqueretur, Luc. 19. v. 44. Hoc adhuc hodiè ita accidit. Quando verbi Præcones tolerare nequimus, qui nos docent utilia, Esa. 48. v. 17. tandem cataphractos immittit, qui crudelissimè nos tractant. Quodsi & hoc medio ad frugem non perducit homines, tandem id locum habet, quod porrò in Evangelio sequitur: Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.

Hæc ira *compendiosa descriptio damnationis æterna* est, ubi damnati catenis constringentur, 2. Petr. 2. v. 4. in inferno ponentur, Psal. 49. v. 15. à facie Dei abjecti pœnas dabunt interitum æternum 2. Thess. 1. v. 9. & mortem non invenient, Apoc. 9. v. 6.

Nos hinc ansam capiamus, quomodo cautius ambulemus, ut hactenus factum, Eph. 5. 15. in mansvetudine suscipientes verbū veritatis, si horribiles has pœnas effugere velimus, Jac. 1. 21. tùm & sedulò oremus:

Servator, ô dulcissime,
Qui natus es, ex virgine
Averte nobis orcum!

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex nuptiarum consideratione.* Hinc dicitur in Exordio Evangelii: Simile factum est Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias Filio suo. Intelligitur hîc potissimum *Desponsatio Incarnationis*, ubi æternus Filius Dei ex utero castissimæ virginis Mariæ humanam carnem & sanguinem assumsit, in unionem Personæ, ut in æternum separari nequeant. Licet enim Filius Dei cum Ecclesia quoq; conjugium inierit, & illi in justitia & judicio, in misericordia & miserationibus se desponsarit, Ose.2.v.19. attamen spiritualis hæc desponsatio, inde originem trahit, quia non Angelos, sed semen Abrahæ, assumsit, nobisque in omnibus similis factus est, excepto peccato, Hebr.2.v.16.

Sicut igitur aliàs, vi vinculi conjugalis, maritus & uxor una caro fiunt, Genes.2. v.24. ita per unionem personalem Dei Filius, hominis Filius factus est, ut quidem in Christo sint duæ naturæ, divina & humana, quæ non confunduntur, nec transmutantur, ut olim Eutychiani delirarunt: sed quælibet substantiam suam retineat: verùm propterea non duæ personæ sunt; sed unus nobis est Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, 1.Cor.8.v.6. Hoc mysterium rationi obvium non est, unde in consideratione ejusdem exclamandum nobis: O profunditatem Divitiarum! Rom. 11. v.33.

Aliàs divites divitias, formosi pulchritudinem, nobiles nobilitatem per connubia quærunt, quod quidem non adeò culpandum videtur, juxta Siracidis effatum, c.13.v.19. Verùm Christus cum carne & sanguine nostro se despondit, ditissimus cum pauperrimis, elegantissimus cum deformibus, nobilissimus cum natione pravâ atque perversa, Phil.2.v.15. Hoc Pater cœlestis permisit ex merâ dilectione erga nos; Filius itidem ex ardente caritate fecit, quo miseros nos homunciones, à peccato, morte, Diabolo & inferno redimeret. Id quod Paulus vocat divitias gratiæ Dei, Rom.2.v.4. quod cœlestis Pater Filium suum unigenitum mundo dat, Joh. 3.v.16. & æternus Filius Dei, non modò Filius hominis, sed *sponsus meretricis* fit, ut Chrysostomus ait, & cum generatione mala & adultera se desponsat, Matth. 12.v.39.

In veteri Testamento non licuit summo Sacerdoti violatam & meretricem ducere, sed virginem sibi desponsare tenebatur, Levit.21.v.13.

Verùm Christus, qui est summus Sacerdos juxtà ordinem Melchisedec, ad hanc legem se non adstrinxit: sed humanitatem in unitatem Personæ assumsit, quin & ipse generis nostri factus est, quò eò melius nobiscum agere, & nos omnia bona ab eo expectare possemus. Quis hîc non cum Psalte Regio exclamaret: Quàm pretiosa est misericordia tua Deus! Psal.36.v.8.

Quodsi enim terrenus Rex Ahasverus, propter dilectam Esther universæ genti Judæorum gratiam exhibuit, eamque adversus Hamani furorem defendit, Esther 9. v. seqq. quantò magis Christus Rex Regum, propter sponsam suam, quæ est natura humana, cui se despondit, toti generi

neri humano gratiam largietur, idemque protecturus est, ne portæ inferorum prævaleant, adversus illud, Matth. 16. v. 1. Luc, 9. v. 56.

II. *Ex repetitâ vocatione.* Reversis enim prioribus servis, iisque referentibus, quod invitati venire nolint: non statim excandescit: sed æquo animo hunc contemtum perfert, & alios servos ablegat, ut dicant invitatis: Ecce, prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Ubi & hi nihil efficiunt, sed contumeliis afficiuntur, & occiduntur: irascitur quidem Rex, ut missis exercitibus suis perdat homicidas illos, & civitatem eorum succendat: attamen non solus Regnum cœlorum possidere vult: sed mittit servos suos ad exitus viarum, ut quoscunque invenerint, vocent ad nuptias, malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

Hoc sanè luculentum *longanimitatis divinæ exemplum* est, quam hâc in re Rex cœli ergà nos ostendit, dives enim est in misericordiâ, Ephes. 2. v. 4. & tardus ad iram, Joël. 2. v. 14. ideò non in ipso facto punit: sed dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, Sap. 11. v. 24.

Cum Rex Ahasverus Eunuchum suum ablegaret, ut introduceret Reginam Vasthi corâm Rege, posito super caput ejus diademate Regni: illa verò renueret, & venire contemneret; iratus valdè Rex & nimio furore succensus, repudiavit eam, & posuit diadema Regni in capite Esther, fecitque eam regnare in loco Vasthi, Ester. 1. v. 12. 2. v. 17.

Sic Deus nobiscum non agit; sed est longanimis & multæ bonitatis & veritatis, Exod. 34. v. 6. ideò non abjicit nos continuò, si fortè in delicto aliquo præoccupati fuerimus, Gal. 6. v. 1. Sed duo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram & perditionem, Sir. 23. v. 21.

Posset quidem Deus in ipso facto justitiam suam exercere in impios, ut fecit in Nabale, 1. Sam. 25. v. 38. in Usa, 2. Sam. 6. v. 6. in Anania & Saphira, Act. 5. v. 5. quia verò patiens & misericors est, non facit furorem iræ suæ, Os. 11. v. 9. sed locum relinquit pœnitentiæ: patienter enim agit propter nos, nolens ullum perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti, 2. Petr. 3. v. 9. Id quod agnovit David, 2. Sam. 24. vers. 13. 14.

Videamus ne divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnamus: secus defetiscitur misereri, Jer. 15. v. 7. adscenditque furor ejus, ut nulla sit curatio, 2. Chr. 36. v. 16.

III. *Ex lautissimâ tractatione.* Rex enim mandabat servis, ut dicerent invitatis: Ecce, prandium meum paratum, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata.

In Magnatum hujus mundi epulis, sæpè magnifici apparatus fiunt.

Cum Rex Bohemiæ Wenzeslaus nuptias celebraret, cum filiâ Imperatoris Rudolphi I. quotidiè Pragæ cibabantur hominum centum millia.

Sed nihili æstimandum venit respectu lautissimarum epularum, quas cœlestis Pater in Filii nuptiis apponi curat, hîc in tempore gratiæ, & ibi in Regno gloriæ. Ideò dicere jubet invitatis; Venite, omnia parata sunt: hîc solatium animæ, remissionem peccatorum, justitiam & salutem invenietis. In nuptiis Canæ Galileæ vinum defe-

defecturum erat, Joh.2.v.4. At hîc non destituemur ullo bono, Psal.34.v.15. Sed Dominus est omnia in omnibus, 1.Cor.15. v. 28. & quæ petierimus in nomine ejus, sunt Etiam & Amen, 2.Cor.1. v.20.

Quemadmodum verò in nuptiis, convivæ rarò statim in domum nuptialem se cōferunt, sed ante in atrio conveniunt: Ita mundus quasi atrium est, in quo cœlestes epulas expectamus, non enim antè plenariè pertingere possumus in gaudium nuptiale, dum per mortem temporalem janua nobis pandatur, Joh.5.v.24. tùm Regem in decore suo videbunt oculi nostri, Esa.33.v.17. sicuti est, 1.Joh.3.v.2.& claritatem quam dedit illi Pater, Joh.17.v.14. in novâ Hierusalem, ubi portæ ex margaritis, & platea civitatis, tanquam aurum mundum, tanquam vitrum pellucidum, Apoc.21.v.21.

In nuptiis mensæ conquisitissimis epulis instruuntur, & flos Liberi apponitur, Joh.2.v.11.

Sic & in nuptiis Agni dapes lautissimæ inferentur: ibi fluent fluvii puri aquæ vivæ! ibi apponetur manna cœleste! ibi vinum lætitiæ electos quotidiè reficiet, Apoc.22.v.1.

In nuptiis suavis quoque Musica exhibetur, Sir.32.v.7. Neque hæc deerit in vitâ æterna. Ibi laudabunt Angeli, laudabunt electi Dominum in Sanctuario ejus, laudabunt eum in firmamento virtutis ejus, Psal.150.v.1.& seqq.

In nuptiis ejusmodi amici conveniunt, qui antehac rarò vel nunquam se viderunt, & lætantur, quamdiu sponsus est cum illis, Marc.2.v.19. in vita æterna omnes nostros familiares offendemus, qui per mortem ex oculis nostris erepti sunt. Ibi accumbemus cum Abraham, Isaac & Jacob, Matth. 8.v.11. in perpetuis lautitiis & lætitiis, Esa. 65.v.14.

Consolamini igitur invicem in verbis istis, Vos mei! quando vestros ad tumulum prosequimini. Ne fleatis! ad nuptias illi mearunt, ubi nulla ægritudo illos perturbat. An parentes lugent, si liberi probi nuptias adierunt? Minimè. Multo minus vos habetis causam, mortem familiarium lugendi: quodsi enim placidè in Domino mortui sunt, beati sunt à modò, Apoc.14. v.13. ideò non invideamus illis beatitudinem hanc, quin potius & ipsi parati expectemus sponsum nostrum, ut, si & nos ad nuptias abducturus veniet, cum virginibus prudentibus, ornatis lampadibus ipsi obviam eamus, & in nuptias cœlestes introducamur, Matth.25. vers. 1. seqq.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Gratiam agnosce.* Non enim parum est, quod nos Deus quotidiè ad nuptias Filii sui per servos suos invitari curat: non ut *præstemus operas vectigalis*, ut Gibeonitæ qui cædere ligna, & aquas comportare cogebantur, Jos. 9. v.27. aut ad mensam ministremus, sicut herus servi operâ utitur, ut præcingat se & ministret, Luc.17.v.8. sed ut convivæ ejus simus, ipsi mensæ accumbamus, & omnibus beneficiis ejus fruamur. Grata igitur mente illud agnoscamus oportet: Sumus enim indigniores Mephibosetho, qui tamen mortuum canem

nem se nominat, 2.Sam.9.v.8. Dicamus ergò cum Jacobo: Minor sum cunctis miserationibus tuis, Gen.32.v.10.

Si quis aliàs ad nuptias invitatur, in magno honore id habet, si sponso & sponsæ affinis non est, maximè si id fiat ab hominibus in autoritate constitutis: Quanto magis nos virtutes annunciemus ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum, 1.Petr.2.v.9. non enim hanc gratiam meruimus, sed quicquid facit, præstat ex mera misericordia, ut Paulus indicat, 2.Tim.1.v.9.

Gibeonitæ Legatis ad Josuam missis, gratiam petebant, ne ut aliæ civitates & ipsi igne & ferro delerentur, Jos.9.v.4.seqq.

Id nos non fecimus, & tamen nos Deus ultrò respexit, hæc viscera misericordiæ Dei sunt, in quibus visitabit nos Oriens ex alto, Luc.1.v.78.

Exultate hinc, Vos mei! & quando Diabolus telis suis ignitis vos infestat, vel conscientia angit, aut lex maledicit, aut peccatum condemnare intendit, gratiam Dei arripite, cum Ecclesia dicentes: Ich lig im Streit und widerstreb / hilff O HErr Christ den Schwachen / &c. Gratiâ enim Dei sumus, quod sumus, 1.Cor.15.v.10. quâ credimus nos salvari, ut & Patres, Act. 15.v.11.

Sed cavete, ô Optimi! ne gratia Dei abutamini, Sir.5.v.4.6. Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat, ut Val. Maximus ait: & ira illius in peccatores non desinit, Sir.5.v.7.

II. *Invitatus appare.* Ex hâc enim causa Deus te invitare jubet, ut accedas. Quinimò expandit manus suas tota die, ad populum contumacem, qui graditur in viâ non bona, post cogitationes suas, Esa.65.2.

Saulus Davidem sæpiusculè invitavit, sed non ex amore, ut eum benignè exciperet, sed ut occasione potiretur, eum perimendi, 1.Sam.20.v.25.seqq.

Sic & Absolon instituto convivio Amnonem fratrem, animo non sincero invitavit: vino enim temulentum per servos suos interfecit, 2.Sam.13.v.28.

Ejusmodi hypocrisis & simulatio in Deo minimè metuenda nobis est: impossibile enim est eum mentiri, Hebr.6.v.18. Propterea irascitur ingratis his convivis, ubi venire renuunt, & missis exercitibus suis, perdit illos, & civitatem eorum succendit: verè namque Moses: Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, justus & rectus, Deut.32.v.4.

Hoc quia scimus, eò promtius appareamus in nuptiis hisce, ne frustrà clament servi, quando ut tuba exaltant vocem suam, dicentes: Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo, 2.Cor.5.v.20. Aliàs non impunè dimittet id Deus. Vocavi & renuistis, Prov.1.v.24.

Athenis olim pro peculiari civilitate & virtute habebatur, si convivæ justo tempore apparerent. Hinc cum Polybius vehementer accusaretur, & hoc inter alia in apologia sua adducebat, quod nunquàm, si ad convivium vocatus fuisset, ultimus apparuisset.

Multò magis nos in cœlestibus his nuptiis in tempore promptè compareamus, sic nobis laus erit aliquàndo, 1.Cor.4.v.5. Nam ut aliàs dici solet! Tardè venientes, malè se-

I. *Aulicorum ingenium.* Hic Regius sine dubio Officiarius regius vel præcipuus Officialis bellicus fuit, in aulâ Herodis, unde etiam stipendium suum habuit, & expreßè βασιλικὸς Regius vocatur. Quia igitur multa autoritate valebat, Christum sibi ex tempore opitulaturum putabat, propterea ait: Domine descende, priusquam moriatur filius meus. Nisi hic aulicus cruce pressus fuisset, vix ad Christum se recepisset, qui in aulis non magnoperè curatur. Hinc Poëta:

Exeat aulâ
Qui volet esse pius.

Quod Germani ita exprimunt: Lang zu Hoff/ lang zur Höllen. Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, 1. Cor. 1. v. 26.

Constantinus M. aliquando Aulicorum fidem probaturus, se religionem Christianam cum Gentilismo permutaturum, & idolis sacrificaturum simulavit, Ministris ut idem facerent, aut aula exirent, injungens. Continuò plurimi & præcipui à fide Christiana desciverunt, paucis exceptis, qui potius aulam relinquere, quàm Christum abnegare mallent. *Hos igitur* Constantinus retinuit, & præcipuis præfecturis præfecit, apostatas verò aula expulit, inquiens: Si Deo fidem non habuistis, multò minus mihi fidem præstabitis.

Sic adhuc hodie in aulis Principum & Magnatum religionis parva ratio habetur, sed ad Domini fidem conformant se plurimi. Tum & verbi divini & Sacramentorum contemtus, luxus, superbia, comessatio, ebrietas, lascivia, & id genus flagitia alia primas ibi obtinent, qui verò à malo recedit, prædæ patet; Esa. 59. v. 15. Rectè ergò Seneca: *Ut nemo doceat fraudis & sceleris viam, Regnum docebit.* Est enim aula, *mendacii & ambitionis Gymnasium*, ut Petrarcha scribit, imò Compendium ad infernum, Dan. 10. v. 13.

Hic Regius ex melioribus esse videtur, nec modò Christum quærit, sed & objurgatus abeo, debita reverentia eundem prosequitur, inquiens: Domine descende! Quod si hodie aulici ita exciperentur, procul dubio non dicturi essent: Domine descende: sed, num Consiliarius Regis es? quiesce, ne interficiam te, 2. Chron. 25. v. 6. sive ut Amasias ad Amos dixit: Heus tu videns, abi, fuge in terram Juda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi, Amos 7. v. 12.

Aula igitur, quantum fieri potest, declinanda est, vel si officii ratio, in illa vivere, requirat, Deum unicè respicientes, nihil ad gratiam hominum faciamus, quo conscientia vulneretur, & Deus offendatur. Si peccaverit vir in virum, cùm judicant Dii: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 1. Sam. 2. v. 25.

Aulicam proindè vitam non exopta: sed in mansuetudine opera tua perfice, hoc superat omnia, quæ ab hominibus diliguntur, aut desiderantur, Sir. 3. v. 19. Benè vixit qui benè latuit. Fascinatio nugacitatis obscurat bona, Sap. 4. v. 12. & qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ, Sir. 13. v. 1.

II. *Asmodei odium*, quod in Regulo hoc se exerit. Erat quippè ille vir opulentus, qui nullâ victus inopia laborabat; intereà tamen non sine afflictione est: nam filium

habet gravissimo morbo laborantem, ut & mors ipsi imminere videatur. Hoc ita peccato acceptum ferendum est, quod Diabolus in mundum sevit. Inde enim derivantur omnes morbi, & tandem mors, quæ in omnes pertransiit, quia omnes peccarunt, Rom.5.v.12. Hoc ipsum Deus post lapsum Protoplastis intimavit, Gen.3.v.16. seqq.

Idem hodieque familiare est omnibus hominibus, qui ab Adamo & Eva originem trahunt, tanquam ex uno sanguine, & inhabitant super universam faciem terræ, Act.17.v.26. Si acceperis uxorem, ait Paulus, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi, 1.Cor.7.v.28. Utique tribulationem carnis, ut sæpè hydriæ aqua plenæ ex ordine dispositæ sint, repletæ usque ad summum, ut in nuptiis Canæ Galilææ imaginem ejus videmus, Joh.2.v.7. Afflictio succedit afflictioni: modò victus deficit, ut Christiani conjuges querelam ingeminent: quid comedamus, quid bibamus, aut quo operiemur? Matth.6.v.31. modò morbis corripiuntur, ut Medicis & Pharmacopolis impendendum, quod unciatim comparsum, & quidem sine salutari effectu, ut hæmorrhoussa experta, Matth.9.v.10.

Modò filii degenerant, & parentibus amaritudo Spiritus sunt, uti Esau, Gen.26. v.ult. & Abiolon, 2.Sam.15.v.1. seqq. sive Asmodi operosus est, & animos exacerbat, ut dissidiū oriatur, inter conjuges; uxor exprobrat viro miseriam suam. Tob. 2.v.ult. aut relicto illo scortatur cum aliis, Jud.19.v.2. Vir est sicut leo in domo suâ, Sir.4.v.35. & nil nisi rixas serit, quasi litigium natum esset cum illo, qualis Nabal fuit, 1.Sam.25.v.15.

Sæpè mors conjuges divellit, & ita alterutrum conjugum in luctum & squalorem conjicit. Et quis singula enarrabit, quæ piis conjugibus obvenire possunt? Hoc verò non esset factum, si Protoplasti in statu innocentiæ perseverassent, nec peccato obnoxii fuissent facti. Ideò peccato id acceptum ferendum, & principaliter Diabolo, qui peccatū in mundum introduxit.

Hinc multi, quò afflictionem ejusmodi effugiant, conjugium planè relinquunt: sed non perpendunt illi, quod Deus crucem piorum conjugum ita sanctificaverit, ut Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom.8.v.28.

Asmodi quoque sine voluntate & permissu Dei nihil mali inferre potest, ut exemplum Jobi probat, Job.2.v.6. ideò & hoc Deo adscribendum, sine cujus permissione Dæmon infernalis ne pediculum quidem creare, Exod.8.v.19. nec in porcos migrare potest, Matth.8.v.31.

III. *Incredulitatis vitium*, quod valdè familiare hominibus est, ut non citius credant, nisi signa & prodigia viderint, ut Christus hîc Regulo exprobrat. Quod ergò tu facis signum, ut videamus & credamus tibi? dicebant Judæi, Joh.6.v.30. & Matth.12.v.38. Magister volumus à te signum videre.

Hodiè idem ferè accidit: Deus semetipsum sine testimonio non relinquit, Act 14.v.17. sed facit magna, & inscrutabilia & mirabilia absque numero, Job.5.v.9.

Ex vite, quæ lignum adeo fragile est, ut ex eo ne paxillus quidem fabricari possit, Ezech.15.v.3. liquor adeò jucundus ena-

hominem in interitum & perditionem mergit, 1. Tim. 6. v. 9.

Hinc igitur è contrario colligere possumus, quanta gratia sit, quod Christus hanc peccatorum molem à nobis in se transtulerit, Esa. 53. v. 4. & hodietenus verbi ministros mittit, qui potestatem habent hominibus peccata remittendi, & retinendi, eo cum effectu, ac si Christus ipse immediate hoc munus obiisset, Matth. 18. v. 18.

Icciicò grato animo id agnoscentes, cum turbâ glorificemus Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

In Pontificia Ecclesia indulgentiæ carè venduntur: at in nostris Ecclesiis absque argento hicce thesaurus cuique conceditur, Esa. 55. v. 1. siquidem gratia Dei pecunia non possidetur, Actor. 8. v. 20. & tamen multi gratiam hanc, magno sui dispendio abjiciunt & spernunt, unde non mirandum, si in peccatis illi maneant. Non miseretur enim Deus omnibus, qui operantur iniquitatem, Psal. 59. v. 7.

Videamus modò ut seriam in tempore gratiæ agamus pœnitentiam, sic non modò remissionem peccatorum impetrabimus, sed & tandem veniemus in eum locum, ubi nulla absolutione nec peccatorum indulgentia amplius indigebimus, sed ἰσάγγελοι erimus, Matth. 22. v. 30. Christoque exhibebimur, tanquam pura sponsa, non habens maculam aut rugam, sed sancta & irreprehensibilis, Ephes. 5. v. 27.

Fiat id per Christum JEsum, Amen.

DOMINICA XX. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 22. *v.* 1.- 15.

EXORDIUM.

CUm David, superato immani Goliatho, promissis aleretur, quod Rex Saul, illi filiam suam in matrimonium collocaturus esset, ille propterea in hæc verba erumpebat: Num parum videtur vobis, generum esse Regis? 1. Sam. 18. v. 23.

Hæc *mysticè* intelligemus.

David opilio erat, minimus & contemtissimus inter fratres suos, 1. Sam. 16. v. 11. ita veri Christiani plerumque infimi sunt in mundo, & lampas contemta apud cogitationes divitum, Job. 12. v. 5. Verùm Deus novit eos extollere, si tempus adest, quod in consilio suo arcano decrevit. Licet enim in altis habitet, tamen humilia respicit, in cœlo & in terrâ; erigens de pulvere inopem, & de stercore exaltans pauperem: ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui, Psal. 113. v. 6. seqq.

Sicut enim Davidi successit, ut primò gener Regis, deinde pôst mortem Saulis Rex evaserit: ita nos Deus insigniter nobilitavit, dum filio suo desponsavit nos. Quis igitur non placeret sibi? quis non exultaret, quod Deus adeò appropinquaverit nobis, ut per spiritualem filii sui de-spon-

sponsationem socer noster factus sit? Num parùm videtur vobis generum esse Regis? inquit David, ad servos Saulis. Nos plus causæ habemus respectu spiritualis hujus desponsationis nobis gratulandi, non enim tenue, sed mysterium magnum est, Eph. 5. v. 32. in quod desiderant Angeli prospicere, 1. Petr. 1. v. 12. quod miseri nos homunciones, Regis Regum generi facti sumus.

Deus Pater præclaram nobis dotem largitur, dum aperto bono suo thesauro cœlo, Deut. 28. v. 12. benedicit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus, Ephes. 1. v. 3.

Deus Filius est sponsus noster, amicè nos compellans: Surge, propera, amica mea, speciosa mea, & veni, Cant. 2. v. 13.

Deus Spiritus sanctus est pignus hæreditatis nostræ, & arrha, Eph. 1. v. 14. ut desponsationis hujus cœlestis certi simus, signat enim quod Deus verax est, Joh. 3. v. 33.

Quis igitur non placeret sibi, generum Regis se esse? verè enim de ejusmodi homine dicitur: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. v. 31.

Hâc de re agitur in prælecta Pericope. Deus enim Pater Rex ille est, qui Filio suo nuptias parat. Humana natura sponsa est, quam Filius Dei in unitatem Personæ adsumsit: convivæ nuptiales sunt omnes homines, Judæi & gentiles, ut in ipsa explicatione pluribus ostendetur.

Nos instituti nostri memores visuri sumus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Sicut olim Lacedæmones per mancipia temulenta filiis suis ebrietatem exosam & abominabilem reddiderunt: Ita Deus Opt. Max. in usu habet, ut in verbo suo, varia exempla peccatorum, eorumque turpitudinem nobis proponat, ut cautius mercari discentes, ea evitemus: scripta namque sunt ad admonitionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt, 1. Cor. 10. v. 11.

Idem nos observabimus in prælecta Pericope, ubi Servator noster sub eleganti parabola, de Rege, qui filio suo nuptias parat, Judæis ingratitudinem suam exprobrat. Erant enim illi populus acquisitionis, genus electum, regale Sacerdotium, 1. Pet. 2. v. 9. illorum erant adoptio, & testamenta, & legislatio, & cultus & promissa, Rom. 9. v. 4. ideò & præ omnibus gentibus eosdem ad nuptias Filii sui sub initium N. T. vocari voluit. Quia verò blandam hanc invitationem spreverunt, illis abjectis, gentiles in eorum locum substituit, ut Paulus testatur, Act. 13. v. 46.

Hoc quia ad nostram emendationem factum, *querelam* nobis moveat, eamque trifariam: hinc inspiciemus

1. *Divinæ invitationis contemtum.* Invitati enim nolebant venire. Et quamvis Rex secunda vice servos suos emiserit, ut invitatis dicerent: Ecce, prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias: tamen & hanc invitationem neglexerunt & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad ne-

gotiationem suam: reliqui verò tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt: quin & qui apparuerunt, non omnes mundi fuerunt, sed interfuit illis hypocrita, carens veste nuptiali.

Inveniuntur proinde hîc

1. *Ingrati*, qui blandam hanc invitationem spernunt, & temporibus inhiare, quàm pietatem sectari malunt, quæ tamen promissionem habet hujus & futuræ vitæ, 1.Tim.4.v.8. ideoq; non apti sunt Regno Dei, Luc.9.v.ult. Matth.10.v.32.

2. *Maleferiati*, qui socordes sunt ad bonum, hi si ad nuptias invitantur, & ad pietatem colendam exstimulantur, subsannant nuncios Dei, illuduntque Prophetis, 2.Paral.36.v.16. Nec hoc saltem: Sed si Sanctus in Israel, cessare non vult à facie sua, Esa.30.v.11. conspirant inter se dicentes: Non prophetabis in nomine Domini, & non morieris in manibus nostris, Jer.11.v.21. Id perpetrarunt in Prophetis, in Christo ipso ejusque Apostolis, quos lapidarunt, secarunt, & in occisione gladii perimerunt, Hebr.11.v.36.

3. *Imparati*, qui veste nuptiali salvificæ fidei carentes, specietenus modò sedent, ut populus Dei, Ezech.33.v.31. in corde verò sunt pleni peccatorum spurcitie, ut sepulchra dealbata, Matth.23.v.27. hi non habent partem cum Christo, in cujus conspectum non venit hypocrita, Job.13.v.17. Matth.7.v.21.

Ita parabola hæc præcipuè ad Judæos directa est, qui soli peculium & amici ejus esse volebant, nec faciebant, quæ Deo placebant. Sed applicatio adhuc hodie locum habet in Ecclesia. Ubique enim fieri amat, quod B. Lutherus dixit: Ubi verbum Dei quàm maximè prædicatur: ibi & maximam persecutionem experiri cogitur.

Magna hæc miseria est, quod Rex cœli & terræ, respectu cujus nos omnes, quasi stilla situlæ, & quasi pulvisculus stateræ reputati sumus, Esa.40.v.15. tantâ nos gratia dignatur, quam tamen quasi pessundamus, & abjicimus, ut non immeritò querelam ingeminare queat: Audite cœli, & auribus percipe terra &c. Esa.1.v.2. seqq. Ubi verò væ minatur, ibi pœna non procul est: est enim Dominus, qui loquitur & facit, Ezech.17. v.ult.

II. *Indignabundum Regis animum*. Nam Rex iratus est. O indignationem! Leo rugivit, quis non timebit? Amos 3. v.8.

Cum Rex Assuerus iratus esset, Aman statim intellexit, à Rege sibi paratum malum, Esther.7.v.7. indignatio Regis, nuncii mortis, Prov.16.v.14.

Quid igitur dicturi sumus de Deo, qui Rex Regum est, & Dominus Dominantium? 1.Tim.6.v.15. ejus ira est

1. *Ira formidabilis*. Ardet enim usque ad inferni infima, Deut.32.v.22. Montes commoti sunt ab eo, & colles colliquescunt, & contremuit terra à facie ipsius, & orbis, & omnes habitantes in eo, Nahum 1.v.5. Est enim ejusmodi Dominus, qui animam & corpus perdere potest in gehennam, Matt. 10.v.28.

2. *Ira inevitabilis*. A terrenis Regibus auffugere possumus, ut Davidis exemplum testatur, 1.Sam.27.v.1. Verùm iracundiam Regis cœlestis nemo effugere valet, Psal.139.v.7.seqq.

3. *Ira inaccessabilis*. Reges terreni mortales sunt, & cum morte eorum ira emoritur, mor-

mortui canes enim non mordent. Hinc Deus mortuo Herode, Josepho annunciari jussit: Defuncti sunt, qui quærebant animam pueri, Matth. 2. v. 21. Qui verò Deum hostem habet, nunquam expiabitur: ira enim Dei manet super eum, Joh. 3. v. ult.

Hanc intolerabilem Dei iram contemtores sibi attrahunt, quando ad nuptias paratas venire renuunt. Hæc magna miseria: & major adhuc illa est, quod nemo eandem agnoscat, juxta querelam Mosis: Quis autem agnoscit iræ tuæ gravitatem? & juxta timorem tuum iram tuam? Psal. 90. v. 11.

Si quis igne læditur, continuò membrum retrahit: Nos vero adeò stolidi & temerarii sumus, ut data opera in ignem curramus, & in interitū nos præcipitemus. Hæc magna est pervicacia & obstinatio.

Asina Bileami, cernens Angelum stantem in viâ, evaginato gladio, avertit se de itinere, & concidit sub pedibus sedentis, Num. 22. v. 23. Quidni nos potius à curvis peccatorum viis decederemus, quando Deum nobis adversantem, & gladium vindictæ in manu tenentem viderimus? Est enim justus judex, & Deus minitans per singulos dies: nisi conversi fueritis gladium suum acuit &c. Ps. 7. v. 12.

III. *Pœnarum secutarum cumulum.* Rex missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit. Idem adhuc hodiè facit. Experta id est in bello trigesimali Germania nostra, ubi multæ civitates, & munimenta, propter ingratitudinem & verbi divini contemtum expugnata, & incendio consumta sunt, vel minimùm ita exhausta, ut vix pristino splendori restituantur. Non enim irridetur Deus, Galat 6. v. 7. Sed quando ficulneam satis diu coluit, & stercoravit, demùm eam, ubi fructum non invenit, succidit, Luc. 13. v. 7. eadem securi, quâ Israëlitas excidit, Rom. 11. v. 22.

Ah quanto amore prosequebatur Dominus cives Hierosolymitanos! quanto desiderio congregatum illos ibat, ut gallina congregat pullos suos sub alas, si voluissent! Matth. 23. v. 37. Quia verò tempus gratiosæ visitationis agnoscere nolebant, misso exercitu suo, civitatem illorum adeò prosternebat, ut solo illa æquaretur, & lapis super lapidem non relinqueretur, Luc. 19. v. 44. Hoc adhuc hodiè ita accidit. Quando verbi Præcones tolerare nequimus, qui nos docent utilia, Esa. 48. v. 17. tandem cataphractos immittit, qui crudelissimè nos tractant. Quodsi & hoc medio ad frugem non perducit homines, tandem id locum habet, quod porrò in Evangelio sequitur: Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.

Hæc ita *compendiosa descriptio damnationis æternæ* est, ubi damnati catenis constringentur, 2. Petr. 2. v. 4. in inferno ponentur, Psal. 49. v. 15. à facie Dei abjecti pœnas dabunt interitum æternum 2. Thess. 1. v. 9. & mortem non invenient, Apoc. 9. v. 6.

Nos hinc ansam capiamus, quomodo cautius ambulemus, ut hactenus factum, Eph. 5. 15. in mansvetudine suscipientes verbū veritatis, si horribiles has pœnas effugere velimus, Jac. 1. 21. tùm & sedulò oremus:

Servator, ô dulcissime,
Qui natus es, ex virgine
Averte nobis orcum!

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluir

1. *Ex nuptiarum consideratione.* Hinc dicitur in Exordio Evangelii: Simile factum est Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias Filio suo. Intelligitur hîc potissimum *Desponsatio Incarnationis*, ubi æternus Filius Dei ex utero castissimæ virginis Mariæ humanam carnem & sanguinem assumsit, in unionem Personæ, ut in æternum separari nequeant. Licet enim Filius Dei cum Ecclesia quoq; conjugium inierit, & illi in justitia & judicio, in misericordia & miserationibus se desponsarit, Ose.2.v.19. attamen spiritualis hæc desponsatio, inde originem trahit, quia non Angelos, sed semen Abrahæ, assumsit, nobisque in omnibus similis factus est, excepto peccato, Hebr.2.v.16.

Sicut igitur aliàs, vi vinculi conjugalis, maritus & uxor una caro fiunt, Genes.2. v.24. ita per unionem personalem Dei Filius, hominis Filius factus est, ut quidem in Christo sint duæ naturæ, divina & humana, quæ non confunduntur, nec transmutantur, ut olim Eutychiani delirarunt: sed quælibet substantiam suam retineat: verùm propterea non duæ personæ sunt; sed unus nobis est Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, 1.Cor.8.v.6. Hoc mysterium rationi obvium non est, unde in consideratione ejusdem exclamandum nobis: O profunditatem Divitiarum! Rom. 11. v.33.

Aliàs divites divitias, formosi pulchritudinem, nobiles nobilitatem per connubia quærunt, quod quidem non adeò culpandum videtur, juxta Siracidis effatum, c.13.v.19. Verùm Christus cum carne & sanguine nostro se despondit, ditissimus cum pauperrimis, elegantissimus cum deformibus, nobilissimus cum natione pravâ atque perversa, Phil.2.v.15. Hoc Pater cœlestis permisit ex merâ dilectione erga nos; Filius itidem ex ardente caritate fecit, quo miseros nos homunciones, à peccato, morte, Diabolo & inferno redimeret. Id quod Paulus vocat divitias gratiæ Dei, Rom.2.v.4. quod cœlestis Pater Filium suum unigenitum mundo dat, Joh. 3.v.16. & æternus Filius Dei, non modò Filius hominis, sed *sponsus meretricis* fit, ut Chrysostomus ait, & cum generatione mala & adultera se desponsat, Matth. 12.v.39.

In veteri Testamento non licuit summo Sacerdoti violatam & meretricem ducere, sed virginem sibi desponsare tenebatur, Levit.21.v.13.

Verùm Christus, qui est summus Sacerdos juxtà ordinem Melchisedec, ad hanc legem se non adstrinxit: sed humanitatem in unitatem Personæ assumsit, quin & ipse generis nostri factus est, quò eò melius nobiscum agere, & nos omnia bona ab eo expectare possemus. Quis hîc non cum Psalte Regio exclamaret: Quàm pretiosa est misericordia tua Deus! Psal.36.v.8.

Quodsi enim terrenus Rex Ahasverus, propter dilectam Esther universæ genti Judæorum gratiam exhibuit, eamque adversus Hamani furorem defendit, Esther 9. v. seqq. quantò magis Christus Rex Regum, propter sponsam suam, quæ est natura humana, cui se despondit, toti generi

neri humano gratiam largietur, idemque protecturus est, ne portæ inferorum prævaleant, adversus illud, Matth. 16. v. 1. Luc, 9. v. 56.

II. *Ex repetitâ vocatione.* Reversis enim prioribus servis, iisque referentibus, quod invitati venire nolint: non statim excandescit: sed æquo animo hunc contemtum perfert, & alios servos ablegat, ut dicant invitatis: Ecce, prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Ubi & hi nihil efficiunt, sed contumeliis afficiuntur, & occiduntur: irascitur quidem Rex, ut missis exercitibus suis perdat homicidas illos, & civitatem eorum succendat: attamen non solus Regnum cœlorum possidere vult: sed mittit servos suos ad exitus viarum, ut quoscunque invenerint, vocent ad nuptias, malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

Hoc sanè luculentum *longanimitatis divinæ exemplum* est, quam hâc in re Rex cœli ergà nos ostendit, dives enim est in misericordiâ, Ephes. 2. v. 4. & tardus ad iram, Joël. 2. v. 14. ideò non in ipso facto punit: sed dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, Sap. 11. v. 24.

Cum Rex Ahasverus Eunuchum suum ablegaret, ut introduceret Reginam Vasthi coràm Rege, posito super caput ejus diademate Regni: illa verò tenueret, & venire contemneret: iratus valdè Rex & nimio furore succensus, repudiavit eam, & posuit diadema Regni in capite Esther, fecitque eam regnare in loco Vasthi, Ester. 1. v. 12. 2. v. 17.

Sic Deus nobiscum non agit; sed est longanimis & multæ bonitatis & veritatis, Exod. 34. v. 6. ideò non abjicit nos continuò, si forrè in delicto aliquo præoccupati fuerimus, Gal. 6. v. 1. Sed duo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram & perditionem, Sir. 23. v. 21.

Posset quidem Deus in ipso facto justitiam suam exercere in impios, ut fecit in Nabale, 1. Sam. 25. v. 38. in Usa, 2. Sam. 6. v. 6. in Anania & Saphira, Act. 5. v. 5. quia verò patiens & misericors est, non facit furorem iræ suæ, Os. 11. v. 9. sed locum relinquit pœnitentiæ: patienter enim agit propter nos, nolens ullum perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti, 2. Petr. 3. v. 9. Id quod agnovit David, 2. Sam. 24. vers. 13. 14.

Videamus ne divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnamus: secus defetiscitur misereri, Jer. 15. v. 7. adscenditque furor ejus, ut nulla sit curatio, 2. Chr. 36. v. 16.

III. *Ex lautissimâ tractatione.* Rex enim mandabat servis, ut dicerent invitatis: Ecce, prandium meum paratum, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata.

In Magnatum hujus mundi epulis, sæpè magnifici apparatus fiunt.

Cum Rex Bohemiæ Wenzeslaus nuptias celebraret, cum filiâ Imperatoris Rudolphi I. quotidiè Pragæ cibabantur hominum centum millia.

Sed nihili æstimandum venit respectu lautissimarum epularum, quas cœlestis Pater in Filii nuptiis apponi curat, hîc in tempore gratiæ, & ibi in Regno gloriæ. Ideò dicere jubet invitatis; Venite, omnia parata sunt: hîc solatium animæ, remissionem peccatorum, justitiam & salutem invenietis. In nuptiis Canæ Galileæ vinum defe-

defectum erat, Joh.2.v.4. At hîc non destituemur ullo bono, Psal.34.v.15. Sed Dominus est omnia in omnibus, 1.Cor.15. v. 28. & quæ petierimus in nomine ejus, sunt Etiam & Amen, 2.Cor.1. v.20.

Quemadmodum verò in nuptiis, convivæ rarò statim in domum nuptialem se côferunt, sed ante in atrio conveniunt: Ita mundus quasi atrium est, in quo cœlestes epulas expectamus, non enim antè plenariè pertingere possumus in gaudium nuptiale, dum per mortem temporalem janua nobis pandatur, Joh.5.v.24. tùm Regem in decore suo videbunt oculi nostri, Esa.33.v.17. sicuti est, 1.Joh.3.v.2.& claritatem quam dedit illi Pater, Joh.17.v.14. in novâ Hierusalem, ubi portæ ex margaritis, & platea civitatis, tanquam aurum mundum, tanquam vitrum pellucidum, Apoc.21.v.21.

In nuptiis mensæ conquisitissimis epulis instruuntur, & flos Liberi apponitur, Joh.2.v.11.

Sic & in nuptiis Agni dapes lautissimæ inferentur: ibi fluent fluvii puri aquæ vivæ! ibi apponetur manna cœleste! ibi vinum lætitiæ electos quotidiè reficiet, Apoc.22.v.1.

In nuptiis suavis quoque Musica exhibetur, Sir.32.v.7. Neque hæc deerit in vitâ æterna. Ibi laudabunt Angeli, laudabunt electi Dominum in Sanctuario ejus, laudabunt eum in firmamento virtutis ejus, Psal.150.v.1. & seqq.

In nuptiis ejusmodi amici conveniunt, qui antehac rarò vel nunquam se viderunt, & lætantur, quamdiu sponsus est cum illis, Marc.2.v.19. in vita æterna omnes nostros familiares offendemus, qui per mortem ex oculis nostris erepti sunt. Ibi accumbemus cum Abraham, Isaac & Jacob, Matth. 8.v.11. in perpetuis lautitiis & lætitiis, Esa. 65.v.14.

Consolamini igitur invicem in verbis istis, Vos mei! quando vestros ad tumulum prosequimini. Ne fleatis! ad nuptias illi mearunt, ubi nulla ægritudo illos perturbat. An parentes lugent, si liberi probi nuptias adierunt? Minimè. Multo minus vos habetis causam, mortem familiarium lugendi: quodsi enim placidè in Domino mortui sunt, beati sunt à modò, Apoc.14. v.13. ideò non invideamus illis beatitudinem hanc, quin potius & ipsi parati expectemus sponsum nostrum, ut, si & nos ad nuptias abducturus veniet, cum virginibus prudentibus, ornatis lampadibus ipsi obviam eamus, & in nuptias cœlestes introducamur, Matth. 25. vers. 1. seqq.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Gratiam agnosce.* Non enim parum est, quod nos Deus quotidiè ad nuptias Filii sui per servos suos invitari curat: non ut *præstemus operas vectigalis*, ut Gibeonitæ qui cædere ligna, & aquas comportare cogebantur, Jos.9.v.27. aut ad mensam ministremus, sicut herus servi operâ utitur, ut præcingat se & ministret, Luc.17.v.8. sed ut convivæ ejus simus, ipsi mensæ accumbamus, & omnibus beneficiis ejus fruamur. Grata igitur mente illud agnoscamus oportet: Sumus enim indigniores Mephibosetho, qui tamen mortuum canem

nem se nominat, 2.Sam.9.v.8. Dicamus ergò cum Jacobo: Minor sum cunctis miserationibus tuis, Gen.31.v.10.

Si quis aliàs ad nuptias invitatur, in magno honore id habet, si sponso & sponsæ affinis non est, maximè si id fiat ab hominibus in autoritate constitutis: Quanto magis nos virtutes annunciemus ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum, 1.Petr.2.v.9. non enim hanc gratiam meruimus, sed quicquid facit, præstat ex mera misericordia, ut Paulus indicat, 2.Tim.1.v.9.

Gibeonitæ Legatis ad Josuam missis, gratiam petebant, ne ut aliæ civitates & ipsi igne & ferro delerentur, Jos.9.v.4.seqq.

Id nos non fecimus, & tamen nos Deus ultrò respexit, hæc viscera misericordiæ Dei sunt, in quibus visitabit nos Oriens ex alto, Luc.1.v.78.

Exultate hinc, Vos mei! & quando Diabolus telis suis igniitis vos infestat, vel conscientia angit, aut lex maledicit, aut peccatum condemnare intendit, gratiam Dei arripite, cum Ecclesia dicentes: Jch lig im Streit und widerstreb / hilff O HErr Christ den Schwachen / ꝛc. Gratiâ enim Dei sumus, quod sumus, 1.Cor.15.v.10. quâ credimus nos salvari, ut & Patres, Act. 15.v.11.

Sed cavete, ô Optimi! ne gratia Dei abutamini, Sir.5.v.4.6. Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat, ut Val. Maximus ait: & ira illius in peccatores non definit, Sir.5.v.7.

II. *Invitatus appare.* Ex hâc enim causa Deus te invitare jubet, ut accedas. Quinimò expandit manus suas tota die, ad populum contumacem, qui graditur in viâ non bona, post cogitationes suas, Esa.65.2.

Saulus Davidem sæpiusculè invitavit, sed non ex amore, ut eum benignè exciperet, sed ut occasione potiretur, eum perimendi, 1.Sam.20.v.25.seqq.

Sic & Absolon instituto convivio Amnonem fratrem, animo non sincero invitavit: vino enim temulentum per servos suos interfecit, 2.Sam.13.v.28.

Ejusmodi hypocrisis & simulatio in Deo minimè metuenda nobis est: impossibile enim est eum mentiri, Hebr.6.v.18. Propterea irascitur ingratis his convivis, ubi venire renuunt, & missis exercitibus suis, perdit illos, & civitatem eorum succendit: verè namque Moses: Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, justus & rectus, Deut.32.v.4.

Hoc quia scimus, eò promtius appareamus in nuptiis hisce, ne frustrà clament servi, quando ut tuba exaltant vocem suam, dicentes: Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo, 2.Cor.5.v.20. Aliàs non impunè dimittet id Deus. Vocavi & renuistis, Prov.1.v.24.

Athenis olim pro peculiari civilitate & virtute habebatur, si convivæ justo tempore apparerent. Hinc cum Polybius vehementer accusaretur, & hoc inter alia in apologia sua adducebat, quod nunquàm, si ad convivium vocatus fuisset, ultimus apparuisset.

Multò magis nos in cœlestibus his nuptiis in tempore promptè compareamus, sic nobis laus erit aliquando, 1.Cor.4.v.5. Nam ut aliàs dici solet: Tardè venientes, ma-

lè sedêtes: sic & illi, qui cœlestes has epulas negligunt, in Regno cœlorum sedem non invenient: sed cum virginibus fatuis vocem lamentabilem audient: Non novi vos, Matth.25.v.12.

Qui verò hîc in tempore gratiæ promtè comparent in nuptiis agni, illos aliquando sponsus cœlestis mensæ suæ adhibebit in vita æterna, & velut torrente voluptatis potabit, Psal.36.v.10. Dat enim hæreditatem timentibus nomen suum, Ps.61.6.

III. *Vestem nuptialem indue.* Hoc apprimè necessarium est, Ut enim intravit Rex ad videndum discumbentes: & videns hominem non vestitum veste nuptiali, non modò eum graviter increpat, inquiens: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? sed & mandat, ut ligatis manibus & pedibus in exteriores tenebras mittatur.

Per vestem nuptialem non intelligitur vestis aurea, quali Alexander M. & Herodes vestiti fuêre, Act.12. v. 21. Hoc enim modò pauperes excluderentur, qui in ovillis & pellibus caprinis incedunt, Hebr.11. v.37. contra, quàm Jacobus docet, cap. 2. v. 5.

Nec intelligitur cucullus Monachi, qui in Papatu magni æstimatur. Omnis enim justitia nostra est sicut pannus menstruatæ, Esa.64.v.6.

Nec etiam particula de tunica Christi, de qua milites post crucifixionem Christi sortiti sunt, Joh.19.24. etsi enim in Papatu multis in locis ostenditur, tamen meræ præstigiæ sunt: & licet adesset, nihil conferret nobis.

Sed *vestis nuptialis est Christi innocentia & justitia*, quam in baptismo induimus, Gal. 3. v.27. & deinde per auditum verbi, & dignum Sacramentorum usum semper renovamus, ut & alii fratres nostri odorem vestimenti hujus percipiant, & ad veram devotionem & pietatem incitentur, Matt. 5.v.16. hoc per pellem agninam præfiguratum est, quâ Deus Protoplastos nostros post lapsum amicivit, Gen.3. v.21. Jesus enim agnus Dei est, tollens peccata mundi, Joh.1.v.29.

Natura sumus miseri & miserabiles, & pauperes, & cœci & nudi, Apoc.3.v.17. infernales enim latrones, vestem contrariæ justitiæ & sanctitatis nobis exuerunt, Luc.10.v.30.

Ergò ipsa æquitas, imò necessitas requirit, ut utrâque manu apprehendamus tunicam justitiæ, quam Christus nobis acquisivit: hâc melius nos contegere valemus, quàm David, qui non calefiebat, licet operiretur vestibus, 1.Reg. 1. v. 1. melius nos exornare possumus, quam filiæ Sion, qui propterea à Deo objurgantur, Esa. 3. v.18. oculi enim Domini respiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. sine quâ impossibile placere Deo, Hebr.11.v.6.

Jacob fecit filio Josepho tunicam polymitam, quia eum in senectute genuerat, & præ reliquis filiis diligebat, Gen.37.v.3.

Sic nos inde colligamus, quod diligat nos Deus, quia nos induit vestimentis salutis, & indumento justitiæ operuit, in quibus exultare possumus, quasi sponsus Sacerdotali ornatu, & quasi sponsa ornata monilibus suis, Esa.61.v.10.

Licet multa sustinenda sint in hoc mundo: confidite Vos mei! merces vestra copiosa erit in cœlis, Matth. 5. v. 12. ubi exuet Deus saccum, Psalm. 30. vers. 12. & trans-

& transfigurabit corpus humilitatis vestræ configuratum corpori claritatis Christi, Philip. 3. v. 21. ut fulgeatis sicut splendor firmamenti, Dan. 13. v. 3. & sicut Sol in Regno Patris, Matth. 13. v. 43. Id quod Deus omnibus nobis ex gratiâ, propter Christum largiri dignetur, Amen.

DOMINICA XXI. POST TRINIT.

Evangelium Joh. 4. v. 47 -- 54.

EXORDIUM.

Tunica hyacinthina summi Pontificis Aaronis olim deorsum per circuitum malis puniceis & tintinnabulis aureis ornata fuit: ut audiretur sonitus, quando ingrederetur & egrederetur Sanctuarium, in conspectu Domini, Exod. 28. v. 33. Confer Sir. cap. 45. v. 11.

Sicut igitur totum Sacerdotium Leviticum typus Christi fuit, velut id Epistola ad Hebræos ex ordine dilucidè exposuit: Sic & hæc aurea tintinnabula habent, quod præfigurent.

Aarone ingrediente & egrediente, tintinnabula audiebantur: Ita & Christus, summus N. T. Pontifex, in diebus carnis coràm Domino ingressus & egressus est, nec saltem docuit sicut autoritatem habens, Matth. 7. v. 29. sed & multa præclara miracula edidit, Matth. 11. v. 4. hæc quasi tintinnabula aurea fuerunt, quæ sonitum adeò jucundum ediderunt, ut homines certatim eum insecuti, necessitatem & calamitatem suam ipsi exposuerint, & auxilium atque liberationem impetrarint. Sicut nobis egregium exemplum proponitur in prælecta Pericope in Regio, qui procul dubio & ipse aurea tintinnabula Servatoris & summi Pontificis hujus audivit, quomodo in nuptiis Canæ Galilææ aquam in vinum commutarit, & Capernaumi varios morbos curaverit: ideò quærit auxilium, ubi inveniri potest, utrùm filius suus, qui febri ardente laborabat, & tantum non animam agebat, pristinæ sanitati restitui possit.

Nos instituti nostri memores, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

I. I.

Exegesis.

IN Phrygia duo fontes esse perhibentur, hac natura præditi, ut alter bibentibus fletum, & hinc κλαίων, alter risum moveat, & hinc γελῶν appelletur.

Prælecta Pericope, non dissimilis his fontibus est. Ego, Vos mei! hauriam Vos Eleasarem imitantes, dicite: Inclina hydriam tuam, ut bibam, Gen. 24. v. 14. sic utrumque effectum sentietis.

Imprimis verò causam habemus lacrymandi & *querelam* repetendi, si spectemus

1. *Aulicorum ingenium.* Hic Regius sine dubio Officiarius regius vel præcipuus Officialis bellicus fuit, in aulâ Herodis, unde etiam stipendium suum habuit, & expresse βασιλικὸς Regius vocatur. Quia igitur multa autoritate valebat, Christum sibi ex tempore, opitulaturum putabat, propterea ait: Domine descende, priusquam moriatur filius meus. Nisi hic aulicus cruce pressus fuisset, vix ad Christum se recepisset, qui in aulis non magnopere curatur. Hinc Poëta:

Exeat aulâ
Qui volet esse pius.

Quod Germani ita exprimunt: Lang zu Hoff / lang zur Höllen. Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, 1. Cor. 1. v. 26.

Constantinus M. aliquando Aulicorum fidem probaturus, se religionem Christianam cum Gentilismo permutaturum, & idolis sacrificaturum simulavit, Ministris ut idem facerent, aut aula exirent, injungens. Continuo plurimi & præcipui à fide Christiana desciverunt, paucis exceptis, qui potius aulam relinquere, quàm Christum abnegare mallent. Hos igitur Constantinus retinuit, & præcipuis præfecturis præfecit, apostatas verò aula expulit, inquiens: Si Deo fidem non habuistis, multò minus mihi fidem præstabitis.

Sic adhuc hodie in aulis Principum & Magnatum religionis parva ratio habetur, sed ad Domini fidem conformant se plurimi. Tum & verbi divini & Sacramentorum contemtus, luxus, superbia, comessatio, ebrietas, lascivia, & id genus flagitia alia primas ibi obtinent, qui verò à malo recedit, prædæ patet, Esa. 59. v. 15. Rectè ergò Seneca: *Ut nemo doceat fraudis & sceleris viam, Regnum docebit.* Est enim aula, *mendacii & ambitionis Gymnasium*, ut Petrarcha scribit, imò Compendium ad infernum, Dan. 10. v. 13.

Hic Regius ex melioribus esse videtur, nec modò Christum quærit, sed & objurgatus ab eo, debita reverentia eundem prosequitur, inquiens: Domine descende! Quod si hodie aulici ita exciperentur, procul dubio non dicturi essent: Domine descende: sed, num Consiliarius Regis es? quiesce, ne interficiam te, 2. Chron. 25. v. 6. sive ut Amasias ad Amos dixit: Heus tu videns, abi, fuge in terram Juda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi, Amos 7. v. 12.

Aula igitur, quantum fieri potest, declinanda est, vel si officii ratio, in illa vivere, requirat, Deum unicè respicientes, nihil ad gratiam hominum faciamus, quo conscientia vulneretur, & Deus offendatur. Si peccaverit vir in virum, tùm judicant Dii: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 1. Sam. 2. v. 25.

Aulicam proindè vitam non exopta: sed in mansuetudine opera tua perfice, hoc superat omnia, quæ ab hominibus diliguntur, aut desiderantur, Sir. 3. v. 19. Benè vixit qui benè latuit. Fascinatio nugacitatis obscurat bona, Sap. 4. v. 12. & qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ, Sir. 13. v. 1.

II. *Asmodæi odium*, quod in Regulo hoc se exerit. Erat quippè ille vir opulentus, qui nullâ victus inopia laborabat; interea tamen non sine afflictione est: nam filium habet

habet gravissimo morbo laborantem, ut & mors ipsi imminere videatur. Hoc ita peccato acceptum ferendum est, quod Diabolus in mundum sevit. Inde enim derivantur omnes morbi, & tandem mors, quæ in omnes pertransiit, quia omnes peccarunt, Rom.5.v.12. Hoc ipsum Deus post lapsum Protoplastis intimavit, Gen.3.v.16. seqq.

Idem hodieque familiare est omnibus hominibus, qui ab Adamo & Eva originem trahunt, tanquam ex uno sanguine, & inhabitant super universam faciem terræ, Act.17.v.26. Si acceperis uxorem, ait Paulus, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi, 1.Cor.7.v.28. Utique tribulationem carnis, ut sæpè hydriæ aqua plenæ ex ordine dispositæ sint, repletæ usque ad summum, ut in nuptiis Canæ Galileæ imaginem ejus videmus, Joh. 2. v.7. Afflictio succedit afflictioni: modò victus deficit, ut Christiani conjuges querelam ingeminent: quid comedamus, quid bibamus, aut quo operiemur? Matth.6.v.31. modò morbis corripiuntur, ut Medicis & Pharmacopolis impendendum, quod unciatim comparsum, & quidem sine salutari effectu, ut hæmorrhousa experta, Matth.9.v.10.

Modò filii degenerant, & parentibus amaritudo Spiritus sunt, uti Esau, Gen.26. v.ult. & Abfolon, 2. Sam.15. v.1. seqq. sive Asmodi operosus est, & animos exacerbat, ut dissidiū oriatur, inter conjuges; uxor exprobrat viro miseriam suam. Tob. 2.v. ult. aut relicto illo scortatur cum aliis, Jud.19.v.2. Vir est sicut leo in domo suâ, Sir,4. v.35. & nil nisi rixas serit, quasi litigium natum esset cum illo, qualis Nabal fuit, 1.Sam.25.v.25.

Sæpè mors conjuges divellit, & ita alterutrum conjugum in luctum & squalorem conjicit. Et quis singula enarrabit, quæ piis conjugibus obvenire possunt? Hoc verò non esset factum, si Protoplasti in statu innocentiæ perseverassent, nec peccato obnoxii fuissent facti. Ideò peccato id acceptum ferendum, & principaliter Diabolo, qui peccatū in mundum introduxit.

Hinc multi, quò afflictionem ejusmodi effugiant; conjugium planè relinquunt; sed non perpendunt illi, quod Deus crucem piorum conjugum ita sanctificaverit, ut Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom.8. v. 28.

Asmodi quoque sine voluntate & permissu Dei nihil mali inferre potest, ut exemplum Jobi probat, Job.2.v.6. ideò & hoc Deo adscribendum, sine cujus permissione Dæmon infernalis ne pediculum quidem creare, Exod.8.v.19. nec in porcos migrare potest, Matth.8.v.31.

III. *Incredulitatis vitium*, quod valdè familiare hominibus est, ut non citius credant, nisi signa & prodigia viderint, ut Christus hîc Regulo exprobrat. Quod ergò tu facis signum, ut videamus & credamus tibi? dicebant Judæi, Joh. 6. v.30. & Matth.12. v.38. Magister volumus à te signum videre.

Hodiè idem ferè accidit: Deus semetipsum sine testimonio non relinquit, Act 14.v.17. sed facit magna, & inscrutabilia & mirabilia absque numero, Job.5.v.9.

Ex vite, quæ lignum adeo fragile est, ut ex eo ne paxillus quidem fabricari possit, Ezech.15. v.3. liquor adeò jucundus cha-

enascitur, ut Deum & homines lætificet, Jud. 9. vers. 13. Hoc magnum est miraculum.

In ovo actu nulla est vita: & tamen si gallinæ supponatur, ut illa calore suo idem foveat, certo tempore pullus excluditur; nonne miraculum?

Quàm miraculose homo in utero concipitur, formatur, & in lucem profertur? ut rectè David dixerit: Laudo te, quod stupendo modo & mirabiliter factus sum, Psal. 39. v. 14.

Quid dicam de Ecclesiâ, ejusque mirabili gubernatione? Nonne magnum miraculum, quod postremis hisce temporibus elevaverunt flumina, elevaverunt flumina vocem suam: elevaverunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum, grandes fluctus maris, Psal. 93. v. 4. tamen Dominus, qui grandis in altis, dat naviculæ Ecclesiæ suæ in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam? Sap. 14. v. 4. & Ecclesiam suam contrà portas inferorum hactenus defendit, & defensurus est, usque ad consummationem seculi, Matth. 16. v. 18.

Hoc experientia propria edocti sumus: Et tamen multi adeò cœci sunt, ut id agnoscere nolint, sed fortuitò fieri putent, sicut equi & muli, qui non longius prospiciunt, quàm quæ in præsepi vident. Ideò Deus aliquando diem visitationis instituet, Ezech. 9. v. 5. & ejusmodi incredulos abjiciet in stagnum ardentem sulphure & igne, quæ est mors secunda, Apoc. 21. v. 8.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex salutari crucis operatione.* Hic Regulus Aulicus erat, & hactenus Christum parùm æstimaverat: quodsi ita perrexisset, in damnationem tandem incidisset. Nam extrà Christum non est salus, Act. 4. v. 12. ideò hæc afflictio ipsi salutare remedium fuit, cumque quasi è somno peccatorum & securitatis excitavit, ut verum Medicum & Magistrum salvandi indagaverit, quem & invenit, & per eum sanitatem filii, & salutiferam cognitionem salutis, pro se & totâ domo sua. Vexatio enim dat intellectum, Esa. 28. v. 19.

Quò magis aquæ diluvii elevatæ sunt, eò magis elevaverunt arcam, in sublimeà terra, dum tandem quindecim cubitis altior aqua fuerit, super montes, quos operuerat, Gen. 7. v. 17. seqq.

Ita tribulatio nullum damnum nobis affert, sed quando aquæ miseriæ intraverunt quasi ad animam, ut infixi simus in limo profundi, & tantùm non operiamur à fluctibus, Psal. 69. v. 2. 3. hoc ipso à mundo & omnibus terrenis præservamur, ut quæ retrò sunt obliviscentes, ad ea, quæ priora sunt, extendamus nosipsos ad destinatum scopum persequentes, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Phil. 3. v. 14.

Wenzeslaus Rex Bohemiæ cum exercitu suo fusus & captus, cum quæreretur: quo animo esset? respondit: Nunquam meliori. Hactenus enim humanis viribus innixus fuerat, jam verò in solo Deo confidebat.

Hoc vitio nos omnes laboramus, ut parùm de Deo in rebus prosperis cogitemus: ideò, rebus adversis immissis, inclamamus Deus: Israel, non obliviscaris mei, Esa.

Esa. 44. v. 21. quò sic perterriti ad eum confugiamus.

Ne itaque murmuremus, quando à Deo castigamur, id enim bonum est nobis, Psal. 119. v. 71. & quando ita judicamur, à Domino corripimur, ne cum mundo damnemur, 1. Cor. 11. v. 32.

II. *Ex promtâ Christi opitulatione.* Principiò quidem durum ipsi responsum dat, inquiens: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis: q. d. scio mores Aulicorum, quando prosperè agitis, Deum ejusque verbum non magnoperè curatis: quodsi verò tantillum crucis vos premit, ecce! omnia signa & prodigia ad salutem vestram festinare & concurrere debent. Hanc notam calamitas Reguli experiebatur.

Sic hodietenus fieri amat, ut Deus in cruce faciem quasi abscondere videatur, & aliquamdiu in miseriis sine auxilio relinquat, ut spiritualis Sion sæpè animo pusillanimi dicat: Dominus dereliquit me: Dominus oblitus est mei, Es. 49. v. 14.

Verùm ad punctum in modico dereliquit nos, Esa. 54. v. 7. quando enim nos satis probavit & excoxit in furno afflictionis, Esa. 48. v. 10. ultrà se cohibere non potest, ut Josephus, Gen. 45. v. 1. viscera ejus conturbantur, ut miserans misereatur nostrûm, Jer. 31. v. 20.

Ideò horas & moras ejus æquo animo toleremus.

Sit licet in natos facies austera parentum,
Æqua tamen semper mens est, & amica voluntas.

Quós enim diligit Dominus, castigat, Hebr. 12. v. 6. seqq. Huc respiciamus, in patientia custodientes animam nostram, si fors fronte furente furat. Post tempestatem enim tranquillum faciet, Tob. 3. v. 22. Quoniam momentum in indignatione ejus: & vita in voluntate ejus. Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinum jubilatio, Psal. 30. v. 6.

At nostrum est, instare precibus, dicentes cum Jacobo: Non mittam te, donec benedixeris mihi, Gen. 32. v. 26. & promtum erit auxilium ejus,

1. *Per crucis mitigationem.* Optimè enim novit,

- - Quid valeant humeri, quid ferre recusent.

Nec patitur quenquam tentari suprà id, quod potest, 1. Cor. 10. v. 14.

2. *Per internam roborationem.* Quando per Spiritum sanctum, qui omnes infirmos consolatur, infirmitatem nostram adjuvat, Rom. 8. v. 26. ne deficiamus in tribulationibus, Ephes. 3. v. 13. sed communicantes Christi Passionibus gaudeamus, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeamus exultantes, 1. Petr. 4. v. 13.

3. *Per plenariam liberationem*, sicuti Hiskiæ vitam ad annos quindecim prolongavit, Esa. 38. v. 1. vel, quod melius est, ex hâc miseriarum valle transfert in Regnum cœleste, ubi non ultrà vox fletus & vox clamoris, Esa. 65. v. 19. sed complebuntur dies luctus nostri, Esa. 60. v. 20. Apoc. 7. v. 17.

Quemadmodum ergò is, qui hebete oculorum acie præditus est, avertit oculos ab iis, quæ sibi nocumento sunt, & viridi colore se oblectat: Ita nec nos in tribulationibus constituti, oculos nostros in dolores intendamus: sed cum Mose adspiciamus in remunerationem, Hebr. 11. v. 26. reminiscentes, quod momentanea levitas

tas tribulationis nostræ, operetur δόξαν καθ' ὑπερβολὴν, εἰς ὑπερβολὴν, 2. Cor. 4. v. 17.

III. *Ex latâ servorum obviatione*, qui ipsi nuncium afferunt: Filius tuus vivit.

Pater noster cœlestis, tanquam magnus ille cœli & terræ Dominus, adhuc hodiè habet servos suos, qui sunt fideles verbi ministri, quos nobis obviam mittit, ut si mœror occupet cor nostrum, bonum nobis nuncium afferant, nosque confirment in cruce, *veritate Dei*, quod nos juxta promissionem liberaturus sit, Psal. 50. v. 15. *Dei omnipotentia*, quod possit juvare, sitque mutatio dexteræ excelsi, Psal. 77. v. 11. *Dei misericordia*, quod velit juvare, quia Pater noster est, qui pro paterno suo in nos affectu, nos non derelicturus sit, Psalm. 103. v. 13.

Imprimis verbum hoc pii Christiani audiunt, quando liberis, parentibus, & conjugibus per mortem privantur, ut dicatur ipsis: Filius tuus vivit. Pater tuus vivit. Maritus tuus vivit. Mors enim Christianorum non interitus est, sed abitus ad Patrem, & introitus in Paradysum, ubi vera vita orietur, Sir. 48. v. 12. ibi namque mors non amplius erit, Apoc. 21. v. 4. sed justi in æternum vivent, Sap. 5. v. 16.

Jobus omnia dupla recuperavit, quæ amiserat, nisi filios & filias, qui eodem numero ipsi restituti leguntur: Ratio erat, quia hi non interierant, sed vivebant, & hos quoque in universali resurrectione recepturus erat, Job. 42. v. 12. seqq.

Ita si mors adscenderit per fenestras tuas, & tibi uxorem, liberos, parentes, & amicos eripiat: certissimè persuadeas tibi, non esse eos amissos, sed præmissos: die novissimo audies: Filius tuus vivit: Uxor tua vivit, Amicus tuus vivit, & sic ulterius. Sicut hâc ipsa ex causa dies ille, dies restitutionis omnium dicitur, Act. 3. v. 21.

Videamus verò ut in loco beato conveniamus, non in inferno: sed in cœlo. Duo enim loca sunt, ad quæ animæ hominum migrant, quando corporibus solvuntur: fidelium abeunt in cœlum, ubi abundantia gaudiorum cum vultu Dei, delectationes in dextera ejus in æternum, Psal. 16. v. ult. infidelium verò in infernum abjiciuntur, ubi requiem non habent die ac nocte, Apoc. 14. v. 11. sed mors depascit eas, Psal. 49. v. 15. & ita Dei manet super illas in æternum, Joh. 3. v. 36.

Ne itaque modum excede in lugendis defunctis tuis, quando beatè illos in Domino mortuos esse, nosti, in requie enim requiescunt, Sir. 38. v. 24. quin potius ita rationem tuam institue, ut & tu in pace ad Patres & amicos tuos transeas. Disce igitur artem moriendi, quam tibi Christus in cruce ostendit, ubi Spiritum suum Patri commendavit, Luc. 23. v. 46. sic & tu omnibus horis & momentis, maximè vero in horâ mortis, fideli Creatori commenda animam tuam, in benefaciendo, 1. Petr. 4. v. 19. sic eam colliget in fasciculum viventium, 1. Sam. 25. v. 29 & aliquando corpori redunibit, teque in occursum Christi rapiet in aëre, etisque cum eo semper, 1. Thess. 4. v. ult.

De Tertio.

REstat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Verbo crede.* Regulus initio fide infirma laborabat, putabat enim, si Christus non

non in tempore, vivo adhuc filio opem ferret, esse deindè planè frustraneum. Verùm ubi Christus illi dicit: Vade, filius tuus vivit: ecce! verbum hoc tam efficax est in corde ejus, ut non dubitet, quin ita sit, adeòque lætabundus domum properet.

Hic discimus, quomodo oculos rationis claudere, & unicè verbo adhærescere debeamus, si rebus nostris consulere, & petitum consequi velimus.

- Regulus hic multa Christo regerere potuisset, si rem in dubium vocasset: sed unicè verbo innititur, nec dubitat, quin filium suum pristinæ sanitati restitutum, inventurus sit. Hinc & salutaris ille effectus sequitur, ut fides promisso Christi fidens, sanitatem filii operetur.

Conspicimus hîc, *quanta virtus fidei salvificæ sit.* Si Regius hic non credidisset, nihil auxilii accepisset. Sic oculi Domini semper adhuc respiciunt fidem, Jer. 8. v. 3. & quod ex fide non est, peccatum est, Rom. 14. v. 24.

Non verò hîc sufficit *fides implicita*, quâ Pontificii contenti sunt, si quis credat, quod Romana Ecclesia credit. Hæc non est fides, sed damnabilis ignorantia: contrarium requirit Petrus, 1. Ep. 3. v. 14. Nec *Fides historica*, quæ & in Diabolos cadit, Jac. 2. v. 19. Sed *fides salvifica*, quæ à promissionibus divinis pendet, ut infans ab uberibus matris suæ, & omnia quæ Christus generi humano acquisivit, in individuo sibi applicat, non dubitans de effectu promissionum divinarum, Sap. 3. v. 9.

Hæc fides non est omnium, 2. Thess. 3. v. 2. sed opus Dei, Joh. 6. v. 29. quod per Verbum & Sacramenta in cordibus hominum inchoat, perficit, & consummat, Roman. 10. v. 17. Philip. 2. v. 13. Qui igitur hoc medium spernit, spernit consilium Dei adversus seipsum, Luc. 7. v. 30.

Da igitur operam, ut habeas fidem, & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 22. 1. Joh. 3. v. 23.

II. *Fomentum quære.* Regulus studiose interrogat horam, quâ filius melius habuerit: & ubi ex servis cognoscit, quod hora illa esset, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit: hoc ipso non parùm in fide confirmatur & roboratur.

Idem & nos faciamus. Fides est instar ignis; sicut igitur ad ignem semper ligna apponenda sunt, ne exstinguatur: sic & fides per verbum concepta, semper alatur per certa media, ne vicissim amittatur. Talia sunt,

1. *Verbi divini meditatio*, in quo varias promissiones invenimus, quæ fidem nostram fulcire possunt: quod Deus nobis in Patrem futurus sit, & nos ipsi in filios & filias esse debeamus, 2. Cor. 6. v. 18. quod nobiscum futurus sit in tribulatione, Psal. 91. v. 15. quod auferre iniquitatem, ejusque non amplius recordari velit, Mich. 7. v. 18. Ezech. 18. v. 24. quæ ejusmodi firmamenta sunt, in quibus fidem nostram fundare valemus, ne portæ inferorum prævaleant adversus eam, Matth. 16. v. 18. Nam triumphator in Israel non fallet, 1. Sam. 15. v. 29. sed omnia opera ejus in veritate, Psal. 33. v. 4. Esa. 54. v. 10.

2. *Sacramentorum usurpatio.* Non enim Deus nudis verbis peccatoribus gratiam suam promisit: sed & Sacramenta addidit, tanquam sigilla gratiæ, quæ nobis in verbo Evangelii offertur, Rom. 4. v. 11. *Baptismus*

est *Sacramentum initiationis*, quâ in fœdus Christi recipimur,& in Filios Dei adoptamur: icircò Augustinus eum *portam primam gratiæ*, & Lutherus *puerperam Regni cælorum* appellitat, Joh. 3. v. 5. *S. Cœna autem est Sacramentum Confirmationis*, quo fides non modò excitatur, sed & roboratur. Quod si honestus aliquis vir tibi centum Imperiales deberet, dedisserque non modò syngrapham, sed & pignus, nonne fidem haberes ei?

Sic Servator noster nobis non modò remissionem peccatorum in verbo & per Ministerium verbi pollicetur, vi verborum, Joh. 20. v. 23. Sed & in sacra cœnâ pignus addidit, nempè pretiosum corporis & sanguinis sui pignus, ne dubitemus de plenaria peccatorum remissione. Hinc ait: Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet,& ego in illo, Joh. 6. v. 54. 55.

3. *Quotidiana oratio*. Cum oppidum Dothan à Syris cinctum esset, famulus Elisæi non aliter opinabatur, quàm se in manus hostis deventurum, dicebatque: Heu Domine mi, quid faciemus? Verùm cum orasset Elisæus, aperuit Deus oculos pueri,& vidit: & ecce, mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi, 2. Reg. 6. v. 15. seqq.

Sic & nos in ærumnis constituti, si fides nostra vacillare incipit, ad orationem tanquam ad sacram anchoram confugiamus, dicentes cum discipulis Christi: Domine, adauge nobis fidem, Luc. 17. v. 5. & cum Patre Lunatici: Credo equidem Domine, sed tu succurre incredulitati, Marc. 9. v. 24. sic non concedet, ut Diabolus calamum quassatum conterat, & linum fumigans exstinguat, Esa. 42. v. 3. quin potius, qui incepit in nobis bonum opus, perficiet usque in diem Jesu Christi, Phil. 1. v. 8. Psal. 145. v. 19.

III. *Familiam instrue*. Hoc iterum Regulus exemplo suo nos docet; non enim ipse tantùm credit: sed domesticis quoque suis recenset, quam salutariter cœlestis hic Medicus ipsi profuerit, & filium curaverit. Hoc modo totam suam familiam ad Christum convertit.

Hoc officium Patrum-familias requirit, ut domesticos suos, liberos & famulitia vias Domini docere nullam occasionem prætermittant, sicut Abraham legem Circumcisionis non modò sibi & filio Isaaco, sed & servis suis applicavit, ut & illi in fœdus Dei reciperentur, Gen. 17. v. 23. Propterea B. Lutherus Parentes Christianos in minori Catechismo Catechetos constituit, iisdemque præscripsit, quomodo liberis & famulitio Decalogum, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, doctrinam de potestate Clavium, de Baptismo & Cœna Domini quam simplicissimè inculcare debeant.

Idque 1. *Severissimè*, ut acuant ipsis fidei articulos & præcepta Domini, Deut. 6. v. 7. Accedat exemplum, quo idipsum confirment. Nam ut Augustinus ait: *Plus valet vivendi, quàm loquendi modus*. Qui verò ipse non facit, quod alios docet, alterâ manu ædificat, altera destruit, Sir. 34. v. 28.

2. *Sa-*

2. *Sapissimè.* Sicut enim Pater-familias quotidiè familiæ præscribit, quid laboris exantlare debeant: sic & indies ipsis præcepta vitæ præscribat, ut quotidiè crescant in cognitione Dei, magisque abundent, 1.Thess.4.v.10. Hæc vera Deo placens sapientia est, melior margaritis, & omne desiderabile ei non potest comparari, Prov. 8.v.11.

3. *Simplicissimè.* Nos enim natura admodùm rudes sumus, difficilè æstimantes, quæ in terra sunt, Sap.9.v.16. potissimùm quod liberos ac famulos concernit, qui lacte adhuc utuntur, non cibo solido, Hebr.5.v.12.

Sicut igitur Deus ipse condescendit nobis, & ad captum nostrum attemperat sese: sic & Patres-familias simplicissimè domesticis mysteria Regni cœlorum exponant, 1.Cor.14.v.19.

Hoc muneris ipsorum est, cum talibus enim conversantur, qui Deo peculiariter commendati sunt. Hæreditas Domini, filii: merces, fructus ventris, Psal.127.v.4. Qui igitur unum scandalizaverit de pusillis istis, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria de collo ejus, & demergatur in profundum maris, Matth.18.v.6.

Sic & servi & ancillæ, qui in re Oeconomicâ nobis inserviunt, nulla Ethnica mancipia, sed Christiani sunt, qui cum Dominis suis in eodem fœdere sunt, ideò quod justum est & æquum, iisdem præstare tenentur, Col.4.v.1.

In aula Regia Ministri subalternati sunt, ubi semper alter ab alterius nutu pendet. Si verò rem rectè expendas, supremus aulæ Magister, æque Regis Minister est, ac infimus stabulatius: Ita Deus huic multum, illi parum concredidit, & tamen omnes servi Dei sunt. Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo, Luc.12.v.48.

Id igitur pii Patres-familias sibi dictum putent, ut famulorum sedulam curam gerant, non modò quod sustentationem corporalem attinet: sed maximè quod salutarem informationem in agnitione Dei & Filii ejus JEsu Christi concernit: id bonum est & acceptum, coràm Salvatore nostro Deo, 1.Tim.2.v.3. tales aliquando cum fiducia ad tribunal Christi accedere, & dicere poterunt, Ecce, ego, & pueri, quos dedisti mihi Domine, Esa 8. v. 18. jam incorruptos tibi reddam: suscipe illos, & me cum illis, in æternam gloriam. Fiat ita per Christum, Dominum nostrum, Amen.

DOMINICA XXII. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 18. v. 23. -- 35.

EXORDIUM.

CUm Moses jussu Dei virgam suam projiceret, versa est illa in colubrum: unde exterritus Moses, ita ut fugeret. Sed dixit Dominus Deus, ut extenderet manum suam, & apprehenderet caudam ejus. Hoc facto, versa est in virgam in manu ejus, Exod. 4. v. 4.

Ex hâc historia pii veteres elegantem Allegoriam confecerunt.

Peccatum, Vos mei! colubro non dissimile est, primò *ratione originis*. Oritur enim à Diabolo, qui serpens antiquus dicitur, Apoc. 12. v. 9. quia per serpentem Protoplastos nostros in Paradiso seduxit, Gen. 3. v. 1. deinde & *ratione veneni*, quo infectus est. Unde Siracides: Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa, mordebunt te, Sir. 21. v. 2. Nam hic coluber alios secum affert: sicut Deus serpentes ignitos misit in Israelitas, cum peccassent, ad plagas & mortes plurimorum, Num. 21. v. 6. Ita hodietenus adhuc multiplices pœnas & plagas habet, quibus impœnitentes castigat: Tormenta bellica, quæ & ipsa serpentes Feldschlangen/vocantur: Famem, quæ instar serpentis ex unâ regione in aliam serpit, & ut ignis, medullam consumit in ossibus, Thren. 1. v. 13. ut sint velut bis mortui, Ep. Jud. v. 12. ut & febres pestilentiales, quibus homines subitò abripiuntur, & morti mancipantur. Est enim justus judex, & Deus minitans, per singulos dies, Psal. 7. vers. 12. seqq.

Hæc mala ut antevertamus, velut Moses caudam hujus colubri apprehendamus oportet: h.e. perpendamus, quid tandem peccata sequatur, nempè temporalis & æterna mors, quæ & stipendium peccati dicitur, Rom. 6. v. 23. Hinc Veteres dixerunt, peccatum non intuendum, *tanquam accedens*, ubi blanditur & voluptatem ostendit: sed *tanquam recedens*, ubi pœnitentia consequitur, & ejusmodi fructus, in quo erubescimus, Rom. 6. v. 21.

Hoc si servus ille nequam ad animum sibi revocasset, non adeò securè in diem vixisset, & peccata peccatis cumulasset, dum adeò æs alienum multiplicavit, ut decem millibus talentorum Domino obstrictus, solvendo non fuerit. Ut pluribus ex prælecta Pericope audiemus.

Nos instituti nostri memores spectabimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

I. I.

Exegesis.

DE Persis scribitur, quod duobus vitiis laborent, quorum primum, *multum debere*, alterum, *multum mentiri.*

Utrumque vitium reperitur in servo nequam prælecti Evangelii. Debebat enim Do-

Domino suo decem millia talenta. ejusmodi summam, cui solvendo non erat: & tamen promittebat, si patientiam haberet Dominus, se omnia redditurum ei. Hoc vanum erat. Quomodo enim servus decem millia talenta, quæ sex milliones conficiunt, solveret?

Servus hic obæratus, *imago est nostrûm omnium.* Natura enim & ipsi debito maximo premimur, eaque transgressione Decalogi adeò cumulavimus, ut non modò decem millia, sed decies millena millia talentorum Deo debeamus. In multis enim offendimus omnes, Jac. 3. v. 2. & licet emendationem vitæ polliceamur, tamen id nunquam præstatur, sed requiescimus in fecibus nostris, donec Deus venit, & ad rationem reddendam adstringit nos, sicut in prælecta Pericope audimus, quod Rex diem constituerit, quâ servi comparere & rationem reddere debeant, quomodo hactenus bona concredita administrarint.

Querela respicit

I. *Peccatorum cumulationem*, quâ hic servus Domino obæratus fuit. Nam oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. Hæc tanta summa est, quam homo privatus non possidet. Talentum enim æstimatur sexcentis coronatis, ut Budæus supputat. Faciunt igitur decem millia talenta, sexagesies centena millia coronatorum, seu sexaginta tonnas auri. Hoc ipso verò delineatur nobis *maxima peccatorum moles*, quæ ut decem millia talenta animum nostrum premit & angit, iniquitates nostræ multiplicatæ sunt, super capillos capitis nostri, Psal. 40. v. 14. & super arenas maris, Orat. Man. v. 9. delicta quis intelliget? Psal. 19. v. 15. Non est, qui faciat bonum, non est, usque ad unum, Rom. 3. v. 10.

Id facilè patet, si ad singula præcepta rationem revocamus, & vitam nostram prout decet examinamus: hoc modo nemo insontem se agnoscet, sed potius intimam naturæ suæ depravationem luculenter perspiciet. Præcipuè quia Dominus jussit venundari servum & uxorem, & filios: & omnia quæ habebat & reddi. Est enim Deus zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt eum, Exod. 20. v. 5. Intereà tamen fores gratiæ clausæ non sunt, sed potius illud Chrysostomi locum habet: *Millies lapsus, millies regredere*, & gratiam posce, ut servus hic nequam: sic Dominus & debitum & pœnam remittet, teque ut pater filium prodigum, cum gaudio suscipiet, Luc. 15. v. 20.

II. *Conservi strangulationem.* Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, & injecta in eum manu, obtorto collo trahebat, dicens: Redde quod debes. Græca vox indicat, quod adeò tyrannicè ipsum tractarit, ut ipsum quasi strangulaverit, & vita privarit. En nequitiam, & tyrannidem, servi hujus nequam!

Verùm si oculos in mundo circumferimus, idem usu evenire cernimus, idque fit

1. *Circumventione.* Inveniuntur siquidem, qui fœnore & usuris proximum adeò exhauriunt, ut necessariò ad stipem ille redigatur. Sed væ ei, qui multiplicat non sua: usquequò aggravat contrà se densum lutum, Hab. 2. v. 6.

2. *Exactione*, quando Magistratus nimiis exactio-

exactionibus subditos emungit, ut sit bonus odor ex re qualibet. Id vocat Micha pelles tollere desuper eis,& carnes desuper ossibus eorum, Mich.3.v.3. Panis egentium, vita pauperis est, qui defraudat illum, homo sanguinis est, Sir.34.v.25.

3. *Persecutione.* Quando Esau Jacobo mortem minatur, ut propterea solum vertere,& in Mesopotamiam ille fugere cogatur, Gen.27.v.41.seqq. Aut communis persecutio oritur, ubi illi qui characterem bestiæ suscipere renuunt, in exilium aguntur,& opibus nudantur, vel planè vita privantur, sicut per Inquisitionem Hispanicam multa millia miseris modis peremta, imò igni tradita novimus. Subveniat Deus pressis, ut fidem & bonam conscientiam illi conservent, 1.Tim.1.v.19. & rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipiant, cognoscentes, habere se meliorem & manentem substantiam in cœlis, Hebr.10.v.34.

Et ut semel dicam, quocunque te vertes, videbis quòd violentia justitiæ prævaleat, propterea languent leges, & non pervenit usque ad finem judicium, Habuc.1.v.4.

Sed Deus id impunitum non relinquet. Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus, ponam in salutari, Psal.12.v.6.

Contrà verò confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis, Psal.68.v.22. tùm justum apud Deum erit, reddere iis qui affligunt nos afflictionem, nobis verò, qui tribulamur, requiem in revelatione Domini Jesu de cœlo, 2.Thess.1.v.6.

III. *Denegatam condonationem.* Obsurdescit enim servus ille nequam ad supplicationem conservi sui. Nam ut Evangelista ait: Noluit ille, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

Probè notandum, quod Evangelista temporis mentionem faciat, quando id factum sit, nempè non pòst octiduum, vel mensem elapsum: sed eâpse horâ, ubi à Domino exierat, & gratiam decem millium talentorum remissorum impetraverat. Unde patet, quod omnia adhuc in recenti memoriâ habuerit, & tamen tantâ vecordiâ est, ut nolit conservi sui misericordiâ tangi, & centum denarios, qui si nostræ monetæ applices, vix decem coronatos vel quindecim florenos constituunt, ipsi remittere, vel ad minimum aliquantisper patientiâ in conservum suum uti.

Nos eodem genio sumus. Deus Opt. Max. decem millia talenta peccatorum nostrorum, dudum expunxit, & sanguine pretiosissimo Filii sui Chirographum, quod adversum nos erat, delevit, Col.2.v.14. quin & adeò bonus est, ut per Ministerium verbi quotidiè nobis reconciliationem offerat, 2.Cor.5.v.20.

Nos verò adeò duri & inclementes sumus in proximum, ut ipsi ne centum quidem denarios remittere velimus: & sæpè ob levem causam, odio, invidentia & inimicitiâ prosequamur eum usq; ad mortem: ut rectè Siracides, cap.28.v.3. seqq.

Ejusmodi hominum in hâc fece mundi plurimi sese offerunt, qui sine affectione & irreconciliabiles sunt, 2.Tim.3.v.3. Sed via illorum complanata lapidibus, & in fine illorum, profunditas inferni, Sir.21.v.11. ideò vocat eos hîc Christus servos ne-

nequam, sive malos, à Patre eorum Diabolo, qui κατ' ἐξοχὴν πονηρὸς dicitur, Eph. 6. v. 16.

Verè servi nequam appellari possunt:

1. *Tanquam ingratorum ingratissimi*, Deut. 32. v. 1. Deus cœlestis Pater condonat ipsis quotidiè tot centena peccata, imò decem millia talentorum, & illi non adeò benigni sunt, ut proximo centum denarios remittant. Quid centum denarii respectu centum millium talentorum? Nulla hîc prorsus proportio est. Ingrati ergò hospites sunt, qui id non agnoscunt, nec proximo nocenti remittunt, Sir. 28. 2.

2. *Improborum improbissimi*: qui vel planè preces negligunt, vel licet orent, tamen oratio inefficax est. Deus enim peccatores non exaudit, Joh. 9. v. 31. quin omnia illorum opera in maledictione maledicta sunt, Mal. 3. v. 9. Si templum frequentant, frustrà frequentant. Nam semen verbi divini corde mundo excipiendum est, si radicare & fructificare debeat, Luc. 8. v. 15. Si peccata confitentur, sine fructu id fit. Quia enim odio irreconciliabili ergà proximum ardent, & peccata retinentur, Joh. 20. v. 23. Si sacra cœna utuntur, & hîc salutari effectu carent: est enim ἀγάπη ad quam implacabiles non pertinent; & licet illius compotes fiant, tamen in judicium eam sibi edunt & bibunt, 1. Cor. 11. v. 29. Si eleemosynas erogant, nec hæ à Deo attenduntur, quia sine caritate fiunt, juxta illud Pauli, 1. Cor. 13. v. 3.

3. *Perditorum perditissimi*. Quamdiu enim in ejusmodi implacabilitate degunt, sub irâ Dei & potestate Satanæ sunt, nec ullam salutis spem habent. Wann ihr die Brüder nicht liebet / so seyd ihr deß Teuffels/ wo ihr geht und steht / scribit B. Lutherus, in Postilla domestica. Qui id non credit, damno suo certissimo aliquando experietur.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex rivulo divinæ Clementiæ*, quam Rex servo huic obærato exhibuit. Misertus quippè illius dimisit illum, & debitum dimisit ei.

Cum Imperator Hadrianus imperium suscepisset, civibus Romanis & aliis in locis degentibus magnam pecuniæ vim, quam ærario Imperatoris debebant, remittebat, & syngraphas in publico foro cremari jubebat, quò securiores forent, ne & in posterum propterea compellarentur.

Idem Justinus II. suasu conjugis suæ Sophiæ fecit, & hoc ipso subditos sibi magna benevolentia devinxit.

Sed quanto munificentior est Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui non modò huic servo decem millia talenta donavit, sed & idem quotidiè facit si seriâ pœnitentia ad eum nos convertimus. Non enim vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, Esa. 18. v. 23. quin ex hac causa omnia conclusit in incredulitatem, ut omnium misereatur, Rom. 11. v. 32.

Hinc elucescit, non exiguam, sed infinitam misericordiam esse, quâ Deus nos prosequitur. Quæ? qualis? quanta? quærunt in Scholis. Sic & nos hic quæri possumus. Primò, quæ? Resp. non hominis, hæc enim saltem circâ proximum: misericordia autem Dei super omnem carnē,

Sir-

Sir. 18. v. 12. Deinde, Qualis? paterna, Psal. 103. v. 13. cordialis, Luc. 1. v. 78. ardens, Os. 11. v. 9. lætatur enim ad benefaciendum nobis, Jer. 32. v. 39. Tertiò quanta! Resp. quantus ipse est, Sir. 2. v. 2. Atqui Dominus tantus est, ut cœli cœlorum ipsum non capiant, 1. Reg. 8. v. 27. Ergò & misericordia ejus infinita est, & æterna super timentes eum, Psal. 103. v. 17.

Exultemus hinc, Vos mei! Peccatum, peccatum inquam, adeò nos depravavit, ut nihil boni in nobis habitet, Rom. 7. v. 18. sed misericordiæ Domini, quia non sumus consumti, Thren. 3. v. 22. tegit enim peccata nostra, Psal. 32. v. 1. donatque nobis justitiam, quam Filius suus perfecta sua obedientia acquisivit, ubi manus suas expandit in arâ crucis, & quolibet digito millia talenta de decim his talentis expunxit. Gratiâ igitur salvati estis, Eph. 2. v. 8.

II. *Ex rivulo divinæ patientiæ*, quâ servos suos prosecutus est, ut debitum invaluerit, & uni mille aliud successerit, donec tandem rationem cum illis contulit, & solutionem ursit.

Hoc divitiis bonitatis Dei acceptum ferendum, quibus nos ad pœnitentiam invitat, Rom. 2. v. 4. Patienter quippè agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti, 2. Petr. 3. v. 19.

Nos nihil horum meruimus, sed digni essemus

Ut Pater omnipotens adigat nos fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi.

Sed conversum est cor ejus: simul exarserunt in nos miserationes ejus, Os. 11. v. 9. propterea dissimulat peccata nostra propter pœnitentiam, Sap. 11. v. 24. hinc admirabundus Augustinus ait: *Peccant homines sub cælo, faciunt omnia mala sub cælo, & tamen proteguntur cælo.* En beneficum & clementem Patrem! qui facit Solem suum oriri super bonos & malos: & pluit super justos & injustos, Matth. 5. v. 44.

Tamerlanes Scytarum Rex, in more habuit, ut si urbem obsidione cingeret, primô die album tentorium figeret, quo civibus omnem gratiam, si deditionem facturi essent, obtulit. Postridiè rubrum tetendit, quo sanguinis effusionem minatus est. Tertio die nigrum præsentavit, quo solo se civitatem æquaturum, & igne exusturum, indicavit.

Idem certo modo Deus quoque facit. Primò exstruit tentorium candidum, quando per Ministros & Legatos suos quemlibet ad pœnitentiam invitat, 2. Cor. 5. v. 20. Quodsi verò dies salutis & gratiosæ visitationis prætermittitur, defetiscitur misereri, Jer. 15. v. 7. tenditque tentorium rubrum, h. e. pestilentiâ, bello & fame punit, juxta illud Ezechielis: Qui longe est, peste morietur: qui autem prope, gladio corruet: & qui relictus fuerit & obsessus, fame morietur, Ezech. 6. v. 12.

Quodsi & hoc nihil efficit, tandem nigrum tentorium figit, & punit igne infernali, hic est interitus æternus, 2. Thess. 1. 9. ubi nulla curatio speranda, 2. Chron. 36. v. 16.

Præparare ergo in occursum Dei tui, Amos. 4. vers. 12. dum hodiè dicitur, Hebr. 3. v. 17. dum expandit manum suam, Esa. 65. v. 2. dum fores gratiæ adhuc patent, Matth. 25. v. 10. Tàm citò enim irasci potest, quàm misereri, & ira

ira illius in peccatores non desinit, Sir. 5. v. 7.

III. *Ex rivulo divinæ condolentiæ.* Ubi enim miser conservus, qui centum saltem denarios debebat, sine misericordia in carcerem conjiciebatur, & Rex illud competebat, iniquitas hæc adeò eum mordet, ut continuò servo nequam ad se vocato, sævitiam hanc exprobret, inquiens: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergò & te misereri oportuit conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?

Ita adhuc hodiè Deus fidelium suorum curam gerit. Miseretur enim ut Pater filiorum, timentium se, Psal. 103. v. 13. & ut mater filii uteri sui non obliviscitur, ita ille nec nostrûm obliviscitur, nam in manibus suis descripsit nos, Esa. 49. v. 16.

Equidem propter peccata nostra permittit quandoque hostibus, ut nos lædere possint. Interim illis metam ponit, dicens: Usque huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos, Job. 38. v. 11. imò si ultrà metam progrediuntur, virgam in ignem projicit, ut ait per Zachariam: Zelatus sum super Jerusalem & Sion zelo magno: Et ira magna ego irascar super gentes opulentas: quia ego iratus sum parùm, ipsi verò adjuverunt in malum, Zach. 1. v. 15. confer Jerem. 39. v. 16.

Idipsum ex exemplis patet.

Cum Pharao intolerabili jugo premeret Israelitas, Deus eos per Mosen validè liberabat, Exod. 1. seqq.

Cum Sennacharib Regi Hiskiæ fastuosè insultaret, ad preces illius Angelo misso, in castris ejus centies octoginta quinque millia percutiebat, 2. Reg. 18. v. 19.

In quanto periculo erant Christiani Damasceni, cum Saul adversus eos minas & cædes spiraret? Hos respiciebat Dominus, cœlitus Saulum compellans: Saul, Saul, quid me persequeris? Durum erit tibi adversus stimulum calcitrare, Act. 9. v. 1. seqq.

Hic Deus adhuc vivit, irritata est anima ejus super miseriâ Israelis, Jud. 10. v. 16. nec relinquet virgam peccatorum, super sortem justorum, Psal. 125. v. 3. qui fideles tangit, pupillam oculi ejus tangit, Zach. 2. v. 8. Tandem ad pressuras ejusmodi sequetur tempus refrigerii, Act. 3. v. 19. ubi in sinu Abrahæ omnium malorum refrigerium sentiemus, Luc. 16 v. 25. & cum jubilatione metemus, quod hic in lacrymis seminavimus, Psal. 126. v. 5.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Deum time.* Eò remittit nos Christus, in Exordio Evangelii inquiens: Assimilatum est Regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Per hunc Regem nemo alius intelligitur, quàm Deus Pater cœlestis, qui est Rex Regum & Dominus Dominantium, 1. Tim. 6. v. 15. Nam in cœlo paravit sedem suam: & Regnum ipsius omnibus dominabitur, Psal. 103. v. 19.

Hic Rex servos suos habet, quibus bona sua concredidit, uni dedit quinque talenta, alii duo, alii verò unum, unicuique ut operetur in eis & lucretur, Matth. 25. v. 14.

v. 14. seqq. Hic nemo exceptus est, cujuscunque sit loci & ordinis.

Sicut igitur aliàs oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ: & sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, Psal. 123. v. 2. ut quæ grata ei sunt, nostrâ sponte perficiamus, sicuti servi Centurionis Capernaitici hâc laude celebres sunt, Matth. 8. v. 9.

Quod verò Domino huic adversatur, omittamus, ne ad iram eum provocemus. Est enim Deus æmulator, & ulciscens Dominus, ulciscens Dominus, & habens furorem: ulciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis, Nah. 1. v. 2.

Iccircò hic rationem eum à servis suis exigere audimus, quò sciat, quomodo res suas administraverint. Id ipsum nobis quoque restat: Dies jam statutus est, Act. 17. v. 31. & Adventus Domini appropinquavit, Jac. 5. v. 8. ubi Dominus accersitis servis suis, de quolibet verbo otioso rationem reposcet, Matth. 12. v. 36.

Hæc recordemini, Vos mei! & peccata fugite. Ibi enim nihil erit occultum, nihil inultum, sive bonum sit sive malum, 2. Cor. 5. v. 10.

Johannes Damascenus memorabilem historiam recenset de Rege, qui terribilem judicii diem semper sibi ob oculos posuerit, ideoque mundi gaudio spreto, in verâ pœnitentia & pietate vitam suam transegerit. Erat ei frater, qui eum à tristibus ejusmodi cogitationibus avertere satagebat, monens, ut tanquam alii homines gaudio mundi frueretur. Rex conticuit, & manè buccina cani jussit, quod in Regno illo signum mortis erat. Frater cum tubam audiret, non aliter opinans, Regem ipsum ad mortem damnasse, totus exhorrescebat, advolutus pedibus Regis, ejusque gratiam implorans. Cui Rex: Mi frater, tu pertimescis tubam, qui tamen mortis reus non factus es: & ego non metuerem ultimam tubam Dei mei, quem multoties offendi, & ad iram provocavi?

Nos idem faciamus, ô Optimi! cum metu & tremore salutem operantes, Phil. 2. v. 12. qui enim memorat novissima, nunquam peccabit, Sir. 7. v. 40. sed lumbis præcinctis expectabit Dominum, Luc. 12. v. 25. Sic vicissim Dominus eum non modò adversus iniquam violentiam tuebitur: sed & aliquando in gaudium cœleste perducet, Joh. 12. v. 26.

II. *Veniam pete.* Id facit hic servus, inquiens: Domine, patientiam habe in me: & & omnia reddam tibi. Quod se coràm Domino humiliat, ejusque gratiam petit, in eo rectè agit. Dominus enim respicit ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementem sermones suos, Esa. 66. v. 2. Quod verò omnia se redditurum pollicetur, in eo fallit. Nam id simpliciter impossibile est, siquidem omnis justitia nostra sicut pannus menstruatæ, Esa. 64. v. 6. Si volueris contendere cum illo, non poteris ei respondere unum de mille, Job. 9. v. 3.

Propterea non confidamus meritis nostris, sed unicè cum servo hoc gratiam Dei imploremus. Per miserere mei, tollitur ira Dei, dixerunt Veteres, Psal. 103. v. 9. seqq.

Hoc in mundo sæpè variæ exceptiones confinguntur, quando nomina exiguntur, ut Siracides prolixè docet, cap. 29. v. 4. seqq.

Alii

Alii mercaturam deserunt, quando solvendo non sunt: vel salvum conductum in Aulâ Imperatoris emendicant, quo adversus exactores muniuntur. Hoc verò species furti est, si ex προαιρέσεως fiat. Mutuatur peccator & non solvet, Psal.37.v.21.

Minus verò excusari potest, in fori poli, si quis debitum neget, ut Cain, Gen.4.v.10. vel jactantius se efferat, ut Abnerus, qui in contumeliam accipiebat, cum Isboseth ipsi exprobraret, quod cum concubinâ Patris sui rem habuisset. Numquid, dicebat, caput canis ego sum, quòd arguetes pro muliere hodiè, 2.Sam.3.v.6.seqq. vel auffugiat, uti Jonas, Jon.1.v.3. Id omne locum non habet. Dominus enim ille, cujus ministri sumus, est καρδιογνώστης, Act. 1.v.24. & scit, quid in homine sit, Joh. 2. v.24. Nec irritationem ferre potest, quia omnia potest, Sap.11.v.24. Furor hominum est laus ejus, reliquiis furoris accinget se, Psal.76.v.11. Prætereà ubique præsens est, nec quisquam in absconditis occultabitur, ut ipse eum non videat, Jer.23.v.24. Amos.2.v.26.

Prome itaque peccatum, ingenuè fatere iniquitatem, humiliter agnosce culpam, inquiens: Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi, Psal.32.v.5. Tibi solùm peccavi, & malum coràm te feci, Psal.51.v.5.6.

Id omnibus Sanctis incumbit, Psal.32. v.6. nemo enim inter illos integer, Job.15. v.15. Sed justus in die septies cadit, Prov. 24.v.17. Verùm hoc solatium nostrum, quod benignum Deum habeamus, qui aufert iniquitatem, & transit peccata reliquiarum hæreditatis suæ, Mich.7.v.18. Apprehendamus modò meritum Christi, quod pro peccatis totius mundi præstitit, 1.Joh.2.v.2. & dicamus cum Publicano: Deus propitius esto mihi peccatori, Luc. 18.v.13. & gratiam inveniemus, Actor.10. v.33.

III. *Proximo ignosce.* Id enim vult Servator, quando Evangelium hoc egregio hoc Morali concludit: Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo, de cordibus vestris, delicta eorum.

Hîc attendendum,

1. *Quid* faciendum? *Remittere debemus.* Id Deus mandat. Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in viâ cum eo, Matt. 5.v.25. Col.3.v.12. Qui hoc non facit, sed seipsum ulciscitur, vel simulationem in animo fovet, munus Dei invadit, ait enim: Mea est ultio, & ego retribuam, Deut.32.5.

2. *Quis?* Non pauperes modò, sed & divites, summi & infimi, Domini & servi, omnes enim fratres sumus & Patrem cœlestem agnoscimus. Qui itaque peccata remittere non vult, ultionem ejus incurrit, nec remissionem consequetur, Matth.6. v.15.

3. *Cui?* Fratri nostro, qui omnes homines sunt, siquidem ex uno sanguine omnes genus ducimus: Act.17.v.26. Gen.3.v.20. Hinc Christus, Luc.17.v.3.

4. *Quomodo?* De corde, non hypocriticè. Multorum vox est: Ich wills ihm zwar vergeben / aber vergessen kan ichs nicht. Verùm utrumque fiat oportet, ut remittatur, & oblivioni injuria tradatur, sicut Deus peccata non recordatur amplius, Mich.7.v.19. Ezech.18.v.24.

5. *Cur?* Nempè ex hac causa, ut & ipsi remissionem peccatorum à Deo impetre-

tremus: non quasi remissio nostra causa meritoria sit remissionis Dei. Nequaquam. Sed quia ita Deus ordinavit, ut hâc ratione fidem nostram probemus. Nostra igitur condonatio, quâ proximo remittimus, subordinata est remissioni, quâ Deus nobis peccata condonat, Matth. 6. v. 15. Jac. 2. v. 13.

Verùm hic tanta virulentia plurimorum animos occupavit, ut vitam sibi acerbam putent, nisi animum vindictæ cupiditate cupidum exsaturent. At & ipsi gravissimè vindicabuntur, in stagno ardente Sulphure & igne, quæ est mors secunda, Apoc. 21. v. 8. Esa. 66. v. 24.

Veri igitur Christiani carnem suam crucifigant, cum desideriis & concupiscentiis, Gal. 5. v. 24. Deum sollicitè orantes, ut virtute sua infirmitatem suam perficiat, & cor lapideum auferat de carne suâ, detque cor carneum, Ezech. 36. v. 26.

Hoc si ita factum fuerit, non frustrà fiet, promisit enim Christus Spiritum sanctum petentibus, Luc. 11. v. 13. hic ignem amoris in cordibus nostris accender, nosque aliquando è mundo hoc rixoso transferet in domos pacis, Esa. 32. v. 17. ubi delectationes, Psal. 16. v. ult. imò pax & gaudium erit in æternum, Rom. 14. v. 17.

Princeps pacis JEsus Christus, cò nos transferre dignetur, Amen.

DOMINICA XXIII. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 22. v. 15. -- 23.

EXORDIUM.

CUm Israëlitæ copiosè multiplicarentur in Ægypto, displicebat id novo Regi, ideoque consilium inibat cum populo suo, quomodo sapienter opprimeret filios Israël, Exod. 1. v. 9.

Quod Israelitis illo tempore accidit, tanquam membris spiritualis corporis, id & deindè in N. T. in Christo capite impletum est: hinc est, ut ad Messiam applicetur, quod Hoseas quoad literam de filiis Israel ait: Ex Ægypto vocavi filium meum, Os. 11. v. 4. Matth. 2. v. 15. ratione arctissimæ conjunctionis capitis, cum membris suis, vi cujus propediem sentit, quid illis boni vel mali eveniat. Cujus exemplum perspicimus in Saulo, qui diplomatis Damascum proficiscebatur, ut si invenisset hujus viæ viros & mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem; sed Dominus cœlitus eum compellabat: Saul, Saul, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare, Act. 9. v. 2.

Quod igitur in unâ parte congruit, id etiam è simili fundamento ad alia applicari potest, maximè quod attinet insidias, quas Pharao ad opprimendos Israelitas cum suis excogitavit. Septuaginta Interpretes ita expresserunt: Κατασοφισώμεθα αὐτούς, astu circumveniamus eos. Primò enim obstetrici-

tricibus mandabat, ut omnes pueros Hebræorum in ipso partu occiderent. Hoc quia non succedebat, quia illæ Deum plus metuebant, quàm Regem, puerulos in aquas projicere ut catulos jubebat, & suffocari: hoc medio prohibiturus erat, ne nimium augerentur.

Ita & infernalis Pharao Christum per satellites suos infestavit, dum Pharisæi & Scribæ varias machinas excogitarunt, quibus Servatorem opprimerent. Imprimis in prælectâ Pericope audimus, quod Herodianos assumserint, dum ipsi insidiosam quæstionem de numismate census proponere voluerunt: eâ spe, ut si quicquam adversus Cæsarem loqueretur, ipsi causam haberent id deferendi, & per Ministros Herodis eum custodiæ mancipandi. Verùm ut de Israelitis dicitur: Quantò magis opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant: Ita & hostes Christi ipsum opprimere non potuerunt; sed quò magis ipsi adversati sunt, eò plus fama ejus increbuit, & ab omnibus maximi æstimatus fuit, donec ad dextram Dei resedit super omnem principatum, & potestatem, & virtutem &c. Eph. 1. v. 21.

Nos methodo nostræ inservientes, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Bucephalus Philippi Regis Macedoniæ, neminem sibi insideri passus est, nisi Alexandrum M. præprimis quando Regiis tapetibus ornatus erat. Homo, Vos mei! jumento non dissimilis est, ut B. Lutherus autumat. Qui dum nullius regimen suscipere deberet, nisi Christi, & cum Davide orare: Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, Psal. 143. v. 10. Ecce, contrarium ille facit, conceditque ut peccatum regnet in mortali suo corpore, Rom. 6. v. 12. ut Dæmon infernalis regimen habeat: & sicut est homicida ab initio, Joh. 8. v. 44. ita & hominem instigat, ut astutè circumveniat proximum, quod si perficere potest, voluptate afficitur, dicens: Euge, euge, viderunt oculi nostri, Psal. 70. v. 5.

Hoc valdè familiare est, maximè in hâc mundi senecta, ubi Diabolus eò magis truculentiam suam exerit, quia scit, quod modicum tempus habeat, Apoc. 12. v. 12.

Querela respicit

1. *Insidias*, quas Pharisæi & Scribæ Domino struxerunt. Abeuntes enim, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Ubi in Gr. est vox παγιδεύειν, quæ significat, tendiculis irretire aliquem, ut aves irretiri solent. Vide Eccl. 9. v. 12.

Hoc ingenium Diaboli est. Ubi enim violentia nihil efficere valet, velut serpens directus: ibi insidiis rem agit, velut serpens tortuosus, Esa. 27. v. 1. & se quandoque in Angelum lucis transfigurat, 2. Cor. 11. v. 14. unde & ἰξευτὴς auceps, ab Hieronymo appellatur, qui die noctéque circumit, 1. Pet. 5. v. 8. & coràm quo gaudet mœror, Job. 41. v. 13.

Id ita ulterius in orbe à Ministris ejus continuatur, qui aucupium hoc ab ipso didicerunt, ut hinc multi pii conqueri cogantur: Venatione ceperunt me, quasi

avem, inimici mei gratis, Thren.3.v.52.

Sic Esau persecutus est fratrem Jacobum, ut velut avicula solitaria in Mesopotamiam fugerit, Gen.27.v.43.

Sic de Saule dicitur, quod persecutus fuerit Davidem, velut perdicem in montibus, 1.Sam.26.v.20.

Sic varias tendiculas Jesebel Eliæ struxit, ut vitæ ille pertæsus dixerit: Sufficit Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum, quàm patres mei, 1.Reg.19.4.

De B. Luthero sic scribit Palingenius:

- - - Nunc summus parat arma Sacerdos,
Clemens, Martinum cupiens abolere Lutherum,
Atque ideò Hispanas retinet, nutritque cohortes,
Non disceptando, aut subtilibus Argumentis
Vincit, sed ferro mavult sua jura tueri.
Consilium valeat, valeant commenta Lutheri, (ta nugæ,
Pontifices nunc bella juvant, sunt cætera
Nec præcepta Patrum, nec Christi dogmata curant.

Idem hodietenus pii experiuntur, ut hostes ipsis acclament: ut moveant se in montibus sicut avis, Psal.11.v.1. quod si constans manet in fide pius, & tabernacula Domini diligit, ubi avicula invenit domum, & hirundo nidum sibi, ubi ponat pullos suos, Psal. 84. vers. 4. laqueum parant pedibus ejus, ut auceps, Psal.57.v.7. & adeò persequuntur, ut ab unâ arbore in aliam fugiat, similis factus Pelicano solitudinis, Psalm. 102.v.7.

Verùm hoc solatium nostrum, quòd duas alas habemus, alam nempè fidei & orationis, quibus nos sursum elevamus, & omne periculum effugimus. His mediis utamur, licet ab adversariis nostris insontes infestemur, tempus gratiæ non negligentes, ut ciconia, grus & hirundo custodiunt tempus adventus sui, Jer.8.v.7. Sic Deus captivantes nostros capiet, Judic.5.v.12. & retia perrumpet, ut lætabundi, exultare queamus: GOtt Lob und Danck der nicht zugab, daß ihr Schlund uns möcht fangen &c.

II. *Blanditias.* Vocant namque Dominum Magistrum suum, & hâc laude ornant eum, quod verax sit, & viam Dei in veritate doceat, quod non cura sit ipsi de aliquo, nec respiciat personam hominum. Verùm in animo multò aliter sentiunt.

Quod Christum Rabbi, sive Magistrum vocant, in eo minimè aberrant, est enim unicus Magister, Matth.23.v.8. Confer Joh.13.v.13.

Licet autem Pharisæi non ex animo ita loquantur, sed phaleratis hujusmodi *dictis* eum circumventum eant, ut eò liberius ad quæstionem propositam respondeat, attamen nos in fide & vita fideliter ipsi adhærescere debemus. Est enim Doctor eruditæ linguæ, Esa.50.v.4. qui docet nos utilia, Esa.48.v.17. & qui præcepta ejus observat, inveniet gratiam & disciplinam bonam, corám Deo & hominibus, Prov. 3.v.4.

Sic non sincerè loquebantur, dum παῤῥησίαν ejus, quod non cura sit ipsi de aliquo, nec respiciat personam hominum, laudabant. Hæc enim causa erat odii, quo eum prosequebantur, quod abusus illorum tàm liberè taxaverat. Sunt itaque foris Catones, intus Nerones, blandiores sunt

sunt ore suo, quàm butyrum; molliores sunt sermones eorum oleo, & ipsi sunt gladii, Psal. 55. v. 21.

Eadem arte Rhabsaces cives Hierosolymitanos sollicitavit, ut dederent se Regi Assyriorum, 2. Reg. 18. v. 31. 32. nec non Holofernes, uterque dolose. Vide Judith. 3. v. 10. seqq.

Alia exempla nunc omittamus, quorum multa obvia sunt. Nam totus mundus positus est in maligno, 1. Joh. 5. 19. Beatus, qui in Deo confidit. Filii viri sunt mendacium, si ponderentur in staterâ, ipsi simul ipsa vanitate sunt leviores, Psal. 62. v. 10. Qui verò in Deo fiduciam posuerit, firmissima anchorâ innititur, non enim facit irrita, quæ processerunt de labiis ejus, Psal. 89. v. 35.

III. *Argutias.* Nam quid tibi videtur, inquiunt, licetne Censum Cæsari dare aut non? Hoc rete illud est, quo non dubitant Christum capere.

Præceperat Deus in lege suâ, Exod. 30. v. 13. ut quilibet in populo Israelitico, si ad annum ætatis vigesimum pervenisset, dimidium sicli argentei, in templum afferret, quæ pecunia reponebatur in gazophylacium, & impendebatur ad ædificationem templi, & conservationem cultûs divini. Ubi verò Romanus Imperator Judæam haberet tributariam, inter alia onera complura Judæis, hoc etiam imposuit, ut siclum illum, qui erat quadrans Thaleri, non amplius in Templi gazophylacium, ut hactenus fecerant, sed in ærarium Cæsaris reponerent. Hoc verò valdè mordebat Judæos. Alii Romanis hâc in parte obtemperandum non esse censebant: alii verò æquo animo ferendum opinabantur, quod mutari non possit, siquidem vi externâ nihil quicquam adversus Romanos valerent. Inter hæc divortia sententiarum Christo eandem proponere volunt in forma dilemmatis, nec dubitant fore, quin Christus impingat. Quod si negativam ille amplecteretur, ipsum ut Rebellem apud Cæsarem accusaturi erant, qui populum prohibeat tributum Cæsari dare, ut in Passione calumniabantur, Luc. 23. v. 2. Sin affirmativam, apud populum eum tanquam proditorem Patriæ libertatis traduxissent, cui nihil tam exosum erat, quam censum Cæsari dare. Hinc rectè Jeremias: Inventi sunt in populo meo impii, insidiantes, quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas, ad capiendos viros, Jer. 5. v. 26.

Ejusmodi laquei adhuc hodie piis struuntur, partim in doctrinâ, partim in vitâ, ut non sine ratione quis exclamet cum Anthonio: O Domine, quis evadet? Verùm quando ad Christi opem confugimus, ut testimonia ejus consiliarii nostri sint, Psal. 119. v. 24. filii hujus seculi cum omni suâ astutia nihil efficient, ut immotum maneat: Draco & Angeli ejus non valuerunt, Apoc. 12. v. 8. Nam dissipat cogitationes astutorum, ne possint implere manus eorum, quod cœperant, Job. 5. 12.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Christi veriloquentiâ.* Licet enim è corde hypocritico loquantur, attamen ipsissima veritas est, & accipimus nos hoc testimonium eorum ad solatium nostrum, cùm in doctrina, tùm in vita. In doctrinâ, quod ab omni errore immunes

nes

nes sumus, si ipsum sequamur. Si manseritis in sermone meo, verè mei discipuli estis, Joh. 8. v. 32. In vitâ verò ne dubitemus de promissis ejus; quia rectum est verbum ejus, & omnia opera ejus in fide, Psal. 33. v. 4.

In hominibus parùm fidei reperitur, licet enim quicquam pollicentur, tamen convertuntur in arcum pravum, Psal. 78. v. 57. Verùm Christus est testis fidelis & verax, Apoc. 1. v. 5. seipsum abnegare non potest, 2. Tim 2. v. 13. Luc. 21. v. 33. Num. 23. v. 29. Rom. 3. v. 4.

Exultate hinc fratres! fidelem etenim Servatorem habetis, & verbo ejus firmiter inniti potestis. Sicut igitur promisit, quod vos orphanos non derelicturus, Joh. 14. v. 28. sed vobiscum futurus sit omnibus diebus usque ad consumationem seculi, Matth. 28. v. 20. ut recepit, se excitaturum vos, die novissimo, Joh. 6. v. 54. & daturum vitam æternam, Joh. 10. v. 28. sic omnia hæc certissimè implebit, ut cum Josua dicere poteritis: De omnibus bonis, quæ se Dominus præstiturum nobis pollicitus est, unum non præteriit incassum, Jos. 23. v. 14.

II. *Ex Christi omniscientia.* Non enim ipsum fugiunt insidiæ horum, sed statim cognoscit nequitiam illorum, inquiens: Quid me tentatis hypocritæ? Hinc patet, quod sit καρδιογνώστης, Act. 1. v. 24. qui omnia scit, Joh. 16. v. 30. cujusque cor introspiciens an sincerum an dolosum sit, ideò ait ad Nathanaëlem: Ecce, verè Israëlita, in quo dolus non est, Joh 1. v. 47.

Hoc divinum ἰδίωμα est, quod restatur, Servatorem nostrum non nudum hominem: sed Deum esse, super omnia benedictum in seculum, Rom. 9. v. 5. De Prophetis quidem novimus, quod & ipsi absentia & abscondita noverint, ut perspicitur in Samuele, 1. Sam. 9. v. 19. Elisa, 2. Reg. 6. v. 12. aliisque.

At hac virtute non à seipsis polluerunt, sed ex divina revelatione, φερόμενοι ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος, 2. Petr. 1. v. 21. ideoque hæc notitia non universalis fuit, sed quantùm ipsis Deus revelavit, tantùm cognoverunt, siquidem Elisa ipse fatetur, se mortem filii, hospitis suæ ignorasse: Dominus, inquit, celavit à me, & non indicavit mihi, 2. Reg. 4. v. 27. Sed cum Christo multò aliter comparatum est. Est enim receptaculum Divinitatis & Sapientiæ, ut Epiphanius loquitur, Col. 2. v. 3.

Hoc in nostrum vergat solatium.

O quoties fit, ut hostes astuta consilia ineant, quomodo piis incommodare velint. At Dominus ipsis acclamat: Inite consilium & dissipabitur, loquimini verbum, & non fiet, Esa. 8. v. 10.

Herodes putabat, se certo certius Regem Judæorum recens natum exstirpaturum, ideò omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in ejus finibus, â bimatu & infrà occidit: Verùm Deus per Angelum jam ante Josephum admonuerat, ut cum puerulo in Ægyptum auffugisset, Matth. 2. v. 16.

Ita hodietenus pios suos contrà hostium machinationes & truculentiam tuetur:

Magnas agant astutias,
Vadit Deus vias suas
Manu sua retractans.

Breviter: Persstat illud Esaiæ: Mirabile fecit consilium, & magnificavit sapientiam, c. 28. v. ult.

III. Ex

III. *Ex hostium confusione, & erubescentia*, hinc Evangelista: Et audientes, mirati sunt, & relicto eo, abierunt.

Verè enim Salomo: Frustrà jacitur rete ante oculos pennatorum, Prov. 1. v. 17. Ut enim volucres non advolant, quando rete explicari vident: Sic nec Servatoris oculis perspicacissimis astutæ hostium suorum machinæ abstrusæ erant: sunt enim multò plus lucidiores ipso Sole: & vident omnia quæ homines agunt, Sir. 23. v. 28. ideò laqueis suis ipsum irretire non potuerunt: sed ipsi in operibus manuum suarum comprehensi sunt, Psal. 9. v. 17. & in foveam inciderunt, quam Domino foderant, Prov. 26. v. 27.

Hoc ita *præludium* fuit *victoriæ gloriosissimæ*, quam deinde Christus in Passione suâ reportavit: ubiquidem insidias serpentis, calcaneo structas expertus est; sed caput ejus contrivit, Gen. 3. v. 15. & vinctos suos emisit de puteo, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11.

Sapores Valerianum Imperatorem, infensissimum Christianorum hostem scabellum pedum adhibuit, & Christianos ab ejus tyrannide liberavit.

Tamerlanes Rex Tartarorum, Bajazetem Turcarum Imperatorem, sanguinarium Tyrannum, in caveâ ferreâ circumduxit.

Sic & Christus peccatum, mortem, Diabolum & infernum in Passione sua sibi subjugavit, & scabellum pedum constituit, hinc metu eorum soluti, cum Paulo præclarum illud *Epinikion* insonare possumus: Ubi est mors stimulus tuus? Ubi tua inferne, victoria? 1. Cor. 15. v. 55. Propter nos enim mortuus est, propter nos resurrexit, propter nos in cœlum adscendit, & de cœlo redibit, ut fideles suos in habitationem pacis introducat, Esa. 32. v. 17. ubi cum Christo regnabunt mille annos, i. e. in æternum, Apoc. 20. v. 4.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Veritati stude*. Pharisæi & Scribæ in Christum odio acerrimo flagrabant, attamen testimonium ipsi vel inviti impertiri coguntur, quod verax sit.

Nos quoque operam demus, ut hoc elogium reportemus. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, ait David, Psal. 15. v. 1.

Hæc ejusmodi virtus est, quâ tota S.S. Trinitas delectatur. Deus Pater, est Deus veritatis, Psal. 31. v. 6. qui veritatem custodit in seculum, Psal. 146. v. 6. Impossibile enim est, eum mentiri, Hebr. 6. v. 18.

Deus Filius est veritas ipsa, Joh. 14. v. 5. qui ideò in mundum venit, ut testimonium perhibeat veritati, Joh. 18. v. 37. Esa. 45. v. 23.

Deus Spiritus sanctus est Spiritus veritatis, Joh. 16. v. 26. ejusque verbum per quod gignit nos voluntariè, ut simus primitiæ creaturarum ejus, est verbum veritatis, Jac. 1. v. 18.

Quodsi igitur aliquando societatem habituri sumus, cum Patre, Filio & Spiritu sancto, 1. Joh. 1. v. 3. veritati studeamus oportet, quæ sola homines Deo proximos

facit, ut Pythagoras dixit. Hinc Zach. 8. v. 16. Eph. 4. v. 25.

Fiat hoc

1. *In Choro.* Ecclesia enim est civitas veritatis, Zach. 8. v. 3. ideò æquum est, ut quos speculatores ejus Deus constituit, Ezech 3. v. 17. veritati studeant, cum Davide orantes: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deducant in montem sanctum tuum, Psal. 43. v. 3. 2. Cor. 13. v. 8. Sir. 4 v. 33.

2. *In Foro.* Pulcherrimum enim ornamentum est, quando in Magistratu constituti juxta justitiam & veritati student, & id sanctè observant, quod polliciti sunt. *Etsi veritas toto mundo exulet, apud Imperatorem consistere debet*, dixit Imperator Carolus V. cum in Comitiis Ratisbonensibus quidam ipsi autores essent, ne salvum conductum Luthero promissum servaret.

3. *In Toro.* Nam in Jesu Christo veritas, Eph. 4. v. 21. nemo proindè defraudet proximum injusta ulna, mensura & pondere: sed trutinam veritatis cordi appendat, & quæ vult, ut faciant sibi homines, eadem & illis faciat, Matth. 7. v. 12. Imprimis verò promissa incorruptè servet, nisi verbum Dei & conscientia obsint. Nam labium veritatis firmum manet in perpetuum, Prov. 21. v. 19.

II. *Fide, sed cui, vide.* Hîc Pharisæi verbis lenocinantibus & ad gratiam comparatis utuntur: cor autem eorum felle infectum est, quò eò liberius Christus animi sensa proferat, & in discrimen adducatur. Sed Christus ipsis non fidet, sed ait: Quid me tentatis, hypocritæ!

Sic adhuc multæ sunt insidiæ dolosi, Sir. 11. v. 32. ideò opera navanda est, ut serpentinus oculus, sit in columbino corde, Matth. 10. v. 10.

Cato sapiens ille Ethnicus filium suum ita instruit:

Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus,
Tu quoque fac simile, sic ars deluditur arte,

Id est vulpinari cum vulpibus. Verùm id verbum Dei non docet nos: sed quando astutias in proximo animadvertimus, ideò eum verbis blandis reprehendamus, sicut Saulem David, 1. Sam. 24. v. 13. interea sinceritati studentes, ut benefacientes obmutescere faciamus, insipientium hominum ignorantiam, 1. Petr. 2. v. 15.

Exempla sinceritatis sunt Jacob, ideoque Deo commendatus, Genes. 25. v 27. Jobus, quem Deus ipse hoc encomio mactat, quod fuerit simplex, & rectus, ac timens Deum & recedens à malo. Super quo Beda scribit: Simplex per innocentiam mansuetudinis, rectus per cautelam discretionis: simplex, quia nullum lædere, omnibus vero prodesse desiderabat, rectus, quia se à nullo corrumpi permittebat, Job. 1. v. 1.

David, hinc ait, 1. Chron. 30. v. 17. & Psal. 25. v. 21. orat:

Simplicitas rectumque tuum, me Christe, gubernet.

Horum vestigiis insistamus, nec inter illos simus, de quibus David ait: In corde & corde locuti sunt, Psal. 12. v. 3. Nam qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in cœtu, Proverb. 26. v. 26.

Impri-

Imprimis verò caveamus nobis à subdolis illis, ne ab ipsis decipiamur. Siracides ait: Fauces contingunt cibum feræ, & cor intelligens verba mendacia, c.36. v.21.

Hoc & nos facientes, probemus Spiritus, 1. Joh. 4. v.11. Indicia manifestat Salomo, Prov. 6. v. 13. 14. quæ quando in hoc vel illo perspicimus, caveamus: si enim invenerit tempus malefaciendi, malefaciet, Sir. 19. v.25.

Maximè verò à commercio eorum abstineamus, ubi necessitas non flagitat: Ab impiis enim egredietur impietas, 1. Sam. 24. v.14. quin & verba nostra in libra examinando ponderemus, ne in illis nos capiant, Sir. 28. v.29. c.27. v.26.

III. *Justitiam cole.* Cum ipsi numisma offerrent, in quâ imago Cæsaris impressa erat, quærit ex illis: Cujus est hæc imago & inscriptio? respondebant illi: Cæsaris. Rectè ait Servator, respondistis. Quia igitur utimini monetâ, Cæsaris inscriptionem habente, hoc ipso Cæsari vos subjectos esse, agnoscitis, ideoque nec censum ei denegabitis. Date ergo Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei.

Hîc ergò debitum nostrum observandum,

1. *Ergà Magistratum terrestrem*, quem Christus primo loco ponit, non quod illum suprà Deum evehere velit: firmum enim manet effatum Petri: Deo magis obediendum, quàm hominibus, Act. 5. v.29. Quod verò primò mentionem Cæsaris facit, ideò fit, quia legati de Cæsare ejusque censu quæsiverant, ideò res ipsa postulabat, ut ipsis responsionem redderet. Ubi notanda,

1. *Imperativi consideratio.* Date Cæsari. Hinc nemo se excludere potest. Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, ait Paulus, Rom. 13. v.1.

2. *Specifica declaratio*, cui dandum, nempè Cæsari, qui tùm erat Tiberius: intelligitur autem sub hoc nomine quilibet Magistratus, sive excelsus sit sive humilis, fidelis, aut infidelis, clemens aut tyrannicus. Deus enim quandoque Regem in ira suâ largitur, 1. Sam. 8. v.6. seqq. à cujus subjectione tamen subditi nullatenus excluduntur, 1. Petr. 2. v.18. Jer. 27. v.7.

3. *Necessaria limitatio*, quam Servator exprimit, inquiens: Date Cæsari, *quæ sunt Cæsaris.*

Cæsaris sunt, quæ Deus ipsi permisit & destinavit, nempè: *Denarius internus*, amoris & reverentiæ, ut Christiani subditi Magistratum ordinarium diligant, timeant & honorent, & ex amore, timore & reverentia ei obedientiam præstent. Nam qui timent Dominum, Rector illorum in honore, Sir. 10. v.24. Deindè *Denarius externus*, census & tributi. Hoc enim judicium Regis, 1. Sam. 8. v.11. ut ei largiaris, quæ ad sustentationem ejus pertinent, Rom. 13. v.2.

At conscientiæ Magistratus imperare nequit, ideò hîc cavendum est, ne illam quoque Magistratu prostituas, & Deum ad iram provoces. Cæsari debeo militiam; dixit Dux Mauritius, Deo Conscientiam. Si peccaverit vir in virum, rum judicant Dii: Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 1. Sam. 2. v.25.

2. *Ergà Magistratum cœlestem.* Date, ait Christus, Deo, quæ sunt Dei. Hoc

palmarium est. Ipse enim Rex Regum, & Dominus Dominantium, 1. Tim. 6. v. 15. qui nos principiò ad imaginem suam creavit, Gen. 1. v. 27. & per Christum, postquam per peccata amissa est, Luc. 15. v. 9. in nobis eam reparavit, 2. Cor. 3. v. 18.

Quando aliàs Imperator, vel alius terrenus Princeps cuilibet imaginem suam donat, id pro peculiari gratiæ indicio habetur: Quantò magis nostrum erit, grato animo agnoscere, quod Rex cœli non modò imaginem suam exterius nobis appendit: sed cordi indidit, ut genus ejus simus, Act. 17. v. 18. & indies divinæ naturæ consortes efficiamur, 2. Petr. 1. v. 4.

Sicut igitur imago Cæsaris, quam Judæorum numisma præsentabat, indicium erat Judaicæ subjectionis: Et nos imaginem Dei, quam animæ nostræ impressit, ita geramus, ut nos ad cultum & reverentiam ergà Deum instiget.

Christus quærit: Cujus est imago & superscriptio? Ita memineris velim, mi Christiane! te anima præditum esse immortali, & teipsum quære: Cujus est imago & superscriptio? Nonne imago Creatoris tui? Nonne imago Redemtoris tui? Nonne imago Sanctificatoris tui? Utiq; imago Dei Creatoris tui, ipse enim fecit te, & non tu ipse te, Psal. 100. v. 2. Utique imago Dei Redemtoris tui, pretio enim emit te magno, 1. Cor. 6. v. 20. Utiq; imago Dei Sanctificatoris tui, qui in te operatur & velle & perficere, Phil. 2. v. 13. Da igitur Creatori, Redemtori & Sanctificatori tuo, quo illi obstringeris.

Debes ipsi cor tuum, da ei hoc, cum Regio Psalte orans: In unicum hoc dirige cor meum, ut timeat nomen tuum, Psal. 86. v. 11.

Da illi linguam tuam, Eph. 5. v. 4. Psal. 19. v. 17. Phil. 4. v. 8. Matth. 12. v. 36.

Da illi aures tuas, Prov. 1. v. 11. Psal. 26 v. 7. Sir. 3. v. 31.

Da illi oculos tuos, Sir. 9. v. 5. 6. seqq. Psal. 121. v. 1. Psal. 25. v. 16. seqq.

Da illi manus tuas, 1. Thess. 4. v. 6. Eph. 4. v. 28.

Da illi pedes tuos, Prov. 1. v. 16. Psal. 1. v. 1. Prov. 16. v. 13.

Debes illi animam & corpus & omnes interiores & exteriores facultates, totum te ergò ipsi consecra dicens: Domine Jesu, tibi vivo, tibi morior, sum tuus vivus & mortuus. Ipse est Creator tuus, tu verna ejus; Ipse Redemtor tuus, tu mancipium ejus; Ipse Sanctificator tuus, tu famulus ejus. Ergo servi ei, ama eum, cole, & time eum: sic te vicissim ut servum suum alet, defendet, sustentabit, hic temporaliter, omni necessitate, quoad corpus & animam, & aliquando lætabili hâc voce compellabit: Euge bone serve, Matth. 25. v. 23.

Moneta nullibi in majori pretio, quam ubi impressa est: Ita anima nostra à Deo est, qui eam primitius Adamo inspiravit, Gen. 2. v. 7. hanc igitur Deo fideliter commendemus, & ille eandem velut bonum depositum servabit in diem illum, 2. Tim. 1. v. 12. adsumturus in manum suam, ubi non tanget illam tormentum mortis, Sap. 3. vers. 1. Id quod nobis Deus ex gratia largiri dignetur per Christum, Amen.



DOMI-

DOMINICA XXIV. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 9. v. 18. -- 26.

EXORDIUM.

CUm pia illa Ruth exiisset, ad colligendas spicas, fortuitò venit in agrum Booz, invenitque gratiam apud oculos ejus, ut pueris suis mandaret, ne confunderent eam, si inter fasciculos colligeret: Ad ipsam verò dixit: Quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto, Ruth 2. v. 13. 14.

Hæc est *idea crucis*. Ruth quidem proba erat, adeò pauper tamen, ut spicas colligere cogeretur, quæ tempore messis in agris relinquuntur: Ita agnoscunt pii spiritualem suam inopiam, probè scientes, quod nihil à seipsis habeant. Ideò unicè confidunt in Servatore Jesu Christo, quæruntque spicas misericordiæ ejus, ubi inveniri possunt, in agro ejus, qui Ecclesia est. Ibi enim inveniunt benedictionem Dei, juxtà illud: Exod. 20. v. 24.

Ruth in magna gratia reputabat, quod Booz ipsi permittebat, ut cum messoribus suis cibum caperet: Ita & nos gratias agamus Deo, quod nos ad communionem Ecclesiæ vocaverit, quod simus cives sanctorum & domestici Dei, Ephes. 2. v. 19. quia in sacra Eucharistia omnes de uno pane, & de uno calice participamus, 1. Cor. 10. v. 17. Nam extrà Ecclesiam non est salus. Apoc. 22. v. 15.

Ruth buccellam suam in aceto intingere jubebatur, hæ veterum deliciæ & obsonia fuerunt. Sic Christus cibat nos & corpore & animâ: sed buccellam in aceto intingere oportet nos, h. e. varias ærumnas & persecutiones sustinere cogimur, sicut Israelitis agnus Paschalis cum lactucis agrestibus comedendus erat, Exod. 12. v. 8. Qui enim non est Crucianus, non est Christianus. Ideò unusquisque eam æquo animo suscipiat, inquiens: Infirmitas hæc est mea: Mutatio dexteræ excelsi, Psal. 77. v. 11.

Ruth hoc ipso in familiaritatem Booz pervenit, qui eam posteà uxorem duxit: Ita si amarum crucis acetum patienter sufferimus in hoc mundo, Christus magis magisq; accedet nos, ut nos adamata ejus, Esa. 62. v. 5. ipse verò sponsus & maritus noster sit, Esa. 54. v. 5. tandem remoto aceto, facturus est nobis convivium pinguium, convivium vini defecati, convivium pinguium medullatorum, Esa. 25. v. 6. ut comedamus, bibamus & præ exultatione cordis jubilemus, Es. 65. v. 14.

In prælecta Pericope duo exempla prostant ejusmodi hominum, quibus cœlestis Booz patellam cum aceto proposuit, ut buccellam suam in illo intinxerint, & particulam crucis senserint: Princeps quidem Synagogæ in filiola, quæ in flore ætatis à morte prærepta fuerat: hæmorrhousa verò in proprio suo corpore: attamen utrinque ipsorum saluti inservìit. Hoc ipso enim ad Christum pervenerunt, quod aliàs vix factum esset.

Nos instituti memores, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

QUemadmodum ante octiduum exemplum maleferiatorum Præceptorum habuimus, qui discipulos suos instigarunt, ut ipsi insidiosam quæstionem proposuerint, tectumne sit censum dare Cæsari an minus? eâ spe, ut verbis impingens, aut Cæsaris offensionem incurreret, aut plebis favorem amitteret: Ita ex adverso in prælecta Pericope, de pio Præceptore audimus, qui ob defunctam filiam suam Christum accesserit, & velut obsequens discipulus, solatium & informationem ab eo petierit, & impetraverit.

Quem secuta hæmorrhousa, quæ & ipsa ad fontem gratiæ confugiens, contrà sanguinis fluxum remedium invenit, simulac enim tetigit vestimentum ejus, salva facta est.

Querelam movet,

I. *Communis mors*, quæ æquo pede pulsat pauperum tabernas, Regumque turres. Hoc non à Deo est, qui creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit eum. Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum, Sap. 2. v. 23. Sic adhuc hodiè coràm eo gaudet mœror, Job. 41. v. 13. & si in ejus potestate foret, nos omnes perimeret. Verùm potestas ejus sub potestate est, adeò ligata, ut ne capillum capitis lædere nobis possit, ut Jobi historia probat.

Intereà tamen ingens miseria est, in quam per tristem Protoplastorum lapsum nos Satanas conjecit, ut omnes morti obnoxii simus.

Filia Jairi duodecim modò annos habebat, tamen mors ipsi non pepercit: ita nemo diuturnam vitam sibi imaginetur; sed meminerit Creatoris sui in juventute suâ, priusquam venient dies mali, & appropinquent anni, de quibus dicat: Non mihi placent, Eccles. 12. v. 1. ubi enim in sepulchrum ventum est, nihil refert: multosne an paucos annos aliquis vixerit, Sir. 41. v. 7.

A pictoribus mors depingitur in forma sceleti, quod oculis, naso & auribus destituatur, & falcem messoriam in manu teneat. Hoc non ita capiendum est, ac si mors sit essentiale quid. Nequaquam. Sic enim à Deo foret, qui tamen, ut libet Sapientiæ memorat, mortem non fecit, Sap. 1. v. 14. sed privativum quid est: quando verò de ea, ut essentiam habente loquimur, fit illud ἀνθρωποπαθῶς, ut captui nostro ita consulatur. Sic etiam instar sceleti exhibetur nobis, *sine oculis*, quia non respicit personam: sed sine discrimine aufert homines, ab eo, qui utitur hyacintho, & portat coronam, usque ad eum, qui operitur lino crudo, Sir. 41. v. 4. *sine auribus*, quia non exoratur, sed sine discrimine senem, juvenem, & virginem, parvulos & mulieres interficit usque ad internecionem, Ezech. 9. v. 5. *sine naso*, quia non attendit odorem pretiosorum balsamorum, quibus te inungis, ad animi deliquium præcavendum. Quin & *nuda* exhibetur, quo innuitur, quod nemo cum interierit, sumere quicquam possit, Psal. 49. 18.

ſed ut nihil intulimus in mundum, ita nec quicquam aufferre poſſumus. Ein Tuch zum Grab / damit ſchabab / 1. Timoth. 6. verſ. 7.

Quod verò falcem meſſoriam manu tenet, inde eſt, quia homo in Scripturâ floribus confertur, Pſal. 103. v. 15. Quemadmodum igitur fœniſeca falce ſuâ flores demetit, ut deinde langueſcant: ſic & de homine verè Eccleſia canit:

Sani, valentes jam ſumus,
Cras in ſepulchro degimus,
Ut roſa jam flores cimus,
Langueſcimus
Mox, in dolore vivimus.

Talem mortis imaginem ſemper nobis ob oculos ponamus: ſicut Herodotus de Ægyptiis refert, quod in conviviis ſuis inter epulas, quando maximè hilares fuerint, caput mortuum impoſuerint, his verbis additis: In hoc intuens bibe & oblecta te, talis poſt mortem futurus. Quodſi igitur hi gentiles, mortem adeò ſtudioſè recordati ſunt: quantò magis nos Chriſtianos id decebit: *Qui moritur antequàm moritur, non moritur, quando moritur,* Johannes Comes Naſſavienſis ſeptuagenarius cubiculo ſuo inſcripſit. Confer Joh. 5. v. 24.

II. *Acerba ſors.* Hîc & hæmorrhouſæ mulieris, & defunctæ filiæ mentio injicitur. Talis in orbe rerum facies, ut non immeritò Siracides dicat: Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, c. 40. v. 1. Hic febri laborat, ut Petri ſocrus, Matt. 8. 15. ille leprâ infectus eſt, ut Naëman 2. Reg. 5. v. 1. iſte hydropicus eſt, ut ille in domo Principis Phariſæorum, Luc. 14. v. 2. alii peſtilentia, ut Hiskias, Eſa. 38. v. 21. alii paralyſi, ut ſervus Centurionis, Matth. 8. v. 6. alii aliis morbis laborant, ut vix numeraveris infirmitates, quibus homo propter peccata corripitur, Pſal. 39. v. 12.

Hæc mera flagella Dei ſunt, quibus Diabolus pòſt lapſum miſeros nos flagellat, hinc de Abrahæ illa filia dicitur, quod alligaverit eam Satanas, Luc. 13. verſ. 16. Cùm enim Deus in initio cœlum & terram creaſſet, ecce omnia valdè bona erant, Gen. 1. v. 31. Verùm poſtquam Protoplaſti in peccata prolapſi fuerunt, & mors cum prodromis ſuis ſecuta fuit, ut Deus prædixerat, Gen. 2. v. 17.

Tamen Deus pro mirabili ſuo conſilio ita ordinavit, ut Diabolus flagello hoc nos non pro lubitu lædere poſſit, niſi à Deo poteſtatem conſequatur, & licet ipſi Deus permittat, tamen non obeſſe, ſed prodeſſe ſaluti cogitur. Ad hoc enim filium flagellat, ut corrigat, Auguſtino dicente, Rom. 8. v. 28.

Non enim juxta merita noſtra facit nobis, Pſal. 103. v. 10. ſed caſtigat nos in judicio, Jer. 30. v. 11. & quando caſtigavit nos, dimittit rurſus, Eſa. 27. v. 8. Ne igitur Diabolum reſpiciamus, qui nobis flagellum illud per peccata immiſit: ſed Deum, qui ad caſtigationem noſtram eo utitur, ne cum mundo impio damnemur, 1. Cor. 11. v. 32. & ſi animam noſtram in patientia cuſtodierimus, flagello hoc nos liberabit, fidelis ſiquidem eſt, non permittens quenquam tentari, ſuprà id quod poteſt, 1. Cor. 10. v. 3.

III. *Mundus excors*, qui Chriſtum irridet, & omnia, quæ de reſurrectione mortuorum, extremo judicio, vita æterna &

pœnâ

pœnâ infernali prædicari finit, pro fabulâ habet.

Hîc audimus, quod cùm Christus tibicines & turbam tumultuantem recedere jussisset, quod non mortua sit puella, sed dormiat, ipsum deriserint.

De his illusoribus S. Petrus prædixit, quod in novissimis diebus multi venturi sint, dicentes: Ubi est promissio & adventus ejus? 2.Petr.3.v.3.

Cum Paulus Athenis coràm Epicureis & Stoicis Philosophis de mortuorum resurrectione dissereret, pro verborum seminatore eum habebant, Act.17.v.18.

Sic Festus, Romanus Præses, Paulum de justitiâ & castitate, & de judicio futuro dicturum interpellabat, magnâ voce clamans: Insanis Paule: Multæ te literæ ad insaniam convertunt, Act.26.v.24.

Ejusmodi sycophantarum plurimi hodieternus inveniuntur, qui neque resurrectionem mortuorum, neque judicium, neque infernum credunt: ideo incitato cursu ad infernum in lata illa viâ feruntur, Matt. 7.v.13. Ecclesiasten, qui de his fidei articulis verba facit, in canticum oris sui vertunt, Ezech.33.v.31. dicentes: Ecce, gaudium & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum, Esa.22. v. 13.

Verùm quid Christus dicit? Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis, Luc.6.v.25. Contendite intrare per angustam portam, Luc.13.v.24. aliquando, nisi hoc fecerint, aliam cantilenam ingeminabunt, dicturi montibus: Cadite super nos, & collibus, operite nos, Apoc.6.v.16.

Qui igitur nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui justus est, justificetur adhuc. Ecce venio citò & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua, ait Servator Apoc.22.v.11. Ibi qui seminaverit in carne sua, de carne & metet corruptionem; qui autē seminaverit in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam, Gal.6.v.8.

Seminate proinde vobis in justitiâ, vos mei! & metite misericordiam, arate vobis arationem: donec veniat, qui docebit vos justitiam, Os. 10.v.12. ibi exultantes venietis, portantes manipulos vestros, manipulos immortalitatis, manipulos Angelicæ claritatis, & manipulos æternæ gloriæ, Psal.126.v.6.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Christi obsequio*, quo Principem Synagogæ prosecutus est. Non enim duris verbis ipsi respondet, ut Regulo, Joh.4. v. 48. sed ad preces ejus continuò surgit & sequitur eum.

Coràm mundo Præceptores qui Scholis præsunt, in parva autoritate sunt, & variis sæpè ignominiosis epithetis, qualia sunt Schulfuchs/ Kalmeusser/ Blackschmeisser &c. insigniuntur, sicut & pueri Bethulienses Prophetæ Eliseo illudebant, dicentes: Adscende calve, adscende calve! 2. Reg.2.v.24.25.

Verùm Christus multò aliter ergà eos affectus est, & ubi functioni suæ, in quâ ab illo collocati sunt, fideliter præfuerint, majora illis concrediturus est, dicens: Euge bone serve! Matth.25.v.23.

Scholæ seminaria Reip. & officinæ pietatis sunt, sine quibus neque Respublica

neque

neque Ecclesia florere & propagari posset. Malè enim vivitur, si Deo non benè creditur, ut Augustinus dixit. Hîc Timotheus doctus est sacras literas, 2. Tim. 3. v. 15. hîc Paulus eruditus accuratè in paternâ lege, Act. 22. v. 3.

Non igitur contemnendi, non in inopiâ relinquendi sunt Scholarum Præceptores, in labore sancto illi occupati sunt, qui valdè Deo placet. Pueri enim ipsi grati sunt, è quorum ore perfecit sibi robur, Psal. 8. v. 3.

II. *Ex mortis titulo.* Puella enim, ait Servator, non mortua est, sed dormit. Hic stylus est curiæ divinæ, ita loquitur Deus de abitu fidelium suorum; dormies cum patribus tuis, ait Nathan ad Davidem, 2. Sam. 7. v. 12. & defuncto illo dicebatur de eo: Dormivit David cum patribus suis, & sepultus est. Vide Dan. 12. v. 2. Joh. 11. v. 11. Act. 7. v. 60. & passim.

Verùm hoc cum grano salis intelligendum. Non mors somnus est *ex seipso*, quomodo oculis corporalibus inspicitur: sed potius φοβερῶν φοβερώτατον, ut Aristoteles eam appellitat; stipendium peccati, Rom. 6. v. 23. ultimus inimicus, 1. Cor. 15. v. 26. amara mors, Sir. 41. v. 1.

Non somnus est *peccatoribus*, qui sine pœnitentiâ discedunt, Dominus enim juravit in ira sua, quod non introituri sint in requiem suam, Psal. 95. v. ult.

Non somnus est, *quod animam concernit*, ut nonnulli olim delirarunt, qui animas defunctorum peculiari loco asservari, ubi Deum non videant, sed usque ad diem novissimum dormiant, somniarunt. Piorum enim animæ portantur ab Angelis in sinum Abrahæ, ubi dulcissimo solatio reficiuntur, Luc. 16. v. 25.

Sed *de corpore* id intelligitur, quod in sepulchro quiescit, & die ultimo virtute Resurrectionis Christi resuscitabitur, quando nimirum Dominus in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, 1. Thess. 4. v. 16.

Sicut igitur *naturalis somnus medicamentum fatigationis* est, ut Augustino dicitur, quâ membra defessa vicissim reficiuntur: Eodem modo mors pios in dulce refrigerium perfert, ubi laboribus vocationis soluti, Luc. 2. v. 29. non amplius temporalium curam agunt, sed in manu Dei conclusi, Sap. 3. v. 1. requiescunt à laboribus suis, Apoc. 14. v. 13.

Demus verò operam, ut verâ fide Christo adhærescamus, quamdiu in hoc mundo vivimus, juxta admonitionem ejus vigilantes & orantes, ne in tentationem incidamus, Matth. 26 v. 41. Ut enim veteres dixerunt: Sciendum est, illos solos dormire post mortem, qui dum viverent, vigilarunt, h. e. qui cum prudentibus virginibus lampades suas exornarunt, iisque Christum sponsum cum desiderio præstolati sunt, Matth. 25. v. 7. hoc modo mors minimè pertimescenda est. Justus enim in morte quoque sperat, Prov. 14. v. 32.

III. *Ex resuscitationis miraculo.* Postquam enim tibicines cum turba expulerat, assumtis Petro, & Johanne & Jacobo, ut & parentibus puellæ, tenuit manum puellæ, & ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum: Puella, tibi dico, surge, ut Marcus testatur. Et confestim surrexit puella, quam restituit parentibus suis.

Die ultimo similiter omnes qui in pulvere

vere terræ dormiunt, & requiescunt, manu sua miraculosa vivificabit, ut vivamus in conspectu ejus, Ose. 6. v. 2.

Recordamini igitur manus hujus præpotentis, vos mei; quando liberi, conjuges amici & cognati, morte temporali aliquantò maturius ex hac vitâ præripiuntur. Non illi verè obierunt, sed requiescunt, manus Christi custodit ossa illorum, Psal. 34. v. 21. manus Christi quoque eosdem resuscitabit die extrema, & animam cum corpore adeò arctè redunibit, ut indissolubiles victuri sint in æternum, 1. Thess. 4. v. 17.

Exultemus hinc ex animo, ô optimi! Propter peccata omnibus nobis moriendum; Verùm mors non est interitus, sed qui morte nos avocat, aliquando quoque clamabit: Revertimini filii hominum, Psal. 90. v. 4. Mors enim per Christum aculeum suum amisit, 1. Cor. 15. v. 55. nec nos in sepulchro retinere valet, ut nec Balæna Jonam, Jon. 2. v. 11. sed promovet nos potius ad vitam immortalem, ut terrestre hoc habitaculum deponamus, 2. Cor. 5 v. 1. & in corporibus clarificatis prodeamus, splendentes ut splendor firmamenti, Dan. 12. v. 3. & tanquam Sol in Regno Patris, Matth. 13. v. 43.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Ad Christum tende.* Id docent nos Jairus & hæmorrhousa exemplo suo, qui rectà ad Christum properant, qui hactenus multa signa in ægrotis fecerat, tanquam ad magistrum salvationum, ut appellatur, Esa. 63. v. 1.

Idem & nos faciamus.

Pagani tot Deos coluerunt, ut Plinius scribat: Major cœlitum populus, quàm hominum: ideò multi fuerunt, qui singulis diebus alium Deum invocarent, ut si unus fortè non juvaret, alter succurreret. Verùm ut Dii vani erant, sic & auxilium erat vanum, quod cœci illi homines se apud illos inventurum putarunt, sicut Hecuba apud Euripidem eos ignavos opitulatores vocare non dubitavit. In Scripturâ ex contemtu vocantur Gelulim stercora, 1. Reg. 15. v. 12. Elilim vani, Levit. 10. v. 4. Tzirim, errores, qui conscientias tranquillare non possint, Esa. 45. v. 16.

In Papatu sancti demortui invocantur, quorum quatuordecim constituerunt, ad quos tanquam ad sacram anchoram confugiunt, neglecto Deo, qui tamen operatur salutem in medio terræ, Psalm. 74. v. 12.

Multi ad sagas & incantatrices confugiunt, & ab ipsis benedictionem, omnibus herbis & medicamentis salubriorem expectant, Sir. 38. v. 4.

Alii iniquo animo ferunt crucem, maximè si diutius illa duret, cum Turno dicentes:

- - - Vos ô mihi manes
Este boni, quoniam Superis aversa voluntas.

Hoc meritò improbandum, adeoque fugiendum est. Potius veri Christiani ad eum se recipiant, præ cujus multitudine fortitudinis & roboris, virtutisque ejus, neque unum deficit, Esa. 40. v. 26. qui & adeò benevolus est, ut nullum ad se venientem ejiciat foràs, Joh. 6. v. 37.

Nul-

Nullis hîc Jairus & hæmorrhousa utuntur mediatoribus, qui pro se intercedant, sed rectâ ad Christum pergunt, qui unicus est Mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. in cujus nomine omnia, quæcunque petierimus, impetrabimus, Joh. 16. v. 23. etsi enim justus judex est, Psal. 7. v. 12. ita tamen justitiâ suam, cum misericordiâ temperavit, ut altera manu vulneret & percutiat, altera medeatur & sanet, Job. 5. v. 17.

Similiter Filius Dei in Scripturis nobis proponitur primò, tanquam Leo de tribu Judâ Apoc. 5. v. 5. deindè tanquam agnus mansuetus, Esa. 53. v. 7. Joh. 1. v. 29.

Quid dicam de Deo Spiritu sancto, qui in Festo Pentecostes super Apostolos effusus in flamma ignis, Act. 2. v. 3. Anteà verò in Jordane, ubi Christus baptismum susceperat, in forma columbæ se manifestaverat? Matth. 3. v. 16.

Hoc animum nobis addat, ut in ærumnis constituti rectâ ad illum properemus, qui percussit nos: non dubitantes, quin exauditurus nos sit, si hora adventarit. Quia non repellet in sempiternum Dominus, Thren. 3. v. 33. Job. 5. v. 19.

Qui verò ad alios conferent se, multiplicabunt molestos labores suos, Psal. 16. v. 4. nec modò non accipient, Jac. 4. v. 3. sed & magis magisque in exitium demergentur, donec tandem ruant in lacum, ardentem sulphure & igne, quæ mors est secunda, Apoc. 21. v. 8.

II. *Media adhibe.* De hæmorrhousa enim memoratur, quod fluxu sanguinis laboraverit annis duodecim, & in Medicos omnem suam substantiam erogaverit, ut Lucas recenset, c. 8. v. 44. Sive ut Marcus scribit: Fuerat multa perpessa, à compluribus Medicis, & erogaverat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat: donec Christum accessit, & tetigit vestimentum ejus, tum audivit vocem lætabilem: Confide filia: fides tua te salvam fecit, & salva facta est ex illa hora.

Quod media illa ordinaria adhibuerit, in eo non aberravit. Melior enim est bona valetudo omni auro: & corpus validum, quàm census immensus, Sir. 30. v. 15. tum & Medicum & Medicinam Dominus creavit, & vult, ut honoretur propter necessitatem, Sir. 38. v. 1.

Nos si fortè morbis à Deo corripimur, ad exemplum hujus mulieris adhibeamus

1. *Media spiritualia*: Ut fimbriam vestimenti Christi tangamus, non modò verbum ejus devotè audientes, sed & sacra Cœna ad fidei confirmationem fruentes. Hæc enim tunica ejus est, qua se operuit. Tangamus & nos, verba sunt Chrysostomi, fimbriã vestimenti ejus, imò verò totum. Nam si volumus, non solùm vestis, sed corpus ipsius nobis propositum est, non ut tangamus solummodò, sed ut comedamus, & saturemur. Non hic opus est, ut Romam proficiscamur, & tunicã Christi ibi quæramus. Minimè. Propè est verbum, hoc est verbum fidei, quod prædicamus, Rom. 10. v. 8.

Corporalis Christi tunica nõ amplius est in rerum naturâ, super quâ sortem miserunt milites, Joh. 19. v. 24. & licet superesset, nihil tamen illa conferret, virtus enim illa, qua mulier salvata est, non à tunica, sed à Christo ipso exiit, ut Evangelista dilucidè memorat. Quod quidem fides ejus effecit. Iccircò & reliqui, qui in stipatione hanc Christum tetigerunt, hujus virtutis non compotes evaserũt, sicut hodietenus quoq; multi templum frequentãt, sed pauci, quia

fine fide sunt, emendantur. *Tangit Christus, fides paucorum, premit eum turba multorum*, ait Augustinus.

Videamus igitur ne ex curiositate vel hypocrisi templum frequentemus, sed cor credens afferamus, quod fructus Christiano homine dignos producit, μήποτε παραῤῥυῶμεν, ne fortè præterfluamus, Hebr. 2. v. 1.

Quodsi Christum à fronte accedere non possumus, ut Jairus & alii, qui firmâ fide præditi sunt, à tergo eum accedamus cum muliercula hâc, nam posteriora mea videbis, ait Dominus, Exod. 23. v. 23. Per fidem ambulamus, non per speciem, 2. Cor. 5. v. 7.

Quodsi non omnia retinere possumus ex concionibus, ut Christum in medio apprehendamus, sicut Jacobus cum eo luctans, Gen. 32. v. 26. fimbriam ejus modò attingamus, h. e. dictum unum vel alterum memoremus, intereà Dominus, si mens nobis sana fuerit, cum simplicitate nostrâ contentus erit, eamque majoris faciet, quàm scientiam illorum, qui in eâ magnoperè sibi placent, & voluntatem ejus non faciunt, Eph. 3. v. 19.

2. *Medicamenta corporalia.* Licet enim homo determinatos dies habeat, juxtà terminum sibi à Deo constitutum, Job. 14. v. 5. nemo tamen novit diem mortis suæ, Gen. 27. v. 3.

Sicut igitur magna stoliditas foret, si quis panem haberet, & nollet illo vesci, ratus, quod Deus & absque pane se conservare posset, ut Mosen in monte Sinai, Exod. 34. v. 28. Ita æque stultum esset, medicinam paratam non adhibere, si eâ instructus sis. Non enim tentabis Deum tuum, Deut. 6. v. 16. Qui amat periculum, peribit in eo, Sir. 3. v. 27.

Sed & hoc notandum, ne terrenis mediis nimium intentus sis, & confidas: sed initium à pœnitentia facias, ut Siracides optimè consulit, Sir. 38. v. 9.

Tandem non Medico modò merces persolvenda, & impensæ restituendæ sunt, Exod. 21. v. 19. sed & ante omnia Deo gratiæ agendæ, qui medicinæ benedixit, & hoc modò morbum profligavit, Sir. 33. v. 7.

De hæmorrhousâ scribit Eusebius, quod in memoriam miraculosæ hujus sanationis duas columnas erigi curaverit: Altera repræsentavit imaginem Christi, altera mulierculam, genibus ad pedes Christi devolutam, utraque ære fusa fuit. Sed & miraculo insignis fuit lapis, in quo Christi simulacrum stetit. Anniversariè enim ex eo herba aliàs non visa enata est, quæ si fimbriam vestimenti Christi tetigit, ad varia morborum genera profliganda utiliter adhiberi potuit.

Sic neque nos gratiarum actionis obliviscamur, sed quæcunque vovimus, reddamus salutem Domini, Jon. 2. v. 10. maximè vita piâ, Deoque placenti. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum adferatis, ait Servator, Joh. 15. v. 8.

III. *Tubicines expelle.* Hoc Christum fecisse legimus, in prælecta Pericope. Quæ horum tubicinum ratio fuerit, de eo nihil in Scripturâ exstat, siquidem tempore Patriarcharum hic mos non viguit. Probabile est, quod à gentilium abusibus mutuatum, tempore Maccabæorum per summos Pontifices introductum fuerit, 2. Macc. 4. v. 11. seqq. Illi enim ejusmodi tubi-

tubicines habebant qui carminibus suis lugubribus præsentes ad luctum incitare tenebantur: habebant quoque lamentatrices suas, hâc fini ordinatas, quarum mentio fit, Jer.9.v.17.

Verùm Christus hos mortuorum tibicines ferre non potest, ideò dicit: Secedite, & expellit illos ex ædibus.

Diabolus adhuc hodiè tubicines suos alit, qui sonitu suo multos infatuant, ut non recordentur mortalitatem suam, ut concupiscentiis terrenis se dedant, atque in diem vivant, non secus ac si percussérint fœdus cum morte, & cum inferno fecerint pactum, Esa.28.v.15.

Hîc & nos mortuorum hos tubicines expellamus, ne seducamur ab ipsis, semper memorantes novissima, & in æternum non peccabimus, Sir.7.v.40.

Non fugit nos, omnes nos mortalitati consecratos esse: Abel primus fuit, reliqui mortalium omnes ipsum secuti sunt, Methusalem annis gravissimus, Samson fortissimus, Salomo sapientissimus, Absolon formosissimus, Asahel velocissimus, Christus sanctissimus ipse non potuit à morte immunis esse: exceptis Enocho & Eliâ, qui veluti Candidati æternitatis vivi in cœlum abrepti sunt, & societatem habent cum Patre & Filio, 1.Joh.1.v.3. De cœteris omnibus dicitur: Terram geris, terram teris, & in terram reverteris, Gen.3.v.19. Despiciamus proindè mortuorum tibicines, quando Epicureorum cantilenam canunt: Venite, & fruamur bonis, quæ sunt, Sap.2.v.6. finis enim infelicissimus sequitur: Transit enim mundus & concupiscentia ejus, 1.Joh.2.v.17.

Præparemus nos potius ad mortem singulis horis & momentis, sic non est quod mortem exhorrescamus, sed potius cum Simeone lætabundi dicere poterimus: Nunc dimittis servum tuum in pace, Luc. 2.v.29.

Claudimus cum Ecclesia:

Amen Deus sanctissime,
Fac oppetamus nos piè,
Fac Regna singuli tua
Cœlestia,
Colamus hinc in secula.

DOMINICA XXV. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 24. v. 15 -- 28.

EXORDIUM.

CUm Noa, Præco ille justitiæ, vineam plantasset, & vino temulentus in tentorio suo nudus jaceret, illusus est à filio minimo natu Cham, cui propterea maledixit, inquiens: Maledictus puer Canaan: servus servorum erit fratribus suis, Genes. 9. v.20.26.

Deus est, Vos mei! qui vineam fecit in cornu filio olei, quam sepivit, lapidibus construxit, consevitque vitibus nobilissimis & præstantissimis. Esa.5.v.1.2. quâ

intelligitur Ecclesia, quam Deus in V.T. ex Judæis sibi collegerat, qui Abrahæ semen erant, quoad carnem, unde Regius Psaltes: Vitem de Ægypto transtulisti: ejecisti gentes, & plantasti eam, expurgasti in conspectu ejus, & plantasti radices ejus, & implevit terram &c. Psal. 80. v. 9. In novo autem Testamento Ecclesia non amplius certo populo adstricta est, sed qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi, Act. 10. v. 35. Quò Christus collineat, Joh. 15. v. 4.

Hæc spiritualis illa vinea est, quam Deus Pater dextera suâ plantavit, Psal. 80. v. 16. & sanguine Filii proprio sibi acquisivit, Act. 20. v. 28. quin & indies adhuc egreditur ad conducendum operarios, & ubi quem reperit otiosum, mittit eum, ut laboret in hac vinea, Matth. 20. v. 1.

Sed & amore quasi inebriatus est ratione vineæ hujus, & expectat bonas uvas magna patientia: Verùm plerumque spes decollat, ut loco uvarum faciat labruscas, & tamen eandem non statim exscindit, sed optimè eandem curat, ut ipse dicit: Quid est, quod ultrà facere debui vineæ meæ, & non feci ei? Esa. 5. v. 4.

Quodsi verò omnia beneficia frustrà adhibentur, & impius mundus bonitate & longanimitate Dei ad peccata abutitur: Ecce! excitatur ille, tanquam dormiens, quasi Heros jubilans à vino, Psal. 78. v. 65. & maledictione onerat ejusmodi irrisores, ut quasi in signum ponantur, in quos variæ pœnarum sagittæ collineant, Job. 16. v. 14. omnia quippè vindictæ ejus inserviunt, Sir. 40. v. 37. ipse si jubet, feræ sylvestres depascuntur hanc vineam, Psal. 80. v. 14. sive vulpes se insinuant, demolientes gemmas, Cant. 2. v. 15. quod de Tyrannis & Pseudo-Prophetis intelligendum, qui in pœnam mittuntur, si voci Dei minus obtemperent, & fructus pœnitentiæ dignos homines non ferant.

Exemplum habemus in civibus Hierosolymitanis, quos Deus in peculium sibi ex omnibus aliis gentibus elegerat, tantisq; beneficiis ornaverat, ut rectè Moses: Non est alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos ita appropinquantes sibi &c. Deut. 4. v. 7. quia verò uvas non ferebant, sed labruscas, non diutius connivere Deus poterat: sed hanc vineam suam diripiendam tradebat vulpibus & aptis, qui ita eam vastarunt, & everterunt, ut lapis super lapidem non manserit, sed urbs cum templo, imò universa regio depopulata sint, sicut Christus aliquoties, maximè verò in prælecto Evangelio ipsis quoque prædixerat.

Nos methodo nostræ inservientes spectabimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Leo rugivit, quis non timebit? Dicit Amos c. 3. v. 8. Hoc commodè ad prælectum Evangelium applicare possumus: hîc enim profectò rugit Leo de Tribu Juda, & non modò Judæis, sed & toti mundo interitum suum annunciat, quis non exhorresceret? quis non in verâ pœnitentiâ bonum consilium arriperet, quod ille, tanquã Angelus magni consilii Judæis, nobisque omnibus suppeditavit, quò exitium

tium effugiamus, & in ultimo ejus adventu, digni habeamur, fugere omnia ista, quæ futura sunt, & stare antè Filium hominis, Luc. 21. v. 36.

Querela respicit

I. *Abominationis evidentiam*, de quâ ita Servator: Cùm ergò videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto &c. Quid abominatio sit, nos non latet, nempè res ejusmodi fœda, à quâ os & nasum obstruimus, & faciem avertimus, ne fœtor teter sanitati incommodet. In Græco est vox βδέλυγμα, quod est, res execranda, sive fœtor intolerabilis, quem exhorrescimus, & abominamur. Cor namque unguento & variis odoribus delectatur, Prov. 27. v. 9. ubi verò fœtor invalescit, abiguntur homines, ut exemplum Antiochi testatur, 2. Macc. 9. v. 9.

Potest autem abominatio hæc, de quâ Servator verba facit, quod Judæis desolationem attraxerit, & *corporaliter* & *spiritualiter* intelligi.

Corporaliter de signis Imperatoris Tiberii, quæ Pilatus in ejus gratiam noctu in SanctoSanctorum suspendit, sive ut alii malunt, simulacrum Caligulæ, quod Sempronius ibi statui jusserat, id erat idolum Zeli Patris-familias, Ezech. 8. v. 3. nempè Dei Triuni, qui in templo ignem & caminum habebat, Ezech. 31. v. 9.

Spiritualiter verò, de omnibus peccatis & flagitiis, quæ tùm à civibus Hierosolymitanis, tùm Christianis hodieтenus adversus primam & secundam Decalogi tabulam liberè perpetrantur.

Ejusmodi abominatio est idololatria, Deut. 13. v. 14. 2. Chron. 33. v. 2. Jer. 16. v. 18. Quò & illi pertinent, qui ad Magos, sagas & incantatrices confugiunt, eosque consulunt, vide Deut. 18. v. 9.

Sic abominatio Domini est perversus, Prov. 3. v. 32. quales sunt Apostatæ, qui Dominum abnegant, qui emit eos, 2. Petr. 2. v. 1.

Abominatio ipsi sunt rixosi, qui de lana caprinâ sæpè altercantur, Prov. 6. v. 16.

Abominatio ipsi sunt viri sanguinum & dolosi, quorum sermones molliores sunt oleo, & ipsi sunt gladii, Psal. 5. v. 7. Ps. 55. 22.

Abominatio Domini est omnis arrogans, Prov. 16. v. 5. Luc. 16. v. 15.

Abominatio ejus sunt promiscuæ libidines, scortatio, adulteriũ, incestus, Sodomia &c. ut expressè appellantur, Lev. 18. 26.

Abominatio apud eum statera dolosa, & pondus iniquum, Prov. 11. v. 1. nec non labia mendacia, Prov. 12. v. 22. item eleemosynæ, quæ ex injustè corrosis opibus erogantur, quas Deus mercedem prostibuli vocat & pretium canis, Deut. 23. v. 18.

Quodsi igitur nos ad prædictas partes probaverimus, multas utique abominationes reperiemus, quæ non modò temporalem desolationem, sed æternam damnationem pòst se trahunt. Ideò ipsa necessitas requirit, ut abominationes ejusmodi è domibus & cordibus nostris aboleamus. Fit id per seriam pœnitentiam, ad quam invitat nos Deus ipse, inquiens: Lavamini, mundamini, auferte malum cogitationum vestrarum, ab oculis meis, Esa. 1. v. 18. hoc optimum remedium erit, quô si usi fuerimus, omnium peccatorum non recordabitur amplius, Ezech. 18. v. 24.

II. *Persecutionis truculentiam*, quæ genti Judaicæ & præcipuè Hierosolymis à Romanis

manis imminebat, verba ita jacent: Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua &c.

Hæc ita compendiosa descriptio est miseriæ, quam bellum post se trahit: est enim verè castigatio crudelis, Jer.30.v.14. non modò *respectu Dei*, qui extremitatibus non citius utitur, quàm ubi defetiscitur misereri, Jer.15.v.7. sed etiam *respectu sui*, ratione crudelitatis, quæ tempore belli exercetur, ibi enim non deferunt seni, nec miserentur parvuli, Deut.28.v.51. sed adeò homines exagitant, ut sint quasi bis mortui, Ep. Jud. v.12. & ingemiscant væ væ, Amos 5.v.16.

Sæpè fit ut liberi antè oculos parentum interficiantur, nec infantis in utero materno ratio habeatur, 2 Reg.8.v.12. c.15.v.16.

Nonnullis manuum pollices amputantur, ut Adonibesec septuaginta Regibus fecit, deindè similem fortunam expertus, Jud.1.v.7. nonnullis nasi & aures præciduntur, Ezech.20.v.25. nonnullis oculi eruuntur, ut Zedekiæ factum, Jer.52.v.11.

Hinc ejusmodi hospites non expectantur, sed qui potest, in fuga salutem quærit, nec revertitur, quicquam tollere de domo sua, ut Christus hic loquitur. Licet enim valdè ærumnosum sit, si foco proprio relicto, inter peregrinos vitam agere cogaris, ubi sæpè parum benevolentiæ exhibetur, ut Lothi exemplum indicat, Gen.19.v.9. tamen præstat, quàm in eorum manus incidere, quibus pro iniquitate liberatio est, Psal.56.v.8.

Experti equidem sumus, fratres, quantum malum bellum sit, nempè sentina malorum, in qua omnia mala, velut in centro confluunt. Unde & absolutè malum appellatur, cui nullum conferri potest, Esa.45.v.7.

Vitemus igitur peccata, quò hoc malum præcaveamus, & pacem, quâ Deus nos beavit, conservemus. Aliàs Dominus facilè muscæ sibilare potest, Esa.7.v.18. novumque ignem in portis nostris succendere, Jer.17.v.27. ubi metuendum, ne malum septies renovetur, quo ante percussi sumus Levit.26.v.24. Deus enim justus judex, & Deus minitans per singulos dies: nisi conversi fuerimus, gladium suum acuit, Psal.7.v.12.

III. *Pseudo-Prophetarum frequentiam.* De his Servator: Surgent Pseudo Christi & Pseudo Prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi. Horum omnibus seculis multi surrexerunt, qui partim pro Christo ipso se venditarunt, ut alibi memoravimus; partim doctrinam Christi adulterarunt: nec hodiè desunt Pseudo-Prophetæ, quos Diabolus ablegat ad seducendos orthodoxos, ut fermè nesciant, ubi Christum quærant, in deserto, an in penetralibus. Inter hos palmam obtinet Pontifex Romanus, qui emissarios suos in orbem mittit, ut passim in aulis Principum se insinuent, & velut ranæ Ægyptiacæ in domos Regum adscendant, Exod.8.v.3. ubi sæpè multum detrimenti inferunt, per dulces sermones & assentationes seducentes corda innocentium, Rom.16.v.18. imprimis verò captivas ducunt mulieres, 2.Tim.3.v.6. ut à semel agnita veritate deficientes, salutis naufragium faciant, 1.Tim.1.v.19.

Hi Pseudo-Christi sunt, prætendentes: Hîc est Christus, illic est Christus, dum homi-

homines ad sanctos demortuos ablegant, potissimùm verò B. Mariæ adscribunt, quod Christo convenit, tanquam uni Mediatori Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. per quem Maria quoque salutem consecuta, ex quâ causâ etiam salutare suum appellat, Luc. 1. v. 47.

Eò enim in Papatu res rediit, ut non modò Psalterium Davidis, sed ipsam quoque orationem Dominicam B. Virgini Mariæ applicarint. O abominationem! ô idololatriam! Ideò nostrum est cautè ambulare, non quasi insipientes, sed ut sapientes, Eph. 5. v. 15.

Cum Hannibal Dux Carthaginensium, urbem Capuam, quam Romani tenebant, noctu per proditionem cepisset, Romanam tubam inflari curabat, quam astutè confici jusserat: cumque Romani illi appropinquarent, putantes esse è suis militibus, ab Hannibale sine jactura suorum profligebantur, & cædebantur.

Eodem modo agunt Pseudo-Prophetæ, quando orthodoxos seducturi sunt, tuba verbi divini canunt, prætendunt Patres & Concilia, scripta Lutheri & Augustanam Confessionem, sicut Pater eorum ipse fecit, ubi Christum in deserto tentavit, hoc ipso imponunt simplicioribus, ut fidem habentes, extremum animæ periculum incurrant. Nolite ergò unicuique Spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi Pseudo Prophetæ exierunt in mundum, 1. Joh. 4. v. 1.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Crucis moderatione.* Dicit enim Christus, quod quamvis persecutio in fine seculi maxima futura sit, tamen electos benignè respectum, & propter illos dies abbreviatum iri. Sunt enim ipsi carissimi, & qui ipsos tangit, pupillam oculi ejus tangit: ideò neminem patietur tentari suprà id, quod potest, sed faciet cum tentatione evasionem, ut possint sustinere, 1. Cor. 10. v. 13. Psal. 30. v. 6.

Equidem tempus prælongum quandoque videtur nobis, ut impatientiâ correpti cum Davide lamentemur: Nunquid in æternum projiciet Deus? Psalm. 77. v. 8. 10.

Verùm ubi afflictionem oculis fidei inspexerimus, momentum saltem durat, nec condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Rom. 8. v. 18.

Non enim Deus in Calendario suo annos & dies & horas supputat, ut nos homines; sed mille anni sunt ante oculos ejus, tanquam hesterna dies, quæ præteriit, Psal. 90. v. 4. Quando igitur nos in cruce annum, biennium, vel triennium plus minus relinquit, coràm eo momentum tantùm est, & si eam patienter sustinuerimus, affatur nos: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te, Esa. 54. v. 7. 8. Nulla proportio esse debet inter temporalem afflictionem & æternam gloriam, quâ ornabimur. Vide Apoc. 7. v. 9. 16. 17.

Quæcunque igitur in miseriarum hâc valle obveniunt nobis, æquo animo feramus, certi, si commortui fuerimus, quod & convicturi, si sustinuerimus, quod & cōregnaturi simus, 2. Tim. 2. v. 11. Si tribulatio magna, gloria major erit, si diu durat,

hæc diutius durabit. Nam lætitia sempiterna super capite nostro erit: Præmia cœlestia tàm magna sunt, ut non possint mensurari, tàm multa, ut non possint numerari, tàm copiosa, ut non possint terminari, tàm pretiosa, ut non possint æstimari, dicente Bernhardo. Oculos enim non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt eum, 1. Cor. 2. v. 9.

II. *Ex piorum conservatione.* Neque enim per Pseudo Prophetas, neque per imminentes afflictiones & persecutiones superabuntur, aut ad Apostasian commovebuntur. Sunt enim τεταγμένοι præordinati ad vitam æternam, Act. 13. v. 48. & prædestinati secundum præscientiam Dei Patris, 1. Petr. 1. v. 2. quamvis non absolutè: sed in respectu ad media, ad quæ electi quoque obstricti sunt, teste Paulo, 2. Thess. 2. v. 13.

Hoc verò certum prorsus est, licet illi præoccupentur in delicto aliquo, & in errorem incidant, quod tamen in eo non perseverent, sed gratia Dei emergant, & ad vitam æternam conserventur. Dona enim Dei sunt ἀμεταμέλητα, Rom. 11. v. 29.

Quod si verò nosse cupis, an in numero electorum sis, proba te, an fide salvificâ præditus sis, quòd inde perspicies, si virtutis desiderio flagres, & ex adverso peccata abomineris: nam omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, 1. Joh. 3. v. 9.

Idem inde tibi constabit, si Spiritus carni resistat: Qui enim Christi sunt, crucifixerunt carnem suam, cum desideriis & concupiscentiis, Gal. 5. v. 24.

Idem inde noveris, si ad Decalogum vitam tuam componas; In hoc scimus, quod cognovimus eum, si mandata ejus observemus, 1. Joh. 2. v. 3.

Certum quoque indicium erit, si dilectio fraterna in corde tuo radices egerit; Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, 1. Joh. 3. v. 14.

Nec minus inde id discemus, si orationi fideliter invigilemus. Misit quippè Spiritum sanctum in corda nostra, clamantem, Abba Pater, Gal. 4. v. 6.

Docebit id quoque nos patientia in cruce. Si enim compatimur, & conglorificabimur, Rom. 8. v. 17.

Tandem & inde nobis innotescet, si desiderio patriæ cœlestis flagremus. Spiritus enim & Sponsa dicunt: Veni, Apoc. 22. v. 17.

Nos igitur tantam habentes circumpositam nubem testium, deponentes omne pondus, & tenaciter inhærens peccatum, per patientiam curramus in proposito nobis certamine, adspicientes in Ducem fidei, & consummatorem Jesum, Hebr. 12. v. 1. seqq. & in virtute ejus custodiemur per fidem in salutem, 1. Petr. 1. v. 5. & accipiemus bravium, 1. Cor. 9. v. 24.

III. *Ex plenaria liberatione*, quam consequemur in adventu Christi, hinc ipse ait, in fine Evangelii: Sicut fulgur exit ab Oriente, & fulget usque in Occidentem, ita & adventus erit Filii hominis.

Quamvis igitur hic dies impiis erit dies iræ, Rom. 2. v. 5. dies tenebrarum & caliginis; dies nubis & turbinis, Joel. 2. v. 2. Dies succensa, velut caminus, & erunt omnes contemtores, & omnes facientes impietatem stipula: & inflammabit eos, quæ non derelinquet eis radicem & ramum, Mal.

Mal. 4. v. 1. aliter tamen multò comparatum erit cum piis. Unde rectè Augustinus: Formidandum est hoc judicium malis propter pœnam, amandum autem bonis propter coronam, Apoc. 2. v. 10.

Jam multæ sunt tribulationes justorum, Psal. 34. v. 20. suntque lampas contemta apud cogitationes divitum, Job. 12. v. 5. quilibet insultaturus ipsis dicit: Pone in terram corpus tuum, & in plateam transeuntibus Esa. 51. v. ult. Verùm ubi Jesus veniet ad judicium, momentanea levitas tribulationis δόξαν καθ᾽ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν operabitur, 2. Cor. 4. v. 17.

Sicut igitur agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat imbrem temporaneum & serotinum: Ita & vos patientes estote & confirmate corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquavit, Jac. 5. v. 7. Intereà seminate vobis in justitia, & metite misericordiam: arate vobis arationem: tempus autem requirendi Dominum, donec veniat, qui doceat vos justitiam, Os. 10. 12. sic exultantes venietis, portantes manipulos vestros, nempè manipulos Angelicæ claritatis, manipulos immortalitatis, & manipulos æternæ beatitudinis, Psal. 126. v. ult.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Scripturam ama.* Eò remittit nos Christus, inquiens: Qui legit, intelligat. Ubi in specie de Propheta Daniele loquitur, qui de quatuor Monarchiis, Antichristo, aliisque prædixit, quæ ultimis seculis futura sunt.

Hîc circumspectè agendum, ne in excessu vel defectu pecces.

Et in excessu quidem peccatur, si vaticinia hæc ad tuum sensum detorqueas, & explices, & pro certo affirmes, cujus in Scripturâ nulla vestigia amplius reperiuntur. Talia enim non nisi à posteriori demùm intelliguntur, & Spiritus sanctus studiosè ea occultavit, sicut Christus pòst resurrectionem demùm Apostolis aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas, Luc. 24. v. 45. Ante autem dicebat, hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis, Joh. 16. 4.

In defectu verò illi peccant, qui Scripturas vel alto supercilio, ut viles & abjectas contemnunt, ut Angelus Politianus dixit: semel à se Scripturas esse lectas, & quod tempus nunquam pejus collocaverit: vel planè prohibentur, sicut in Papatu laici planè ab eâ arcentur: quin pro regulâ quasi habent: Bonus Biblicus nunquam fit bonus Catholicus (Papista,) contrà quàm Christus mandavit: Scrutamini Scripturas, illæ enim sunt, quæ testimonium perhibent de me, Joh. 5. v. 39. Non itaque à lectione Scripturæ cessent Christiani, sed in lege Domini voluptate afficiantur die ac nocte, Psal. 1. v. 2.

Gellius memorat, quod olim Tarquinius Superbus à Sibylla Cumanâ tres libros trecentis Philippicis emerit, qui & Romæ tanquam Oracula habiti sunt, & lecti quando Deos consuluerunt.

Nihil verò hi æstimandi in comparatione Scripturæ. Omnis enim Scriptura θεόπνευστος & utilis est, ad docendum, ad

arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus, 2. Tim. 3. v. 16. Majoris itaque hanc faciamus, cum Davide dicentes: Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti, Psal. 119. v. 72. Cum voluptate quoque easdem legamus. Et ut Ezechieli volumen ostendebatur, quod venter ejus edebat, quoque viscera ejus complebantur, Ezech. 3. v. 3. Ita & nos Scripturam per sedulam considerationem in succum & sanguinem convertamus, quo parati simus semper ad satisfactionem, omni poscenti rationem, de eâ, quæ in nobis est spe, & fide, 1. Petr. 3. v. 15. Optimum enim est, gratia stabiliri cor, Hebr. 13. v. 9.

II. *Instanter ora.* Eò spectat: Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho. Utrumque enim tempus difficultates suas habet. Hyeme fuga difficilis est, cùm propter frigus, nives & ventos, tùm etiam propter brevitatem dierum; Sabbatho autem propter cultum divinum, qui Judæis Sabbatho sanctè commendatus erat.

Alioqui Judæi in eâ opinione versabantur, quia Deus omnes manuum labores prohibuerit, non licere iter facere: sicuti etiam ultrà duo millia passuum, sive dimidium milliare peregrè non abibant, quanto scilicet intervallo tabernaculum fœderis, à castris Judæorum aberat, unde quoq; non ulterius abire licere putabant Sabbatho, hinc ejusmodi spatium, iter Sabbathi appellatum est, Act. 1. v. 12.

Quando igitur Christus hîc Judæos orare jubet, ne fuga illorum fiat Sabbatho, hoc ipso superstitionem confirmare non vult, quasi Sabbatho non ulterius iter facere licitum sit, quàm duo millia passuum, urgente quamvis necessitatis casu, quo errore imbuti Judæi tempore Maccabæorum trucidari malebant, quàm hostibus sese opponere, ut constat ex 1. Macc. 2. v. 36. sed hoc potius significare vult Servator, non sufficere tùm Sabbathi iter, sed opus fore, ut longius profugiant, si manus Romanorum effugere velint. Propterea ad preces eos confugere jubet. Hæc enim vis orationis est, ut vel pœnas planè avertat, vel minimùm mitiget, ut apparet ex precibus Mosis, pro Israelitis illas fundentis, Exod. 32. v. 11. Num. 11. v. 2.

Hinc oratio in Scripturis multa præclara epitheta habet, vocatur sepes ad rupturam, Ezech. 22. v. 30. scutum contra hostes, Sap. 18. v. 21. Panacæa probatissima contrà omnes morbos, Sir. 38. v. 9. Jac. 5. v. 12. Sacrificium gratissimum, Ps. 141. 2. odoramentum suavissimum, Apoc. 5. v. 8. clavis cœli penetrantissima, Sir. 35. v. 21. Jac. 5. v. 17. quâ Deus movetur, ut cataractas cœli aperiat, & effundat benedictionem usque ad abundantiam, Mal. 3. v. 10. Verbo: Res omnipotens, ut Lutherus vocat, hinc Christus, Matth. 18. v. 19.

Josua precibus suis Solem sistebat, ne moveretur, donec ulcisceretur hostes suos, Jos. 10. v. 12. Ita nos precibus nostris Deum quasi constringere possumus, ne faciat furorem iræ suæ, Os. 11. vers. 9. Psalm. 103. v. 13.

Oratione Moses devicit Amalekitas, Exod. 17. v. 11. Oratione Elisæus Syros cæcitate percussit, 2. Reg. 6. v. 18. Oratione David restitit pestilentiæ, 2. Sam. 24. v. 17. Oratione Daniel servatus est in lacu leo-

leonum; Dan. 6. v. 10. Oratione Judith defendit oppidum Bethuliæ, Judith, 10. v. 2. Oratione nos hodiernus montes transferre possumus, & omnia quæ nobis obesse volunt, prohibere. Propè enim Dominus invocantibus eum, facit voluntatem timentium se, & exaudit eos, Psalm. 145. v. 18.

III. *Adventum Christi exspecta.* Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet usque in Occidentem, ita erit & adventus Filii hominis. Ubicunque fuerit cadaver, illic congregabuntur & aquilæ.

Hæc pauca quidem sunt verba, sed tamen diem extremum certissimè venturum affirmant. Dominus enim, qui illa pronunciavit, veritas ipsa est, Joh. 14. v. 5. citius cœlum & terra transibunt, quàm verba ejus, Luc. 21. v. 33.

Atqui dicit, se ceu fulgur cum adventu suo irrupturum, ideò in procinctu stemus, ut quandocunque Dominus venerit, cum prudentibus virginibus in occursum ejus prodeamus, & cum eo intremus in gloriam, quam ipsi Pater dedit, Joh. 17. v. 24.

Filii hujus seculi non multum curant diem novissimum, sed quia aliquamdiu dilatus est, ajunt: Neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus malum ingruet, Psal. 75. v. 7.

Verùm genuini Christiani propter hanc moram non securitati se tradunt: sed cogitant, quod Deus patienter agat propter nos, nolens ullum perire, 2. Petr. 3. v. 9. ideò expectant adventum ejus,

1. *Corde pœnitente.* Ut enim

Fulgura cum ingeminant, cœlorumq; ingruit horror,

majorem devotionem in precibus ostendimus & sanctimoniam in operibus: Ita & nos semper adventus Domini recordemur, qui ut fulgur irrupturus, mundoque finem impositurus est. Hic stimulus esse potest, ut temperanter, justè & sobriè vivamus in hoc seculo, Tit. 2. v. 12. qui enim novissima recordabitur, nunquam peccabit, Sir. 7. v. ult.

2. *Corde fideli.* Est enim judex frater noster. Hinc Gregorius: Spes magna nobis facta pœnitentibus, quia advocatus noster factus est judex noster. Sicut enim Josephus cum fratribus suis non stricto jure egit, sed potius iis alimenta concessit in terra Gosen, Gen. 42. & seqq.

Ita nec cœlestis Josephus, frater noster Jesus Christus, nos à facie sua abjiciet, nec damnationi tradet, sed potius in cœleste gaudium introducet, ut in habitatione pacis simus, Esa. 32. v. 18. habentes cum eo vitam, & abundantius habeamus, Joh. 10. v. 10.

3. *Corde patienti.* In hoc mundo tyrannidi & injustitiæ subjecti sumus. Nam veritas è medio sublata, & qui recessit à malo, prædæ patuit, Esa. 59. v. 15. hinc sæpè impatientiâ præoccupati, dicimus: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob, Psal. 94. v. 7. Verùm in silentio & spe erit fortitudo nostra, Esa. 30. v. 15. Habac. 2. v. 4.

Sicut igitur Sponsa haud invitè præstolatur tempus, quo nuptiæ parantur, & à Sponso domum deducitur: Ita nos, velut Sponsa Christi, quam sibi in fide sponsavit, Os. 2. v. 19. patienter expectemus, dum nos in palatium cœleste introducat. Veniens veniet, & non tardabit, Habac. 2. v. 3.

Veni Domine JESU, Amen!

DOMINICA XXVI. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 25. v. 31. -- 46.

EXORDIUM.

JOhannes Damascenus memorabilem historiam recenset, de Rege quodam, ejusque fratre. Rex ille continuò sibi ob oculos posuit diem extremi judicii, ideoque subtristis & mœrens incessit. Frater ipsum commonuit, ut profligato mœrore lætitiam ostenderet, siquidem nullam causam tristitiæ haberet. Rex illi tùm quidem nullum responsum dedit. Paucis verò diebus elapsis, Rex præconem misit, qui ante ædes fratris buccinâ signum daret, quod in Regno illo mortis signum fuit. Cum Præco id fecisset, & frater sonitum tubæ percepisset, totus exhorrescebat, putans, se à Rege morti adjudicatum. Lugubri ergò veste indutus, consternatus ad Regem pergit, ad cujus genua provolutus orat, ut vitam sibi donaret: non enim sibi constare, quânam re capitis reus factus esset. Cui Rex: Mi frater, tu tantoperè pertimuisti sonitum buccinæ, qui tamen nihil deliquisti, quod morte dignum esset; Et ego non animo perturbato essem, cujus auribus tuba extremi judicii semper insonat, qui exploratum habeo, quod indies imò momentaneè Deum meum, multis peccatis offenderim? Iccircò ne ludibrio me habeas, si in contemplatione judicii ultimi, omni mundano gaudio renunciem, & vitam meam in perpetuo mœrore transigam.

Laudabile factum Regis, quo fratrem à securitate deterrere voluit! Est autem hic Regis frater imago filiorum hujus seculi, qui de judicio ultimo parùm soliciti, omni tristitiæ valedicunt, & in deliciis terrenis se recreant, non secus ac si fœdus percussissent cum morte, & cum inferno pactum fecissent, Esa.28.v.15. hi terrendi sunt die extremi judicii, qui est dies tubæ & clangoris, Soph.1.v.16. ubi Filius Dei in tubâ Dei descendet de cœlo, 1.Thess.4. v.16. & nos ad tribunal suum citabit: idque eo fine, ut securi isti homines à vano mundi gaudio absterreantur, ex adverso verò cœlestia semper solicitè quærant.

Eò collinearunt Majores nostri, ideoque Evangelia nonnulla in Ecclesia Dei tractanda ordinarunt, in quibus doctrina extremi judicii paulò plenius continetur, quò verbi Ministri ansam haberent, sæpius diem ultimum inculcandi, & sonitu ultimæ tubæ homines terrendi, ut sic timore perculsi, in se descenderent, & per seriam pœnitentiam vitam emendarent.

Nos instituti nostri memores videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

Exege-

J. J.

Exegesis.

CUm terrenum judicium agendum est, judex paratus, tribunal collocatum, & judex sessum capit, nihil tamen geri potest, nisi partes citentur & appareant. Judicium extremum quàm proximè instat, judex constitutus est, Actor.10.v.42. thronus paratus, Psal. 9.v.9. unde partes in procinctu stent, ut si citentur, promtè compareant. Processum verò hujus judicii præsens Pericope delineat.

Querela respicit

I. *Omnium hominum coràm tribunali congregationem.* Ita enim Servator: Et congregabuntur antè eum omnes gentes: cum quo consentit Paulus, Rom. 14. v.10. & 2.Cor.5.v.10.

Hæc verba semper recordamini, Vos mei! Mundanum judicium ubi exercetur, reus coràm judice appareat necesse est: sic & justitiæ, veritati & sapientiæ Christi congruum, ut, sicut ipse in forma visibili compariturus est, ita & omnes homines eum intueantur, & ad tribunal ejus sistantur.

Hæc congregatio omnium rigorosissima erit. Rigorosa quidem fuit, ubi inter tonitrua & fulgura, & clangorem buccinæ vehementius perstrepentis, lex promulgata fuit, Exod.19. v.16. & Moses congregata omni turba filiorum Israel, dixit ad eos: Hæc sunt, quæ jussit Dominus fieri, Exod. 35. v. 1. verùm ejusmodi conventus nunquam fuit, qualis die novissimo futurus est. Hinc Augustinus: Deus ostendit potentiã suam in creatione, Sapientiam suam in gubernatione, misericordiam suam in reparatione, justitiam suam in judicio.

Hoc luculentius patebit, si judicia terrena & ultimum conferamus, convenientiam & disconvenientiam illorum contemplantes.

Coràm judicio mundano reus sistitur, & judicis ante oculos versatur: Idem fiet die ultimo, ubi omnes παραστησόμεθα sistemur ante tribunal Christi, Rom.14. v.11. Vide 23. v.33. 35. Sed magna hîc diversitas: Hîc enim homo à terrenis modò judicibus citatur: ibi verò sistetur in conspectu SS. Triados, coràm omnibus Angelis, & electis. In memetipso juravi, mihi curvabitur omne genu, ait Dominus, Esa. 45. v. 23.

Si quis in hoc mundo comparere vereatur, Magistratus eum in loco competenti sistit: Homines, præcipuè impii, libenter evitarent hoc judicium: ast quia judex est hæreditarius in omnibus gentibus, Psal.82. v. 8. Dominus super opera digitorum Dei, Psal.8. v. 4. mare, terra, omnes tumuli, valles, montes, hiatus, foveæ exhibebunt vivos & mortuos.

Abscondere quidem se satagent, in speluncis & petris montium, à facie sedentis super Thronum, & ab irâ Agni, Apoc. 6. v. 16. Verùm frustrà. Montes, colles, & petræ sicut cera fluent, à facie Domini: à facie Domini omnis terra, Psal. 97. v. 5.

In hoc mundo multi fugâ sibi consulunt, aliorsùm se conferunt, & hoc modo judicium declinant. Verùm nec hoc ibi locum habebit. Oportet omnes φανερωθῆναι, 2.Cor. 5. v. 10. Judex enim omniscius & omnipræsens est, Sir.23. v.28. Psal.139. v. 2. & seqq.

Hinc

Hinc nemo fugâ dilabi poterit. Non fugiet velox, nec salvari se putet fortis, Jer. 46.v.6. Amos 2.v.15. Nunquid Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longè? Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus, nunquid non cœlum & terram ego impleo, Jer.32.v.23. Sir.16. v.15.18.

Inserviat hoc *dehortationi vestræ*, Vos mei! ut quilibet peccatis renunciet. Nescis, quàm meticulosa res sit ire ad judicem, dicit Plautus. Nemo enim ab hâc congregatione immunis erit, quod omnes injustitiæ operatores probè observent.

Demosthenes olim meretricio Laidis amore incensus, cum nimium quantum illa posceret, dixit: Tanti pœnitere non emo. Id multò æquius Christiano considerandum, Eccl.11.v.10. nemo hîc effugiet, quidni ergo peccatis valedicat?

II. *Impiorum à piis separationem*, de quâ Servator: Et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis: & statuet oves quidem à dexteris suis, hœdos autem à sinistris. Per oves intelligit pios, per hœdos verò impios: sicut igitur oves & hœdi interdiu promiscuè pascuntur, vesperâ verò ingruente separantur: Ita & in hoc mundo pii & impii promiscuè degunt, verùm mundi vespera irrumpente & ipsi segregabuntur.

Per dextram in Scripturis bonum, per sinistram verò malum intelligitur. Cor sapientis in dexterâ ejus, & cor stulti in sinistra illius, Eccl.10.v.2. Dextera significat felicitatem & lætitiam: Sinistra vero infelicitatem & tristitiam. Quia igitur pii bonum elegerunt, ideò à dextris quoque sistentur: impii malum elegerunt, proptereà à sinistris collocabuntur. Judex in medio residebit, utrinque magna catervâ stipatus.

Hîc promiscuè vivunt boni & mali. Ecclesia similis est sagenæ, missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, Matth.13.v.47. Cain & Abel in una domo habitant, Gen.4.v.1.2. Jacob & Esau in eodem utero concluduntur, Gen.25.v.24. Lazarus & Epulo unam civitatem incolunt, Luc.16.v.19. Pharisæus & Publicanus idem templum frequentant, Luc.18. v.10. Petrus & Judas uni mensæ accumbunt, Luc.22.v.14. Hîc separari non possunt. Non ex cultu Dei externo: huic enim intersunt, tàm impii quàm pii, tàm hypocritæ, quàm sinceri Christiani: non ex fortunâ exteriori, sunt enim justi, quibus mala proveniunt, quasi egissent opera impiorum: & sunt impii, quibus talia eveniunt, quasi justorum facta habeant, Eccles. 8.v.14. pii flagellantur, impii florent, Psal. 73. v.5. quod si hîc florentes pios, & calamitosos impios pronunciares, probi omnes damnarentur, improbi verò bearentur: Verùm in adventu Domini accuratè distinguentur pii & impii, oves & hædi, & omnes suo loco collocabuntur. Hic Dominus, ut est omniscius, cujusque cor introspiciet, & ita judicabit in justitia, Act.17.v.31.

Sicut igitur distincti stabunt, ita etiam dissimili affectu erunt. Piis jucundum erit, à dextris Christi stare, & cum Augustino exclamabunt: O gaudium super omne gaudium, vincens omne gaudium, extrà quod non est gaudium! Hebr.12.v.23. Impiis verò terrificum. E collocatione enim à sinistris facilè colligent, quali judicio

cio afficiendi sint. Hinc lamentabile væ ingeminabunt, væ mihi! væ corpori! væ animæ!

Theodosius Imperator propter cædem Thessalonicensium ab Ambrosio excommunicatus, lamentabili voce, & largiter profusis lacrymis dixisse fertur: Cœlum mihi clausum est. Quantus ergò ejulatus damnatorum erit? Ibi verè dicent: Cœlum nobis clausum est in æternum. O benignissime Jesu! noli concedere, ut quisquam ex hoc cœtu tormenta inferni sentiat!

III. *Impiorum damnationem*, de quâ ita verba habent: Tunc dicet his, qui à sinistris erunt: Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Et ibunt illi in supplicium æternum. In his verbis Christus ipsis proponit

1. *Tristem depulsionem*. Ite, inquit Christus, apagete, discedite ex oculis meis, non digni estis, qui me intueamini, aut societatem mecum habeatis ullam. O verbum horrendum! Ibi commovebitur & contremiscet terra, & fundamenta cœlorum concutientur, propter iram judicis, 2. Sam. 22. v. 8.

Magnâ hîc formidine percellentur impii, quando ita à facie Domini abjicientur. Væ illis, si ego discessero, ait Dominus, Os. 9. v. 12. cum Deo societatem habere est summum bonum, ab eo exclusum esse, summum malum. Deus vita est, Joh. 11. v. 25. manebunt ergò in morte. Deus lux est, 1. Joh. 1. v. 15. manebunt ergò in tenebris. Deus caritas est, 1. Joh. 4. v. 16. ab hac in æternum excludentur.

2. *Exsecrandam nominationem.* Vocat enim eos maledictos. O verbum terribile! Maledictum esse, est omnibus pœnis temporalibus & æternis subjectum esse, Deut. 27. v. 15. seqq. Cum Christus maledictionem nostram in se suscepisset, cœpit contristari, mœstus esse & angi, dicens: Tristis est anima mea usque ad mortem, Matth. 26. v. 37. & factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis, decurrentes in terram, Luc. 22. v. 44. Quid damnati animi habebunt, si propter propria peccata maledictione devoventur, quia meritum Christi petulanter pedibus conculcarunt. Nonne angor, pavor & luctus eorum eò major erit?

3. *Abjectionem*, & quidem in ignem æternum. Per hunc ignem maximi cruciatus & tormenta significantur, quia hîc supplicium æternum vocatur. Cremabit quippè non corpora duntaxat, sed & animas damnatorum.

Ignis & æstus languorem afferunt: Multò magis ignis iræ divinæ, qui ardebit usque ad novissima inferni, Deut. 32. v. 22.

Ignis sitim causat, quæ excipit languorem. Ita damnati in inferno siti macerati, ne guttula quidem aquæ, ad refrigetandam linguam suam, potientur, Luc. 16. v. 25.

Ignis exquisitos dolores parit. Quantos dolores, cruciatus quantos sentient damnati flamma infernali undiquaque cincti? Utique dolores exquisitissimos sentient in anima, quæ desperabit. In conscientia, quæ illos arrodet. In corpore & omnibus membris, quæ excarnificabuntur. Idque non aliquamdiu, sed in æternum.

4. *Dæmonum associationem.* De Regno

uuu cœlo-

cœlorum dicitur in Evangelio nostro, quod hominibus paratum sit. At de igne æterno non dicitur, homini paratum esse, sed Diabolo, & Angelis ejus. Diabolus enim primùm lapsus est, & hominem quoque seduxit. At hominibus salus parata est in Christo, si eum verâ fide amplectantur. Hoc quia impœnitentes facere noluerunt, ideò & ipsi angelis & filiis Diaboli accensebuntur, & ita eandem sortem cum illis subibunt. Et hoc ipsum cruciatum eorum augebit, quod à commercio Dei & beatorum exclusi, in terribili hâc societate degent.

Inserviat hoc *debortationi vestra.* Non ludit hîc Christus, sed seriò agit. Non concernit bona terrena, vel vitam temporalem, sed æternitatem. Christus ita verba sua concepit, ut omnium Epicureorum effugia refellerit. Cogitarent, fortè, Christus misericors est, non abjiciet nos. Sed *ite*, ait, *maledicti.* Censerent, si maledicti sumus, in locum amœnum relegabit nos? Relegabit, sed *in ignem*, omnium tormentorum exquisitissimum. Existimarent, si in ignem, ille aliquando exstinguetur. Ah minimè! inquit enim, in *ignem æternum.* Opinarentur, sit licet æternus, tamen tolerabilior erit, pœnâ Diabolorum, à quibus seducti sumus. Nequaquam ait Christus, *paratus enim est Diabolo & Angelis ejus.* Nolite errare: non irridetur Deus, Gal. 6. v. 7.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Judicis notatione*, is hîc vocatur Filius hominis. David ita dicit: Dominus ad judicium paravit thronum suum, Psal. 9. v. 8. Et Psal. 50. v. 6. Deus judex est. Confer, Hebr. 12. v. 23. Unde colligendum, totam S.S. Trinitatem judicium acturam esse.

Deo Patri expresse adscribitur, Dan. 7. v. 9. & Act. 17. v. 31. Quod verò dicitur: Neque Pater judicat quenquam, Joh. 5. v. 22. id ratione visibilis actus intelligendũ est.

Spiritui S. quoq; judicium tribuitur, dum Spiritus judicii dicitur, Esa. 4. v. 4. Sicuti enim in hoc mundo homines per verbum arguit, Gen. 6. v. 3. Joh. 16. v. 8. ita etiam die ultimo cum Patre & Filio eosdem judicabit. Est enim opus ad extrà quod omnibus tribus personis commune est.

Quamvis autem tota S.S. Trinitas judicium exercebit: attamen externus actus judicii per Christum θεάνθρωπον exercebitur, ut Evangelium præsens testatur. Vide Joh. 5. v. 23. Act. 10. v. 42. Quod non modò quoad divinam, sed & humanam naturam ei competit, juxtà quam in nubibus cœli omnibus hominibus conspicuus erit. Hinc dicitur: Pater dedit potestatem Filio judicium facere: quia Filius hominis est, Joh. 5. v. 27. Hoc piis in solatium vergit.

Si Moses judex foret, causam haberemus pertimescendi, ille enim in genere, omnes maledictos pronunciaturus esset, qui non permanserunt in omnibus sermonibus legis, Deut. 27. v. 27. Hîc nemo hominum replicare quicquã posset, omnes enim declinavimus à mandatis & judiciis ejus, Daniel. 9. v. 5. Si hostes Evangelii judices essent, iterum causam timendi haberemus, utpote qui ab executione incepturi, & indicta causa damnaturi nos essent. Sed judex est Christus frater noster, hinc nemo in eũ credens animũ abjiciat, ipse quippè dicit: Qui in me credit, non peribit, sed habebit vitam æternam, Joh. 3. v. 16. Est advocatus noster, quis condemnabit? Rom. 8. 34. Est Spon-

Sponsus noster, Hos.2.19. Eccur sponsam rejiceret? Est frater noster, Hebr.2. v.11. quidni fraterno nos amore amplecteretur? Est amicus noster, Cant.2.v.8. quî odio nos haberet? Est Salvator noster, Luc.2.11. quomodo salutem nobis denegaret? Est caput nostrum, eccur membra sua repudiaret? Col.1.18. Est pastor noster, quomodo oves suas hœdis adsociaret? Est Jesus noster quidni propter nomen suum nobis gratiã largiretur? Ergò in Domino gaudeamus, & exultemus in Deo, Jesu nostro, Hab.4.18.

II. *Ex operum misericordiæ commendatione.* Esurivi enim, inquit, & dedistis mihi manducare. Sitivi & dedistis mihi bibere &c.

Pontificii hîc invenisse se putant, non quod pueri in fabâ, prætendentes, operibus hic causam meritoriam salutis adsignari. Verùm oppidò falluntur. Non enim hic operibus salus tanquam causæ meritoriæ adscribitur, diversum enim docet Paulus, Eph.2.v.8. Rom.3.v.28. Rom.11. v.6. quo respectu hic vita æterna hæreditas dicitur, quæ tamen meritoria non est: Sed conditio & signum subjecti, eorum scilicet, qui salutem hæreditabunt. Hi illi erunt, qui esurientes cibarunt, sitientes potarunt &c. Quia enim fides, quæ unicum ex parte nostra salutis apprehendendæ instrumentum, invisibilis est, bona verò opera in sensus incurrunt, utpote per quæ fides se exerit, Gal. 5. v.6. illa tanquam indicium fidei allegantur, iisque salus adscribitur.

Quod ipsum incitare nos debet, ut & in operibus misericordiæ exercendis seduli simus. Multi enim adhuc inveniuntur esurientes, hos cibemus, multi sitientes, hos potemus, multi hospites & alienigenæ, illis succurramus pro virili, Gal.6. v.9.

Quod divites potissimùm observent. Nam ut Augustinus ait: *Divites aliarum paupertate probantur.* Propterea necessitatibus Sanctorum communicate, Rom. 12. v.13.

Hoc est

1. *Æquum.* Frange esurienti panem, Esa.58.v.7. Tob.4.v.7.9.

2. *Christianum.* Frustrà sibi de fide blanditur, qui bonis operibus non ornatur, ait Bernhardus. Este imitatores Christi, qui propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis, 2.Cor.8. v.9.

3. *Commodum.* Date & dabitur vobis, Luc.6.v.38.

4. *Gloriosum.* Hinc commendatur Cornelius, Act. 10.v.2.4. Tabea, Act.9. v.36. Tobias, c. 12. v.12. Mutuò dat Domino, qui miseretur pauperis, & retributionem suam reddet ei, Prov.19 v.17.

III. *Ex sententiæ pronunciatæ quoad electos exsecutione.* Justi autem ibunt in vitam æternam, ait Christus. Per justos intelliguntur illi, qui Christum, qui nobis à Deo factus est justitia, 1.Cor.1. v.30. verâ fide apprehensum sibi applicarunt, ut fides ipsis imputata ad justitiam, Roman. 4. v.5. Esa.45. v.24. eamque ostenderunt in fructibus justitiæ, quæ per Christum Jesum fiunt, in laudem & gloriam Dei, Philip. 1. v. 11. Matth. 5. v. 16. Hi ibunt. Quò verò? In vitam æternam. Ubi vera vita, & abundantia gaudiorum cum vultu ejus, & delectationes in dexterâ ejus in æternum, Ps.16. v.ult. Ibi qui seminarunt in lacrymis, cum exultatione metent, Ps.126. v.5. ibi absterget Deus omnẽ lacrymam ab oculis nostris, Apoc.21. v.4.

Ibi habitabimus in cœlesti Hierusalem, cujus portæ ex margaritis, plateæ ex auro mundo, tanquam vitro pellucido, v.21. eò anhelamus, & ita vivamus, ut eò pertingamus. Hoc fieri potest

1. *Nos ab impiis separando.* Psal.1.v.1.2. 2.Cor.6.v.14.

2. *Justitiam sectando.* Justi ibunt in vitam æternam: Injusti vero Regnum Dei non hæreditabunt, 1.Cor.6.v.10. Quærite ergò justitiam ejus, Matth.6.v.33. Induite Dominum Jesum Christum, Rom.13. v.14. indumentum justitiæ, Esa.61.v.10. vivite justè, Tit.2.v.12. & quæ justa sunt, hæc cogitate, Phil.4.v.8.

3. *Cœlestia desiderando.* Vita æterna est scopus vitæ nostræ, non habemus hîc civitatem permanentem, sed futuram inquirimus, Hebr.13.v.4. πολίτευμα nostrum est in cœlis, Phil.3.v.20. Sursum ergò corda, Col.3.v.1. Phil.3.v.13.

Inserviat hoc *consolationi vestræ* in omnibus ærumnis & adversitatibus. Si commortui fuerimus, & convivemus, si sustinemus, & conregnabimus, 2.Tim.2.v.12. qui participes sunt in tribulatione, participes quoque erunt in Regno, Apoc.1.v.9.

De Adriano Martyre legimus, quod constantiam Martyrum admiratus, interrogaverit eos: Quid expectatis pro tanto supplicio? cumque ipsi respondissent: Speramus illa bona, quæ oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adscenderunt, quæ Deus præparavit diligentibus se, 1.Cor 2.v.9. adeò ipsum commotum fuisse, ut continuò in Catalogum Christianorum se consignari fecerit, & Martyrium sub Diocletiano læto animo sustinuerit. Sic patienter & vos perferte malum, ibitis enim in vitam æternam, Psf. 126.v.6.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Judicium extremum diligenter expende.* Quod Servator noster processum extremi judicii, tàm exactè delineaverit, nostri causa factum est. Ibi enim de omnibus operibus, Ecclesf.12.v.14. de omnibus verbis, Matth.12.v.36. & de omnibus cogitatis, 1.Cor.4.v.5. Deus rationem exposcet, & hoc Christus nobis manifestavit, ut cautè ambulemus, non quasi insipientes, sed ut sapientes, Eph.5.v.15.

Hæc consideratio gignit in nobis veram pœnitentiam, resistit peccatis, & operatur sinceram pietatem. Beatus erit, quisquis non sine memoriâ divini judicii omnia gesserit, ait Hilarius. Et hæc causa finalis est, ut doctrina hæc sedulò inculcetur, quò pœnitentiam homo agat, Act. 17.v.30.

Quicunque igitur de extremo judicio sedulò cogitat, peccata odio prosequitur, ut cogitet: Timete Deum & date illi honorem: quia venit hora judicii ejus. Apoc. 14.v.7. Hic timor Domini expellit peccatum, Sir.1.v.27.

Ex adverso verò gignit veram pietatem. Sic cùm Felix Paulum audiret prædicantem, de judicio futuro, tremefactus est, Actor.24.v.25.

Sic Cedrenus refert, Bagarim Bulgarorum Regem, sola pictura extremi judicii ad Christianam fidem conversum: quantò verò magis hoc præstabit verbum Dei, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom.1.v.16.

Agamus

Agamus Deo gratias, pro gratia sua, quam nobis in Christo exhibuit, quia in omnibus divites facti sumus in illo, in omni verbo, & in omni scientia, 1. Cor. 1. v. 4. 7.

II. *Virtutibus ovium stude.* Hoc enim simile præ cæteris arridet Servatori nostro. Potuisset ille adhibere simile de agricola, qui zizania à tritico separat, Matth. 13. v. 28. de Piscatore, qui malos pisces forâs mittit, & eligit bonos in vasa, v. 47. sed simile de pastore & ovibus magis ipsi placet, pridem siquidem prædixerat: Ego judicabo inter pecus & pecus, inter arietes & hircos, Ezech. 34. v. 17.

Quodsi igitur à dextris collocari vis, ovicula Christi sis oportet.

Ovis est 1. *mansueta.* Sic & tu mansuetudinem amplectere, Eph. 4. v. 1. 2. Matth. 5. v. 5.

2. *Munda.* Tu similiter, sectare sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Dominum, Hebr. 12. v. 14. 1. Thess. 4. v. 3. 5.

3. *Minimè mala.* Sic & tu sis simplex & rectus, ut Jobus c. 1. v. 1. 1. Petr. 2. v. 1.

Simplicitas, Rectumque suum, me Christe, guberner.

4. *Obsequiosa.* Tu similiter: Oves meæ vocem meam audiunt & sequuntur me, ait Servator, Joh. 10. v. 27.

5. *Placida.* Corâm tondente se obmutescit, & non aperit os suum, Esa. 53. v. 7. Tu quoque patiens in adversis esto, 1. Petr. 4. v. 12. 13.

6. *Fructuosa.* Tu similiter, 2. Corinth. 8. v. 3. 4.

7. *Insignita* cruce, vel alio charactere. Hoc quoque non mirum tibi videatur. Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus, Matth. 10. v. 38.

His proprietatibus qui præditus est, à dextris collocabitur, & in vitam æternam ibit. Christus enim oviculis suis dat vitam æternam, Joh. 10. v. 28.

III. *Opera caritatis exerce.* Sic enim Servator in præsente Pericope: Esurivi, & dedistis mihi manducare &c. & addit: Amen dico vobis, quamdiù fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Adhuc hodiè non desunt *miseri*, qui panem propter Deum petunt, & eleemosynas colligunt. Exhibe illis opera caritatis & misericordiæ, sis cum Jobo pater pauperum, Job. 29. v. 16. Ne nega, quod desiderant, pauperibus, nec oculos viduæ fac deficere, cap. 31. v. 16. 17. frange esurienti panem, Esa. 58 v. 7. Id Servator palàm prædicabit dicens: Esurivi, & dedisti mihi manducare.

Occurrunt *hospites, peregrini* & *exules*, qui propter Evangelium persecutiones patiuntur, ut Elias, 1. Reg. 19. v. 4. & Amos, cap. 7. v. 12. imò Christus ipse à Gergesenis finibus illorum ejectus, Matth. 8. v. 34. hos recipe in hospitium, & hospitalitatem sectare, Rom. 12. v. 13. Hebr. 13. v. 2. ut Abraham & Loth fecerunt, Gen. 18. v. 2. c. 19. v. 1. id Christus commendabit, dicens: Hospes eram & collegistis me.

Multi sunt fratres & sorores, qui *nudi* incedunt, Jac. 2. v. 15. hos vestibus operi. Qui habet duas tunicas, det non habenti, Luc. 3. v. 11. Quod Episcopum Martinum fecisse legim⁹. Id Servator similiter laudabit, inquiens: Nudus fui, & operuistis me.

Multi sese offerunt *infirmi* & *ægri*, qui cum Jobo testa se radunt, & sedent in medio pulvere, Job. 2. v. 8. cum Lazaro pleni

ulceribus sunt, Luc. 16. vers. 20. cum proficiscente in Hiericho sauciati & ad mortem usque vulnerati sunt, Luc. 10. v.30. cum Epaphrodito usque ad mortem infirmantur, Phil.2.v.27. hos consilio, re & auxilio juvare ne cessa. Non te pigeat visitare infirmum, Sir.7.v.39. Imitare Samaritanum, Luc.10.v.33. id Christus publicè celebrabit, inquiens: Infirmus fui, & visitastis me.

Tandem multi *captivi* sunt in mundo, sicut Petrus, Jacobus & Baptista incarcerati, Act.12.v.1. Matth.11.v.2. Paulus catenis alligatus, Actor.20.v.22. 2.Cor.11. v.25. Apostoli cœsi, Act.5.v.40. propter Evangelium vincti, 2. Tim.1.v.8. exhibe illis opera misericordiæ, ut eruas eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses, Prov. 24. v.11. aut alio modo eorum tribulationi communices, Phil. 4. v. 14. Exemplo Ebedmelech Jeremiam liberantis, Jer. 38. v. 4. c. 39. v. 18. hoc quoque Christus prædicabit, dicens: In carcere eram & venistis ad me.

O quanta gloria redundabit in pios, quando Servator, caritatem, pietatem & alia bona opera coràm Angelis & electis publicè enarrabit & laudibus ornabit! In hoc enim omnes cognoscent, qui discipuli & imitatores ejus fuerint, Joh.13. v.35. nempè illi qui lucem suam ostenderunt coràm hominibus, ut viderint opera eorum bona & glorificarint Patrem, qui in cœlis est, Matth. 5. v.16. Hinc colligendum, quinam hæredes salutis futuri sint, nempè non alii, quàm illi, qui fidem suam ex operibus ostenderunt, Jac.2, v. 18. & vocationem & electionem suam firmam fecerunt, 2.Petr.1.v.10.

Aperi ergò cor tuum ergà afflictum, & Deus vicissim cataractas cœli aperiet, effusurus benedictionem suam usque ad abundantiam, Mal. 3. v. 10. Qui enim dat pauperi, non indigebit, Prov.28. v.27. Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus &c. Psal. 41. v. 1. seqq.

Hanc opimam promissionem, in omnibus beneficis Christianis, implere dignetur Deus Opt. Max. per JEsum Christum, Dominum nostrum, Amen.



IN

IN DIE FESTO B. ANDREÆ APOSTOLI.

Evangelium Matth. 4. v. 18 -- 23.

EXORDIUM.

POstquam Iſraelitæ è ſervitute Ægyptiaca liberati, mare rubrum tranſierant, & in deſerto aquæ inopiâ laborabant tribus diebus; tandem venerunt in Mara, ubi quidem aquas invenerunt, ſed non potuerunt eaſdem propter amaritudinem bibere. Donec tandem Moſes, Dei juſſu, lignum miſit in aquas, & in dulcedinem verſæ ſunt. Inde perrexerunt in Elim, ubi erant *duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ*, & caſtra metati ſunt juxtà aquas, Exod. 15. v. 22. & ſeqq.

Nos miſeri homunciones Diaboli inſidiis, in graviſſimam ſervitutem incideramus, Diaboli mancipia facti, Joh. 8. v. 35. Verùm Deus Opt. Max. per manum Chriſti, ſervi ſui electi, Eſa. 42. v. 2. nos emiſit de puteo, in quo non eſt aqua., Zach. 9. v. 11.

Interea in ſolitudine hujus mundi erramus, peregrinantium inſtar, Pſal. 39. v. 14. variis ærumnis expoſiti, ubi variationes & exercitus contrà nos ſunt, Job. 10. v. 17. Et licet quandoque proſperior ſors affulgeat nobis, Mara tamen mœrore & dolore infectum eſt, & niſi Deus per lignum vitæ, Chriſtum Jeſum in verbo ſuo, aquam amaram edulcaret, pereundum nobis eſſet in afflictione noſtra, Pſal. 119. v. 92. Id quod ſignificatur, per duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmas, quas Iſraelitæ è Marâ abeuntes in Elim invenerunt. Cruce enim ſua Servator crucem noſtram ita ſanctificavit, ut nunc Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom. 8. v. 28. Quò verò hoc ſolatium omnibus Chriſtianis inſerviret, Optimus Servator noſter, ut typum hunc impleret, pertranſiit in Judæâ & Galilæâ, electis duodecim Apoſtolis, quos juxtà alios ſeptuaginta Diſcipulos ablegavit, ad Evangelium prædicandum, & quà Judæos, quà Gentiles in ſalvifica Filii Dei agnitione erudiendum.

Hi ſunt duodecim illi conſolationum fontes, & ſeptuaginta palmæ, per quorum ſcripta hodietenus omnes tentatæ & afflictæ conſcientiæ eriguntur. Hinc David: Secundum multitudinem cogitationum mearum, in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam, Pſal. 94. v. 19.

Exemplu mproſtat in prælectâ Pericope, ubi Servator quatuor homines ſimul ad Apoſtolatum vocat, inquiens: Venite pòſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. Id poſteà ita continuavit, donec numerum duodecimum, qui in

T. T.

V. T. variis modis, maximè verò per duodecim aquarum fontes præfiguratus est, implevit.

Nos methodo nostræ inservientes videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

S. Andreas, cujus memoria hodiè in Ecclesia celebratur, nomen habet ab ἀνδρεία à fortitudine. Id reapse quoque probavit: licet enim multis modis persecutus, imò planè tandem in crucem actus sit: attamen omnia masculè & cum gaudio superavit. Hâc de causa & pii Veteres cum eô novum annum inchoarunt. Typus enim est omnium verè credentium, de quibus Apostolus ait: State in fide, ἀνδρίζεσθε, viriliter agite, & confortamini, 1. Cor.16.v.13. Hoc apprimè opus est considerantibus, in quantas miserias propter peccata incidimus, ut non abs re Siracides dicat: Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem, Sir.2.v.1.3.

Querela respicit

I. *Laboris asperitatem*, cui omnes mortales à nativitate usque ad mortem subjecti sunt. Homo enim nascitur ad laborem, ut avis ad volatum, Job.5.v.7. In prælecta Pericope audimus, quod Petrus & contribules ejus rete in mare mittant, & non exiguum laborem impendant, quò victum sibi acquirant.

Id omnibus nobis demandatum. Omnis labor hominis est ipsi demensus, ait Ecclesiastes cap.6.v.7. hic manu, ille intellectu id efficit, intereà cuilibet in sudore vultus sui vescendum pane suo, Gen.3.v.19.

Labor & molestia reperitur in *statu Ecclesiastico*. Scriptura sacra unum modò volumen est, & tamen verbi Minister per omnem suam vitam in eo desudet oportet. Nemo hactenus inventus, qui hunc utriusque fœderis codicem ex asse intelligat, nec futurus est, qui illum scrutinio judicii perquirat, & planè complectatur. A mari enim abundabit cogitatio sensus ejus, & consilium illius in abysso magna, Sir.24. v.38.39.

Qui verò labor, molestia quæ, semper in legendo, studendo & meditando occupatum esse! Sanè frequens meditatio carnis afflictio est, Eccles.12.v.12. unde verbi Ministerium non sine ratione à Bernhardo, negotium omnium negotiorum dicitur, cui nemo sufficiens est, nisi Deus idoneum eum Ministrum faciat novi Testamenti, 2.Cor.3.v.5.

Labor & molestia reperitur in *statu Politico*, ubi Christiano magistratui omnis lapis movendus, si officio suo satisfieri velit.

Moses Princeps ille Israeliticus tantam Imperii molem sentiebat, ut diceret ad Deum: Si inveni gratiam in oculis tuis, interficias me, ne afficiar tantis malis, quia gravior est mihi populus, quàm ut ferre possim, Num.11. v.13.

Rex Ahasverus noctu curis officii sui inquietatus est, Esther.6.v.1.

Jobus de seipso dicit, quod oculus fuerit cæco, & pes claudo, imò pater pauperum, & causam, quam nesciverit, diligentissimè investigaverit, Job.29.v.15.16.

Hos

Hoc qui imitaturus est, molestiam satis magnam sentiet. Unde rectè Paulus: Qui præest, in solicitudine, Rom.12.v.8.

Hanc regiminis molestiam, quò Dionysius Tyrannus Damocli, assentatori ostenderet, qui beatum eum ratione dignitatis æstimabat, mensæ magnificentissimis epulis instructæ admovit, ita ut strictus gladius comæ equinæ appensus cervicibus ejus immineret: quo periculo ille exterritus Regiæ Majestati illicò valedixit. Hinc non immeritò Saul apud vasa abscondidit sese, cum Rex Israelitarum eligendus esset, 1.Sam.10. v.23.

Labor & molestia invenitur *in statu œconomico.* Nam si quis non vult operari, non manducet, 2.Thess.3. v.10. quia igitur sine cibo nemo vitam transigere potest, labori vacare oportet, quò se & suos honestè alat, hinc Salomo: quodcunque facere potest manus tua, pro virili operare, Eccles. 9. v. 10. exemplo Petri, qui non defessus est rete laxare, quò bonam capturam acciperet, Luc.5.v.4 6.

Jacobus tàm assiduus fuit in functione suâ, ut die nocteque æstu urgeretur, geluque, fugeretque somnus ab oculis ejus, Gen.31.v.40.

Anna uxor Tobiæ ibat ad opus textrinum quotidiè, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, marito cœco deferebat, Tob.2.v.19.

Paulus die & nocte operabatur, ne quenquam gravaret, 1.Thess. 2.v.9.

Ruth spicas colligebat remanentes, sequens messorum vestigia, & desiderecejus in domo paululum erat, Ruth.2.v.7.

Ita omnibus nobis labor impositus, qui eò gravior pòst lapsum est, quia per peccatum maledictio omnibus operibus nostris adhærescit, ut sæpè cum Petro frustrà laboremus; nam neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, 1.Cor.3. v.7.

II. *Periculi multiplicitatem.* Hi discipuli victum non in terrâ acquirere possunt, sed in mari piscari coguntur: aqua verò omnium elementorum infidissimum. Hinc Anacharsis interrogatus: quanta esset spissitudo tabularum nauticarum? respondit: quatuor digitorum: Tantulum, inquit, absunt à morte, qui navigant. Sæpè enim advenit Spiritus procellæ, & extolluntur fluctus, ut adscendant usque ad cœlos; & descendant usque ad abyssos: ut anima navigantium in malis tabescat: Circumeant & moveantur sicut ebrius: & omnis sapientia eorum devorata sit, Psal. 107. v. 25.

Id quod Jonas comperit, Jon.1. v.4. nec minus Apostolus Paulus, Actor. 27. v.14. seqq.

Nos simili periculo expositi sumus. *Mundus* nihil aliud, quàm *impetuosum mare* est, in quo, quoad vivimus, inter decumanos fluctus navigamus, & modò sursum, modò deorsum, modò ad dextram, modò ad sinistram projicimur, sicut ad pacem amaritudo nobis amara, sicut Hiskiæ contigit, Esa.38.v.17. ut non immeritò cum Davide ingemiscamus: Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ, usque ad animam, Psal. 69. v. 2. 3.

Mare inconstans est, & licet quandoque tranquillum sit, tamè subitò fluctus suos attollit: Ita qui mundo fidit, decipitur, si hodiè humanum se ergà pios simulat, mox austerum se præbet, ut facilè videas, faciem

ejus non esse sicut heri & nudius tertius, Gen.31.v.5.

Mari qui immergitur suffocetur necesse est, paucissimi indemnes elabuntur. Ita, qui mundum diligit, & quæ in mundo sunt, 1.Joh.2.v.15. velut Demas,2.Tim.4. v.9. is nunquam pervenit in portum salutis, sed naufragium faciens, à barathro infernali absorbetur, 1.Tim. 1. v.19.

In mari sunt balenæ, monstra marina, & varia bestiarum genera, Psal.104. v. 25. Sir.43. v.27. Ita in mundo sese offerunt Tyranni truculenti, qui naviculam fidei & vocationis nostræ impugnant, & dolent, si expugnare nos nequeant. Perpetua enim hominis vita militia est, Job.7.v.1. si non Diabolus, mundus, si non mundus, caro nostra nos impugnant, idque tàm diu durat, donec ultimus inimicus veniat, qui est mors, & pugnæ finem imponat, 1.Cor. 15. v.26.

In mari quandoque *Sirenes audiuntur*, quæ blando suo cantu navigantes somno sopiunt, ut navicula liberum suum cursum sequatur, & ita in scopulos illidat, vel à voragine absorbeatur.

Ejusmodi blandientes Sirenes in hoc mundo sunt concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ, hæ suaviter cantillant, ut nos ad se pelliciant, & somno securitatis immergant. Ideò accurata cautione opus est, ne carnalibus concupiscentiis nimium indulgeamus. Nam concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cum consummatum fuerit, generat mortẽ, Jac.1.15.

Optimè nobis consulimus, si cum Assapho Deo Gubernatore utamur. Ipse est, qui colligit tanquam cumulum, aquas maris, Psal.33.v.7. quando eas vocat, effundit easdem super faciem terræ, Amos.5. v. 5. quando verò illi silentio imposito dicit: Tace & obmutesce, Marc.4.v.39. sive: usque hûc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos, Job.38.v.11. parere cogitur, nam mutatio dexteræ Excelsi, Ps.77.11.

III. *Infortunii celeritatem.* Hîc audimus, Jacobum & Johannem cum Patre Zebedæo in navi sedisse, & retia sua refecisse. Hoc ipso innuitur, quod adhuc hodiè opifices & mechanici labore nocturno atque diurno parùm lucrentur: nam omnia commercia ferè frigent, ex adverso verò exactiones variæ invalescunt, & pecuniæ inopia tanta est, quanta olim in Ægypto, Gen.47.v.15.

Hæc magna miseria est, & justa Dei pœna. Ut enim benedictio Dei divites facit, nec addetur ei labor, Prov.10. v.22. ita ex adverso nihil feliciter succedit, si maledictionem Deus immittat: sed omnia mittuntur in sacculum pertusum, Hagg. 1.v.6. ut defraudetur gens tota, Mal.3.v.9.

Inveniuntur Mechanici, qui ipsi in causa sunt, dum diras execrationes evomunt, si prosperè & ex voto non succedat labor, vel defraudant proximum, opera non rectè elaborantes, vel scandalum doctrinæ & vitæ præbent, sicut Demetrius argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, Act. 19. v. 24. aut nimis carè vendunt merces, aut eas exterius dolose incrustant, quæ posteà, si rectè inspiciantur, adulterinæ deprehenduntur, argentum versum est in scoriam: & vinum mistum est aquâ, Esa. 1. v. 22.

Hæc verò species furti est, quod Deus im-

impunè non dimittit. Est enim vindex de his omnibus, 1.Thess.4.v.6. Non proindè mitum est benedictionem Dei evanescere & maledictionem succedere. Noli proinde quocunque modo proximum defraudare, sed amorem illi exhibe, quem tibi exhibere velis. Imprimis cave, ne idem facias, quod Alexander ærarius, de quo Paulus conqueritur, quòd multa ipsi mala ostenderit, 2.Tim.4.v.14. qui enim unctos Domini tangit, pupillam oculi ejus tangit, Zach.2.v.9.

Sed & observa illud Siracidis: Sta in testamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuo &c. cap. 11. v.21. 24.

Quodsi verò, his omnibus observatis, retia tua rumpant, ut hîc illîc refectione opus sit, h. e. victus & amictus acquirendi ratio labascit: discipulorum horum recordare, qui & ipsi retia sua reficere & suâ sorte contenti esse coacti sunt. Deus te non derelinquet, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his, quæ possidet, Luc.12.v.15. magnus autem quæstus est pietas cum sufficientia, 1.Tim.6.v.6.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex accessu*. Nam ideò ad mare Galileæ secessit & in littore ambulavit, quia sciebat discipulos hosce ibi piscaturæ vacare.

Solatio hinc fruere, mi Christiane! in omnibus adversitatibus, ubicunque locorum fueris, Jesus tuus præsens est, nec derelinquet te orphanum, Joh.14.v.18. Si & ipse ad mare, vel etiam in mari medio tribulationem versaris, ubi fluctus insurgunt, & procellæ tentationum contrà te sæviunt, ut abyssus abyssum invocet, Psal.42. v.8. noli abjicere animum. Christus in littore adstat, Joh.21.v.4. & tecum est in tribulatione, Psal.91. v. 15. juxta promissionem, Esa.43.v.2.

Sic erat cum Noâ in arcâ, Gen.7.v.16. cum Jacobo in agro, Gen.28.v.12. cum Josepho in carcere, Gen.39.v.21. cum tribus viris in fornace, Dan.3.v.25. cum Daniele in lacu leonum, Dan.6.v.22. cum Jonâ in alvo cete, Jon.2.v.7. cum Petro in vinculis jacente, Act.12.v.7.

Ita pietati stude, & Deum sedulò time, & non discedet abs te, sed tecum erit omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth.28.v.ult.

II. *Ex adspectu*. Vidit enim duos fratres, ut Evangelista memorat: hic adspectus fuit amicabilis, si spectemus eum

1. *Formaliter*. Jesus noster equidem aliàs omnia velut præsentia intuetur, & non est quicquam absconditum ab oculis ejus, Sir.40.v.25. Verùm Andream ejusq; fratrem Simonem gratiæ suæ adspectu dignatur, ut illos adspicit, quos diligit. Oculi enim Domini super timentes eum, Psal.33. v.18. Ita respexit Petrum abnegantem, in palatio Pontificis, Luc.22.v.60. Matthæum in telonio, Matth.9.v.9. Zachæum in arbore Sycomorum, Luc.19.v.5. Mariam Magdalenam, peccatricem illam resipiscentem, Luc.7.v.48.

Eodem modo adhuc hodie respicit omnes peccatores, modò pœnitentiam illi agant. Respicio, inquit, ad pauperculum & contritum Spiritu, & trementem sermones meos, Esa.66.v.2.

Caveant pii, ne gratiæ hunc adſpectum contemnant, ut cives Hierosolymitani, quia enim gratiam ſibi à Chriſto acerbè flente oblatam, inſuper habebant, & rejiciebant, funditus tandem delebantur, Luc. 19. 41. ſeq.

Qui jam gratiæ divinæ adſpectum contemnit, illum aliquando, velut juſtiſſimus judex oculis iræ intuebitur, relegaturus eum in locum, ubi damnatos mors depaſcit, ut in æternum lucem non videat, Pſal. 49. v. 20.

2. *Materialiter*, reſpectu perſonarum, erant enim

1. *Fratres*. Hoc ipſo fraternam caritatem ſibi valdè placere innuit, ſicut & paulò ante abitum ſuum dixit: Mandatum novum da vobis, ut diligatis invicem, Joh. 13. v. 34. 35. Huic igitur apprimè ſtudeamus, in omnibus Hierarchiis, maximè vero Collegæ, qui in eodem officio verſantur, operam navent, ut uno pariter animo per fidem Evangelii decertent, Phil. 1. v. 27. vinculum pacis incorruptum ſervantes, Eph. 4. v. 3. ibi promittit Deus benedictionem & vitam usque in ſeculum, Pſ. 133. 4.

2. *Piſcatores*. Hoc ipſo opera manuaria commendat, quod neutiquam illa adſpernanda ſint. Chriſtus enim à piſcaturâ plurimos ſibi Apoſtolos ſelegit. Quin & opifices inter dona ſua numerat. Ecce, inquit, ego creavi fabrum, ſufflantem in igne prunas, Eſa. 54. v. 16. Bezaleel & Ahaliab replevit Spiritu ſapientiæ & intelligentiæ, Exod. 31. v. 3. ſeqq. Præterea Spiritus ſanctus inter ornamenta tribus Judæ recenſet, quod tot figuli in eâ fuerint, 1. Chron. 4. v. 21. 23. Et ubi faber ferrarius aliquando non inventus eſt in omni terrâ Iſrael, idipſum pro magna infelicitate & pœnâ habetur, 1. Sam. 13. v. 19.

Sicut enim oculus non dicere poteſt manui: Opera tuâ non indigeo, 1. Cor. 12. v. 21. ita nec mechanicorum operâ carere Resp. poteſt, Sir. 38. v. 36. Artifex faber arte ſua uſus diligenter fabricat vas utile in converſationem vitæ, Sap. 13. v. 11. ſicut & figulus laborioſe fingit ad uſus noſtros, unumquodque vas, Sap. 15. v. 7.

Joſephus pater Chriſti putativus fuit faber lignarius, Luc. 3. v. 23. Paulus artis Scenofactoriæ, Act. 18. v. 4. Petri hoſpes coriarius, Act. 10. v. 6. Chriſtus ipſe non erubuit patrem in opere fabrili adjuvare, hinc & ipſe faber dicitur, Marc. 6. v. 3.

Ne igitur Chriſtiani opifices dubitent, quin in ſtatu Deo grato & accepto vivant, non igitur oderint opera laborioſa, creata ab Altiſſimo, Sir. 7. v. 16.

III. *Ex affatu*. Nam, venite poſt me, inquit, ego faciam vos piſcatores hominum. Ubi habemus

1. *Verba mandati*. Venite poſt me: Hoc nobis quoque dictum eſt. Ideò enim exemplo ſuo præivit nobis, ut ſequamur veſtigia ejus, 1. Petr. 2. v. 21. Quæ hæc veſtigia? Sunt primò *veſtigia innocentiæ*. Non enim peccatum fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus, 1. Petr. 2. v. 22. Deinde veſtigia patientiæ: non enim cùm malediceretur, maledicebat: cum pateretur, non comminabatur, 1. Petr. 2. v. 23.

His veſtigiis & ipſi inſiſtamus, converſationem inter gentes habentes bonam; ut in eo, quod detrectant de nobis tanquam malefactoribus ex bonis operibus nos conſiderantes, glorificent Deum, 1. Petr. 2. v. 12. tùm & æquo animo crucem à Deo im-

immissam feramus, & aliquando audiemus vocem amabilem: Venite benedicti Patris mei, Matth. 25. v. 34.

2. *Verba promissi.* Nam, faciam vos, inquit, piscatores hominum. Hactenus in mari Galilææ navigantes piscaturæ corporali dediti fuerant, at nunc ait Servator, velle se eos piscarores hominum constituere, ut animas hominum in impetuoso mundi pelago capiant, & reti Evangelii in littus trahant.

Hic videmus, *Deum non delectari morte peccatoris*: sed quia homines, quasi pisces maris promiscuè vivunt, Habac. 1. v. 14. Piscatores suos ordinavit, qui piscentur eos, Jer. 16. v. 16. quò conservati ad vitam æternam, non amplius aquam salsam bibant, sicut in hoc mundo: sed de fluvio aquæ vitæ, splendido tanquam crystallo, Apoc. 22. v. 1.

Hoc quidem non sine difficultate peragitur. Interim sicut piscator non statim rete abjicit, si quandoque frustrà laboret, sed fortunæ melioris spe se solatur: Ita & *verbi ministri* non illico animum abjiciant, si successus ex voto non sequatur, sed instent opportunè importunè, 2. Tim. 4. v. 2. Electi mei non laborabunt frustrà, dicit Dominus, Esa. 65. v. 23. Esa. 55. v. 10. 11.

Christiani *Auditores* non repugnent, quò minus capiantur; non abscondant se in limo malitiæ, uti Herodes, Matth. 14. 3. non subterfugiant rete, ut dives epulo cum fratribus suis, qui Mosen & Prophetas audire renuebant, Luc. 16. v. 31. neque rictum diducant, contrà verbi Præcones, ac si eosdem devorare vellent, sicut balæna Jonam, Jon. 2. v. 1. nec coaxent instar ranarum, ut Auditores Ezechielis, c. 33. v. 31. nec cruribus piscatorum adhærescant, vel ut hirudines, ut sanguinem eorum sugant. Panis egentium vita pauperum, qui defraudat illum homo sanguinis est, Sir. 35. v. 25. Neque dirumpant rete, velut Tyranni, qui verbum Dei & Ministros ejus penitus excisuri sunt, ad exemplum Achabi & Jesabelis, 1. Reg. 19. v. 1. seqq. sed per seriam pœnitentiam reti sese insinuent, sic die novissimo colligentur ad vitam æternam, Matth. 13. v. 30.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Virum te præsta.* Andreas ut suprà dictum nomen habet ab Ἀνδρεία: sic quilibet Christianus Andream, i. e. fortem virum se præstet,

1. *In vocatione legitima*, sive Ministerium in ministrando, sive, qui docet in doctrina, Rom. 12. v. 7. Nam in manu artificum opera laudabuntur, Sir. 9. v. 24. quicunque igitur opera manuaria exercere gestit, artem calleat oportet. Magister facit unumquodque, qui autem locat stulto, locat illud superficiario, Prov. 26. v. 10.

Quodsi non omnia ex voto succedunt, noli abjicere animum, sed virum te præsta in Christiana constantia, Davidis verborum memor: Spera in Domino & fac bonitatem, & inhabita terram, & victum quære in veritate &c. Psal. 37. v. 3. 4.

Quodsi alii invidentia te prosequantur, neque hoc te moveat: Deo dante nihil valet invidia. Licet Philistiim Isaaco fontes obstruebant, non tamen benedictionem Dei obstruere poterant, Gen. 26. v. 15.

Sic & tu mane in loco tuo, *rumpantur ut ilia Codro*, nihil contrà te efficient: Sine pœnitentia enim sunt dona Dei, Roman. 11. v. 29.

2. *In disciplinâ domesticâ.* Vir enim est caput mulieris, Eph. 5. v. 23. ideò quoque domui suæ præsit benè, filios habens subditos, cum omni honestate, 1. Tim. 3. v. 15. Si quis autem suorum maximè domesticorum curam non habet, deterior infideli est, & fidem negavit, 1. Tim. 5. v. 8. Intereà tamen non omnia ad amussim exigat; sitque vir, non leo in domo sua, Sir. 4. v. 35. Col. 3. v. 19. 1. Petr. 3. v. 7.

3. *In quâvis angustia.* Omnia enim bona & mala, paupertas & divitiæ à Deo sunt, Sir. 11. v. 14. cur igitur fiduciam nostram abjiceremus? Qui nos laceravit & percussit, sanabit & curabit nos, Hos. 6. v. 1. Hinc Micha: Ego ad Dominum adspiciam, exspectabo Deum, Salvatorem meum, Mich. 7. v. 7. Id fecit Moses Exod. 14. v. 13. Idem & nos faciamus: fors enim levissima

Mox blandit vultu, mox rubet fronte furente.

Intereà novimus, quod Deus post tempestatem tranquillum facturus sit, Tob. 3. v. 22. hoc patienter expectemus, Psal. 27. v. 14.

II. *Mundum non ama.* In prælecto Evangelio audimus, Piscatores hos omnia relinquere, navem, retia & patrem suum, quamprimùm Christus ipsis dicit: Sequere me.

Ita vos mei, divitiæ si crescant, nolite cor apponere, Psal. 62. v. 11. sicut impii, qui putant aurum robur suum, & dicunt obrizo: fiducia mea, Job. 31. v. 14. sed avertite cor à terrenis ad cœlestia, & à temporalibus ad æterna, cum Assapho dicentes: Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram? Psal. 73. v. 25. 26.

Fieri enim non potest, ut quis sit pecuniæ mancipium, & Christo fideliter serviat, ut Chrysostomus ait.

Quod si igitur persecutio ingrueret, & tu cogereris aut bona tua temporalia deserere, aut à Christo & Evangelio ejus desciscere: ad exemplum discipulorum potius omnia relinque, quàm quod Jesum abneges. Exemplo Mosis, Hebr. 11. v. 25. 26.

Si consideremus, quæ & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt omnia, quæ habentur in terris, ait Gregorius. Matth. 19. v. 29.

III. *Christo obtempera.* Varia hîc Discipuli regerere potuissent: Habemus bonum opificium, quo nobis victum acquirere valemus: eccur incerta sequeremur, & certa relinqueremus? Facilè apparet cum Jesu Nazareno non multùm lucrari nos posse. Sed omnibus his non attentis, actutum surgunt, & sequuntur Christum.

Sic quando Deus per legatos & Præcones suos ad pœnitentiam nos invitat, non diu reluctemur, differentes de die in diem, ut mos filiorum hujus seculi est: Minimè, maximo enim id fit periculo; facilè quippe fieri potest, ut occasionem & tempus amittamus. Hodiè, si vocem ejus audieritis, nolite obturare corda vestra, Psal. 95. v. 8. Hebr. 3. v. 13.

Abimelech Rex Geraræ potentissimus Rex erat, attamen cum noctu à Deo objurgatur, quod Abrahami uxorem Saram ad se recepisset, quam tamen ignorabat,

uxorem ejus esse, statim ille de nocte resurgens fecit, quæ Deus eum jusserat, Gen. 20. v. 3.

Idem nos quoque faciamus. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te, Sir. 5. v. 8.

Hoc qui insuper habet, & in peccatis suis præfractè pergit, videat ne à morte subitanea præreptus, in æternum exitium præcipitetur, ubi nulla amplius gratia speranda est: sed damnati sicut oves in inferno positi sunt, mors depascit eos, Psal. 49. vers. 15. ex inferno enim nulla redemtio.

Avertat hoc Clementissimus Pater, per & propter Christum, Amen!

IN DIE FESTO B. THOMÆ APOSTOLI.

Evangelium Joh. 20. *v.* 24 -- 29.

EXORDIUM.

CUm Jacobo Patriarchæ, filii ejus lætum illud nuncium afferrent, quod filius Josephus adhuc in vivis esset, dimisit id cor ejus, quia non credebat eis, licet omnem ordinem rei referrent, donec videbat plaustra, quæ miserat Josephus. Tum revixit Spiritus ejus, & ait: Sufficit mihi, si adhuc filius meus vivit: vadam & videbo illum, antequam moriar, Genes. 45. v. 26. & seqq.

Josephus *typus Christi* fuit. Sicut enim fratres ejus infidi in Ægyptum eum vendiderunt, ubi multa perpessus est, dum eum Deus exaltavit, & Pro-Regem Ægypti fecit: Ita & Judæi Christum tractarunt, qui tamen fratres ejus quoad carnem erant, salus enim è Judæis oriunda erat, Joh. 4. v. 23. sed Deus eum tandem exaltavit & constituit ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum, & potestatē & virtutem &c. Eph. 1. v. 21. seqq.

Jacobus fidem suspendebant, audito, Josephum adhuc vivere; semper enim in opinione eâ erat, à bestia discerptum eum esse, ut filii ejus degeneres ipsi persuaserant: Ita & Apostoli resurrectionem Christi credere non poterant, quia spectaverant, quàm crudeliter à Judæis tractatus esset; sed videbantur illis novellæ hæ, ὡσεὶ λῆρος, Luc. 24. v. 11. dum Christus ipse manifestaret se illis, ut eum oculis suis cernerent, auribus audirent, manibus tangerent, sicut in specie Thomas adeò incredulitati immersus erat, ut diceret: Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Ubi verò Servator in gratiam ejus altera vice apparebat, & desiderio ejus satisfaciebat, ignorabat, quid præ gaudio diceret, inquiens: Dominus meus, & Deus meus! q. d. Quodsi Dominus adeò omnipotens es, ut crucifixioni

& mor-

& morti te permittas, & tamen propria virtute ex mortuis resurgas: Dominus & Deus meus eris, tibi confidam, quoad vixero.

Nos Instituti nostri memores videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

I. I.

Exegesis.

CUm Core, Dathan & Abiron adversus Mosen & Aaron seditionem moventes, propterea à terra vivi absorpti essent: Eleazar filius Aaronis, jussu Dei thuribula eorum tollebat, in laminas ea producebat, affigens altari, ut commonerentur filii Israel, ne in posterum simile quid auderent, Num. 16. v. 38.

Ita in Ecclesia anniversariè prædicatur de incredulitate Thomæ, ut securitatem fugiamus, quæ prona via est, ad incredulitatem & damnationem. Hinc rectè Bernhardus: Plus nobis prodest Thomæ dubitatio, quàm aliorum fides. Quando enim percipimus, quod tantus Apostolus adeò lapsus est, facilè cogitare nos possumus: si id factum in ligno viridi, quid fiet in arido? Luc. 23. v. 32.

Querela respicit

I. *Congregationis neglectum*, de quo Evangelista: Thomas autem unus ex duodecim, non erat cum eis, quando venit Jesus. Quod si cum illis fuisset, & concioni Christi interfuisset, de resurrectione Christi quoque tantum didicisset, quantum reliqui Apostoli, nec adeò profundè credulitati immersus fuisset. Fides enim ex auditu est; quomodo autem audient sine prædicante? Rom. 10. v. 15. 17.

Nos periculo ejus cautius mercari discamus, non deserentes collectionem nostram, Hebr. 10. v. 25. sed alloquentes nos mutuò dicamus: Venite, & adscendamus ad montem Domini, Esa. 2. v. 3. ibi enim audimus verbum, dulcius super mel & favum, & desiderabilius super aurum, & super aurum obrizum, Psal. 19. v. 11. verbum, quod potest salvare animas nostras, Jacob. 1. v. 21. & facientium illud laudatio manet in seculum seculi, Psal. 111. v. ult.

Sed hodiè parùm id observatur, plurimi terrenis dediti sunt, cum Poeta dicentes:

O cives cives, quærenda pecunia primum,
Virtus pôst nummos!

Contrà quàm Servator mandat: Quærite primùm Regnum Dei, & justitiam ejus, Matth. 6. v. 33. ideoque non mirum est, Deum maledictione immissa omnia disperdere, juxta illud: Seminastis multum, & intulistis parum, Hag. 1. v. 5. 6.

Qui verò animæ curam habens, in æde Domini sedulò comparebit, benedictionem reportabit, juxta illud, Exod. 20. v. 24.

II. *Rationis indultum*, quem in Thomâ conspicimus, qui propterea visioni & tactui intendit, fidem inde hausturus, quod tamen proprietati fidei è diametro repugnat, quæ sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, Hebr. 11. v. 1.

O quot fratres hic Thomas reliquit, qui

qui nihil credere volunt, quàm quod oculis suis vident, & manibus palpant!

Unde est, quod Judæi, Turci, Ariani & Photiniani Mysterium SS. Trinitatis negant? Ratio eos excæcat, dum ideò in dubium id vocant, quia ratione comprehendere nequeunt.

Unde est, quod Anabaptistæ virtutem Baptismi infringunt, pertendentes: qui manus aquâ plena peccata abluere potest? Unde est, quod multi præsentiam corporis & sanguinis Christi in sacrâ cœna, & ore accipi negant? Quia rationi nimium inhiant.

Aliter segessit Abraham, quando mandatum à Deo accepit, ut unicum suum filium in monte Moriâ in holocaustum offerret, Gen. 22. v. 2. quod si ille hîc cum ratione deliberare voluisset, facilè exceptionem comminisci potuisset. 1. Mandatum hoc repugnabat στοργῇ parentum, quæ non concedit, ut pater filium suum mactet. 2. contrà expressum Dei verbum est: Quicunque effuderit humanum sanguinem, sanguis illius effundetur per hominem, Gen. 9. v. 6. 3. contrà expressam promissionem, quod in semine ejus benedicendæ sint omnes gentes, quam ipsi Deus repetitò fecerat? 4. Sacrificare quandoque idem est, ac Deo se consecrare, eidem se devovere, vide Rom. 12. v. 1. quia itaque tùm rationi, tum Dei mandato repugnabat, ut Abraham filium suum mactaret, excipere potuisset, hanc Dei mentem esse, ut exstructo Altari in monte Moria, filium suum Deo consecraret, quò is sacrificando & similibus actionibus Deo vacaret.

Verùm omnes has rationis affectiones Abraham seponit, & unicè literæ mandati divini inhæret. Id Deo adeò probatum est, ut promissionem de semine benedicto ipsi renovaverit, & fidem ejus vivum exemplum, & Judæis, & gentilibus proposuerit, Rom. 4. v. 17. Nos vestigiis ejus insistentes, si quid Deus in verbo suo promittit, nullatenus de eventu dubitemus, sed demus gloriam Deo, cum Maria matre Domini dicentes: Ecce, ancilla Domini, Luc. 1. v. 38.

Sanè si ratio in divinis prævaleat, causa & principium variarum hæreseon hoc est. Propterea B. Lutherus rationem comparat cum asinâ, Theologos verò cum Christo, qui asinæ insedit, & verba hæc memoratu digna profert: Imponenda non est asina Christo: sed Christus asinæ. Christus loquatur, ratio taceat, Christus præcipiat, ratio jussa exsequatur.

Quæ miracula in naturâ fiunt, quæ tamen cum ratione minimè concordant? Et tamen quia ex experientiâ certa, credenda sunt, licet omnium rationi id adversetur.

Aquæ proprietas est, ut fluat. Verùm ubi Deus Israelitas per mare rubrum, & posteà per Jordanem ducebat, aqua quasi murus à dextra & læva eorum stetit, ut per medium sicci maris transirent, Exod. 14. v. 22. Jos. 3. v. 16.

Sol & Luna hâc naturâ præditi sunt, ut certum eumque celerem cursum absolvant: sed Josua adversus Amoritas pugnante, consistebant, Jos. 10. v. 12. 13. & una dies facta est, quasi duo, Sir. 46. v. 5.

Ignis natura est, ut omnia, quæ corripit, consumat & in cinerem redigat. Sed cum Sadrach, Mesach & Abednego in for-

 nacem

nacem ardentem conjicerentur, vis comburendi à Deo intercipiebatur, ut ne capillus capitis adureretur, Dan.3.v.21.

Ferrum ex natura sua fundum petit: Verùm ad verbum Domini per os Elisæi egrediens aquæ innatavit, 2. Reg. 6. v. 5.

Videte Dilecti, ita Deus naturæ alligatus non est; sed omnia, quæcunque vult, facit, in cœlo & in terrâ, in mari & in omnibus abyssis, Psal. 115. v.7. Quodsi igitur naturæ credimus in eo, quod naturale est: quidni potius Deo crederemus in eo, quod divinum est? Omnis enim creatura, ad suum genus denuò refiguratur, deserviens ejus præceptis, Sap.19.v.6.

III. *Incredulitatis abyssum*, in quam Thomas incidit. Non enim credit Deo Patri, qui ab æterno decreverat, ne videret Sanctus suus corruptionem, Psal.16.v.10. sed si biberit de torrente in viâ, exaltaret caput, Psal.10. v. ult. Non credit Deo Filio, qui toties passionem, mortem & resurrectionem suam inculcaverat, Luc. 18. v. 32. Non credit Deo Spiritui sancto, qui per Prophetas id sæpius prædixerat. Non credit Angelis, qui mulierculis ad sepulchrum apparuerant, dicentes: Surrexit, non est hic. Non credit tot testibus fide dignis utriusque sexûs, qui oculis ipsum conspexerant, & manibus contrectârant: sed in hac sua obstinatione perseverat universum octiduum.

Horrendus hic lapsus est, præsertim in ejusmodi Apostolo, qui ipsius Christi scholam frequentarat, nec modò verba vitæ ex ore ejus audierat, sed & signa & miracula ejus viderat, in specie exemplum Lazari, quem ex mortuis resuscitaverat, licet quatriduanus esset, & fœtere inciperet, Joh.11.v.39.

Hoc exemplum excitet nos, ut videamus, quomodo cautè ambulemus, non quasi insipientes, sed ut sapientes, Ephes.5. v.15. Qui stat, videat, ne cadat, 1.Cor. 10. v.12.

In specie incredulitas Thomæ nobis sedulò cavenda est, quæ fons & scaturigo est, ex quo cætera peccata omnia derivantur.

Unde est, quod exsecrationes, maledictiones & blasphemiæ adeò invaluerunt? inde est, quia non creditur secundo præcepto, in quo Deus, se non insontem habiturum, qui assumserit nomen Domini Dei sui frustra, minitatur, Exod. 20. v. 7.

Unde est, quod Sabbathum tàm fœdè prophanatur, & verbum Dei contemnitur? Inde, quia non fides habetur Deo, mandanti; Memento diei Sabbathi, ut sanctifices eum.

Unde est, quod scortatio & adulterium tàm familiaria sunt, & à plurimis pro ludo, saltem habentur? Quia non creditur Deo dicenti: Non mœchaberis: & Spiritui sancto minitanti: Scortatores & adulteros judicabit Dominus, Hebr. 13. v. 4.

Id quod de singulis peccatis intelligendum, quæ omnia ex incrudelitate, tanquam radice malâ propullulant. Videte proindè fratres, ne fortè sit in aliquo vestrûm cor malum incredulitatis, discedendi à Deo vivo, Hebr.3.v.12.seqq.

Peccatum ex seipso non damnat, aliàs nemo mortalium salvaretur: Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, Rom.

Rom. 3. v. 23. si verò in peccatis persevères, Christum expiatorem peccatorum tuorum rejicias, & sanctissimum ejus meritum conculces, Hebr. 10. v. 29. id actu damnationem infert, teste Christo, Johan. 3. v. 18.

Cain, primus ille patricida, facilè gratiam consequi potuisset, sed obstitit incredulitas & ex illa proveniens desperatio, Gen. 4. v. 13. Sic nullum peccatum majus est incredulitate. Quando enim Deus dicit in verbo suo: Delevi, ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua, Esa. 44. v. 22. id impius credere recusat, & hoc ipso mendacem facit Deum, 1. Joh. 5. v. 10. O quàm grave ipsi erit adversus stimulum calcitrare! Act. 9. v. 5.

Quia igitur omnes natura faciles sumus ad seducendum, debiles ad operandum, & fragiles ad resistendum, opus erit, ut cum Apostolis sedulò oremus: Domine, credo quidem, sed tu succurre incredulitati meæ, Marc. 9. v. 24. sic Dominus calamum quassatum non confringet, Esa. 42. v. 3. Phil. 1. v. 6.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Christi reversione.* Nam pòst dies octo iterum erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis: Venit JEsus januis clausis & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Hoc consolatione plenum est. Sic enim probavit Dominus, se bonum illum pastorem esse, qui reliquerit nonaginta novem oves in deserto, & vaderit ad illam inquirendam, quæ perierat, Luc. 15. v. 3. 4. Venit enim

1. *Sponte*, sicut adhuc hodiè omnibus peccatoribus gratiam suam præveniendo largitur. Non enim sufficientes sumus, aliquid ex nobis cogitare, 2. Cor. 3. v. 5. Sed Dominus est, qui operatur in nobis & velle & perficere, Phil. 2. v. 13. oremus ergò ex Jer. 31. v. 18.

2. *Opportunè.* Licet enim integrum octiduum apparitionem hanc suam differat, & Thomam in incredulitate sua relinquat, attamen in tempore advenit, & interea eundem in fide confirmat, ne planè desperet in peccatis.

Inserviat *nostræ consolationi*, ut, si hodietenus Christus quandoque se abscondit, & opem suam differt, ne desperemus: veniens enim veniet, & non tardabit, Habuc. 2. v. 3.

3. *Miraculosè.* Venit enim januis clausis. Hic clarè perspicimus, nihil ipsum prohibere, quò minus juvare possit. Ipse enim tanquam Dominus naturæ, non subjicit se legibus naturæ: sed præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutisque ejus, neque unum deficit, Esa. 40. v. 26.

Hoc gaudium in nobis exsuscitet, quando & ipsi nonnunquam propter peccata nostra abscondere nos cogimur, JESUS noster non relinquet nos orphanos, Johan. 14. vers. 18. sed ubique perrumpet, & auxilium suum præstabit nobis, ut in Jona in alvo cete delitescente, Jon. 2. vers. 11. in tribus viris in ardente fornace, Daniel. 3. v. 32. in Daniele in lacu leonum, Daniel. 6. vers. 22. In Petro in carcere, Actor. 12. v. 7. aliisque luculenta exempla habemus,

quos Deus suprà omnium hominum cogitationes potenter liberavit. Sic adhuc hodiè, ubicunque locorum simus, ad nos venturus, Psal.139.v.3. & omnibus diebus nobiscum futurus est, usque ad consummationem seculi, Matth.28.v.ult. Esa.43.v.2.

II. *Ex pacis apprecatione.* Stetit enim in medio Discipulorum, & dixit eis: Pax vobis. Hoc ipso Thomam confirmaturus est, se venire, non ut severum vindicem ad terrendum: sed ut benignum Mediatorem & Salvatorem ad exhilarandum: ideò pacem illi affert, quam ipsi & omnibus peccatoribus resipiscentibus acquisiverit.

O vos mei! nos quoque nobili hoc bono indigemus. Peccata enim nos & Deum nostrum dividunt, Esa.59.v.2. Undique inimicitiæ nobis imminent: Suprà nos est Deus iratus, infrà nos infernus rictum diducens. Juxta nos omnes creaturæ nobis infensæ sunt, in nobis peccata nos accusant, & tantum non ut grave onus in infernum deprimunt, Psal.38.v.4.5.

Verùm Christus est Princeps ille pacis, Esa.9.v.7. delens, quod adversum nos erat, Chirographum, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, Colos.2.v.14.15. ut nunc lætabundi dicere queamus: Justificati fide, pacem habemus cum Deo, Rom.5.v.1.

Nihil nobis nocebit peccatum, quod Christus in sepulchro obsignavit, & justitiam sempiternam adduxit, Dan.9.v.24. Col.1.v.24.

Nihil Cacodæmon, Christus enim universa ejus arma abstulit, in quibus confidebat, Luc.11.v.22.

Nihil mors, Christus quippè absorpsit illam in sempiternum, Esa.25.v.8.

Nihil infernus, nam Christus ipsi lues factus est, Os.13.v.14.

Videamus modò, ne pacem hanc violemus, sed in hoc potius confirmetur, ut palmam obtineat in cordibus nostris, Col.3.v.15. fiet hoc, si peccata declinaverimus, & pedes nostros direxerimus in viam pacis, Luc.1.v.80. hoc est vitæ inculpatæ operam dederimus. Non enim est pax impiis, dicit Dominus, Esa.48.v.22.

III. *Ex cicatricum ostensione.* In specie namque ad Thomam se convertit, inquiens: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & adfer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis. Thomas planè proposuerat sibi, ut ante audivimus, non se resurrectionem Christi crediturum prius, quàm ipsum oculis suis vidisset, digitos suos in cicatrices manuum, & manum suam in latus vulneratum, intulisset. Quod igitur ille desideravit, ipsi obtingit, adeoque eò efficacius convertitur.

Similem φιλανθρωπίαν Christus adhuc hodiè omnibus contristatis conscientiis exhibet, quando illas ad agnitionem peccatorum perduxit, ostendit illis cicatrices & vulnera, quo ipso fides roboratur, & conscientia tranquillatur. Nam livore ejus sanati sumus, Esa.53.v.5.

Baalitæ olim solatium quæsiverunt in suis vulneribus, si incidebant se cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine, 1.Reg.18.v.28.

In Papatu quoque magni æstimantur vulnera Francisci, Virginis Claræ, Dominici, de quibus multa fabulantur.

Sic

Sic non ignoramus quomodo Monachi flagellantes, seipsos usque ad sanguinem flagellent, & hoc modô sua & aliorum peccata expiare satagant.

Verùm frustrà id tentant. Christus enim propitiatio est pro peccatis nostris, 1. Joh. 2. v. 2. & solus torcular iræ divinæ calcavit, Esa 63. v. 2. hanc suam gloriam alteri non dabit, Esa. 42. v. 8.

Quodsi igitur requiem animæ invenire gestis, digitum fidei immittas oportet in vulnera & cicatrices Salvatoris tui Jesu Christi, cum Bernhardo dicens: Turbabor, sed non perturbabor, quia vulnerum Christi recordabor.

Torquebor à probris meis,
Cor anxium dolebo:
Ast sint arenæ quot maris,
Pessum tamen non ibo.
Mortis recordabor tuæ
Et vulnerum cum sanguine
Securus hîc latebo.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *De Christo gaude.* Hâc in parte Apostoli nobis exemplo suo præeunt. Simulac enim Thomam conspiciunt exultantes dicunt: Vidimus Dominum.

Hæc hodietenus adhuc Christiani unica voluntas sit, ut sciat, Redemtorem suum vivere, & quomodo beneficia ejusdem per fidem sibi applicare debeat.

Mundi lætitia est impunita nequitia, ait Augustinus, & est ad momentum, Job. 20. v. 5. ideò despicientes eam, cum Apostolis in Jesu nostro à mortuis resuscitato delectemur, & dabit nobis petitiones cordis nostri, Psal. 37. v. 4.

Mundani gaudium quærunt

1. *In divitiarum copiâ.* Hæc voluptas eorum, si promtuaria sint plena, educentia de frumento in frumentum &c. Psal. 144. v. 13. seqq. Verùm vanum est hoc gaudium: nam moriendum tandem, & relinquenda alienis divitiæ sunt, Psal. 49. v. 18. quin & in hoc mundo accidit, ut dives opes suas amittat, operator est Dominus, Prov. 22. v. 2. Psal. 104. v. 28.

2. *In vita luxuriâ.* Exemplo est dives epulo, qui quotidiè splendidè epulabatur, Luc. 16. v. 19. Ita legimus, quod in nuptiis Wenzeslai Regis Bohemiæ, cum filia Imperatoris Rudolphi I. quotidiè centum mille homines cibati sint.

Smyndirides tanta luxuriâ fuit, ut semper mille venatores & totidem coquos secum habuerit, iisque stipatus incesserit. Hinc est, quod Hieronymus ait: *Semper saturitati juncta est lascivia, vicina sunt venter & genitalia, pro membrorum ordine, ordo vitiorum.* Vide Prov. 23. v. 32.

Sed quid in fine sequitur? Finis eorum interitus, Phil. 3. v. 19. Transit enim mundus, & concupiscentia ejus, 1. Johan. 2. v. 17.

Hoc probè perpendentes, si gaudere vultis, gaudete in Domino semper, Phil. 4. v. 4. Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis, Luc. 10. v. 20. Exultate in salute Domini, Psal. 13. v. 7. exultate quod per Christum liberati & liberi estis, Joh. 8. v. 36. Lætamini super eloquia ejus, Psal. 119. v. 162. lætamini quod in Domini domum ibitis, & stantes erunt pedes vestri in portis Jerusalem, Psal. 122. v. 1. 2.

v. 1. 2. qui enim hîc in tempore gratiæ ita gaudet: ille aliquando cum Deo & in Deo exultabit in æternum, Psalm. 16. v. ult.

II. *Vulnera inspice.* Hic Thomam per vulnera Christi, ab incredulitate liberari & ad frugem perduci, audimus. Ubi nemo miretur, quod Dominus, qui pòst resurrectionem suam, corpore clarificato præditus fuit, has cicatrices & clavorum signa ostendere potuerit discipulis; rectè enim Beda hîc ait: Dominus non ex impotentiâ sanandi cicatrices servavit, sed ut victoriæ suæ circumferret triumphum. Lutherus in Postilla Domestica autumat, quod adhuc hodiè hæc vulnera & clavorum signa gerat, quando ad dextram Dei sedet, & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34. ita ut Patri suo eadem ostendat, & dicat: Ah Pater, en manus & pedes meos! Quod si enim sanguis Christi coràm Deo loquitur, quidni & vestigia clavorum?

Antipater, Herodis Magni pater, ut Josephus testatur, Imperatori Augusto in militia fideliter servierat, & multa periculosa vulnera in corpore suo acceperat. Cùm verò ab invidis nonnullis calumniaretur apud Cæsarem, & proditionis insimularetur, ideoque ab Augusto compellaretur, nudato pectore dicebat: O Cæsar, nolo me verbis excusare apud te, sed ista vulnera, quæ suscepi propter te, loquuntur pro me.

Ita, si Dæmon infernalis, qui à calumniando Diabolus appellatur, te persuasurus est, Jesum tuum odio te prosequi, ne absterrearis: sed intuere sanctissima ejus vulnera, quæ propter te accepit: quî quæso de amore suo magis te certiorem reddere potuisset! Nunquam illuxit clarius, quod nos dilexit Dominus, quàm in Christi passione & vulneribus. Ipse quippe ait: Majorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis, Joh. 15. v. 14. Sed ille vitam pro nobis profudit, cum adhuc peccatores & inimici essemus, Rom. 5. v. 8. & adhuc ita affectus est, ut iteratò pati malit, quàm ut quis in peccatis suis desperet, ut Ignatius scripsit.

Laudatissimus Imperator Constantinus M. cicatrices Martyrum osculatus dicitur, quas sub Maximino acceperant.

Sic & tu, mi Christiane! Christum accede & osculare manus ejus, in quibus te descripsit, ut oblivisci tui nequeat, Esa. 49. v. 16. latus ejus, quod sibi aperiri sivit, ut verâ fide in eo occultes te, sicut columba in scissuris petræ, Cant. 2. v. 14. ibi absconderis à superbia viri, Psal. 31. v. 21. Ita ut portæ inferorum non prævaleant contrà te, Matth. 16. v. 18. *Nihil est tàm efficax, ad curanda conscientiæ vulnera, quàm vulnerum Christi meditatio sedula*, ait Bernhardus, Esa. 53 v. 5.

III. *Fide, & non vide.* Id vult Christus, ad Thomam inquiens: Quia me vidisti Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt.

Idem nobis dictum esto: per fidem enim ambulamus, non per speciem, 2. Cor. 5. 7. optimum igitur est, ut, si quid quod captum nostrum transcendit, in Scripturâ nobis proponitur, in captivitatem redigamus omnem intellectum, in obsequium Christi, 2. Cor. 10. v. 5. dicentes cum Ezechiele, qui à Deo interrogatus: Putasne vivent

vivent ossa ista? respondit: Tu nosti modum Domine, Ezech. 37. v. 4. Scrutator enim Majestatis, opprimetur à gloriâ, Prov. 24. v. 27.

Imprimis verò à Thomâ discamus, ut quæ Christus omnibus in genere acquisivit, nobis in individuo applicemus, dicentes: Dominus meus & Deus meus. Hæc fidei natura & proprietas est. Diaboli & ipsi credunt, Christum Dominum & Deum esse, Jac. 2. v. 19. Sed non salvantur, quia non dicere possunt: Dominus *meus* & Deus *meus*. Non enim Christus Angelos, sed semen Abrahæ adsumsit, Hebr. 2. v. 16.

Veri verò Christiani Christum pro Domino & DEO suo habent, certissima fiduciâ præditi, quod non modò se hîc potenter defensurus, sed & æternum salvaturus sit, ut cum eo sint & maneant semper.

Fiat id, per Christum, Dominum nostrum, Amen!

IN DIE FESTO S. STEPHANI PROTO-MARTYRIS.

Evangelium Matth. 23. v. 25 -- 39.

EXORDIUM.

CUm tempus instaret, quo Deus populum Israel ex Ægypto educere & liberare decreverat, apparuit Dominus Mosi in flammâ ignis, quâ rubus ardebat, & non comburebatur: Propterea Moses in admirationem raptus, dixit: Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocavit eum Deus de medio rubi, & ait: Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est. Et porrò ait: Ego sum Deus Patris tui &c. Exod. 3. v. 2. seqq.

Mirabilis hæcce apparitio non inconcinnè cum incarnatione Domini nostri Jesu Christi comparari potest.

Nos miseri homunciones & ipsi quasi captivi tenebamur in servitute Ægyptiaca sub potestate tenebrarum, Colos. 1. v. 13. & Diaboli mancipia in æternum fuissemus, Hebr. 2. v. 15. Ast Deus, qui dives est in misericordia, Eph. 2. v. 4. gratiosè nos respexit, & in plenitudine temporis misit Filium suum, Gal. 4. v. 4. qui in libertatē nos restituit, æterna redemtione inventa, Heb. 9. 12.

Ibi apparuit Deus Mosi in flammâ ignis, ignis siquidem est, & quidem consumens, Deut. 4. v. 24. imprimis quando venit iram suam effusurus, ut Sodomitæ experti sunt, Gen. 19. v. 24. Quia verò hîc non veniebat, ut iram effunderet, sed pressos Israelitas è servitute Ægyptiaca liberaret, in ejusmodi rubo videbatur, qui quidem ardebat, sed non comburebatur.

Sic & æternus Dei Filius in hunc mundum venit, non animas perdere, sed servare, Luc. 9. v. 56. ideò carnem & sanguinem nostrum assumsit in unitatem Personæ,

eique

eique infinitam virtutem, majestatem & gloriam communicat, quo esset caro vivifica, & mundum è potestate Satanæ & inferni eriperet, Joh.6.v.54. Verbum enim caro factum est, & vidimus gloriam ejus, Joh.1.v.14.

Ibi apparuit Deus Mosi, non in procerâ Cedro, aut viridi Lauro, sed in rubo spinis obsito; qui sine læsione contrectari nequit: Sic & Christus in hoc mundo Regnum Crucis habet, qui Regni ejus consors esse vult, spinas non metuat oportet: sed per patientiam currat in proposito sibi certamine, Hebr.12.v.1. *Pudeat membrum deliciari sub capite, spinis coronato*, inquit Bernhardus.

Ibi dixit Moses: Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Ita & nos hâc vice in æde Domini convenimus, ut mysterium hoc accuratius examinemus. Quomodo concordent, quod heri dictum: Ecce Evangelizo vobis gaudium magnum: hodiè vero concio crucis sequatur, de ingratitudine impii mundi, quam trucidando, crucifigendo, flagellando & persequendo in legatis Domini exercet. De quâ Servator: Ecce mitto vobis &c.

Nos Instituti nostri memores contemplaturi sumus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

I. I.

Exegesis.

Heri Angelum de cœlo venisse, qui concionem de incarnatione Filii Dei habuerit, audivimus. In præsentia verò Immanuel noster promittit, se in posterum alios Præcones missurum, & per homines Ecclesiam suam gubernaturum esse, ut ita per nostri similes ad Regnum cœlorum edoceremur, quia in hâc mortalitate oculi nostri angelicam claritatem ferre nequeunt, propterea ait: Ecce mitto ad vos: quod non modò de præsente, sed & de præterito & futuro intelligendum est. Verbi enim Præcones seu Angeli Dei, in hac scala Jacobæâ adscendunt & descendunt, Joh.1.v.ult. Qui Mosen misit, Exod.3.v.10. is adhuc mittit fideles operarios in messem suam, Matth.9.v.ult. & porrò idem facturus est, usque ad consummationem seculi. Ideò enim adscendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia, & daret Ecclesiæ suæ Pastores & Doctores, ad præparationem Sanctorum, in opus Ministerii, in ædificationem corporis Christi, Eph.4.v.11.13.

Querela respicit

I. *Prophetarum tribulationem.* Non enim fidelis eorum labor agnoscitur, sed potius obtinet illud Poetæ:

Ut rem pro cytharâ gaudet habere Midas.

Qui enim terrena sapiunt, magis amant aurum, quàm Deum, & ejus verbum, hinc ajunt: Manda remanda, manda remanda, Esa.28.v.13.

Succedit persecutio, ubi variis tormentis & suppliciis Christi ministri afficiuntur, adeò ut species Martyriorum enumerari nequeant. Crudelissimè enim illi tractati sunt, modò bestiis objecti, modò palo alligati igne eminus circumfuso tosti, modò suspensi & in aquis suffocati, modò capite

capite truncati, modò in oleo assati, aliisque nefandis modis peremti sunt. Id Machometes in Oriente, & Anti-Christus in Occidente tanto furore hactenus factitarunt, ut ubique sanguis eorum, tanquam aqua effusus, Psal. 79. v. 3. nec immeritò meretrix Babylonica describitur, quod ebria sit de Sanguine sanctorum, & de sanguine Martyrum Jesu, Apoc. 17. v. 6.

Anno 1530. Monachus nescio quis, in Comitiis Augustanis dixit: Difficile est, esse Lutheranum, tales enim omnibus momentis coguntur expectare ictum carnificis. Sed num propterea veritas abneganda? Minimè. Potius illud Christi locum habeat: Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c. Matth. 10. v. 28. 29. Diabolus antiquum obtinet, & habet jam iram magnam, sciens, quòd modicum tempus habet, Apoc. 12. v. 12. interea nos Deo confidamus, sicut Lutherus, cum à Georgio Saxoniæ Duce persequeretur dicebat: Ich werde mich vor keiner Wasserblase zu todt fürchten / ob GOtt wil/ Esa. 51. v. 12.

II. *Repudiatam congregationem.* Hanc Christus in eo probat, quod nos libenter à curvis peccatorum viis abducere, & ad se colligere vult. Et hoc congruit officio Christi Prophetico: ideò enim in hunc mundum venit, ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum, Joh. 11. v. 52.

Principiò Deus nos omnes fecerat populum suum, & oves pascuæ ejus, ut cum Angelis una Ecclesia essemus, Psal. 100. v. 3. Verùm infernalis lupus in septa irruperat, & gregem disperserat, ut sicut oves erraverimus, Esa. 53. v. 6. Ideò Filius Dei de cœlo descendit, quærere & salvare, quod perierat, Luc. 19. v. 10.

Hoc indies adhuc facit, quando per ministros suos nos vocat: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos, Matth. 11. v. 28. Hoc ipso S. Petrus tria millia unâ vice convertit, Act. 2. v. 42.

Idem facit per Sacramenta, Baptismum & Cœnam Domini. In Baptismo ita nos colligit, ut cives Sanctorum & domestici Dei simus, Eph. 2. v. 19. in Cœna verò cum ipso unimur, ut ille in nobis sit, & nos in ipso, Joh. 6. v. 65.

Facit illud per crucem, quâ excitamur, ut nos mutuò alloquamur, dicentes: Venite & revertamur ad Dominum, Hos. 6. v. 1.

Præstat illud per conciones legales, quando per ministros nos affatur: Revertere, aversatrix Israël, Jer. 3. v. 13.

Facit illud denique per varia corporalia & spiritualia beneficia, quæ funiculi amoris sunt, quibus nos ad se trahit, Jer. 31. v. 3. Sed ut Judæi præfractè dixerunt: Nolumus, Jerem. 6. v. 17. sic & nos potius invisimus Ecclesiam malignantium, Psal. 26. v. 5. aut congregationem hypocritarum, Job. 15. v. ult. quàm collectionem Christi, ad quam per verbi Præcones nos vocat: Venite, quia omnia parata sunt, Luc. 14. v. 17.

Sic promptè obsequimur mundo, cum quo spontè concurrimus in eandem luxuriæ dissolutionem, 1. Petr. 4. v. 4. Verùm Deus invitos nos trahere cogitur, nemo ferè est, cui religio curæ sit: Viæ Sion lugent, Thren. 1. v. 4. & plurimi deserunt collectionem fidelium, Hebr. 10. v. 25.

Verum hoc grave peccatum est, quo Deus movetur, ut ejusmodi præfractos peccatores ad gladium congreget, Ezech. 21. v. 12. & rapiat eos, quasi oves ad mactandum, Jer. 12. v. 3. aut aliis malis cumulat eos, ut nesciant, quid agere debeant, sicut Rex Josaphat, 2. Chron. 20. v. 12.

Quò hoc Christiani devitent, libenter compareant, quando eos Christus per verbum & Sacramenta colligere vult, aliàs spernunt consilium Dei adversus seipsos, Luc. 7. v. 30. nec gustabunt cœnam ejus, Luc. 14. v. 24.

Qui verò promtè se colligi sinunt, illi non modò gratiæ donis fruentur, quæ Christus in Ecclesia distribui curat: sed & eosdem aliquando in pace congregabit ad patres suos, & die novissimo per Angelos, ad vitam æternam, Matth. 13. v. 41.

III. *Sanguinis innocue participationem*. De quo Christus: Ecce ego mitto ad vos Prophetas &c.

Quis hic Zacharias Barachiæ filius fuerit, & quâ ex causa Christus ejus mentionem faciat, alibi indicatum est. Jam abominationem cœdium perpendeamus, quæ in Christianis patrantur. Sicut enim hic Servator ait, ille, qui sanguinem innocuum profundit, hoc ipso reus fit, justi sanguinis, qui à principio mundi effusus est: ille semper à primo ad ultimum vindictam sui postulat, vide Genesi 4. v. 10. Apoc. 6. v. 20.

Hæc sanè magna moles est, quâ hostes veritatis urgentur, quòd non modò ubique terrarum homines sunt, qui vindictam Domini implorant, Psal. 94. v. 1. sed supra se habent animas occisorum, & infrà se pulverem & cinerem, qui similiter non desistunt ingemere, dum Deus sanguinem innocentem vindicet. Fideles enim Christi consortes inter se consentiunt, & qui unum offendit, omnes offendit, ideoque velut membra unius corporis, 1. Cor. 12. v. 27. die extremo conjunctim stabunt, contra eos, qui augustiaverunt se, Sap. 5. v. 1.

Quilibet itaque cui animæ salus curæ est, innocui sanguinis profusionem caveat, est enim peccatum atrocissimum,

1. *Ratione prohibentis*. Qui non est Rex terrenus, sed Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui nos creavit, redemit, & sanctificavit. Non enim absoluti nos Domini sumus corporis nostri, & membrorum ejus, sed Dominus jus sibi reservavit, ideoque in ejus honorem adhibeamus oportet. Quodsi voluntatem ejus facere nolumus per obedientiam: ille eandem efficiet per pœnam, potest enim & corpus & animam perdere in gehennam, Matth. 10. v. 28.

2. *Ratione efficientis*. Hic primò rationalis homo est, qui igitur in ejusmodi crudelitatem degeneret, ut alium hominem trucidet?

Sævis inter se convenit ursis.

Deus est φιλόψυχος, Sap. 11. v. 26. qui igitur non amorem vitæ, sed cœdis potius habet, ille hoc ipse demonstrat, quod planè è Filio Dei, in servum Diaboli degeneravit, Sap. 2. v. ult.

Deindè fortè Christianus, qui per baptismum Christo initiatus est. Cur igitur adeò longè à Domino & Magistro suo abscedit?

Christus est lignum vitæ, Apoc. 22. v. 2. Dux vitæ, Act. 3. v. 14. imò vita ipsa, Joh. 14. v. 6.

14. v. 6. qui igitur minas & cœdes spirat, ut Saulus, Act. 9. v. 1. ille non partem habet cum Christo, sed ad hostes Christi pertinet. Homicida verò non habet vitam æternam in seipso manentem, 1. Johan. 3. v. 15.

3. *Ratione impellentis.* Hic nemo alius est, quam Diabolus, qui homicida est ab initio, Joh. 8. v. 44. cujus organa omnes illi sunt, qui à Diabolo captivi tenentur ad ipsius voluntatem, per cœdes & homicidia, 2. Tim. 2. v. ult. ideò sunt ex parte illius, Sap. 2. v. ult. manebuntque ejus in æternum, Apoc. 21. v. 8.

4. *Ratione objecti recipientis.* Quod est homo ratione præditus, ad imaginem Dei conditus: qui verò imaginem Dei devastat, non impunè feret, sanginis ejus vicissim effundetur per hominem, Gen. 9. v. 6. Deindè & servus & minister Dei est, quem Paulus judicare, nedum occidere prohibet, Rom. 14. v. 4. Exod. 20. v. 13.

Accedunt quandoque singulares quædam circumstantiæ: si occisus homo pius fuit, homicida templum Dei in illo violavit, ideoque rursus disperdetur à Deo, 1. Cor. 3. v. 17. sin impius homo, hoc ipso homicida ei tempus pœnitentiæ præripuit, adeoque peccatorum reatum ejus incurrit, quæ ita eum angustiabunt, ut aliquando clamaturus sit: Montes cadite super nos, Apoc. 6. v. 16.

5. *Ratione consequentis.* Nihil enim aliud sequitur, quàm Dei ira & indignatio & pœna temporalis ac æterna. Hinc Salomo: Homo, qui violenter egerit in sanguine animæ, etiamsi ad inferos usque fugeret, non sustentabunt eum, Prov. 28. v. 17. Et Christus ait: Qui acceperit gladium, gladio peribit, Matth 26. v. 52. Et licet Magistratus quandoque ex negligentia munus suum non obeat, tamen Deus vindex erit, quod si non fit in hoc mundo, fiet in altero, Apoc. 21. v. 8.

Videte Dilecti! tàm grande peccatum est, si quis innocentem sanguinem effundat, & ejus reatum incurrat. Quilibet igitur caveat sibi, ne hoc crimine se colluculet. Stat enim firmiter: Manifesta sunt opera carnis, quæ qui faciunt, Regnum Dei non hæreditabunt, Gal. 5. v. 21.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex gratia divinæ oblatione.* Propterea dicit Servator: Ecce, ego mitto ad vos, Prophetas, & Sapientes & Scribas. Quamobrem? ut congregem vos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas.

Hæc impromerita Dei gratia est, quam nunquam ab eo petivimus, & tamen adeò clemens est, ut legatos suos ad nos mittat, qui nos obsecrant, ut ei reconciliemur, 2. Cor. 5. v. 20. Per hæc viscera misericordiæ suæ, nos visitavit oriens ab alto, Luc. 1. v. 79.

Miramur meritò mansuetudinem Davidis, quâ Saulem prosecutus est, in spelunca, dum occasionem nactus noluit ipsi manus violentas inferre: sed tantum oram chlamydis præscidit, ut hâc mansuetudine suâ eum sibi reconciliaret, 1. Sam. 24. v. 46.

Ah Dilecti! quàm facilè nos Deus in aquis suffocare posset, ut primum mundum, Genes. 7. v. 22. aut igne & sulphure delere, ut Sodomam & Gomorrham, Gen. 29. v. 24. aut terræ mandare, ut nos

deglutiret, ut Core, Dathan, & Abiron, Num. 16. v. 31.

Quàm facilè bestiis præcipere, ut nos dilacerarent, sicut duo ursi pueros Bethulienses, 2. Reg. 2. v. 24. vento, ut domus nostras prosterneret, & nos in eis sepeliret, ut filios Jobi, c. 1. v. 19. grandini, ut nos dejiceret, ut Ammonitas, Jos. 10. v. 11. quàm facilè api sibilare, & παντολεθρίαν inducere super nos, Esa. 7. v. 18. Nunquid est numerus turmarum ejus? Job. 25. v. 3. Furor hominum est laus ejus, reliquiis furoris accinget se, Psal. 76. v. 11. Sir. 40. v. 35.

Sed exarserunt in se miserationes ejus, ne faciat furorem iræ suæ, Ose. 11. v. 8. ideò semper gratia ejus justitiæ prævalet, jubetque bonæ spei esse filios suos, quoniam daturus est locum in peccatis pœnitentiæ, Sap. 12. v. 19. & si castigat nos, in judicio castigat, ne nobis videamur innoxii, Jer. 30. v. 11. Judith. 8. v. 17.

Imprimis verò hæc Christi gratia ex eô elucescit, quod legatos suos ad nos mittit, collecturus nos, qui tamen ipsum multis modis offendimus, ideoque satius foret, ut nos legatos nostros, pœnitentiam scilicet & orationem ad eum ablegaremus, quæ sæpè multum apud eum valent, Jac. 5. v. 17. proindèq; agnoscamus, quod variis modis nos ad pœnitentiam invitet, ne divitias gratiæ ejus contemnamus, Rom. 2. v. 4. Tàm citò enim irasci potest, quàm misereri, & ira illius in peccatores non desinit, Sir. 5. v. 7.

II. *Ex Tyrannidis perdita limitatione.* Hîc audimus Christum in plurali dicentem: Ex illis occidetis & crucifigetis, & ex illis flagellabitis: ex quo consequitur, quod nonnullos relinquere cogantur, quos non possint occidere, crucifigere, & flagellare. Hoc divinæ providentiæ acceptum ferendum, quod si enim in hostium potestate esset, nemo nostrûm superesset: sed Deus illis quasi metam posuit, & dixit: usque huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos, Job. 36. v. 11.

Id testantur exempla Pharaonis, Exod. 14. v. 28. Sennacherib, Esa. 37. v. 29. seqq. Antiochi, 2. Macc. 9. v. 9.

Hic Deus adhuc vivit, & licet hostes violentia & insidiis rem agant, tamen meditantur inania, Psal. 2. v. 1. sive cogitant consilia, quæ non possunt stabilire, Psal. 21. v. 12. & licet multos ramos ab arboribus Ecclesiæ recidant, tamen radicem & stirpem eradicare non possunt: nam sine Dei permissu ne capillus capitis nobis lædi potest, Matth. 10. v. 30. & quod hîc Immanuel in fronte signat, nec mundus nec infernus ipsi eripere valet, Ezech. 9. v. 5.

III. *Ex gallina cœlestis contemplatione,* sub cujus imagine nobis Servator dilectionem suam adumbrat.

Moses narraturus, quomodo Deus in principio cœlum & terram creaverit, addit, quod Spiritus sanctus incubuerit aquis, instar gallinæ, quæ ovis incubat, & illa tamdiu fovet, dum pulli excludantur: Ita Dei quoque Spiritum chaos informe & immensum, ex quo mundus producendus erat, per incubationem suam adeò fovisse disposuisse & fœcundasse, ut deindè ex ordine ille formatus, & κόσμος

hic

hic κόσμος ornatus sit, Genes. 1. per totum.

Quod igitur Spiritus Dei in opere Creationis fecisse dicitur, id Christo adscribendum est, qui venit ut vitam haberemus, & abundantius haberemus, Johan. 10. v. 11.

Scaliger scribit Exercit. 23. quod Ægyptii ad Cairum peculiarem rationem habeant ovorum multas centurias in furno excludendi, ex quibus statis diebus pulli agminatim erumpant. Verùm in regionibus nostris Septentrionalibus ova gallinis supponenda sunt.

Pari ratione nosmetipsos nos juvare non possumus, sumus enim mortui in peccatis, Eph. 2. v. 5. quodsi verò vitam recuperare velimus, Christus nos revivificet necesse est. Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, Joh. 6. v. 40. ipse cibat nos præstantissimo tritico, Psal. 81. v. ult. ipse potat nos de fontibus Israel, Psal. 68. v. 27. ipse inumbrat nos tegmine alarum suarum, Psal. 36. v. 8. ipse tuetur nos adversus omnes injurias, ut Apostolos defendit, hinc ait: Quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, Joh. 17. v. 12. Tandem quoque nos in requiem deducit, & in habitationem pacis, Esa. 32. v. 15. ubi protegimur à contradictione linguarum, Psalm. 31. v. 21. Ibi accipiemus Regnum decoris, & diadema speciei, de manu Domini, Sap. 5. v. 16. 17.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Ministerium venerare.* Christus Judæis magnam gratiam exhibuit, dum misit illis

1. *Prophetas*, non ut olim in V. Testam. ubi partim juxta Ecclesiasticam, etiam Politicam jurisdictionem exercuerunt, sicut Moses, Samuel, aliique: partim verò tantum verbi Ministerio præfuerunt, & de futurâ gratia prophetarunt, prænunciantes eas, quæ in Christo sunt, passiones, & posteriores glorias, 1. Petr. 1. v. 10. 11. Sed Prophetæ sunt hîc θεοδίδακτοι, qui è fonte S. Scripturæ de articulis fidei cum fructu disserere, aliosque in notitiâ Dei instruere possunt, quo sensu capitur, 1. Cor. 14. v. 1. seq.

2. *Sapientes.* Hi sunt qui potentes sunt exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere, Tit. 1. v. 9. sciuntque proferre de thesauro suo vetera & nova, Matth. 13. v. 15. ad cujuslibet captum sese attemperantes, præbentque lac parvulis, cibum solidum autem qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni & mali, Hebr. 5. v. 13.

3. *Scribas*, qui à puero didicerunt sacras literas, ut Timotheus, 2. Timoth. 3. v. 15. & ad typum Levitici Pontificis judicium in pectorali sive in pectore gerunt, Exod. 28. v. 30. ut sic alios pro re natâ, & coràm & per literas instruere possint: ne talentum suum abscondant, sed eodem supralucrentur, Matth. 25. v. 21.

Tales præstantes viros misit Deus ad Judæos, ut eos ad salutem perduceret, si modò ipsi voluissent. Vult enim omnes homines salvari, & ad agnitionem veritatis pervenire, 1. Timoth. 2. v. 4.

Hoc ipsum Judæi gratâ mente agnoscere, & legatos Dei reverenter suscipere debuissent: sed ipsi subsannabant nuncios Dei, & irridebant sermones ejus, illudebantque Prophetis: donec adscenderet furor Domini in populum ejus, & nulla esset curatio, 2.Paral.36.v.26.

Hoc exprobrat illis Servator, pœnamque annunciat futuram. Nos igitur exemplo Judæorum cautius mercari discamus, legatosque Dei majori reverentiâ suscipiamus, qui enim illos tangit, pupillam oculi Dei tangit, Zach.2.v.9.

Ubi requiritur

1. *Respectus verbalis*, ne subsannemus eos, ut auditores Ezechielem, c.33.v.31. sed honorificè de iis loquamur, & infirmitatem eorum pallio caritatis Christianæ tegamus, ut Sem & Japhet, Gen.9.v.23.

2. *Respectus Ceremonialis*, ut & externis gestibus eosdem veneremur, juxtà illud Pauli, 1.Tim.5.v.17.

3. *Respectu realis*, ut illis reciprocam gratiam exhibeamus, Galat.6. v. 6. 1.Thess.5. v.12.

Hoc illi observent, qui de Ecclesiæ ministris ignominiose loqui non verentur. Videbunt illi aliquando in quem linguis suis pupugerint, Zach.12.v.10. qui enim illos spernit, non homines spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum suum sanctum in illis, 1.Thess.4.v.8.

Cum Hanon Ammonitarum Rex, Legatos Davidis contumeliose tractaret, hic illud severissimè vindicavit, ut constat ex 2.Sam.10.& seqq.

Cœlestis David Jesus Christus, quotidiè Legatos suos mittit, qui sunt verbi ministri, cum hâc instructione: Consolamini, consolamini populum meum, Esa.40.v.1. Verùm impius mundus subsannat nuncios ejus, 2. Chron.36. v.16. ut ejus purgamenta & peripsema esse cogantur, 1. Corinth. 4. v.13. id Rex Regum non impunitum dimittet, sed contemtores ejusmodi aliquando cacodæmonibus tradet, qui eos serris & rastris ferreis, & trahis discerpent, & comburent in furno infernali, ubi mandueabunt linguas suas præ dolore, Apoc. 16. v. 11. & pœnas dabunt interitum æternum, à facie Domini, & à gloriâ virtutis ejus, 1.Thess.1.v.9. Ne erretis, non irridetur Deus, Gal.6.v.7.

II. *Justitiam sectare.* Hunc in finem proponit nobis Servator Abelem justum, ut alibi quoque vocatur, Hebr.11.v.4.

Potest autem justitia considerari bifariam,

1. *In foro absolutæ justificationis*, quâ ratione inter homines justus non reperitur. Omnes enim peccaverunt, & destituuntur gloriâ Dei, Rom.3.v.23. Non est, qui faciat bonum, non est, usque ad unum, Psal.14.v.3. Id quod testantur David, Psal.143.v.2.& Jobus, cap.9.v.13.

Quod verò à nobis ipsis non habemus, tanquam ex nobis ipsis, id ex gratiâ donavit nobis Deus, per redemtionem, quæ facta est in Christo JESU, Roman. 3. v. 24.

Hæc vocatur justitia imputata seu Evangelica, quàm extrà nos in Christo unicè quærimus, qui nobis factus est justitia, 1. Cor.1. v.30. à quo accipimus gratiam pro gratia. Joh.1.v.17.

2. *In foro Politicæ conversationis.* Sine justitia enim societas humana consistere nequit, Hinc Cicero eam vocat, Reginam

nam & Dominam omnium virtutum; proprietas ejus est: honestè vivere, neminem lædere, suum cuique tribuere. Christus nervose id ita effert: Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis, Matth. 7. v. 12.

Quicunque igitur in his duabus partibus se exercet, & non modò in Christum credit, sed & fidem suam per opera probat, is in catalogum Abelis referendus & reâpse homo justus appellari potest. Talis etiam non exiguum emolumentum inde capit, habet enim benignum in cœlis Deum, tranquillam conscientiam, & tandem vitam æternam. Nam Dominus diligit justos, Psal. 146. v. 8. Habitacula eorum benedicentur, Prov. 3. v. 33. cor eorum non reprehendit eos, Job. 27. v. 6. tandemq; expectabunt coronam justitiæ, 2. Tim. 4. v. 8.

III. *Pullos imitare.* Æternus Dei Filius per varias parabolas φιλανθρωπίαν suam nobis adumbrat. Vocat enim se Pastorem, Joh. 10. v. 12. Sponsum, Joh. 3. v. 29. hominem nobilem, qui abiit in Regionem longinquam, Luc. 19. v. 12. Medicum, Matth. 9. v. 12. cultorem vineæ, Luc. 13. v. 7. &c. sed inter omnes suavissima est quando gallinæ se comparat.

Quodsi ipse gallina; nos pulli ejus sumus, adeoque naturam eorum induamus decet.

Pullus matrem suam diligit: Sic & nos Christum diligamus, qui prior nos dilexit, 1. Joh. 4. v. 19. dicentes cum Ignatio: Amor meus crucifixus est.

Pullus facilè audit vocem matris glocientem: Ita & nos Christi vocem audiamus, Joh. 15. v. 14.

Pullus non potest se contrà accipitrem defendere, sed sub alis matris suæ præsidium quærit: Nos quoque adversus Dæmonis astus protegere nos non valemus, nisi sub alis gratiæ Christi nos abscondamus, & oremus cum Davide: Protege me sub umbra alarum tuarum, Psal. 17. v. 8. Psal. 57. v. 2.

Pulli sequuntur matrem: Sic & nos sequamur vestigia Christi, 1. Petr. 2. v. 2.

Pulli principio humili loco resident, tandem pennati alta petunt: Ita nos naturâ terrena sapimus, Phil. 3. v. 20. Verùm Christus prævivit nobis & cœlum adscendit, hunc & nos sequamur oportet, non quærentes, quæ super terram, sed quæ sursum sunt, ubi Christus est, in dexterâ Dei sedens, Col. 3. v. 2.

Quodsi his in partibus pullorum imitatores sumus, tandem cœlestem nostram gallinam sequemur in gloriam cœlestem: ubi manebimus cum eo semper, 1. Thess. 4. v. 17.

Fiat id per Christum, Dominum & Servatorem nostrum, Amen.

IN

IN DIE FESTO JOHANNIS EVANGELISTÆ.

Evangelium Joh. 21. v. 15. -- 24.

EXORDIUM.

CUm Deus Opt. Max. Mosen vocaret, ut ad Pharaonem se reciperet, & liberationem populi Israelitici sollicitaret, ille tergiversatione urens, dicebat: Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum. Obsecro Domine, mitte, quem missurus es, Exod. 4. v. 10. 13.

Si prælectam nostram Pericopen inspiciemus, deprehendemus, idem fermè fecisse Petrum. Dicente enim ad eum Domino: Sequere me, intellige, in doctrinâ & passione, obsequitur quidem: attamen continuò quærit, quomodo cum Johanne comparatum sit, utrùm ipse prosperiori in mundo fortunâ usurus sit.

Hoc exemplum est humanæ πολυπραγμοσύνης, ubi unus & alter de aliis solicitus est, suiipsius verò obliviscitur, cui non immeritò objicias illud Siracidis: Quæ tibi præcepta sunt, illa cogita semper, & in pluribus operibus non eris curiosus, Eccl. 3. v. 22. Quod ipsum & Servator in Petro h. l. reprehendit.

Quodsi verò quis solicitus esse velit, de peccatis suis doleat, quomodo remissionem eorum consequatur, Psal. 38. v. 20. Hæc enim sunt abominatio in oculis Dei: hæc igitur abroganda sunt, si Deum obedienter, ut vult, sequi velimus. Discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Christi, 2. Tim. 2. v. 19.

Nos Instituti nostri memores contemplabimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

I. I.

Exegesis.

SIcut fœcunda arbor ad viam sita, à prætereuntibus, lapidibus & fustibus sæpissimè impetitur, & non modò fructu suo, sed & ramis privatur: Ita & cum Christianis res se habet, qui velut lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, fructum suum dant in tempore suo, Psal. 1. v. 3. & lucem fidei ostendunt coram hominibus, ut videant opera eorum bona, Matth. 5. v. 16. illi multa sustinere coguntur ab impio mundo, & fustibus tribulationum sæpè impetuntur, ut Christus Servator in prælecta Pericope, inter alia & Petro prædixit.

Querela respicit

I. *Crucis Petri asperitatem.* Ita enim Servator: Amen, Amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit, signifi-

significans, quâ morte clarificaturus esset Deum. Hæc Petri merces futura erat in mundo hoc immundo. De reliquis Discipulis dicit quoque Servator in genere: Absque synagogis facient vos. *Sed* venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, cultum se præstare Deo, Joh.16. v.2. 1.Cor.4.v.9.

Quamvis autem non omnes Martyrio coronemur, ut Petrus, attamen nemo nostrûm sine afflictione erit. Quia acceptus eras Deo, ait Raphael, necesse fuit, ut tentatio probaret te, Tob.12.v.13.

Hoc quidem carni & sanguini grave videtur, mallemus enim superv estiri, quàm exspoliari, 2.Cor.5.v.4. verùm non alia sors manet nos. Omnes qui piè vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2.Tim.3.v.12. Et quemadmodum Israëlitæ, mare rubrum transgressi, non statim Palæstinam ingrediebantur, sed antè in deserto errare, famem & sitim experiri, tùm & cum variis hostibus dimicare cogebantur, qui illis viam interclusum ibant: Sic & nos, cùm mare rubrum baptismi permeavimus, non statim in Palæstinam cœlestem pervenimus: sed antè in eremo hujus mundi varia adversa sustinere, & cum Diabolo, mundo & carne pugnare tenemur, quàm coronam justitiæ fidelibus repositam, consequamur, 2.Tim. 4.v.8.

Vita nostra peregrinatio est, Genes.47. v.9. ideò ne ægrè feramus, si ventis, pluviis, aliisque tempestatum injuriis expositi simus, quam tamen tranquilla serenitas rursus consequitur, Tob.3.v.21.

Vita nostra militia est, Job.7.v.1. ubi intus pavores, foris pugnæ, 2.Cor.7.v.5. ideò non insolens videatur nobis, si hostibus undiq; eorumque telis petamur, quin potius clypeo patientiæ ea excipiamus, quo omnibus perfectis stemus, Ephes.6. v.13.

Qui Christi discipulus esse vult, colorem ejus non erubescat, sed communicans Christi passionibus gaudeat, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeat exultans, 1. Petr.4.v.13.

Cùm Ruth in agro Boas spicas colligeret, buccellam suam in aceto intingere jubebatur, Ruth.2.v.10.14. Sic & qui spicas misericordiæ divinæ in agro Ecclesiæ legunt, buccellam suam in aceto intingant, oportet, h.e. ærumnas & afflictiones subeant, Psal.80.v.6.

Israëlitæ agnum Paschalem cum lactucis agrestibus comedere tenebantur, Ex. 12.v.8. Quid hoc aliud significavit, quàm quod Deus suis fidelibus crucis onus imponat, quâ exterior homo corrumpitur, interior verò de die in diem renovatur, 2. Cor. 4. v. 16. in alterâ vita non amplius lactucis agrestibus vescemur, sed inebriabimur pinguedine domus ejus, & torrente voluptatis ejus potabimur, Psalm. 36.v.9.

Hæc sors Christianorum in hoc mundo est, ubi verè ærumna duplicatur bonis viris, je lieber Kind / je schärffere Ruthe. Judicia enim Dei à sanctuario ejus incipiunt, Ezech.9.v.6. 1.Petr.5.v.17. Noli itaque obstupescere, tanquam ad rem peregrinam: Sic itur ad astra, 2. Timoth. 2. v. 11.

Quod si onus tibi gravius videtur, cogita alios, sciens eandem passionem ei, quæ in mundo est fraternitati tuæ convenire,

1. Petr. 5. v. 9. Nemo hîc immunis est. Calix in manu Domini, vini meri plenus infusus, Psal. 75. v. 9. hic calix tribulationis est, quem Dominus singulis propinat, & tamen neminem tentari patitur, suprà id quod potest, 1. Cor. 10. v. 13.

II. *Petri curiositatem.* Cum Petrus Johannem sequi videret, dicebat: Domine, hic autem quid?

Adhuc hodiè curiositas valdè familiaris est inter homines: qui providentiam Dei sæpè accusant, ut æquo animo non suscipiant, à quo alios immunes esse conspiciunt.

Si cui mors imminet, mallet hoc decretum ab Altissimo immutari, respiciensque alios, ait: Quid autem hic? Cur hunc Deus vitæ diuturnitate beat? Defecerunt sicut fumus, dies mei: & ossa mea sicut titio exusta sunt, Psal. 102. v. 4. 5.

Verùm non ita. Dic potius cum Davide: Quare tristis es anima mea? Psalm. 42. v. 12.

Si crucis moles cui subeunda, mallet omnes homines eâdem premi: hinc iterum quærit: Quid autem hic? Hinc querelæ: Dominus dereliquit me; Dominus oblitus est mei, Esa. 49. v. 14.

Sed non ita. Caritas Christiana ita comparata sit, ut & tuo damno alios adjuves, si possibile foret, ut Moses Exod. 32. v. 31. 32. & Paulus, Rom. 9. v. 3. optarunt. Cogita quid Johannes dicat? 1. Ep. 3. v. 16. Quin & afflictio non tàm iræ, quàm gratiæ divinæ indicium est, Prov. 3. v. 11. Jac. 1. v. 12.

Quodsi homo in Christianismo suo temperanter, justè & piè vivere jubetur, de alio sollicitus ait: Quid autem hic? Nonne ille in peccatis præfractè pergit, & tamen in numero Christianorum censetur?

Verum quid hoc ad te? Tu potius Dei mandatum, non aliorum exempla respice: veniet tempus, ubi quilibet pro seipso rationem reddet Deo.

Quodsi homo in functione sua opera vocationis sedulò peragere debet: facilè πολυπραγμοσύνης vitium incurrit. Ubi Clerici non rarò rebus secularibus, & Politici Ecclesiasticis se immiscent. Ut exempla Core, Dathan, Abiron, Num. 16. v. 1. 31. Saulis, 1. Sam. 13. v. 9. 14. Regis Usiæ, 2. Chron. 26. v. 16. 19. Usæ, 2. Sam. 6. v. 6. 7. ideò punitorum à Deo, restantur.

Fugiamus igitur tetrum hoc vitium. Unumquemque sicut vocavit Dominus, ita ambulet, 1. Cor. 7. v. 17. Rom. 12. v. 7. 8. 1. Thess. 4. v. 11. Sir. 10. v. 30.

III. *Opinionis discipulorum celeritatem,* de qua Evangelista: Exiit ergò sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Ubi Christus curiositatem Petri reprehenderat, verba ejus non dextrè intelliguntur, ideò colligunt inter se dicentes: Discipulus ille non moritur. Et hæc opinio divulgatur inter fratres, h.e. non solùm inter Apostolos, sed & inter alios, qui fidem Christianam susceperant, qui fratres dicebantur, Actor. 12. v. 1. 26. ratione unitatis fidei, & fraternæ caritatis.

Hîc videmus 1. unde sit, quod nonnunquam vanus rumor & falsa opinio de hoc vel illo divulgetur? nempè, inde, si alterius verba non rectè intelligas, aut sinistrè interpreteris.

Apo-

Apostoli quidem quod faciunt, non mala intentione, sed ex imbecillitate faciunt: Hodiè verò inveniuntur, qui studiose aliorum verba depravant, & undiquaque calumniose divulgant. Hinc sæpè vanus rumor exit inter fratres, sive illos qui eandem fidem nobiscum profitentur. Hi nigri sunt, adeoque studiose cavendi. Ne contrà faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo, Sir. 8. v. 14. Confer c. 27. v. 26.

Idipsum expertus est David, 2. Sam. 10. v. 2. Stephanus, Act. 6. v. 13. Servator ipse, Joh. 2. v. 19.

Nos vitium hoc cane & angue pejus fugiamus, memores admonitionis Siracidis: Corripe amicum, ne fortè non fecerit &c. Sir. 19. v. 13. 16.

2. Videmus, unde in Ecclesiam tot errores irrepserint: nempè ex pravo Scripturæ intellectu, & incertis conclusionibus. Christus hîc ad Petrum ait: Si eum volo manere; hæc verba sinistrè intelligentes inferunt, nunquam eum moriturum. Hoc olim factum & hodietenus fieri amat.

Christus dicebat Joh. 6. v. 35. Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet. Ubi ille loquitur de spirituali manducatione, quæ ore fidei fit. Ideò paulò pòst addit: Caro non prodest quicquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt, v. 63. E sinistro horum verborum sensu deindè sermo exiit inter Judæos, Dominum daturum carnem suam, ut velut alii cibi dentibus comminueretur, ex v. 53.

Dicente ad discipulos: Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel, Matth. 19. v. 28. quod quidem die ultimo futurum Servator innuit, cum sederit in sede Majestatis suæ: Illi hæc verba perperam capiunt, unde sermo inter illos exiit, Dominum Regnum terrenum inchoaturum in terris, ubi de proedriâ illi litigant, Luc. 22. v. 24.

Nos genuino verborum sensui inhærentes, probè caveamus, ne ab illo seducamur: rectum verò sensum facilè attingemus, si devotis precibus verbum sedulò meditemur, audiamus & legamus. Sir. 32. v. 19. 20.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Dei crucem dirigentis potestate.* Non enim capillus de capite nostro sine voluntate ejus decidere potest, Matth. 10. v. 29. In manibus ejus tempora nostra sunt, Psal. 31. v. 16. Ringat licet Diabolus & mundus.

Apostolo Petro hîc Servator prædicit, quod usque in senectam Apostolatu fungi, tùm verò demùm Martyrii coronam reportare debeat: hoc immutari nequit. Et licet Herodes ipsi in principio insidias struxerit, tamen id frustrà tentavit, quia Dominus Angelo suo misso liberavit eum è carcere, Actor. 12. v. 7. ubi verò tempus definitum consecutum fuerat, anno ætatis 78. Apostolatus 37. crucifixus est.

Idipsum plura exempla testantur. Quoties Israelitæ Mosen lapidandum præsumserunt? frustrà tamen, donec vitæ termino consecuto, cum Deus montem

Nebo conscendere, ibique mori jussit, Deut.32.v.49.

Quantis insidiis Saul Davidem prosecutus est? Quanto furore Jesebel Eliam? Sed uterque inania meditatus est. Ille enim 70. ætatis anno in lecto placidè exspiravit, 1.Reg. 2. v.10. hîc vero igneo curru & igneis equis in cœlum avectus est, 2.Reg. 2. v.11.

Sic Diabolus absque Dei permissu ne gry quidem nocere nobis potest, Exod.8. v.18. Ideò pleni fiducia cum Paulo dicere possumus: Nemo nostrûm sibi vivit: & nemo sibi moritur &c. Roman. 14. v.7.8.

Sed & consolationem adfert, si sciamus, cur Deus permittat, ut fideles sui ita affligantur, & velut oves mactentur, nimirum, *ut Deus clarificetur*. Ita in gloriam Dei cedit, si Christianus patitur, aut perimitur ob nomen ejus. Equidem coràm mundo ignominiosum videtur, quando pii carnifici traduntur, & igne, fune, gladio, aut alio modo necantur. Verùm quia non patiuntur, quasi homicidæ, aut fures, aut malefici, aut curiosi alienarum rerum, non est, quod erubescant, 1.Petr.4.v.14. Nam pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, Psal.116.v.15.

Hinc Moses magis elegit affligi cum populo Dei, quàm temporalem peccati habere jucunditatem: adspiciebat enim in remunerationem, Hebr.11.v.25.

Hinc Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati, Act. 5.v.41.

Hinc Babylas Episcopus Antiochiæ carnifices oravit, ne catenas sibi detraherent, quò in hoc decore coràm tribunali Christi triumphare posset, Matth.5. v.11.

II. *Ex Correctionis lenitate.* Johannes, de quo hanc opinionem conceperant, eandem modestè refellit, inquiens: Non dixerat Jesus: non moritur, sed, si volo eum manere, donec veniam, quid ad te?

Docet hoc ipso, quomodo errores, qui ex sinistrâ Scripturæ interpretatione nati sunt, refellere, & in viam errantes reducere debeamus: nempè non verbis acerbis & contumeliosis, sed in mansuetudine & lenitate, Rom.15.v.1. Gal.6.v.1.

Et quò efficacius hæreticos convincamus, solius Scripturæ testimonia adhibenda sunt. Non verbis loquimur, quæ docet humana sapientia, sed quæ docet Spiritus sanctus, 1.Cor. 2. v.13. Ad legem & testimonium Esa.8. v.20. Hoc verbum manet in æternum, Esa.40. v.8. quod potens est exhortari, Tit.1.v.9.

Ex Scripturâ Christus divortii jus docuit, & Pharisæos perperàm sentientes redarguit, Matth.19.v.3.6.

Ex Scriptura Servator contrà Sadducæos resurrectionem mortuorum probavit & asseruit, Matth.22.v.23.seqq.

Ex Scripturâ Paulus contrà Judæos evicit, Jesum Nazarenum Messiam & Filium Dei esse, Act.9.v.21.22.

Hinc Augustinus: Dominus nihil credi voluit, adversus confirmatam Scripturarum autoritatem. Et iterum: Major est hujus Scripturæ autoritas, quàm omnis humani ingenii perspicuitas.

Sic & nos verbum Dei majoris faciamus, quàm omnium hominum glossas, orantes cum Servatore: Sanctifica nos in ve-

in veritate tuâ, sermo tuus veritas est, Joh. 17. v. 17.

III. *Ex historiæ infallibilitate.* Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. Et scimus, quia verum est testimonium ejus, dicit Johannes, qui & ipse est, de quo hic sermo inter discipulos exierat, quod non moriturus sit. Idcircò hîc palàm testatur, quid ex ore Servatoris audierit, & opinionem hanc falsam emendat. Meritò ergo ei fidem habemus, quia non ex propriâ autoritate loquitur, sed velut testis oculatus à Deo in hoc ordinatus, ut veritati testimonium perhiberet.

Perspicimus hîc, quanta *Autoritas Scripturæ* sit. Doctrina Apostolorum & Evangelistarum vera & certa est, illi enim id annunciaverunt nobis, quod audiverunt, quod oculis suis viderunt, quod perspexerunt, quod manus eorum contrectarunt, 1. Joh. 1. v. 1. illi sunt, quos Spiritus sanctus in omnem veritatem duxit, Joh. 16. v. 13. Hinc Petrus, 2. Ep. 1. v. 16-18. Confer Act. 4. v. 20.

Efficax hinc solatium nobis suboritur in omnibus tentationibus. Scriptura sacra non fabellis Æsopi, aut naso cereo similis est: sed liber est veritatis. Ideò certi sumus, fidem nostram sufficienter fundatam, omnesque Dei promissiones Etiam & Amen esse, 2. Cor. 1. v. 20. Lex Domini perfecta est, convertens animas, Psal. 19. v. 8. 11. Actor. 20. v. 27. 2. Timoth. 3. v. 16. Sufficiunt sanctæ & divinitus inspiratæ Scripturæ, ad omnem instructionem veritatis, ait Augustinus.

Nos hinc fidelem Dei providentiam, quâ salutis nostræ rationem habet, agnoscamus, libros Scripturæ sacræ eò magis diligamus, in iis legamus, & illos perscrutemur, quo salvifica Dei agnitione imbuti, ad salutem promoveamur, juxtà Christi instructionem: Scrutamini Scripturas, Joh. 5. v. 39.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Christum dilige.* In prælecto nostro Evangelio Christus Petrum tertia vice interrogat: an se diligat? Et respondet Petrus: Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia amo te. Idipsum discamus nos ab ipso.

Caritas Christi supereminens scientia est, ait Paulus, Eph. 3. v. 19. Et si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema Maharematha, 1 Cor. 16. v. 22. Et quidni beneficum hunc Dominum diligeremus, quem amor hominum fecit hominem, cujus delitiæ sunt cum filiis hominum, Proverb. 8. v. 31.

Quis eum non diligeret, qui ab initio Ecclesiæ suæ præstò fuit. Mirificavit eam, Psal. 4. v. 4. in utero suo portavit, Esa. 46. v. 3. in manibus suis descripsit, Esa. 49. v. 17. ut signaculum super cor suum posuit, Cant. 8. v. 6. ut pater ejus misertus, Psal. 103. v. 13. ut mater dilexit, Sir. 4. v. 11. ut mater consolatus, Esa. 66. v. 13. ut Sanator curavit, Exod. 15. v. ult. & ita semper mirabilis in Sanctis suis fuit, Psal. 68. v. 36.

Quis eum non amore amplecteretur, in quo cœlestis Pater nos dilexit antè jacta

jacta fundamenta mundi, Ephes. 1. v. 5. imò, cum quo omnia nobis donavit, Rom. 8. v. 33.

Quis eum non diligeret, qui nos prior dilexit, & pro nobis mortuus est, cum adhuc peccatores essemus, Rom. 5. v. 8. qui propter nos servi formam assumsit, Phil. 2. v. 7. & propter nos egenus factus est, ut illius inopiâ nos divites essemus, 2. Corinth. 8. v. 9.

Ipse nobilis ille Samaritanus est, qui vulnera nostra obligat & sanat, Luc. 10. v. 34. & nos amicè compellat ex Augustino: Falli non vis? veritas sum; mori non vis? vita sum; errare non vis? via sum: non est, quò eas, nisi ad me, non est quà eas, nisi per me.

Sicut igitur ignis ignem succendit: Ita & meritò ignis amoris, quo nos Christus prior dilexit, corda nostra foveat, ut si non flammam ignis, minimùm tamen aliquot scintillulas in nobis exsuscitet.

Christus est summum bonum, imò unicum bonum, primus & novissimus, Esa. 44. v. 6. Alpha & Omega principium & finis, Apoc. 1. v. 8. ideò caritas nostra ab eo incipiat, & in eo finiatur. Ipse super omnia & in omnibus est; propterea ipsum super omnia & in omnibus diligamus.

Extrà illum nulla lætitia est, sed mera tristitia; extrà ipsum nulla requies, sed mera inquietatio; extrà ipsum nulla voluptas, sed merum fastidium; extra eum nulla salus, sed mera damnatio. Diligamus ergò eum suprà omnes divitias, quia est summum bonum; suprà omnem gloriam, quia est summa gloria; suprà omnem sapientiam, quia est summa sapientia; suprà omnes delitias, quia est summa voluptas; suprà omnem pulchritudinem, quia est summus decor; suprà omnes homines, quia omnium amicorum amicus est constantissimus. Licet multa dicamus: tamen non possumus verbis assequi: breviter, ipse omnia est, Sir. 43. v. 28. Hoc ipsum amorem ejus in nobis exsuscitet, ut cum Ecclesiâ dicamus: Hertzlich lieb hab ich dich O HErr &c.

II. *Christum sequere.* Christus hic dicit; Sequere me, quod non Petro modò, sed omnibus nobis dictum est.

Sequamur autem Christum

1. *Obedienter.* Ut diligamus habitaculum domus ejus, & locum habitationis gloriæ ejus, Psal. 26. v. 8. ubi memoriam nominis sui posuit, Exod. 20. v. 24. Ad quod invitat nos David inquiens: *Servite* Domino in lætitiâ: introite in conspectu ejus, in exultatione &c. Psal. 100. v. 1. 3. ibi domus ejus est, quæ est domus orationis, Esa. 56. v. 7. ubi veniet ad nos & benedicet nobis, Exod. 20. v. 24.

Sic promptè obedivit Abraham, ubi Deus eum jussit egredi de terra suâ: egressus est, sicut præceperat ei Dominus, & ivit cum eo Loth, Gen. 12. v. 1. 5.

Idem nos quoque faciamus. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius custodite, & audite vocem ejus, ipsi servietis, & ipsi adhærebitis, Deut. 13. v. 4. Vera Christi ovicula sequitur eum & audit vocem ejus Joh. 10. v. 3. 4. Sed & Præpositis nostris obediamus & pareamus, ipsi enim pervigilant pro animabus nostris,

Hebr.

Hebr.13. v.17. Insistamus vestigiis ejus, discentes ab ipso mansuetudinem & humilitatem, Matth.11. v.29. Phil.2. v.5.8. 1.Joh.2.v.6. Joh.8.v.12.

2. *Patienter.* Quando nos vocat: Si quis vult pòst me venire, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, Matth.16. v.24. Qui non bajulat crucem suam, & venit pòst me, non potest meus esse discipulus, Luc.14. v. 24. sequamur Redemtorem nostrum in patientiâ. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere &c. Matth.10.v.28. 1.Petr.2.v.22.

Quodsi ipsum per varias tribulationes & afflictiones secuti fuerimus, sequemur quoque eum in cœleste gaudium, ut ipse ait: Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, Joh. 17. v. 24. Confer Rom. 8. v.17.19.

III. *Quæstiones inutiles remove.* Christus Petro ad futilem & curiosam quæstionem suam ita respondet: Si eum volo manere, donec veniam: quid ad te? q. d. licet eum superesse velim, usque ad diem ultimum, nihil te attineret. Tu quæ muneris tui sunt cura, nec de aliis solicitus esto.

Hinc satis elucescit, Dominum curiosam hanc Petri quæstionem minimè probare, ut & nos ab ejusmodi quæstionibus avocet, Quod & Paulus facit, 2. Tim.2. v.22. Tit.3.v.9.

Et si quis esset, qui inutiles ejusmodi quæstiones moveret, non adeò solicitè ad illas respondere teneremur.

Discipulis Servatorem interroganti- bus: Quod signum adventus tui erit, & consummationis seculi? respondit ille: De die illâ & horâ nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater, Matth.24. v.3.36. & cum antè adscensionem suam in cœlum ex eo quærerent: Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israel? dixit illis: Non est vestrum, nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, Act.1.v.6.7.

Quicunque igitur quæstionem proponere vult, ea quærat, quæ salutaria sunt & animæ saluti conducunt, ne à Salomone audiat: Ne respondeas stulto, juxtà stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Responde stulto juxtà stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur, Prov. 26. v. 4.5.

Imprimis verò quilibet sibi caveat, ne mysteria divina ratione indagare præsumat. Sicut, qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic scrutans gravia gravatur, Proverb. 25. v. 27. Sapient. 9. v.13.18.

Esto contentus eo, quod tibi in Scripturis revelavit Deus. Habes verbum ejus dilucidum & perspicuum, quod scriptum est, ut credas, & ut credens vitam habeas, Johan.20. v.20. Audi summam totius rei: Deum time, & mandata ejus observa, hoc enim omnes homines decet, Eccl. 12. v.13.

Petrus per crucifixionem è medio tollitur, Johannes morte naturali obit. Hoc fit juxtà voluntatem Dei investigabilem. Quodsi adhuc hodiè Servator tuus vult, ut hic in infantiâ, ille in senectute, hic morte naturali, ille violenta

in

in peregrinatione finiat vitam: ne sis curiosus cur id fiat, quia id nō perscrutaberis. Deus cuique terminum suum constituit, qui prætetiri non potest, Job. 14. v. 15. Tempora hominis in manibus Dei sunt, Psal. 31. v. 16.

Vir Ægyptius aliquando aliquid obvelatum per plateam ferebat. Huic obviabat vir curiosus, qui quærebat ex eo, Quid absconditum ferret? cui alter respondit: Ideò obvelatum est, ut tu nescias.

Idem responsum illis demus, qui mysteria divina ratione rimari non verentur: ideò enim mysterium est, quia pervestigari non licet. Contentus esto in sanctissimâ Altissimi voluntate, cum Davide dicens: Convertere anima in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, Psal. 116. v. 7. & cum Eli Sacerdote: Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat, 1. Sam. 3. v. 18. & cum Job: Sit nomen Domini benedictum, Job. 1. v. 26.

Laus & gloria sit Domino Deo nostro, per Jesum Christum, Amen.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS CHRISTI.

Evangelium Luc. 2. v. 21.

EXORDIUM.

CUm Judæi ex extremo periculo, quod Haman ipsis concinnaverat, liberati essent, diem decimum quartum mensis Adar constituerunt esse solennem, ut in eo, omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atque conviviis, mittentes sibi mutuò donaria, partes epularum atque ciborum, Judith. 9. v. 17. 22.

Hinc procul dubio consuetudo invaluit inter Christianos, ut hodierno die, non modò felicem annum sibi invicem precentur, sed & strenam mittant, in testimonium lætitiæ spiritualis, quæ ratione miraculosæ redemtionis, per Jesulum recens natum factæ, in cordibus eorum nata, de qua Angelus pastoribus Bethlehemiticis ita prædicat: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David, Luc. 2. v. 10. 11. Ubi enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, Galat. 4. v. 45.

Propterea nos Christiani hodierno die novum annum auspicamur, quo die Christus legem subiens, legem pro nobis implere, & sanguinem immaculatum pro nobis fundere, salutemq; nostram operari cepit, ut Bernhardus loquitur.

Ut ita strena inter Christianos Symbolum memoriale sit, cœlestis Jubilæi, quod Pater cœlestis in Filio suo, Jesulo recens nato, nobis donavit. Quasi alloquatur Christianus alterum: Ecce, mi fili, mi

amice

amice & vicine, apprecor & dono tibi recentem annum, quo ipso tibi contestor, me & te in numero eorum esse, quibus Deus Filium suum, Jesulum recens natum strenæ loco donavit, & nos ex anno veteri Adami, in novum Jubilæum transtulit, unde spero tecum me, & cum omnibus fidelibus æternam amicitiam in Regno cœlesti culturum. Quod votum, quæ consuetudo verè Christiana est, ubi amplissimum Dei beneficium nobis præstitum, debitâ gratitudine agnoscitur, & prædicatur.

Quia verò maxima pars in distributione strenarum, spirituale hoc gaudium ferè penitus oblivioni tradit, & à plurimis externa tantum donaria respiciuntur, verbi Ministros decebit, idem ex verbo Dei auditoribus suis sedulò inculcare.

Nos methodo nostræ inservientes, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Circumcisio est Sacramentum V. T. quo Deus Abrahamum & posteros ejus, ab aliis gentibus separare voluit, tanquam peculium suum, cum adjuncta comminatione, nisi masculi præputii caro circumcisa fuerit, delendam animam illam de populo suo, quia pactum Dei irritum fecerit, Gen. 17. v. 15. 26.

Quamvis autem Jesulus recens natus Sanctus Sanctorum, Dan. 9. v. 24. adeoque huic legi subjectus non erat, quæ tantùm hominibus peccato infectis data fuerat, attamen & ipse instar vulgaris alterius pueri circumcidi voluit, ut prælecta Pericope luculenter probat.

Querela respicit

I. *Acerbum dolorem*, quem tener puerulus Jesus in Circumcisione suâ subiit. Ibi enim puerulis Judæorum acuto cultro præputium præcidebatur, quod sine sanguine & dolore non factum, ut id non modò ratio sana docet, sed & exemplum Civium Sichemitarum probat, postquam enim ad circumcisionem suscipiendam persuasi erant, die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor erat, arreptis, duo filii Jacob Simeon & Levi, gladiis, ingressi sunt urbem confidenter, & omnes masculos interfecerunt, Gen. 34. v. 21. Hinc constat, quod si viris à circumcisione tantus dolor obortus, ut præ dolore defendere se minus potuerint: quantum dolorem teneris infantibus illa attulerit, si die octavo præcise circumcisi fuerint. Hâc ex causa Zipora diu tergiversata, incircumcisum filiolum suum relinquebat: & ubi tandem necessitate adigebatur, quia Deus Mosen perempturus erat, tamen vel invita illud fecit, tetigitque pedes mariti sui, h. e. ut Biblia Vinariensia id explicant: præputium ad pedes ejus abjiciens, dixit: Sponsus sanguinum tu mihi es, Exod. 4. v. 25.

Ejusmodi dolorem & cruciatum, optimus Jesulus in corpusculo suo sanctissimo, octavo ætatis die, ut alius in peccatis conceptus puerulus, experiri voluit, ubi sine dubio amarè quoque flevit, & lacrymas profudit, sicut ipse dolores nostros portavit, Esa. 53. v. 14. nobisque

fratribus suis per omnia assimilatus est, excepto peccato, Hebr. 2. v. 12.

Sed non immerito hîc recordamur magnæ illius miseriæ, cui infantes propositi sunt, simulac in lucem eduntur, primam vocem emittunt plorantes, Sap. 7. v. 4. quâ mundum salutant, quæ nihil aliud est, nisi vallis lacrymarum, Psal. 80. v. 6. Hinc Augustinus: Quod infantia non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit, nesciens quodammodò prophetat. Et hoc non aliunde, quàm à peccato est, de quo miseri infantuli conqueruntur, juxtà notum versiculum:

Ingeminant E & A, quotquot nascuntur ab EVA.

Sicut enim per unum hominem mors intravit in mundum, sic & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, quandoquidem omnes peccaverunt, Rom. 5. v. 12.

Quot infirmitatibus subjecti sunt infantuli? Multi exspirant in utero materno, antequam in lucem eduntur, in sepulchro enim absconduntur & illi, qui concepti non viderunt lucem, Job. 3. v. 16. Quodsi verò dolores partûs superant & gratia Dei perrumpunt, miseriarum finis non est, ut semper unius exitus, principium sit alterius. Modò tussi laborant, modò epilepsiâ infestantur, modo variolis decumbunt, modò dentium dolore cruciantur, quin multi tantâ difficultate nascuntur, ut vita propterea priventur. Sive accidit, ut poplite lædantur, sicut Mephiboseth, quem nutrix casu perdidit, ut claudus effectus fuerit, 2. Sam. 4. v. 4. sive febri ardent, ut Reguli filius, Joh. 4. v. 35. sive caput dolent, ut filius Sunamitidis, 2. Reg. 4. v. 19. sive prorsus degenerant, uti Absolon, 2. Sam. 15. v. 1. seqq.

Hoc magnum mœrorem affert parentibus, ex innata enim στοργῇ diligunt liberos, & si huic vel illo malum oboritur, mallent id in proprio corpore pro liberis sustinere, ut in Davide perspicimus, qui nuncio audito, filium Absolonem, qui tamen vitæ & coronæ insidias struxerat, in quercu pendulum factum, & tribus hastis percussum, lamentabili voce clamabat: Fili mi Absolom, Absolom fili mi: quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Absolom fili mi, fili mi Absolom! 2. Sam. 18. v. 73. Ex hâc causa quandoque Deus liberos morbis percutit, quando parentum peccata punitum it, ut recordentur, quomodò olim in juventute vixerint, & ita liberis & nepotibus suis justam pœnam attraxerint. Quando enim patres comederunt uvam acerbam, dentes filiorum obstupescunt, Ezech. 18. v. 2. *Sed & seriâ* pœnitentia id elui potest, si ores cum Davide: Delicta juventutis meæ, & rebellionem meam, ne memineris, Psal. 25. v. 7. sic conturbantur viscera Dei, ut miserens misereatur nostrûm, Jer. 31. v. 20.

II. *Amicorum morem*, quorum tempore necessitatis magna raritas est. Quod in Circumcisione Jesuli recens nati apparet.

Quando aliàs apud Judæos puerulus circumcidendus erat, vicini & cognati convenerunt, ut ex historia Baptistæ patet, Luc. 1. v. 58. Verùm hîc ad circumcisionem Christi non memoratur, quemquam è civibus Bethlehemiticis comparuisse:

fuisse: ubi tamen sine dubio propinquos & agnatos suos ibi habuerunt, quia è familia Davidis erant, Bethlehem verò civitas David expressè nominatur. Sed quia in inopiâ vivebant, nemo aderat, qui consanguinitatis officia persolveret, sicut & durius tractantur, & in stabulo puerperii tempus exigere coguntur, Luc.2.v.7.

Ita adhuc hodiè in mundo comparatum est, ut non abs re Petronius cecinerit:

Dum fortuna manet, vultum servatis amici,
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Id expertus est Jobus, hinc conqueritur: Fratres mei prætetierunt me, sicut inundatio torrentium, Joh.6.v.15.

Nec minus Josephus, cujus Præpositus pincernarum oblitus est, succedentibus prosperis, Gen.40.v.23.

Sic & Paulus in prima defensione ab amicis solus relictus est, 2.Tim.4.v.16.

Hic mundi mos est, humile quod est, superbi fastidiunt, sic & opulenti inopes: Dives commotus, confirmatur ab amicis suis, humilis autem cum ceciderit, expelletur & à notis, Sir.13.v.24.

Hoc dolendum sanè est.

Fidelis amicus aliàs dimidium est animæ, imò eadem anima & medicamentum vitæ & immortalitatis, Sir 6.v.15. hinc Salomo: Unguento & variis odoribus delectatur cor: & dulcis est amicus, propter consilia animæ, Prov.29.v.9.

Verùm hodiè rara avis in terris, nigroque simillima cygno, ut non abs re Aristoteles amicis dixerit: O amici, nullus est amicus! Facilis vox est: Totus tuus sum, sed paucioris effectus.

Treuer Freund ein seltzam Gast/
Den Melonen gleich zu schätzen/
50. Körner mustu setzen/
Eh du einen guten hast.

Rectè ergò facit, qui Deum ante omnia amicum sibi conciliat, hic enim, omnibus nos relinquentibus, solus constans manet, Psal.27.v.10. Joh.13.v.1.

III. *Mundi humorem.* Hic audimus, parentes Christi Circumcisionem recens nati Jesuli non diu procrastinare: sed octavo die juxtà legem eam expedire, ne culpâ sua periculum oriatur.

Hodiè sæpè fit, præsertim apud eos, qui sublimioris conditionis sunt, ut infantes suos aliquot hebdomades sine baptismo relinquant, ex merâ superbiâ, quia aut compatres non citius convocare, aut conviviū non citius instruere possunt, quæ plus respiciuntur, quàm miser infantulus, qui intereà in peccatis relinquitur, & necessario hoc salutis medio carere cogitur.

Hoc non leve peccatum est. Etsi enim nullus certus dies baptismati à Christo & Apostolis definitus est, sicut Circumcisioni in V.T. quæ præcisè die octavo peragenda erat, Gen.17.v.12. attamen ex hâc ordinatione perspicere possumus, quod Sacramenta sua non ex industria differri velit. Hoc & inter alia inde colligi potest, quia Circumcisio non sine dolore fiebat, & tamen præcisè octavo die observanda erat; quantò magis baptismus promovendus videtur, ubi nullum periculum aut dolores pertimescendi.

Certè parentes illi, qui liberos suos sine baptismo aliquamdiu relinquunt, hoc ipso satis indicant, quod Sacramentum non magni æstiment, nec adeò necesse

sit, quod Christus ait: Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non potest introire in Regnum cœlorum, Joh. 3. v. 5. Quodsi igitur contingit, ut infantes subitò in morbum incidant, aut planè occumbant, gravis hinc ratio parentibus reddenda restat, & Deus sanguinem illum à manu eorum requiret, Ezech. 3. v. 10.

Sunt filii hæreditas Domini: merces fructus ventris, Psal. 127. v. 4. æquum igitur est, ut parentes maturent, quo per baptismum Christo initiantur, quod & ipse Servator mandat, inquiens: *Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos, talium est enim Regnum Dei*, Marc. 10. v. 14.

Ratholdus Dux Frisiæ, cum Episcopus Wolramus, eò eum persvasisset, ut baptismum suscepturus, alterum jam pedem in baptisterium posuisset: interrogabat ille Episcopum, quorsum plurima pars majorum suorum pervenisset, in cœlumne, an in infernum? Episcopus respondit, fuisse infideles gentiles, ideoque sine dubio in infernum migrasse. Tum retracto pede dixit: *Sic cum majori parte ego faciam.*

Ejusmodi illusorum adhuc hodie in medio Christiano orbe plurimi reperiuntur, qui baptismum carnalibus oculis intuentes autumant, non multum referre utrum baptizetis nec ne? Verùm errant. Est enim stipulatio bonæ conscientiæ cum Deo, 1. Petr. 3. v. 21. lavacrum regenerationis & renovationis, Tit. 3. vers. 5. hoc qui spernit, consilium Dei adversus seipsum spernit.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex temporis fluxu.* Sic enim in Evangelio: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer. Hic nihil stabile & permanens est, sed potius locum habet illud Poetæ:

Tempora labuntur, & nos mutamur in illis.

Tandem appropinquamus morti, ubi constituta est domus omni viventi, Job. 30. v. 23.

Postquam autem in hâc mundi senecta eò res rediit, ut omnia in deterius vergant, & querela Davidis locum habeat: Defecit sanctus, Psal. 12. v. 1. audimus nil nisi prœlia, & rumores prœliorum, abundat iniquitas & refrigult caritas multorum, Matth. 24. v. 6. 12. Diabolus valdè negotiosus est, & non modò Pseudo-Prophetas ablegat magno numero, ut cicades, Apoc. 14. v. 9. sed & in Politia & oeconomia omnia turbat, ut tempus illud adesse constet, de quo Johannes: Væ habitatoribus terræ & maris; quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quòd modicum tempus habet, Apoc. 12. v. 12. Magna sanè consolatio fidelibus redundat, quod hæc miseria non in æternum duret, sed dicetur aliquando: Dies consummati sunt, non enim in æternum Deus afflictionem dabit justo, Psal. 55. v. 23.

Hoc reminiscantur pii, si fortè rebus adversis conflictentur, post nubila Phœbus. Lux orta est justo, & rectis corde lætitia, Psal. 97. v. 11. In vitâ æterna tempus nunquam consummabitur, ubi non occidet

det ultrà Sol, & Luna non minuetur: quia erit nobis Dominus in sempiternam lucem,& complebuntur dies luctus nostri, Esa.60.v.20. Apoc.21.v.23.

II. *Ex nomine Jesu*, quo recens natus puerulus in Circumcisione insignitus fuit, est illud nomen JESUS, nomen super omne nomen, in quo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, Phil.2.v.10. Non enim est in alio aliquo salus, nec aliud nomen sub cœlo datum est hominibus in quo oporteat eos salvos fieri, Actor.4.v.12. sicuti ex hâc ipsa causa hoc nomen accepit, ut tanquam Jesus noster populum suum salvum faciat, à peccatis eorum, Matth.1.v.21.

Hoc fecit quoque dum per sanguinem & mortem suam æternam redemtionem reperit, Hebr.9.v.12. quin & adhuc hodie est Salvator omnium hominum, maximè verò fidelium, 1.Tim.4.v.10.

Hinc maxima consolatio oritur.

Vocatur Salvator tuus Jesus, quia te salvum fecit à peccatis tuis: liberavit te quoque ab ira Dei contra peccata. Ubi enim peccata aboleta sunt, Deus nullam causam amplius irascendi habet, sed potius justificati fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, Rom.5.v.1.

Quia vocatur Jesus, immunis quoque es ab accusatione & maledictione legis, virtus enim peccati lex est, 1.Cor.15.v.57. Christus verò est finis legis, ad justitiam omni credenti, Rom.10.v.4.

Quia Jesus, à morte quoque te redemit. Stipendium enim peccati mors, Rom.6.v.23. ubi verò peccatum expiatum, ibi & mors cessat: qui in Christum credit, nunquam morietur, Johan.11. v.26.

Si Jesus, futurum quoque judicium non pertimescendum nobis est, Joh.5. v.24.

Si Jesus, immunes quoque sumus à condemnatione æternâ. Nulla enim condemnatio in iis, qui in Christo JEsu sunt, Rom.8.v.1.

Noli itaque desperare, sed collige te, peccator tristis! cur tristaberis, quia ejusmodi Salvatore gaudes, cui nomen Jesus? Si peccata perturbant te? donavit ille tibi omnia delicta, delens, quod adversus te erat, chirographum, Col.2.v.15. Inquietat te conscientia? Hic Jesus emundavit conscientiam nostram, ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi, Hebr.9.v.14. Ambigis de salute? Apage dubitationem, non enim venit, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per eum, Joh.3.v.17. Mors appropinquat? Noli exhorrescere mortem! Hic Jesus est, qui est verus Deus & vita æterna, 1.Joh.5.v.11. Hunc fiduciâ plenus cum Stephano invoca: Domine Jesu suscipe spiritum meum! sic & tu cœlum patere videbis, & in agone efficacissimum solatium senties, Act.7.v.ult. Rom. 14.v.7.

III. *Ex Circumcisionis fructu.* Pro seipso legi subjectus non erat, sed Dominus Sabbathi, Marc.2.v.ult. At nostri causa circumcidi voluit, ut ostenderet, se in mundum venisse, ut legem & omnem justitiam impleret, Matth.3.v.15. Qui enim circumciditur, debitor est, universæ legis faciendæ, Gal.5.v.3.

Hinc consolationem hauriamus, quando audimus, Mosen omnes maledictos pro-

pronunciare, qui non permanent in omnibus sermonibus legis, Deut. 27. v. ult. Christus propter nos legi se subjecit, ut adoptionem filiorum reciperemus, Galat. 4. v. 5.

Proinde non est, quod metuamus, sed possumus in Christo invenire, quod saluti nostræ deest, factus est enim nobis à Patre sapientia, & justitia, & sanctificatio, & redemtio, 1. Cor. 1. v. 30.

Quando in corpore humano periculosa carnis putredo oritur, venæ sectio à Medicis pro optimo remedio habetur.

Totum humani generis corpus per peccata adeò corruptum erat, ut à plantâ pedis usque ad verticem nihil integrum quiddam, Esa. 1. v. 6. Propterea Christus magnus ille Sanator, Exod. 15. v. ult. & Magister salvationum, Esa. 63. v. 1. in medium venit, & in assumta humana naturâ, non modò tempore passionis suæ, sed statim octavo Nativitatis die in Circumcisione sanguinem suum profudit, quò hoc ipso toti humani generis corpori sanitas restitueretur. Agnosce hinc magnam caritatem Redemtoris tui, nec despera in peccatis tuis. Unica guttula sanguinis Christi sufficit pro redemtione totius mundi, etiamsi mille essent mundi, ait devotus Bernhardus.

Si quis lapsu graviore læsus, quicquam in corpore dirupit, sanguis caprinus ei propinatur, quo cruor concretus, qui cor circumdedit, vicissim dissolvatur, & ita homo restituatur.

Quando & tu, mi Christiane! lapsum graviorem, ex innatâ infirmitate vel Diaboli fraude circumventus commisisti, unde conscientia tua torquetur, ut cum David suspires: Non est sanitas in carne meâ, à facie iræ tuæ, Psal. 38. v. 4.

Ad cœlestem Medicum tuum Jesum te confer, ut potet te guttis suis sanguineis in sacrâ cœnâ, nec dubita, quin sanitatem consecuturus, & omni mœrore liberandus sis, Sanguis enim Jesu Christi, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 7.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Circumcisionem imitare.* Etsi enim externa Circumcisio in N. T. desiit: tamen nos Christiani interiori circumcisioni adstricti sumus. Non qui in manifesto Judæus est: neque quæ in manifesto in carne, circumcisio est: sed qui in abscondito Judæus est; & circumcisio cordis, in Spiritu, non literâ, Rom. 2. v. 28. 29. Confer Jer. 4. v. 4. Matth. 18. v. 8 9.

Quod si igitur novus annus felix & faustus nobis esse debeat, spiritualem hanc Circumcisionem nobis commendatam habeamus, juxtà

1. *Temporis notationem.* Jesulus recens natus, circumcisus est octavo die juxtà legem. Sic neq; nos spiritualem circumcisionem differamus, sed à puero malitiam præcidamus, ne se insinuet & decipiat animâ, Sap. 4. v. 12. Memento Creatoris tui, in diebus juventutis tuæ, Eccl. 12. v. 1. Maledictus, qui florem juventutis Diabolo, feces autem senectutis Deo consecrat. Ne erretis, non irridetur Deus, Gal. 6. v. 7.

2. *Modum & rationem.* Jesulus noster circumcisus est cultro ferreo vel lapideo, Jos. 5. v. 3.

Nos

Nos ejusmodi cultro non opus habemus: sed cultrum Spiritus adhibeamus, qui est sermo Dei vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti &c. Hebr. 4. v. 12. Hoc circumcide membra tua, ut ita destruatur corpus peccati, Rom. 6. v. 6. ut ita novus homo resurgat, qui in justitiâ & sanctitate Deo serviat, 2. Cor. 5. v. 17.

Circumcide *linguam* tuam à conviciis: non enim hanc tibi Deus dedit, ut mordeas, sed ut ipsi gratias agas, & proximo inservias. Maledici enim Regnum Dei non hæreditabunt, 1. Cor. 6. v. 10.

Circumcide *aures* tuas, ut audiant verbum Dei, quod est verbum vitæ, Johan. 6. v. 68. & clamorem pauperum, Rom. 12. v. 13. Prov. 21. v. 13.

Circumcide *oculos* tuos, ne videant vanitatem, 2. Petr. 2. v. 14. Psal. 119. v. 37. sed mirabilia in lege Dei, Psal. 119. v. 18, & cœlum, Psal. 121. v. 1.

Circumcide *manus*, ne circumveniant in negotio fratrem, 1. Thess. 4. v. 6. sed laborent, operando quod bonum est, ut habeas, unde tribuas necessitatem patienti, Eph. 4. v. 28. 1. Joh. 3. v. 17.

Circumcide *pedes*, ne abeant in curvas peccatorum vias, Psal. 125. v. 5. sed dirige eos in viam pacis, Luc. 1. v. 79. ut dignè converseris Evangelio, Phil. 1. v. 27. ut filios lucis decet, Luc. 16. v. 8.

Circumcide *cor tuum* ab hypocrisi, Sir. 2. v. 14. Deut. 15. v. 9. Cor enim ejusmodi detestatur Deus, Prov. 6. v. 18. Ora verò Deum, ut creet in te cor mundum, & Spiritum rectum innovet in visceribus tuis, Ps. 51. v. 12. juxtà promissionem, Ez 36. 27.

3. *Salutarem operationem.* In V. T. pueri per Sacramentum Circumcisionis in fœdus Dei recipiebantur: Hâc virtute quoq; pollet spiritualis circumcisio; si impius egerit pœnitentiam, vitâ vivet, & non morietur, Ezech. 18. v. 21.

Quod si ita spiritualem Circumcisionem commendatam tibi habebis, cum novo anno, novam quoque benedictionem à Deo expectabis. Sin minus, facilè in novacula conducta te radere potest Deus, Esa. 7. v. 20. & gladium denuò tibi immittere, ut correptiones septuplùm veniant, propter peccata tua, Levit. 26. v. 18. Est enim justus judex, & Deus minitans per singulos dies, Psal. 7. v. 12.

II. *Nominis tui recordare.* Judæi in more habuerunt, ut puerulis in Circumcisione nomina imposuerint, sicut & Jesu Servatori contigit, & Baptistæ, Luc. 1. v. 64. Quia igitur baptismus in locum Circumcisionis successit, Col. 2. v. 12. adhuc hodiè infantes nostros in baptismo nominibus suis insignire consvevimus. Quod ipsum non insigni sua utilitate caret. Sunt enim nomina, quæ in baptismo imponuntur, monitoria

1. *Nostræ renovationis*, quæ in baptismo fit, Tit. 3. v. 5. Quia enim ibi nova creatura fimus, 2. Cor. 5. v. 17. æquum est, ut & novis nominibus appellemur: Sicut Deus ipse Abrahami nomen immutabat, cum ei legem Circumcisionis ferret, ut non amplius Abram, sed Abraham vocaretur, Gen. 17. v. 10. seqq.

2. *Debitæ obligationis.* Sicut enim miles, quando Sacramento se adstringit, nomen suum profitetur, & hoc ipso obligat se, quod vitam pro vexillo profundere velit: Ita in baptismo nos Christo nomen damus, renunciantes Diabolo & omni-

omnibus ejus operibus. Hoc proindè servandum est, ne Diabolo aut mundo in peccatis serviamus: sed Christo in justitia & sanctitate coràm ipso, Luc.1.v.74. Nemo enim duobus Dominis servire potest, Matth.6.v.24.2.Cor.6.v.14.

3. *Necessaria consolationis.* Quando enim tribulationibus immersis non aliter videtur, ac si Deus nostrûm oblitus, faciem à nobis absconderit, ut querendum: Dominus dereliquit me, Dominus oblitus est mei, Esa.49.v.14. nomina nostra recordemur, quibus in baptismo in cœlo adscripti, Luc.10.v.20. & in librum vitæ consignati sumus, Apoc.22.v.19. Phil.4.v.3.

Ah mi Christiane! non Deus oblitus tui est, vocavit te nomine tuo, Esa.43.v.1. scit opera tua, & ubi habitas, Apoc.2.v.13. scripsit te in libro monumenti sui, Mal.3.v.16. descripsit te in manibus suis, Esa.49.v.16. Ergò confide, non te deseret, neque derelinquet, Hebr.13.v.15. sed eripiet & glorificabit te, & ostendet tibi salutare suum, Psal.91.v ult.

III. *Benè omnibus precare.* Id potissimum fiat in principio hujus novi anni, nec enim sine felici effectu erit, Deo largituro successum. Desiderium justorum profectò bonum est, Prov.11.v.23.

De Judæis scribunt, si illi novum annum auspicentur, Rabbinum eorum ex suggestu cornu sonitum edere, qui si obscurus, præsagiunt sibi infelicem: sin clarus & sonorus, felicem sibi annum polliceantur.

Nos Judæi non sumus, sed gratia Dei baptizati Christiani: Quia tamen impræsentiarum primâ vice in hoc anno suggestum conscendi, æquum puto, si & vobis novum annum apprecer.

Sicut igitur hîc congregati sunt ex omnibus tribus Hierarchiis, Pastores, & Auditores, Magistratus & subditi, Parentes & liberi, mariti & uxores, Seniores & juniores, ita omnibus in genere & singulis in specie apprecor à Deo Trinuno, annum felicissimum & beatissimum. A Deo Patre annum fertilem, à Deo Filio, annum pacificum, à Spiritu sancto gratiosum Jubilæum.

Non dubium est, quin in novo anno variæ calamitates emersuræ sint in omnibus Hierarchiis, experiemini tribulationes multas & malas, Psal.71.v.20. Sed confidite, Vos mei! Deus Trinunus non derelinquet vos. Deus Pater vestrûm miserebitur, & ut fidelis est, neminem patietur tentari suprà id quod potest, sed faciet cum tentatione evasionem, 1.Cor.13.v.13. JEsus Christus non vos orphanos relinquet, Johan.14.v.18. Sed vobiscum erit omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth.28.v.ult. Deus Spiritus sanctus vos instaurabit, confortabit, roborabit, fundabit, 1.Petr.5.v.10. ut militetis bonam militiam, habentes fidem & bonam conscientiam, 1.Tim.1.v.19. & tandem reportetis finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum, 1.Petr.1.v.9. Hoc votum meum est, addat Deus incrementum, Amen.

IN FESTO EPIPHANIAS CHRISTI.

Evangelium Matth. 2. v. 1.—12.

EXORDIUM.

CUm Israelitæ Ægypto educti, de Suchoth profecti, per solitudinem ad Palæstinam iter fecissent, Dominus præcessit illos per noctem, in columnâ ignis. Hæc columna ignis non modò eam ob caussam illis apparuit, ut lumen illis præberet, & viam ostenderet: sed & Dominus mirabili hâc luce significare voluit, se solo ductore, illos Palæstinam occupare, ejusque hæreditatem consequi posse, Exod. 13. v. 20.

Sicut igitur tùm temporis populus Israeliticus ex idololatria Ægyptiaca ejusque tenebris luce miraculosa eductus est, in eum locum, ubi tabernaculum fœderis & habitaculum veri Dei construxerunt: Ita similiter Deus Opt. Max. primitias gentium miraculosa luce ad cunabula Christi deducere voluit, ut innueret, esse unicè opus divinæ gratiæ, quod Judæi & gentiles ad societatem Regni sui vocati sint: quodque Judæis non adeò revelationibus divinis Patribus suis factis, superbire conveniat, quia pari modo gentiles apparitione supernaturalis luminis ad Messiam vocati sint.

De hâc revelatione, gentilibus facta, agit prælecta Pericope, in quâ audimus, quâ ratione Magi ex Oriente, stella nova insolita ad cunas Christi adducti sint; quâ de causa & præsens festum, festum Epiphanias Christi appellatur.

Nos methodo nostræ inservientes, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

CUm Salomo, jussu Davidis patris sui, Rex inauguraretur, cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat Rex Salomon! Et adscendit universa multitudo pôst eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & findebatur terra à clamore eorum. Adonias autem qui seipsum Regem fecerat, ubi ipse, & omnes, qui cum eo erant, id audiebant, exhorrescebant valdè, maximè vero Adonias, quia metuebat, ne Salomo eum, ut seditiosum justa pœna afficeret, 1. Reg. 1. v. 35. seqq.

Quid accidit Hierosolymis? Ubi Magi ex Oriente, quos cœlestis Pater per novam stellam vocaverat, ut Filium suum, Jesulum recens natum Salvatorem mundi agnoscerent, ejusque nativitatem divulgarent, recens natum Regem Judæorum perquirunt: ecce! tumultus oritur per universam urbem, quilibet enim consternatus est, maximè verò Herodes cum aulicis suis, quia veretur, ne recens natus Rex,

Regno ejus insidietur Apostolus ei adhæreat, & ita autoritas sua non parum labefactetur.

Querela respicit

I. *Hierosolymæ perturbationem*. Audiens autem Herodes Rex, ait Evangelista, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.

Ex rei æquitate tota urbs lætitia exultare debuisset, quia non venerat animas perdere, sed salvare, Luc. 9. v. 56. Sed contrarium testatur Evangelium præsens. Ubi enim Magi Hierosolymas accesserunt, quærentes ubi est, qui natus est, Rex Judæorum? turbatus est hoc nuncio

1. *Rex* Herodes. Quia enim tyrannide suâ cujuslibet odium sibi conciliaverat, malefactorum conscientia terret eum, ut quò se vertat, nesciat, semper timens, ne Regnum cum vitâ ei adimatur, & ita sanguis innocenter profusus, vindicetur.

Ubi perspicimus vim malæ conscientiæ. Propter tyrannidem enim, quam Herodes crudelissimè exercuerat, ille metuit, ne Regno privetur.

Christiani igitur Magistratus omnem crudelitatem fugiant, ne subditorum suspiria in se suscipiant, sed bonam conscientiam retineant, & in gremio subditorum suorum, sine pavore dormire possint, ut Eberhardus Dux Würtebergicus dixit: sic à nemine est, quod metuant, sed tranquillè vivere & beatè mori possunt. Hilaris enim mens, quasi juge convivium, Prov. 15. v. 15.

2. *Grex*. Nam & omnis Hierosolyma cum eo turbata est, ut cogitent: Novus Rex, nova Lex, certumque bellum sibi præsagiunt. Malunt proindè Messiam dimittere, quàm temporali requie carere.

Ejusmodi hominum hodietenus non pauci occurrunt, qui bonos Christianos se profitentur, quamdiu cum Evangelio in flore vivere, & nihil adversi sustinere possunt: verùm simulac ratione fidei persecutio ingruit, toti contremiscunt, & terrenorum amore malunt à fide desciscere, quàm quicquam terrenarum facultatum amittere. Hi sunt inimici crucis Christi, quorum finis interitus: quorum Deus venter est, & gloria ipsorum in confusione, Phil. 3. v. 18.

II. *Herodis simulationem*. Simulac enim novellas has acceperat, accersit Magos, quò insidiosè illos perscrutetur: & quia à Judæorum Rabbinis acceperat, Bethlehemi novum hunc Regem nasciturum: amicè illos alloquens in pace dimittit, cum hâc instructione, ut diligenter interrogent de puero, & cum invenerint eum, renuncient sibi, ut & ipse veniens adoraret eum. At ut Hieronymus scribit: *Devotionem promittit, sed gladium acuit, malitiam cordis depingens, colore humilitatis.*

Hæc idea est omnium hypocritarum, qui tàm in Ecclesia, externâ ostentatione pietatis, quàm & aliàs in vita communi simulatione amicitiæ sese ornant, ut Jovem lapidem jurares, esse fidelissimos & integerrimos: verùm si rectè eos inspexeris, contrarium facilè deprehendes.

Hi maleferiati sunt, in quibus ne scintillula pietatis latet, licet ore multùm de illâ jactitent. Sunt illi versipelles, qui quolibet vento circumaguntur, calidum & frigidum spirant ex uno ore; vestes eorum moschum redolent, halitus verò fœtet

fœtet, simul gerunt linum & lanam, quod Deus in lege prohibuit, Levit. 19. v. 19. sunt arbori ficû similes, in quâ Christus nihil invenit, nisi folia tantùm, Matth. 21. v. 19. sunt sicut vasculum fictile, obductum scoriâ argenti, Prov. 26. v. 23. licet amicitiam simulantes dicant, comede & bibe, tamen mens eorum non est tecum, Prov. 23. v. 7. Propterea Deus aliquando disperdet illos, Psal. 12. v. 4. Nam in Christo Jesu veritas, Eph. 4. v. 21.

Quicunque igitur de nomine Christiano verè gloriaturus est, non modò ergà Deum piè, sed & ergà proximum sincerè affectus sit, ut os & cor concordent: aliàs ἀνὴρ δίψυχος est, inconstans in omnibus viis suis, Jac. 1. v. 8. cui æternum væ imminet, Sir. 2. v. 14.

Hoc perpendant pii, & quia multæ sunt insidiæ dolosi, Sir. 11. v. 31. inserviant tempori, ut simplices sint sicut columbæ, & prudentes sicut serpentes; Matth. 10. v. 16. quod Siracides ita explicat: Multi pacifici tibi sint; & Consiliarius sit tibi unus de mille, Sir. 6. v. 6. confer, Prov. 26. v. 25.

III. *Clericorum occupationem*, De quibus Evangelista tria recenset:

1. *Vocati concurrunt*. Herodes ab Imperatore Augusto Rex Judææ constitutus erat, huic parere cogebantur, ejusque jussu Concilium congregare; sceptrum enim de Juda ablatum erat, juxtà prædictionem Jacobi, Gen. 49. v. 10. Inde sine ulteriori indagine colligere debuissent, tempus Messiæ instare. Verùm Diabolus corda & sensus eorum adeò excæcavit, ut id non intelligant, nec illi alium Regem desiderant, nisi Cæsarem, Johan. 19. v. 15. hinc repudiato Messiâ dicunt: Nolumus hunc regnare super nos, Luc. 19. v. 14.

2. *Scripturas evolvunt*. Hâc in parte benè faciunt, illæ enim sunt, quæ testimonium perhibent de Christo, Johan. 5. v. 39. Idem & nos observemus. In Papatu Scriptura tenui in pretio habetur, & relegantur laici ad Concilia & Decreta Pontificum & Patrum. Verùm ita derelinquunt fontem aquæ vivæ, & fodiunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, Jer. 2. v. 13. Ad Legem & Testimonium, Esa. 8. v. 19.

3. *Veritatem eruunt*, & indicant Herodi è capite 5. Michæ, ubi Messias nascendus sit, nempè in Bethlehem Judææ.

Ita Principes Sacerdotum & Scribæ Herodi & Magis quidem ostendunt locum, ubi Messias nascendus erat: at illi nolunt eò proficisci, ut Regem novum qui propter illos in mundum venerat, debita reverentia afficerent.

Sunt hâc in parte imago illorum Doctorum, qui quidem aliis inculcant, quid factu opus sit, ipsi verò id non faciunt, de quibus Paulus conqueritur: Qui alium doces, teipsum non doces. Qui prædicas non furandum, furaris &c. Rom. 2. v. 21. 24. Horum damnatio aliquando eò gravior erit, scienti enim bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Jac. 4. v. 17.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex gentium vocatione*. Hi Magi gentiles fuerunt, alienati à Republicâ Israel,

& hospites testamentorum promissionis, Eph. 2. v.12. sed Deus eos non abjecit, sed adminiculo novæ stellæ ad Regnum Christi vocavit. Messias enim futurus erat desiderium omnium gentium, Hag. 2. v. 8. Hinc Leo: *Voluit ab omnibus nosci, qui dignatus est pro omnibus nasci*: sicut & duo ejus nomina eò collineant. JEsus enim nomen Hebræum est, significans Salvatorem. Christus verò Græcum, & idem est, ac unctus. Hoc ipso indicatum est, esse eum Servatorem omnium hominum, Judæorum & Græcorum. Non enim acceptor personarum est Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi, Act.10.v.34.

Hoc probè advertite, Vos mei! Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux estis in Domino, Eph.5.v.8. ideò ut filii lucis ambulate, Luc.16. v. 8. aliàs damnatio vestra olim eò gravior erit. Servus enim, qui cognovit voluntatem ejus, vapulabit multis, Luc. 12. v.47.

Exultate igitur in hoc beneficio ex animo, ô optimi! Potuisset Deus, si Judaica gens gratiam ejus aspernaretur, alios populos creare, vel sine omnibus mortalibus esse. Sed minimè id faciens, nos Gentiles suscipit, qui Deum non agnoveramus, aliis Diis servieramus, in tenebris & enormibus peccatis vitam transegeramus, nobisque Filium suum nasci voluit, æque ac Judæis.

Nulla igitur Judæi prærogativa hâc in parte amplius gaudent. Ipsis promissus fuerat Messias, Ethnicis similiter. Illis donatus est, nobis Japhitis itidem. Illis annunciatus est, & nobis. Illos redempturus erat, & nos. Illos salvare vult, & nos. Propterea Angelus ait: Ecce, evangelizo vobis gaudium magnum, quod paratum est omni populo. Et Simeon ait: Hic Jesus paratus est ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam Israel, Luc.2.v.31. Quod & Paulus testatur, inquiens: Apparuit gratia Dei salutifera omnibus hominibus, Tit.2.v.11.

Agnoscite indebitam hanc Dei gratiam, gratâ mente, ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit, in admirabile lumen suum, 1.Petr.2,v.9. Dicite cum Regio Psalte: Laudate Dominum omnes gentes, Psal.117.v.1.2.

II. *Ex stellæ apparitione.* Quæ hæc stella fuerit, variæ sunt opiniones. Nonnulli ex Veteribus Ecclesiæ Doctoribus Angelum fuisse autumant, qui in figura Cometæ apparuerit, quia Angeli in Scriptura stellæ, Apoc.1, v. 20. & flamma ignis vocentur, Psalm.104. v.4. quia & Israelitas Angelus in columnâ ignis præcesserit, & noctu illis lucem præbuerit, Exod. 13. v. 23.

Sed nos literæ inhærentes, stellam fuisse putamus, quia ab Evangelista aliquoties disertè stella appellatur. Non tamen fuit stella vulgaris, sed nova & inconsueta, ideò à Deo creata, *ut esset Evangelista divini partûs*, ut Isidorus loquitur. Quod inter alia & motus ejus ostendit. Aliæ enim stellæ ab Oriente in Occidentem, hic verò ab Hierosolyma in Bethlehem, & ita à Septentrione in Meridiem ferebatur: modò movebat se, modò consistebat, modò evanescebat, modò vicissim apparebat. Unde patet, non vulgarem, sed miraculosam

sam stellam fuisse, per quam Magi in fide sua non parùm confirmati sunt.

1. *Ortu.* Cum enim eandem amisissent, perturbantur: sed mox apparens liberat eosdem ab omni dubio, quo hactenus Satanas fidem eorum confuderat.

Cape hinc solatium, mi Christiane! si & tu quandoque stellam lætitiæ amittas, ut quæri cogaris: Inclinatus & incurvatus sum valdè, tota die pullatus ingredior, Psal. 38. v. 7. perge modò in curriculo pietatis: Lux orta est justo, & rectis corde lætitia, Psal. 97. v. 11.

2. *Motu.* Rectà enim antecedebat eos, & motu suo viam iis ostendebat.

Ejusmodi stellam Deus nobis lucere sinit in verbo suo, hanc sequamur, si à rectâ calle aberrare non velimus. Hinc Petrus: Habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui rectè facitis attendentes &c. 2. Petr. 1. v. 19.

Occurrunt quoque ignes erratici, qui noctu viatores à rectâ via abducunt, & in periculum præcipitant. Quod si & te fortè unus atque alter à Christo ad Sanctos abducere gestit, certò scias, non veram stellam, sed ignem fatuum esse, quo te Diabolus in damnationem seducere conatur. Ergò tu permane in his quæ didicisti, 2. Tim. 3. v. 14. Sir. 34. v. 8.

3. *Statu.* Nam stetit super domum in quâ puer est, & hoc ipso Magis indicat, quod in his ædibus novus Rex Judæorum inveniatur.

Sic stella verbi divini stat, ubi Christus est, & non amplius progreditur. Ideircò Christianus non amplius pergat, neque ad imagines, neque ad reliquias, neque merita & intercessiones Sanctorum. Christus est unica via ad Regnum cœlorum, Ioh. 14. v. 6. Non est in alio quoquam salus, Act. 4. v. 12.

III. *Ex Magorum conservatione.* Herodes insidias ipsis struebat, & animo meditabatur, quâ ratione revertentes ad se occultè trucidaret, ne nativitatem recens nati Regis ulterius divulgarent: Has astutias illi quidem nesciebant, at Deus curâ eorum tactus, responsum ipsis dabat in somno, ne reflecterent ad Herodem.

Ita Deus adhuc hodiè pro fidelibus suis excubat. Gratia & misericordia est in sanctis ejus, & inspectio in electis ejus, Sap. 3. v. 9. Dormientibus nobis ille vigilat, ne accidat nobis malum, nec plaga appropinquet tabernaculo nostro, Psal. 91. v. 10. oculus ejus nunquam dormit, neque dormitat, Psal. 121. v. 4. & mutatio dexteræ ejus, Psal. 77. v. 11. ipse facit, ut confundantur & perturbentur inimici nostri, avertantur & confundantur valdè velociter, Ps. 6. v. ult. Regit eos in virga ferreâ, & tanquam vas figuli confringit eos, Psal. 2. v. 9. ponit circulum in naribus eorum, & frenum in labiis eorum, Esa. 37. v. 29. dissipat consilia eorum, Esa. 8. v. 10. novit corda eorum, & renes scrutatur, 1. Reg. 8. v. 4. projicit eos, tanquam ventus quisquilias, Psal. 1. v. 4.

Hæc providentia ejus solatium tuum esto, in omnibus angustiis & periculis. Devolve super Dominum viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet, Psal. 37. v. 5. Dic: Non timebo myriades populi, circumdantis me, Psal. 3. v. 7. Psal. 4. v. ult. Psal. 27. v. 1. seqq. Psal. 56. v. 5. 12.

De Tertio.

RESTAT *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt:

I. *Christum quære*. Ubi enim Hierosolymam veniunt, non quæ ibi rara visu erant, sed Messiam solicitè inquirunt, & subindè repetunt: Ubi est recens natus Rex Judæorum?

Hoc etiam, ô Optimi! nostrum quoq; Symbolum esto, quod cum Bernhardo identidem ingeminemus:

Quocunque loco fuero,
Jesum meum desidero,
Quàm lætus, cum invenero,
Quàm felix, cum tenuero.

Mundani quærant de cauponis, in quibus cerevisia & vinum prostant, perquirant voluptates, inquirant aurum & argentum & alia. Sed pii Christum investigent, hunc anhelent, hunc desiderent, quò per fidem sanctissimum ejus meritum sibi applicent. Qui invenit Jesum, invenit thesaurum bonum, super omne bonum, ait Gerson. Dicturus cum Assapho: Quid enim mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram? Psal.73.v.25.

Si proindè templum ingrederis, cogita & dic in corde tuo: ubi est novus Rex Judæorum? veni ut audiam verbum ejus, & in corde puro custodiam illud, Luc.8. v. 15.

Si Confessionarium accedis, vicissim cogita: Ubi est novus Rex Judæorum? veni, ut remissionem peccatorum ab eo impetrem.

Si cœnam Domini accedis, iterum dic: ubi est novus Rex Judæorum? veni, ut corpus & sanguinem ejus, sub benedictis Symbolis, pane & vino accipiam.

Si in acie novaculæ versaris, & ab omnibus mortalibus desertus es, quære in oratione tuâ: Ubi est novus Rex Judæorum? JEsus est Salvator meus, qui dixit: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, Psal.91. v.15.

Quodsi hoc modo semper de Christo cogitabis, omnia quæcunque desideras in eo invenies. Nam Ambrosio dicente: Omnia Jesus nobis est, si volumus: si vulnera curari desideras? Medicus est. Si febribus æstuas? fons est. Si gravaris iniquitate? justitia est. Si auxilio indiges? virtus est. Si mortem times? vita est. Si cœlum desideras? via est. Si tenebras fugis? lux est. Si cibum quæris? alimentum est.

II. *Stellam sequere*. Hâc in parte Magi nobis præeunt. Videntes enim novam stellam, sequuntur eam, nec citius desistunt, quàm recens natum Judæorum Regem invenerint.

Audiverant vaticinium Bileami, qui afflatu Spiritus Dei, de Messiâ prædixerat: Procedet stella ex Jacob, & consurget virga de Israel, Num.24. v.17. ideò visa hâc stella facilè colligunt, esse stellam Messiæ. Accedit, quod Propheta Daniel in Scholis Persarum instructus, Inspector & Scholarcha postmodùm super illas constitutus est à Rege, ubi sine dubio multoties de Messia prædicavit, & quæ plures causæ moventes fuerunt. Hoc enim certum est, quod ex solius stellæ apparitione, nativitatem Messiæ cognoscere non potuerint. Non solius hæc stella fuit, verum etiam Dei, per quem illorum ad hoc

hoc anima commota est, inquit Chrysostomus.

Nos hoc discamus, quodsi ad Christum venire velimus, Deus luce miraculosa nos ad eum adducere debeat. Natura enim tenebræ sumus, obscuratum habentes intellectum, Eph. 4. v. 18.

Sicut igitur Deus in primæva Creatione, primùm lucem creavit: Ita & antè omnia lux agnitionis ejus in cordibus nostris oriatur, necesse est, quando aliquando gaudii cœlestis consortes evadere lubet. Hoc fine quotidiè in spirituali Ecclesiæ cœlo, nobis oriri sinit stellam verbi sui, qui nobis viam ostendit, ubi Christum inveniamus. Proindè hanc stellam ne aspernemur, sed illicò cum Magis surgentes, ambulemus in luce, dum lucem habemus, ne nos tenebræ comprehendant, Joh. 12. v. 35. hinc Ecclesia:

Est præ meo tuum pede
Verbum Lucerna pendens:
Lumenque dirigens viæ:
Si lucifer resplendens,
Est ortus hîc,
In corde sic
Donis homo potitur:
Quæ Spiritus
Credentibus
Donanda pollicetur.

III. *Munera exhibe.* Magi apertis thesauris suis donarunt Jesulo recens nato, Aurum, thus, & myrrham, quæ sunt,

1. *Dona Eucharistica*, quibus gratum suum animum in Christum contestari voluerunt. In Orientalibus enim Regionibus mos obtinebat, ne quis sine donis Regem accederet, ut exemplo fratrum Josephi, & Reginæ Arabiæ constat, Gen. 43. v. 11. 1. Reg. 10. v. 2. Huic mori conformant se Magi, dum Judæorum recens nato Regi, donatia offerunt, & ita fidem suam ostendunt, quod non sit mortua, Jac. 2. v. 17. sed per caritatem efficax, Gal. 5. v. 6.

Hoc nostri quoque officii erit. Deus cœlestis Pater, nos quoque qui aliquando ad vias & sepes sedebamus, Luc. 14. v. 23. & Loammi vocabamur, Os. 1. v. 10. per concionem Evangelii ad præsepe Filii sui adduxit, & in Regnum lucis vocavit, 1. Petr. 2. v. 9. Offeramus ergò ipsi munera, nimirum vitulos labiorum nostrorum. Ose. 14. v. 3. quod placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem & ungulas, Psal. 69. v. 32. Aperiamus quoque thesauros nostros, ut de bonis nostris, ad cultum divinum, & sustentationem pauperum aliquid erogemus, id Christus sibi factum æstimabit, & affatim compensabit, Matth. 25. v. 40. 46.

2. *Dona mystica*,

1. *Respectu Christi.* Nam
Aurum, thus, myrrham, Regique
Deoque hominique
Dona ferunt, ut Poeta canit.

2. *Respectu nostri.* Per aurum enim significatur fides salvifica, quæ in igne tribulationis non consumitur, sed potius probatur, 1. Petr. 1. v. 7. seqq.

Thure denotatur oratio, quâ in omnibus necessitatibus eum invocemus, quæ odoramentum est Sanctorum, Apoc. 5. v. 8. Quia verò Deus thus materiale nihil curat, Jerem. 6. v. 20. nec precationem, nisi è corde proficiscatur, videamus ut cor ei sacri-

sacrificemus per veram pœnitentiam, Psal. 51. v. 19.

Per myrrhas adumbrata est crucifixio carnis, quam omnes Christiani commendatam sibi habeant, ne regnet peccatum in mortali eorum corpore, Rom. 6. v. 12. Sicut enim inter alia corpus Christi & myrrha inunctum est, ut innueretur, non visurum eum corruptionem, Psal. 16. v. 10. quò & Magos respexisse, veterum opinio est: ita & nos ad exemplum Christi, peccatis moriamur, justitiæ vivamus, 1. Petr. 2. v. 24. 2. Cor. 5. v. 17.

Si ita exemplo Magorum thesauros nostros aperuerimus, ipse quoque optimum suum thesaurum, cœlum nobis aperiet, Deut. 28. v. 12. effusurus benedictionem suam ad abundantiam, Mal. 3. v. 10. quin & suo tempore ex hâc miseriarum valle, nos assumet ad se, in eum locum, ubi non est thesaurorum finis, Esa. 2. v. 9. sed vitam habeamus, & abundantius habeamus, Joh. 10. v. 11.

O Jesu! facias hoc propter nomen tuum! Amen.

IN DIE FESTO CONVERSIONIS PAULI.

Evangelium Matth. 19. v. 27. -- 30.

EXORDIUM.

CUm Regius Propheta David morti vicinus esset, præcepit filio Salomoni, sibi in Regno succedenti, ut filiis Berzellai, Galaaditis redderet gratiam, essentque comedentes in mensa ejus: occurrerunt enim mihi, inquit, quando fugiebam à facie Absolom fratris tui, 1. Reg. 2. v. 7.

Hanc historiam Evangelio præsenti applicabimus. Sicut enim Berzellai fides, quam Davidi, tempore persecutionis suæ præstitit, non sine remuneratione relicta fuit, dum eum ultrà Jordanem secutus, cum è persecutione degeneris filii liberatus in Regnum restitueretur, ut constat, ex 2. Sam. 19. v. 31. seqq. sed hoc ipso consequebatur, ut filii ejus cum Salomone super mensa cibum caperent: Ita & Christi discipulis omnibusque sectatoribus Jesu, affatim imò centuplum remunerabitur, quod propter eum fecerunt vel passi sunt, ut prælecta Pericope probat. Quia enim Christi discipuli omnia reliquerint, seque secuti sint, ubi à filio degenere Absolone, h. e. ab Ecclesia Judaica, non receptus est, Joh. 1. v. 11. & corporaliter & spiritualiter eos sustentaturum iri pollicetur, ut non destituantur omni bono, Psalm. 34. v. 11.

Quod propter Christum non dilexerint animas suas usque ad mortem, sed ut constantes confessores illas sponte profuderint, Apoc. 12. v. 11. consecuturos eos esse vitam æternam, ubi abundantia gau-

gaudiorum cum vultu Dei, & delectationes in dextera ejus, usque in æternum, Psal. 16. v. ult. Ut Servator in præsenti Evangelio dilucidè promittit.

Nos Instituti nostri memores, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

ELectum illud Dei Organon Paulus, Actor. 9. v. 15. de cujus conversione hodierno die in Ecclesia prædicatur, cum justitiam suam in lege commendasset, eamq; jactantiæ hypocriticæ ex lege justificandorum opposuisset, ita tandem concludit: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta; quin etiam existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi, Domini mei: propter quem omnia pro damnis duxi, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, Phil. 3. v. 6. seqq.

Ex adverso verò Petrus in prælectâ Pericope bona sua, quæ reliquerat, & Christum secutus fuerat, majoris æstimat, quam scientiam Jesu Christi, quâ ex causa etiam peculiarem remunerationem exposcit, dum sua & contribulum suorum merita valdè exaggerat: cum tamen illa respectu Christi, ut stercus, imò ut umbram facere debuisset.

Querela respicit

I. *Meriti Petrini jactationem*, de quo ait: Ecce, nos reliquimus omnia & secuti sumus te: quid ergò erit nobis? Paulus aliàs inculcat: Quodcunque facitis, omnia in gloriam Dei facite, 1. Cor. 10. v. 31. hîc verò Petrus plus seipsum respicit, quàm Christi nomen & gloriam. Et idem evenit omnibus illis, qui in operibus justificari & salvari volunt, ut deindè jactantius sese ferant, ut exemplum Pharisaici juvenis Evangelium nostrum præcedens, testatur.

Pari ratione & Pharisæus cum Publicano templum adscendens, propter meritum suum planè turgidus erat, hinc precabatur: Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum &c. Luc. 18. v. 11. 12.

Qui ita cum operibus suis superbit, inquiens: Ego sum, & extrà me non est alius amplius, Zeph. 2. v. ult. is speciem idololatriæ committit, ubi homo à Deo se avertit, & suaipsius dona & merita, ut simia catulos suos lambit & osculatur, imò fiduciam suam in illis ponit, & ita seipsum Deastrum constituit.

Paulus hoc ipsum probè agnovit, hinc ait: Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, 2. Cor. 3. v. 5. eccur igitur merita nostra jactabimus, qui ne quidem cogitare aliquid ex nobis possumus? Nunquid gloriabitur securis, contrà eum qui secat in eâ? aut exaltabitur serra contrà eum, à quo trahitur? Esa. 10. v. 15. sic nemo quoque in operibus & probitate sua gloriari poterit. Quodcunque enim boni operatur, id Deus per eum efficit, cui propterea omnis gloria debetur. Dicamus igitur cum Davide: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, Psal. 115. v. 1. Omnia enim

opera nostra operatus es nobis, Esa. 26. v. 12. hinc Paulus: Gratia Dei sum, quod sum, 1. Cor. 15. v. 10.

II. *Premii postulationem*, sic enim Petrus: Ecce! nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergò erit nobis?

Petrus hic mercedem suam postulat, non secus ac mercenarius, qui jure & ex pacto laboris mercedem flagitat: ubi tamen magnum discrimen subest, siquidem in Regno Dei non propter mercedem, sed propter debitum laborare tenemur, Luc. 17. v. 10.

Ad bona opera facienda obstricti sumus, quia ad ea creati sumus, Eph. 2. v. 10. ad ea redemti, Rom. 6. v. 4. & in id sanctificati in baptismo, ut induamus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate, Ephes. 4. v. 24. sed propterea non obligatus nobis est Deus, neque in hoc, neque in altero seculo.

Legimus quidem Matth. 20. v. 2. quod Paterfamilias conventionem fecerit cum operariis, quos in vineam conduxerat, ex denario diurno, sed in parabola ipsa dilucidè nobis ostenditur, non mercedem strictè & propriè dictam, sed gratiæ denarium fuisse, quem novissimi æque acceperunt ac priores.

Ah Dilecti! cur quæso mercedem pro operibus nostris efflagitaremus, cum Petro dicentes: Quid erit nobis? Intueamur modò

1. *Connatam miserabilitatem*, quæ renatos quoque, bonum facere studentes, Rom. 7. v. 21. adeò depravavit, ut totum caput langueat, & totum cor ægrotet, & à planta pedis usque ad verticem non sit in eis integrum quiddam, Esa. 1. v. 5. quid ægrotus ejusmodi laborabit, quam mercedem postulabit, qui tamen miser est, & miserabilis, Apoc. 2. v. 17.

2. *Summam paupertatem*. Omnes enim egemus gloria Dei, Rom. 3. v. 23. Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. Cor. 4. v. 7. Quicunque igitur bona operatur, non ex seipso id facit, sed gratia Dei id facit, quæ in eo est, 1. Cor. 15. v. 10. adeoque nullam mercedem exigere potest, pro eo, quod ipse non effecit.

In Papatu non tàm gratiâ Dei, quàm meritis suis Regnum cœlorum se consecuturos esse putant, sicut Monachus Argentoratensis confidenter in agone dixit: Redde mihi, Domine Deus, quam ego tot annis meritus sum, & tu mihi debes, vitam æternam. Sic & Lucius, Jesuita quidam, scribit: Non possumus damnari, nam si servamus nostras regulas, Deus justus est, & non potest non nobis illarum dare mercedem, quæ est vita æterna.

Sed perpendant illi, quod Paulus ait: Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratia excidistis, Gal. 5. v. 4. quod & de regulis Monachorum multò æquius dici potest, quæ ut plurimùm traditiones humanæ sunt, quibus frustrà Deus colitur.

Equidem Deus justus est, & largitur nobis promissam mercedem, sed non *propter meritum nostrum*, sed *propter promissum*, pietas enim habet promissionem hujus & futuræ vitæ, 1. Tim. 4. v. 8. quod si igitur ex promissione merces, non ex merito erit, Gal. 3. v. 18. Vita quippè æterna, quam Pontificii ut mercedem postulant, est χάρισμα Θεοῦ, Rom. 6. v. 23.

Caro-

Carolus V. Imperator, quantumvis in Ecclesiâ Papisticâ natus & educatus, morti vicinus non in meritis suis, sed in Christi merito solatium quæsivit. Toto quippe pectore in Deum revolutus, sic rationabatur, se quidem indignum esse, qui propriis meritis Regnum cœlorum obtineret, sed Dominum Deum suum, qui illud duplici jure obtineat, & patris hæreditate, & passionis merito, altero contentum esse, alterum sibi donare, ex cujus dono illud sibi merito vendicet.

Hoc piorum solatium est: Unde pius quidam Theologus ait: Verè piorum est, non de præmio, sed de suo officio sollicitos esse. Intereà Deus ipse merces eorum magna futurus est, Gen. 15. v. 1. imò merces eorum copiosa erit in cœlis, Matth. 5. v. 12.

III. *De præmio dubitationem.* Quid ergò erit nobis? ait Petrus, quasi Christus remunerare non posset, vel oblivioni traditurus esset?

Procul dubio Petrus ad animum revocavit sibi, magnum illum contemtum, quo Christus ab omnibus affectus est: inspexit magnam pauperiem, ubi non habuit, quò caput suum reclinaret, Matth. 8. v. 20. hinc dubitare cœpit, utrùm rectè fecerit, quod Christum secutus fuerit?

Simili dubitatione laboravit Abraham: quamvis ipsi Deus promissionem insignem fecerat, nihilominus ait: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ: mihi autem non dedisti semen, Gen. 15. v. 2. seqq. c. 12. v. 3.

Sic hodietenus pii quandoque ambigunt de remuneratione pietatis, quando felicitatem impiorum cernunt, ut dicant: Ergò sine causa mundavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas, Psal. 73. v. 13. abolita est promissio in omnem posteritatem? Psal. 77. v. 9.

Verùm consolantes vos invicem, ô Optimi! dicite: Attendit Dominus, & audivit, & scriptus est liber monumenti coràm eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen ejus, Mal. 3. v. 16. Veniens veniet & non tardabit, Hab. 2. v. 3. Psal. 37. v. 4. seqq. Sir. 2. v. 11. 12. Luc. 1. v. 73.

Hinc Ecclesia:

Quæcunque maximus Deus
Promisit in verbo bonus,
Jurans suum per nomen:
Id certius certò fiet,
Qui nos ut Angelos beet
Per Christum Jesum, Amen!

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex gloriosa credentium dignitate*, quæ

1. *Specialis*, solos Apostolos concernens: Amen dico vobis, quod sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel. Hîc gemina gloria Apostolis promittitur,

1. *Gloriosa sessio.* Ubi per sessionem peculiaris præeminentia significatur, quâ Apostoli præ aliis habebunt. Non tamẽ ita hoc capiendum, quasi Apostoli cum Christo in eodem throno sessuri sint, quo ille ad dexteram Dei sedebit. Si enim nulli Angelorum dictum: sede à dextris meis, quomodo homini illud conveniet? Ebr. 1. v. 13. Rectè huc applices: Gloriam meam alteri non dabo, Esa. 41. v. 8. interea tamen sedes gloriosas habebunt, adsessores Christi in judicio universali futuri.

Magnâ hinc illi gloriâ ornabuntur. Antè spectaculum mundo & Angelis & hominibus erant, imò omnium peripsema, 1. Cor. 4. v. 9. 12. quolibet dicente illis: sta illic: aut sede sub scabello pedum meorum, Jac. 2. v. 3. at in regeneratione, ubi omnia renovabuntur, ibi primum locum tenebunt, Domino dicente ad illos: Tu, sede hic benè, Jac. 2. v. 3.

Fideles verbi ministri & ipsi sedes gloriosas habebunt, in quibus sedebunt in requie securitatis, Esa. 32. v. 18. inimici verò eorum de sedibus suis deturbabuntur, & in barathrum infernale præcipitabuntur, ubi non sedebunt, sed positi erunt sicut oves, morte depascente eos, Psalm. 49. v. 15.

2. *Mundi judicatio.* Judicabitis enim duodecim Tribus Israel, ait Servator. Hoc judicium exercebunt Apostoli in duodecim Tribus Israel, qui repulerunt à se Regnum Dei, & seipsos indignos judicaverunt, æterna vita, Act. 13. v. 46.

1. *Doctrina sono*, quam omni creaturæ prædicaverunt, Marc. 16. v. 20. juxta hanc enim omnes gentes judicabuntur, teste Paulo, Rom. 2. v. 16. & Christo, Joh. 12. v. 48.

2. *Suo testimonio.* Quando enim excusaturæ se sunt gentes, quod ignoraverint, quid credendum & faciendum fuerit, Paulus surget, dicturus: Contestor vos hodiernâ die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quò minus annunciarem omne consilium Dei vobis, Act. 20. v. 27. Johannes surget, inquiens: Digito Messiam tibi ostendi: Ecce Agnus Dei, Joh. 1. v. 29. quod ita omnes reliqui Apostoli facturi sunt.

3. *Proprio exemplo*, quod ipsi velut parvuli, Matth. 11. v. 25. insipientes, 1. Cor. 1. v. 27. Evangelium Christi susceperint, ubi contrà sapientes & prudentes spreverint consilium Dei adversus seipsos, Luc. 7. v. 30.

Hoc judicium nobis quoq; restat, nam & nos Israel Dei sumus, Gal. 6. v. 16. ideò nos quoque sequamur hanc regulam, ut & super nos pax & misericordia sit. l. c.

2. *Generalis.* Sic enim porrò Servator: Et omnis, qui reliquerit domos, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Promissiones & beneficia Dei ejusmodi sunt, ut omnes homines concernant ex parte Dei, cujuscunque sint loci & ordinis, distincti tamen gloriæ gradus erunt, ut Paulus explicat, 1. Cor. 15. v. 41. intereà cujuslibet anima exultabit ad Deum viventem, Psal. 84. v. 3.

Nostrum erit, ut contendamus ad ea, Luc. 13. v. 24. persequentes scopum, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Phil. 3. v. 14.

II. *Ex retributionis copiositate.* Centuplum enim, ait Christus, accipiet. Nos homines ita comparati sumus, ut non facilè quicquam faciamus, nisi coactione, vel commodo incitati. Arqui Deus externa vi compellere nos minimè vult. Quia vero populos diligit, Deut. 33. v. 3. & omnes salvari vult, 1. Tim. 2. v. 4. promissionibus suis nos invitare amat, hinc David: Judicia Domini vera, justa omninò, in custodiendis illis retributio magna, Psal. 19. v. 10. 12.

Hæc

Hæc retributio copiosa nos quoque stimulet, ut facultates nostras terrenas promtè relinquamus, quia certa & in veritate est, Psal. 33. v. 4. Idipsum exempla probant.

Abraham egrediebatur de terra sua, & de cognatione sua, & de domo Patris sui, Gen. 12. v. 1. centuplum id ei Deus compensavit. Erat enim dives valdè, in possessione pecoris, auri & argenti, Genes. 13. v. 2. erat Pater multarum gentium, cap. 17. v. 5.

Apostoli quoque centuplum recuperarunt, quod propter Christum reliquerunt. Omnes fidelium domus ipsis patebant, & illis hospitium præbebant; & quotquot possessiones agrorum, aut domorum erant, vendentes adferebant, pretia eorum quæ vendebant, & ponebant antè pedes Apostolorum, Act. 4. v. 34. Qui patrem aut matrem, paucos fratres & sorores reliquerat, ex Apostolis, centum ex adverso inveniebat, qui patris & matris, fratrum & sororum caritatem ipsis exhibebant, ut Acta Apostolorum sufficienter testantur, ita ut Paulus scribat: esse se, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes, 2. Cor. 6. v. 10. Quodsi verò interdum in hoc mundo retributio non sequatur: Exultate, quoniam copiosa erit merces vestra in cœlo, Matth. 5. v. 12.

III. *Ex vita æterna hæreditate.* Quia enim pii hîc audiunt, possessuros se vitam æternam, solatium hoc inde fluit, quod de vitâ æterna certi esse possint, quod fieri non posset, si per opera nostra imperfecta, & peccatis inquinata ea promerenda esset. Quod contrà Pontificios notandum. Vox enim *κληρονομήσῃ*, omne meritum, quod in operibus quæritur, infringit. Quodsi enim vita æterna hæreditas est, per opera eam promereri minus possumus, sicuti liberos hæreditatem suam non promereri cernimus, sed ratione filiationis ipsis debetur, nec minus natu minimo in cunis adhuc vagienti, qui patri nondum inservivit, quàm maximo, qui serviitiis utilibus patris favorem demeritus est. Sic & nobis vita æterna promissa est, non ratione meritorum, sed unicè ex gratia, quia Deus in baptismo nos in filios adoptavit, Joh. 1. v. 12. Si autem filii, & hæredes sumus: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, Rom. 8. v. 17.

Hanc hæreditatem nemo nobis eripere valebit, ut impia Jesebel, Nabotho innocuo vineam suam eripuit, 1. Reg. 21. v. 15. asservatur enim in cœlis, Deus habet eam in manibus suis, ex illis neque Diabolus, neque satellites ejus eandem rapere poterunt, Joh. 10. v. 28.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Omnia propter Christum relinque.* Hoc non ita intelligendum, quasi propter Christum spontanea paupertas vovenda & eligenda esset, ut Monachorum in Papatu mos est. Sed si optio tibi permitteretur, ut aut fidem Christianam abnegares, aut facultates tuas desereres, potius omnia relinquere, quàm Christum ejurare, æquum erit, si genuinus Christi discipulus esse velis.

Alioqui Deus & natura eò nos obligarunt, ut quæ nostra sunt, uxorem, filios, pa-

trem, matrem, fratres, sorores & ejusmodi, non relinquamus, sed potius conservemus, ut habeamus, unde tribuamus necessitatem patienti, Ephes. 4. v. 24. & qui domesticos suos deserit, (extrà hunc casum,) deterior infideli est, & fidem negavit, 1. Tim. 5. v. 8.

Præterea divitiis valere, & Christi discipulum esse non sibi adversantur, modò divitiis cor non apponatur, Psal. 62. v. 11. ut Josephi Arimathæi exemplum probat, Matth. 27. v. 57.

Qui verò persecutionis tempore, amat patrem aut matrem plus, quàm me, non est me dignus, & qui me negaverit coràm hominibus, ut divitias & honorem coràm mundo conservet, negabo & ego eum, coràm Patre meo, qui in cœlis est, Matth. 10. v. 33. 37.

Satius quippè est, terrena propter Regnum Dei amittere, quàm terrenorum amore æterna perdere. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, Matth. 16. v. 26. 27. Declinantes enim in curvas vias, abducet Dominus, cum operantibus iniquitatem, Psal. 125. v. 5. qui verò fideles erunt usque ad mortem, accipient coronam vitæ, Apoc. 2. v. 10.

II. *Παλιγγενεσίαν perpende.* Hîc non intelligitur regeneratio, quæ fit in baptismo, ex aquâ & Spiritu, Joh. 3. v. 3. sed intelligitur hîc regeneratio & renovatio omnium creaturarum, quæ novissimo die fiet, quando corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem, 1. Cor. 15. v. 53.

Eò anhelemus, expectantes redemtionem corporis nostri, Rom. 8. v. 23. Sicut Paulus παλιγγενεσίαν hanc desideranter exoptavit, Phil. 1. v. 23. & Elias, 1. Reg. 19. v. 4. exploratum enim sibi habebant, quod per regenerationem hanc ad cœlos novos & terram novam perventuri essent, in quibus justitia habitat, 2. Petr. 3. v. 13. hoc ipso Jobus quoque se confirmabat in ærumnis, quod tempore universalis hujus regenerationis Deum oculis suis visurus esset, Job. 19. v. 17.

Quilibet cum Davide precetur: Sitivit anima mea ad Deum vivum, Psal. 42. v. 3. & ille aliquando renovabit te, ut sit sicut aquilæ juventus tua, Psal. 103. v. 5. Esa. 40. v. 31.

III. *Ex primo ultimus fias, cave.* In præcedentibus Evangelii verbis, Christus ad adolescentem divitem dixerat, quod si omnia venderet, quæ haberet, & daret pauperibus, seque sequeretur, habiturum eum thesaurum in cœlo. Petrus hoc audiens, continuò subsumit: Ego & Collegæ mei omnia reliquimus, & te secuti sumus, ideò nobis opulentus thesaurus in cœlo debetur, isque præ aliis. Hîc respondet Christus: Multi erunt primi novissimi, & novissimi primi, q. d. Servator: Mi Petre, sequutus quidem me es cum Collegis tuis, sed vide, ut ad finem usque perseveres, fieri enim potest, ut aliqui per apostasian ultimi fiant, sicut & illis qui in stadio currunt accidere potest, ut retrò maneant, alio ipsis bravium præripiente, ut Paulus hoc simili utitur, 1. Cor. 9. v. 24.

Sic Judas Ischariotes è primo ultimus factus est, dum avaritia cor ejus replevit, & ita in interitum demersus est, 1. Timoth. 6. v. 9.

Pau-

Paulus verò ex ultimo primus factus, abundantius enim reliquis Apostolis omnibus laboravit, 1.Cor.15.v.10.

Judæis primùm oportebat loqui verbum Dei, deindè gentilibus: sed quoniam illi repellebant illud, & indignos se judicabant æterna vita, ultimi illi facti sunt, & exclusi à communione Sanctorum: Ethnici verò glorificabant verbum Domini, & crediderunt, atque ita primi facti sunt, Act.13.v.46.seqq.

Typus hujus rei nobis propositus in Jacobo & Esavo. Hic jus primogenituræ Jacobo vendidit pro edulio lentis, & ita ex primo ultimus evasit, Gen.25.v.31.seqq. sicut & Jacobus benedictionem à Patre reportavit, Gen.27.v.36.

Adhuc hodiè multi pro edulio lentis jus primogenituræ vendunt, h.e. pro concupiscentia oculorum, concupiscentiâ carnis & superbia vitæ, 1.Joh.2.v.16. & ita ultimi fient inter hœdos consistentes, Matth.25.v.33.

Caveamus, ne & nos gratiam Dei negligamus, sed ad finem usque perseveremus, Matth.10.v.22. Quod Deus nos adjuvet, per Christum, Amen.

IN FESTO DIE PURIFICATIONIS MARIÆ.

Evangelium Luc.2.v.22.-- 32.

EXORDIUM.

IN V.T. Israelitæ agnos anniculos immaculatos, duos quotidiè in holocaustum sempiternum offerre jussi sunt, unum manè & alterum ad vesperum, Num.28.v.3.4.

Hoc *mysticè* intelligendum,

1. *Respectu nostri*, & eò præcipuè collineat, ut diem non modò cum Deo ordiamur, sed & cum Deo finiamus, si illud, quod gerimus, prosperè & ex voto succedere debeat. Cor enim hominis disponit viam suam, sed Domini est, dirigere gressus ejus, Prov.16.v.9.

2. *Respectu proximi*. De victimis Sacerdotes partem suam habebant, nempè armum, utramque maxillam, & ventriculum, Deut.18.v.3.4.

Ita Deus mandavit Israelitis, ut manè & vesperi holocaustum offerrent, quò Sacerdotes ali & sustentari possent. Hinc hoc morale fluit, quod quotidiè de facultatibus nostris quicquam ad conservandum Dei cultum, & sustentanda pauperiora Christi membra, erogare teneamur, juxtà illud: Honora Dominum de substantiâ tua, & de primitiis, omnium frugum tuarum, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt, Prov.3.v.9.10.

3. *Respectu Christi*. Ipse quippè est agnus ille immaculatus, qui manè h.e. in tene-

tenera sua infantia Domino, juxtà legem primogenitorum, in Templo Hierosolymitano præsentatus est, ut prælecta Pericope probat: sed & vesperi, hoc est, in ætate virili, tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis, Eph. 5. v. 2.

Hoc factum in arâ Crucis, ubi nostri gratia maledictum sustinuit, Galat. 3. v. 13. & chirographum delevit, quod adversus nos erat, Col. 2. v. 14. ita ut jam nulla condemnatio sit in illis, qui in Christo Jesu sunt, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum, Roman. 8. v. 1.

De victima matutinâ audimus in prælecto Evangelio, ubi B. Maria Filiolum suum in templum affert, & Domino sistit, sicut in Lege Mosis præceptum erat.

Nos Instituto nostro inservientes, videbimus ex prælecto Evangelio

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

O*Mnia nobis Jesus est*, inquit Ambrosius. Deus enim proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam omnia cum illo nobis donavit? concludit rectè Paulus, Rom. 8. v. 32.

Quod si eum videre volupe est, ut *elegantem infantulum*, audimus in præsenti Evangelio, quod à Mariâ in templum perlatus, & à Simeone in ulnas susceptus sit.

Si ut *præstantem Doctorem* eundem contemplari volumus, jam pridem percepimus, quod duodecimo ætatis anno, egregium specimen ediderit, Luc. 2. v. 29.

Si *Medicum* eum cupimus, scimus quod leprosos mundare, cœcis visum, surdis auditum, mutis loquelam restituere, & verbo omnes infirmitates nostras sanare possit, Psal. 103. v. 3. Si *Antecessorem* eum volumus, ille sanè in caritate, humilitate, mansuetudine, obedientiâ, aliisque præclaris virtutibus exemplum nobis reliquit, ut sequamur vestigia ejus, 1. Petr. 2. v. 21. Si *Rege* opus est, qui pro nobis pugnet, ipse est Rex Regum & Dominus Dominantium, 1. Reg. 19. v. 16. Si *Sacerdote* indigemus, qui pro nobis intercedat, hanc ipsam ob causam, non in manufacta sancta ille introivit, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, Hebr. 9. v. 24. Si *Antidotum contrà mortem* desideramus, Simeon in cygneâ suâ cantione nobis ostendit, quomodo in fide Christi beatè & in pace obdormire queamus. Breviter: *Si Christum habuerimus, nihil nobis deerit*, factus enim nobis à Patre est, & sapientia, & justitia, & sanctificatio & redemtio, 1. Cor. 1. v. 30. quod igitur nobis deest, ab ipso petere possumus, accipientes de plenitudine ejus gratiam pro gratiâ, Joh. 1. v. 17.

Querela respicit

I. *Nefandam Festi hujus profanationem.* Historiam Ecclesiasticam si evolvimus, jam Seculo quarto ætate Nazianzeni ejusmodi festum celebratum videmus, quod *Luminarium* vocatum est. Sed non idololatricè in honorem Mariæ, ut hodiè fit, illud celebrarunt, verùm eo fine, ut per exter-

externa luminaria & cereos, recordarentur veræ lucis, Christi scilicet, de quo Simeon in Templo Hierosolymitano publicè contestatus est: non modò eum esse gloriam Israelis, sed & lumen ad revelationem Gentium. Hæc fuit intentio, ubi in primitiva Ecclesia cereos incenderunt, ut in publicâ congregatione lucerent.

Verùm hodierno die, hoc Festo peculiares cerei consectantur, qui perhibentur prædití esse, 1. Vi tempestates abigendi, 2. Diabolum à puerperis propellendi, 3. Mortuos ad cœlos deducendi, sicut moribundos alloqui solent: Arripe candelam in manum tuam, & proficiscere cum illa in cœlestem patriam! quæ superstitio à Sergio Papa instituta esse dicitur.

Nos Christum apprehendimus, qui vera lux est, Joh. 1. v. 9. sicut seipsum lumen appellitat, Joh. 12. v. 35. quando eum cum lucernâ Evangelii habemus, dicere possumus: In lumine tuo videbimus lucem, Psal. 36. v. 10. Ipse est Sol justitiæ, Mal. 4. v. 2. Oriens ex alto, Luc. 1. v. 79. quæ candela extrà eum lucet, ignis fatuus est. Hâc luce utimur, si per tenebrosam mortis vallem iter facturi sumus, dicentes cum Davide: Illumina oculos meos, ne obdormiam in morte, Psal. 13. v. 4.

II. *Naturalis impuritatis considerationem.* Eò enim respexit Deus hâc lege, quod Judæorum puerperæ aliquamdiu dies impuritatis servare, seque domi continere tenebantur. Peccatum namque originale nobiscum in mundum inferimus, in quo concipimur & nascimur, Psal. 51. v. 6. ita, ut nemo dicere queat: Mundum est cor meum, purus sum à peccato, Prov. 20. v. 9. Sed potius illud Davidis locum habeat: Alienati sunt peccatores à vulva, Psal. 58. v. 4. Nam quis potest dare mundum, de immundo conceptum semine? Job. 14. v. 4.

Hoc Protoplastis nostris acceptum ferendum. Principio Deus creaverat hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecerat eum, Sap. 2. v. 23. quæ consistebat in verâ justitiâ & sanctitate, Eph. 4. v. 24. aderat illis liberum arbitrium ad bonum faciendum, & malum aversandum h. e. æque facilè Protoplastis fuisset abstinere à ligno vetito, ac de eo comedere, si modò voluissent, ut Siracides docet cap. 15. v. 14. seqq. Sed infernalis Cacodæmon invidebat illis hanc felicitatem, quod imagine divinâ nobilitati, toti orbi imperarent: ideò astutè serpentis larvâ indutus, persvasit Evam, ostensione divinæ sapientiæ, ut non ipsa modò de ligno prohibito ederit, sed & maritum eò persvaserit. Hinc omnis nostra miseria! hinc loco imaginis divinæ serpentis veneno infecti sumus. Adam namque post lapsum genuit filios, non ad Dei, sed suam imaginem & similitudinem, Gen. 5. v. 3. quod malum ita continuè in posteros propagatur.

Hinc Ecclesia:

Per lapsum Adæ corruptio
　In posteros pervasit,
Hæc nostra nunc possessio,
　A quâ Dei sanavit
Nos præpotentis dextera,
　Quæ nos redemit damno,
Serpentis astu quod Eva
　Contraxerat peccando.

III. *Securam mortis procrastinationem.* Hic enim filiorum hujus mundi genius est, ut de morte parùm cogitent, sed semper plus ultrà meditantes, dicant: Crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, & tamen ignorant, quid erit crastinum, Jac. 4. v. 13.

De Simeone audimus, quod alacriter ad mortem sese præparet, nihilque magis in votis habeat, quàm ut in pace dissolvatur.

Nicephorus scribit, fuisse illum è LXX. Interpretibus, qui auspicio Ptolomæi Philadelphi, Sacra Biblia è Hebræo in Græcam linguam transtulerunt: ubi autem ad locum Esaiæ c. 7. de virgine parturiente Immanuelem venerit, obstupuisse eum, & ignorasse, quâ ratione illum interpretaretur, quia id rationi repugnaret, & metuendum, ne pagani in illis verbis scandalum caperent, totamque sacram Scripturam suspectam haberent. Ambigenti igitur & Deum devotè invocanti, ut rem prosperaret, advenisse Angelum, eique præcepisse, ut locum juxta literam exprimeret, ipsum enim ad tempus gratiosum vivum perventurum, & filium Virginis oculis suis visurum esse. Quicquid hujus sit, hoc certissimum est, quod à Spiritu sancto responsum acceperit, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

Hoc rarum admodum est, ut Deus homini tempus definiat, quando mundo huic valedicturus sit.

In Scriptura pauca prostant exempla, nisi quod cum Mose & Aarone accidit, Num. 20. v. 23. seqq. Deut. 34. v. 1. seqq. Sed & Elias scivit, quod Deus eum corpore & animâ in cœlum translaturus esset, 2. Reg. 2. v. 1. seqq.

In profanis historiis exstat exemplum Patris Constantini M. cui Angelus in lecto decumbenti apparuit, & testamentum confici jussit.

Christiano quoque Daniæ Regi, Angelus diem obitus designavit.

In genere tempus mortis incertum est, hic juvenis, ille senex moritur. Nescio si pòst modicum tollat me factor meus, inquit Elihu, Job. 32. v. ult.

Nullam proindè causam habemus, ut nobis ipsis diuturnam vitam statuamus, sicut Epicureorum plurimi reperiuntur, qui cum morte fœdus, & cum inferno pactum se fecisse opinantur, Esa. 28. v. 15. quasi neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus malum ingruat, Psal. 75. v. 7. Sed potius semper mortis memores, oremus: Notum mihi fac Domine, finem meum, & mensuram dierum meorum, ut sciam quod desitutus sim, Psal. 39. v. 6. Nam ut Gregorius ait: *Diu vivere, est diu torqueri*, ratione miseriæ, cui à die nativitatis, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium, subjecti sumus, Sir. 40. v. 1.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex puerperarum privilegio.* Quia enim Deus loco pœnæ multiplicavit ærumnas illarum, & conceptus, ut pariant in dolore filios, Gen. 3. v. 16. illis vicissim loco refrigerii dies quietis ordinavit, ut corporis infirmi rationem habere, & vires enervatas refi-

reficere possint. Fidelis enim est, nec patitur quenquam tentari suprà id, quod potest, 1.Cor.10.v.13.

Hoc instructioni vestræ inserviat, Christianæ fœminæ, ut carnis curam puerperii potissimum tempore habeatis, sollicitè ac piè providentes, ne consuetis purificationis diebus neglectis, vel curiositate supervacaneâ, vel levitate nimiâ, officio vestro indignum quicquam committatis, adeoq; non sine vestis sexusve vestri prostitutione, virium ac valetudinis haud contemnendam jacturam faciatis.

Sed & Christiani mariti idem perpendant, & videant, ne inhumanius uxores suas tempore puerperii tractent, sicut quandoque ejusmodi austeri Cyclopes inveniuntur, qui abjectâ omni puerperarum curâ, easdem ad labores impellunt, fustibus excipiunt, & quocunque modo illis incommodant, hi nesciunt vel obliti sunt dicti Petrini: Viri cohabitate uxoribus secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ, 1.Petr.3. v.7.

Ejusmodi tyranni indigni sunt, qui uxores habeant, quibusque vir honestus filiam suam in matrimonium collocet. Perpendant illi, quanto dolore matres illarum easdem pepererint, & quod Medea apud Euripidem ait: Mallem ter in acie stare, quàm semel parere. Sciant illi, quod nulla nobilior creatura in terris sit, quàm fœcunda uxor, ex quâ genus humanum propagatur, & velut ex Paradyso cœlum plantatur. Vide Sir.7.v.21. Prov. 31.v.9.

2. *Ex Salvatoris officio*, quod ad omnes homines pertinet, ideò Christus à Simeone non modò vocatur gloria Israelis: Sed & Lumen ad revelationem gentium.

In V.T. soli Judæi peculium Dei erant, quo fine & circumcisio inter illos instituta erat, tanquam signum fœderis, quod cum Abrahamo, ejusque posteris Deus percusserat, Gen.17.v.10.

Hunc populum miraculosè Deus tractavit, eumque ex Palæstinâ in Ægyptum, & ex Ægypto vicissim in Palæstinam duxit, idque validamanu, donec Hierosolymam ceu requiem suam elegit, Psal.132. v.14. & in magnificentissimo templo, quod Salomo exstruxit, cultum sibi exhiberi jussit.

Hoc ita multis seculis continuatum est. Licet enim Nabuchodonosor templum hoc vastaverit, tamen Serubabel à captivitate Babylonica aliud exstruxit, quod Christus in carne degens adhuc visitavit, implevitque illud, nimirum doctrina sua, gloria majori, quàm prius, ut Aggæus c.2. v.10. prædixerat. Verùm propter nefandam ingratitudinem, & peccata abominanda, quibus Regnum Dei repulerunt, & indignos se judicarunt æterna vita, Act.13.v.46. optimus Servator tandem templo exivit, Joh.8.v.59. & missis Romanis, urbem cum templo delevit, Judæi verò partim miserandis modis trucidati, partim capti, & per totum orbem dispersi sunt, tanquam populus prædæ expositus, Es.42. v.22. in exsecrationem, & in stuporem & in maledictum, & in opprobrium, Jer.42. v.18. Hoc in gentilium commodum cessit, utpote, qui in locum Judæorum adoptati sunt, ut nunc Dei peculium sint, cum antè Loammi vocarentur, Ose.2.v.23.

Hæc gratia & φιλανθρωπία Dei Servatoris nostri, ad tempus N.T. reservata fuit, ubi Servator noster Apostolos suos in universum mundum ablegavit, hâc cum instructione, ut prædicarent in nomine suo, pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, Luc. 24. v. 47. Quod miseris nobis Japhitis & Ethnicis in consolationem vergit, qui antehâc in tenebris & in umbrâ mortis sedebamus, Luc. 1. v. 80. verùm per incarnationem Christi lux nobis orta est, in qua exultare possumus, quam si secuti fuerimus, non ambulabimus in tenebris, sed habebimus lumen vitæ, Joh. 8. v. 12. videbimusque in hac luce aliquando lumen æternum, Psal. 36. v. 10.

Non proindè particularem Servatorem habemus, qui Judæis duntaxat natus esset, ex quibus natus est, secundum carnem, Rom. 1. v. 31. sed universalem, qui medium parietem maceriæ solvens, ex Judæis & gentibus unum fecit, Eph. 2. v. 14. ut nunc etiam gentes super misericordia Deum honorent, Rom. 15. v. 9. & omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus fiat, Joël. 2. v. 32.

III. *Ex Simeonis vehiculo.* Sic enim ait ille: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum &c. Quodsi & nos cum Simeone in pace abire velimus, discamus ab ipso, quomodo vecturam nostram rectè adornemus, quod fiat

1. *Dimissionem nostram patienter expectando.*

2. *Vehiculum quærendo*, quod est pax cum Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum, & per illum πληροφορία ad Deum, 1. Joh. 3. v. 21.

Hic currus *quatuor rotas* habeat, quarum 1. *Verbum Dei*, quo Simeon se fundat, inquiens, secundum verbum tuum, quique quæ de labiis ejus processerunt, non facit irrita, Psal. 89. v. 35. 2. *Fides*, quæ à verbo pendet, ut infans ab uberibus matris, est enim rerum sperandarum ὑπόστασις, Hebr. 11. v. 1.

3. *Baptismus*, & sicut ille alias stipulatio bonæ conscientiæ cum Deo est, 1. Petr. 3. v. 21. ita nos per illum salvat. Tit. 3. v. 5.

4. *SS. Cœna*, in quâ nos Christus corpore & sanguine suo cibat & potat, ut ipse in nobis, & nos in ipso maneamus, Joh. 6. v. 56. Hoc ita plaustrum est, quo cœlestis Sponsus Jesus Christus, nos, tanquam in justitia & judicio, & in misericordia & in miserationibus sponsatam sibi Sponsam, Os. 2. v. 19. domum deducit, in claritatem, quam dedit illi Pater cœlestis, Joh. 17. v. 15.

3. Et *bonos equos* adhibeamus necesse est, ne fortè hæsitemus. Hi sunt

1. *Agnitio Dei.* Nam oculi mei, inquit Simeon, viderunt Salutare tuum. Hæc enim vita æterna est, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum, Joh. 17. v. 3. ita antè omnia Deum agnoscamus, scientes cui credamus, 2. Tim. 1. v. 12. Psal. 91. v. 14. Joh. 10. v. 27.

2. *Gratia & misericordia Dei*, secundum quam lapsum genus humanum respexit, & Christum Salutare paravit, ut fieret propitiatio pro nostris, imò totius mundi peccatis, 1. Joh. 2. v. 2.

3. *Promissiones universales*, quibus de amore & gratiâ Dei certiores reddimur,

quod

quod nolit mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, Ezech. 18. v. 23. & nullo excluso Christum paravit Salutare ante faciem omnium populorum, ut Simeon hic ait. Ejusmodi promissionibus nos quoque includamus, non dubitantes, quin illa in Christo Etiam & Amen sint, 2. Cor. 1. v. 19.

4. Est *oratio devota & fidelis*, ut Simeon nobis exemplo est, qui enim patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefaciendo, 1. Petr. 4. v. ult.

Sed & de *experienti vectore* circumspiciendum est. Hic est Dominus ipse, qui ait: Educam cœcos in viam, quam nescivérunt: & in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta, Esa. 42. v. 16. Quamvis autem mirificet sanctos suos, Psal. 4. v. 4 attamen facit, ut Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom. 8. v. 28.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt:

1. *Legi te subjice.* Maria non obligata fuisset ad legem, quod enim natum erat ex illâ, à Spiritu Sancto erat, Luc. 1. v. 35. tamen suâ sponte legi se subjecit, ad nostram instructionem, ut & nos in omnibus actionibus nostris legem tanquam normam sequeremur: quam ob caussam Deus quoque eam tabulis lapideis insculpsit, ut indicaret, quod non aliquamdiu, sed æternum durare debeat, Deus ego, & non mutor, inquit, Mal. 3. v. 6.

2. *Christum apprehende.* Accepto enim puerulo in ulnas suas, benedixit Deum, qui ad gratiosum hoc tempus eum reservaverat.

Hoc modo ipsum imitari non possumus, Servator enim non amplius puer est, sed in virum perfectum evasit, Eph. 4. v. 15. neque corporaliter eum in ulnas accipere valemus, adscendit enim in cœlum, & sedet ad Dexteram Dei, Marc. 16. v. 19. Act. 1. v. 9. attamen nobiscum est omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. ult.

Verbi præcones bajuli sunt, qui ipsum hodietenus loco parentum in templum deferunt, ideò nos quoque manus & brachia extendamus, Christumque verâ fide apprehendamus: quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, Joh. 1. v. 12.

Accipimus autem eum in ulnas cum Simeone, quando sacras literas nobis commendatas habemus, hæ enim fasciæ sunt, quibus involutus est. Hinc Servator: Scrutamini Scripturas, illæ enim sunt, quæ testimonium perhibent de me, Joh. 5. v. 39. Accipimus eum in ulnas, quando verâ fide meritum ejus apprehendimus, cum Jacobo dicentes: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi, Gen. 32. v. 27. Nam qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, Joh. 3. v. ult.

In ulnas quoque eundem accipimus, quando ergà pauperes benefici sumus, hi enim sunt Christi membra, & quod illis

boni exhibetur, ille sibi præstitum reputabit, Matth. 25. v. 40.

Pauci equidem hodiè sunt, qui Simeonis naturâ præditi sint, plurimi plus χρυσὸν æstimant, quam Christum, & aurum quam Deum, ideò temporalia quærentes, æterna amittunt. Mundus enim transit, & concupiscentia ejus, qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum, 1. Joh. 2. v. 19.

III. *Mortalitatem perpende.* De Simeone memoratur, quod venerit ea hora, in templum, cum inducerent puerum Jesum parentes ejus ut præsentarent eum Domino. Ideò præ gaudio se continere nequibat, sed suscipiebat eum in ulnas, dicens: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.

Nos quoque ex animo beatam εὐθανασίαν, desideremus, ut cum Paulo dissolvamur: at non ex impatientia crucis, uti Jobus, cap. 7. v. 15. & Jonas, cap. 4. v. 8. aut ex tædio laborum & molestiarum, sicut Moses, Num. 11. v. 15. sed, ut cum Christo simus, Phil. 1. v. 23. ubi peccatorum vinculis soluti, ipsi serviamus in justitiâ & sanctitate, coram ipso, Luc. 1. ambulantes coram eo in regione vivorum, Psal. 116. v. ult.

Pius quidam Paterculus in more habuit, ut semper orationem Dominicam precans, cœlestis patriæ, hoc modo, recordatus fuerit: Pater noster qui es in cœlis, in terris non est quies. Nam homo, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, Job. 14. v. 1. ratione multarum tentationum, quibus homo subjectus est, à die exitus de ventre matris usque in diem sepulturæ in matrem omnium nostrûm, Sir. 40. v. 1. In flagella quippe parati sumus, Psal. 38. v. 19. tantisque malis vexamur, ut crucis variationes & exercitus contrà nos sint, Job. 10. v. 17. & quando satis diu variis ærumnis agitati sumus, tandem dies finitionis certus est, Sir. 40. v. 2. propterea vita nostra comparatur vapori, qui modicum, & deinceps non apparet, Jacob. 4. v. 14.

Ne proindè temporalibus cor appendamus, sed quæramus ea, quæ sursum sunt: quos thesauros nec ærugo nec tinea demolitur: & ubi fures non effodiunt, nec furantur, Matth. 6. vers. 20. ubi πολίτευμα nostrum, quod Christus acquisivit nobis, Phil. 3. v. 20.

Largiatur illud nobis cœlestis Pater, per Christum Dominum & Servatorem nostrum, in Spiritu Sancto,
Amen.

IN

IN DIE FESTO MATTHIÆ APOSTOLI.

Evangelium Matth. 11. *v.* 25. -- 30.

EXORDIUM.

Jeremias olim à Deo jussus est descendere in domum figuli, & ibi audire verbum ejus. Cumque descendisset in domum figuli, ecce, ipse faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto, manibus suis, conversusque, fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus, ut faceret. Et factum est verbum Domini ad Prophetam, dicentis: Nunquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, domus Israel? ait Dominus: Ecce, sicut lutum in manu figuli; sic vos in manu mea, domus Israel, Jer. 18. v. 16.

Ex hac historia intelligimus, quod Deus se figulo, nos homines verò vasi, sive luto comparet. Quemadmodum igitur figulo non omnia vasa ex voto elaborantur, sed unum atque alterum disperit: Idipsum Deo quoque evenit. Licet enim hominem fecerit exterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ, Sap. 2. vers. 23. attamen ille sub manu ejus degeneravit, dum insidiis Satanæ circumventus, in peccata prolapsus, hoc ipso imaginem Dei, cum omni concreata justitia & sanctitate deperdidit, ut, sicut antè lapsum imaginem cœlestis gerebat, sic nunc imaginem terreni gerat, 1. Cor. 15. v. 49. quamvis & ipsi misericordia Dei, ex misera hac corruptione, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in spem vivam regenerati simus, 1. Petr. 1. vers. 3.

Vas abortivum fuit Judas Ischariotes, quem quidem Servator in numerum duodecim Apostolorum assumserat: verùm degeneravit ille in Diabolum. Postquam enim Christum prodiderat, suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus, Act. 1. v. 18.

Ejus loco DEUS aliud vas sibi fecit, nempè Matthiam. Juda enim suspenso, Apostoli statuerunt duos, Joseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est justus, & Matthiam, & orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus, unum, accipere locum Ministerii hujus, & Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes ejus, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis, cujus festum hodie celebramus.

Nos Instituti nostri memores, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

I. I.

J. J.

Exegesis.

VErbum Dei non inconcinne semini confertur, Luc. 8. v. 21. sicuti enim semen, quando bonam terram invenit, multum fructum dat, aliud centuplum, aliud sexagecuplum, aliud trigecuplum, Matth. 13. vers. 8. ita Deus de verbo suo dicit: non revertetur ad me vacuum: sed faciet, quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud, Esa. 55. v. 11.

Id perspicimus in prælecta Pericope, in qua Servator in egregiam gratiarum actionem erumpit, quia illi septuaginta discipuli lætum illud nuncium attulerant, quod in nomine ejus Dæmonia ejecerint. Est enim verbum vitæ, Joh. 6. v. ult. & potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. vers. 16. Reliquos verò qui non fidem habent verbo, sed illud spernunt, eos Deus ex justo judicio tradet in perversum sensum, ut videntes non videant, & audientes non intelligant, Luc. 8. v. 10.

Querela respicit

1. *Rationis abusum*, qui valdè familiaris est, in hac mundi senecta. Inveniuntur enim, qui dicunt: Manus nostræ oculatæ sunt, credunt, quod vident. Quo verò id efficiunt, ut Pater cœlestis abscondat à sapientibus & prudentibus mysteria Regni cœlorum. Per sapientes verò & prudentes intelliguntur

1. *Qui videntur & non sunt*: tales occurrunt

1. *In Choro*, semel inter *verbi præcones*, qui in concionibus suis non Dei gloriam & Auditorum ædificationem, sed suam gloriam quærunt, ideò Græca & Hebraica crepant, & sublimitate verborum suspiciendos se præbent. Sed hic non est stylus Spiritus sancti, cui placuit per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, 1. Cor. 11. v. 21.

Sed & inter *Auditores* nasutuli inveniuntur, qui cum nondum elementa exordii sermonum Dei degustarunt, se Magistros esse opinantur, Hebr. 5. v. 12. & de rebus fidei subtiliter disserere non verentur, qui melius sibi consulerent, si lacte uterentur, non cibo solido.

2. *In Foro*, ubi sæpè juniores, sapientiæ opinione turgidi, seniores prævertere non dubitant, eosque alto supercilio despiciunt. Quibus Siracides optimè consulit, c. 3. v. 19.

3. *In Toro*, ubi mariti juniores Seniorum consilium spernunt, ut Rehabeam, 1. Reg. 12. v. 16. vel uxores maritis se multò prudentiores esse, autumant, ut Michol, 2. Sam. 6. v. 20.

2. *Qui videntur & sunt*, & in sapientia sua placent sibi. Quid verò Jeremias? Non glorietur sapiens in sapientia sua, c. 9. v. 23. Phil. 2. v. 3. Prov. 27. v. 2.

3. *Qui videntur & sunt, sed extrà limites abeunt.* Tales sunt qui mysteria divina ratione metiri non dubitant, & sapientiam divinam justificatum eunt, Luc. 7. v. 35. Sed non est ista sapientia desursum descendens, à Patre luminum, sed terrena, animalis, Diabolica, Jac. 3. v. 15.

Servator nos veram prudentiam docet, inquiens: Estote prudentes, sicut serpentes, Matth. 10. v. 16.

Ser-

Serpentes caput probè custodiunt, in quo vita est: sic & nos propter Christum qui caput Ecclesiæ est, Eph.5.v.24. omnia profundere minus dubitemus, quo firma sit promissio, Matth.19.v.29.

Serpentes pellem detrahunt sibi, & ita renovantur: sic & nos ponamus veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovemur autem Spiritu mentis nostræ, induentes novum hominem, qui secundum DEUM creatus est, in justitia & sanctitate veritatis, Eph.4.v.22.2.Cor.4.v.16.

Serpentes ab homine fugiunt, & in cavernis suis se abscondunt: sic & nos à mundo exeamus, & sodalitium pravum fugiamus, 2. Corinth.6. v.17. Breviter: Initium sapientiæ, timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, Psal.111. v.ult.

III. *Consequentem fructum.* Abscondidit enim Pater cœlestis à sapientibus & prudentibus mysteria Regni cœlorum.

Hoc non ita intelligendum, quasi Deus sapientes & prudentes hujus mundi absolutè reprobraverit, & ex mero beneplacito, à communione Evangelii excluserit. Minimè. Scriptura enim non aliud beneplacitum memorat, quam quod in Christo est fundatum, Ephes.1. v.5. & per Evangelium nobis revelatum, Rom.16.v.26. juxta quod ipsi placuit, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, 1.Cor.1.v.21. Vult enim omnes salvari, & ad agnitionem veritatis pervenire, 1.Tim.2.v.4.

Quia verò sapientes & prudentes hujus seculi gratiam oblatam rejiciunt, & venire renuunt, Matth. 22. vers. 3. 6. ipsi in culpa sunt, quod Deus eos in perversum sensum tradit, & corda eorum excæcat, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, 2. Cor. 4. vers.4.2. Thess.2.v.10.12.

Fugite proindè hanc φιλαυτίαν, cum Davide dicentes ex Psal. 25.v.21.

Simplicitas rectumque tuum me
Christe, gubernet.

Sapientia quippè hujus mundi stultitia est apud Deum, 1.Cor.1.v.20. & qui vult sapiens esse in hoc mundo, stultus fiat, ut fiat sapiens, 1.Cor.3 v.18.

III. *Christianorum statum.* Hic Christum ad se vocare audimus omnes, qui laborant, & onerati sunt. Hæc brevis descriptio est humanæ miseriæ, cui omnes ab utero matris, usque in sepulchrum subjecti sumus,

1. *Ratione externa tribulationis.* Verè enim laboramus, primam vocem emittimus plorantes, & tribulationum variationes & exercitus contrà nos sunt, Job. 10.v.17. Surgat Adam cum omnibus filiis suis, & uno ore loquantur, num in hac vita habuerint unquam gaudium sine dolore, pacem sine discordia, quietem sine motu, sanitatem sine infirmitate, lumen sine tenebris, panem sine dolore, risum sine fletu, ait Augustinus. Non dubito quin omnes responsuri sint: Optima nostra portio, labor & dolor, Psal. 90. v.10.

2. *Ratione interna corruptionis*, ratione cujus nihil boni in nobis habitat: sed omne figmentum cognitionum cordis tantummodò malum est omnibus diebus, Gen.6.v.5.c.8.v.21. & volentibus bonum

num facere, malum adjacet, Rom.7.v.22. Delinquimus operibus, verbis, gestibus, & cogitationibus, vigilantes, dormientes &c. ita,ut vel septies in die cadat justus, Proverb.24.v.17. Delicta quis intelliget? Psal.19.v.15. hinc gravissima peccatorum moles oritur, quæ nos paulatim in infernum demergit, Deut.32.v.22. ut David testis est, Psal.38.v.5.

Reperiuntur,qui hanc molem non sentiunt, sed malum manuum suarum bonum dicunt, Mich.7.v.2. vel imaginantur sibi,si à gravioribus sceleribus sese contineant, non occidant, non mœchentur &c. parùm referre, licet execrentur, verba obscœna proferant, fœnore facultates suas augeant, vel alio modo delinquant. Verùm sciamus: nullum peccatum adeò veniale esse, quin fiat, si placet, criminale.

Si quis singulis diebus in prandio & cœna tantum quartam partem canthari vini bibat, anniversariè centum octoginta quinque canthatos efficit, sive duas ohmas & viginti quinque cantharos, quale debitum non adeò facilè persolvendum. Multæ aquarum guttæ si concurrant, magnum fluvium efficiunt,in quo perire possis: ita minuta etiam peccata, si negligantur,occidunt, Augustino dicente.

Proindè peccata non inspiciamus, ut *accedunt*, sed ut *recedunt*, cum Demosthene dicentes: *Tanti pœnitere non emo.* Nam *momentaneum est,quod delectat,æternum quod cruciat*, Esa.66.v.ult.

David ex uno peccato in aliud prolapsus, non multum referre arbitrabatur. Verùm ubi conscientia evigilabat, non erat pax ossibus ejus, à facie peccatorum ejus, ut lamentaretur: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum,& sicut onus grave gravatæ sunt super me, Psal.38.v.5.7. renuit consolari anima mea, Psal.77.v.3.

Quid Caino? Gen.4.v.13. quid Judæ proditori accidit? Matth.27. Nonne uterque peccatorum mole oppressus est?

Sic adhuc hodiè peccata fronte blandiuntur, calce feriunt, & caudâ vulnerant, Jer.2.v.19.

Quilibet proindè videat,ut bonam militet militiam, habens fidem & bonam conscientiam, 1.Tim.1.v.19.

-- Hic murus aheneus esto
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Hinc Johannes: *Si cor nostrum non condemnaverit nos,fiduciam habemus ad Deum*, 1.Joh 3.v.21. si verò fiduciam ad Deum, mundus metuendus minimè est, quoniam major est, qui in nobis est, quàm qui in mundo, 1.Joh.4.v.4.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex parvulorum illuminatione*, de qua Servator: Confiteor tibi Pater, quod ea revelasti parvulis.

Per parvulos non intelliguntur ejusmodi homines, qui planè nullo judicio præditi sunt, & omnia sine discrimine recipiunt, licet cum verbo Dei non congruant: Hâc enim ex caussâ Deus asinos reprobavit, quo minus ad sacrificia adhiberentur, Exod 13.v.13. sed illi, qui non adeò curiosi sunt, in divinis mysteriis, sed simpliciter credunt

credunt, quod scrutinio intellectus comprehendere nequeunt, sicuti liberi simpliciter credunt, quæ ipsis à parentibus proponuntur, nec dubitant de veritate illorum: hi Dei amici sunt, quibus Pater cœlestis mysteria sua revelat, quia in iis delectantur, nec consilium Dei adversus seipsos spernunt, Luc. 7. v. 30. sed dantes gloriam Deo plenissimè sciunt, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere, Rom. 4. vers. 21. cœtera commendantes Deo, qui potest facere superabundanter plus quàm petimus & intelligimus, Ephes. 3. v. 20.

Noli proindè offendi, quando sapientes hujus mundi in sapientiâ suâ confidere vides. Ecclesia vera est pusillus grex, Luc. 12. v. 32. Non multi sapientes secundum carnem sunt electi, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, 1. Cor. 1. v. 26. 29. imò ex ore infantium & lactentium perfecit sibi robur, Psal. 8. v. 3. id mordet Diabolum quàm maximè, si ei à simplicioribus & parvulis resistatur. Superbus enim est Spiritus, qui nihil minus, quàm ignominiam perferre potest. Hinc Rex superborum dicitur, Job. 41. v. ult.

II. *Ex blandâ invitatione*, quâ Servator omnes laborantes & oneratos ad se vocat. Ubi probè advertendum, quod sine delectu *omnes homines* indefinitè invitet, Non dicit: Veni ad me Abraham: nunc cognovi, quod timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me, Gen. 22. v. 16. Non dicit: Veni ad me Noah, te enim vidi justum coram me, in generatione hâc, Gen. 7. v. 1. Non dicit; veni ad me Moses, tu enim in omni domo meâ fidelissimus es, Num 12. v. 7. Sed hæc vocatio ad omnes homines directa est, cujuscunque illi sint loci & ordinis, hos omnes Dominus brachiis suis excepturus, & ad salutem promoturus est. Sicuti enim Sol totum orbem radiis suis collustrat: Ita Christus Sol justitiæ, Mal. 4. v. 3. illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, Joh. 1. v. 9.

Nemo proindè desperet, quia omnes vocat: Respicite ad me, & salvi eritis, omnes fines terræ, Esa. 45. v. 32. Conclusit enim omnia sub incredulitatem Deus, ut omnium misereatur, Rom. 11. v. 32.

Quando igitur conscientia tua te angustat, perfugio Servatoris tui utere, qui refocillationem suam, spontè tibi offert: est ille Servator omnium hominum, maximè verò fidelium, 1. Tim. 4. v. 10. propterea non te rejiciet, sed in gratiam recipiet, qui enim invocaverit nomen Domini, salvus erit, Joel 2. v. ult. Rom. 10. v. 13.

III. *Ex promissa refocillatione.* Nam ego, inquit, reficiam te. Si quis oneri succumbit, desideranter alterius opem implorat, & expectat, dum veniat, qui se porrectâ manu erigat: Ita nos sub mole peccatorum jacuimus, sed Christus venit, & nos refocillavit, per vulnera enim ejus sanati sumus, Esa. 35. v. 5.

Hâc refectione hodietenus adhuc fruimur,

I. *In verbi prædicatione.* Omnia enim, quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, Rom. 15. v. 4.

Si peccata territant te, hoc solatium cape ex verbo divino, quod Christus

ffff 2 dona-

donaverit tibi omnia delicta, delens, quod adversus nos erat, chirographum, Col. 2. v. 14.

Si Diabolus die noctéque accusat te, Apoc. 12. v. 10. ex verbo Dei novimus, qualem Advocatum habeamus, 1. Joh. 2. v. 1. qui est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34.

Si lex cum maledictione suâ ad desperationem te adigere vult, hoc solatium certum est, quod Christus redemerit nos à maledicto legis, factus pro nobis maledictum, Gal. 3. v. 13.

Si cruce afflictaris, exploratum tibi habeas quod Christus non te orphanum derelicturus sit, Joh. 14. v. 18. sed tecum futurus in tribulatione, Psal. 91. v. 15. Et ut paucis multa comprehendam, nulla ærumna tanta est, cui non dictum Scripturæ, tanquam certissimum antidotum applicari possit. Hinc David: Hæc me consolata est, in afflictione mea: quia eloquium tuum vivificavit me, Psalm. 119. vers. 50. 93.

2. *In speciali absolutione.* Quando enim peccator pœnitentiam agens in locum confessionis venit, & peccata sua Deo, ejusque ministro confitetur, & audit responsum amabile: Confide, fili, confide filia, remittuntur tibi peccata tua, Matth. 9. vers. 2. efficax hæc refocillatio est, quâ homo mutat virtutem, Esa. 40. vers. 31. ut exultent ossa contrita, Psalm. 51. vers. 10. Absolutio enim virtutem suam non habet à ministro, sed à Deo, hinc Matth. 18. v. 18.

3. *In Sacra cœnæ usurpatione.* Quando nobis sub symbolis benedictis corpus & sanguinem suum ad edendum & bibendum exhibet, in plenariam securitatem remissionis peccatorum, & vitæ æternæ. Hîc certissimum pignus accipimus, ut nullus dubitandi locus supersit, quin quæ Deus promisit, Etiam & Amen futura sint, 2. Cor. 1. v. 17.

Si quis tibi centum Imperialibus obstrictus est, cujus debiti syngrapham tu habes, facile acquiescere potes, & solutionem stato tempore expectare, præsertim, si vir honestus ille sit: Quando verò pignus possides, multò securior es.

Sic tibi Deus in absolutione remissionem peccatorum pollicetur, hoc ut Deus verax est, verissimum est: Ast in sacra cœnâ certissimum pignus nobis porrigit, quod ipse nobis in patrem, & nos ipsi in filios & filias esse debeamus, 2. Cor. 6. vers. ult.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Invitatus appare.* Sic enim Servator: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Veniamus igitur,

1. *Corde pœnitente*, dicentes cum publicano: Deus propitius esto mihi peccatori, Luc. 18. vers. 13. & cum filio prodigo: Peccavi Pater, Luc. 15. vers. 21. Hic primus pœnitentiæ gradus est. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus &c. 1. Joh. 1. v. 9. Hîc intima cordis contritio requiritur, 2. Cor. 7. v. 10.

2. *Corde credente.* Non enim sufficit peccata confiteri & deplorare: idem & fecerunt

cernnt Cain & Judas, qui tamen in peccatis damnati sunt: Sed insuper requiritur, ut verâ fide apprehendamus Jesum Christum, qui propitiatio factus est, pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed pro totius mundi peccatis, 1. Johan. 2. v. 2.

3. *Corde obediente*, ut propositum firmemus vitam emendandi, & ad Decalogum componendi.

Nam ut Poeta ait:

-- -- Si pœnitet, haud nocet error.

Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vitâ vivet, & non morietur, Ezech. 18. vers. 21. 22.

Hoc vel maximè necessarium est, nisi enim fiat, refocillatio fit damnatio, verba enim quæ audierunt, & non fecerunt, judicabunt ipsos, Joh. 12. v. 48.

Absolutio quoque commutabitur in excommunicationem, Joh. 20. v. 23. & S. cœnæ manducatio cedet in judicium, 1. Cor. 11. v. 27. imò Christus ipse nihil proderit illis, & quando veniet die novissimo, non veniet, ut Salvator amabilis, sicut in primo adventu, sed tanquam justus & iratus judex & vindex, arbores infrugiferas excisurus, & in æternum ignem missurus, Matth. 3. v. 10. Quilibet proindè observet illud Siracidis, c. 21. v. 1. 4.

II. *Jugum tolle.* Hoc Christus requirit, inquiens: Tollite jugum meum, quo crux intelligitur, quâ quilibet Christum sequi tenetur, Matth. 16. v. 24.

Hæc jugo comparatur,

1. *Ratione impositionis.* Sicut enim agricola bobus jugum imponit: Sic Deus supremus Director est, qui nobis onus imponit, Psal. 68. v. 20. & sine ejus permissu, ne capillus capitis lædi potest, Matth. 10. v. 30.

2. *Ratione conjunctionis.* Veluti enim jugo duo boves copulantur, ut ex æquo laborent: Ita nos jugo crucis Christo quasi copulamur, ut crucem ejus feramus, & sicut ipse, per multas tribulationes in Regnum cœlorum ingrediamur, Act. 14. v. 22. 2. Tim. 2. v. 11. 12.

3. *Ratione probationis.* Jugo boves probantur: sic & nos per crucem probamur, quàm firmi aut debiles in fide simus, non quidem respectu Dei, sed respectu nostri. Hinc Siracides c. 2. v. 1. 5.

4. *Ratione refrenationis.* Jugo boves edomantur: Sic vetus Adam, caro nostra lasciva per crucem debilitatur, & compescitur, ne regnet peccatum in mortali nostro corpore, Roman. 6. v. 12. 1. Petr. 4. v. 1.

5. *Ratione exstimulationis.* Boves in jugo trahentes cibum desiderant: Ita jugo crucis oneratis, appetitus verbi divini ceu spiritualis escæ excitatur. Vexatio enim dat intellectum, Esa. 28. v. 19. & orationem, spem, patientiam, aliasque virtutes operatur, meditatio, quando eos castigas, Esa. 26. v. 16. Tandem & desiderio flagramus cœlestis patriæ, ut obliviscentes quæ retrò sunt, & ad ea, quæ sunt priora, extendamus nos, destinatum scopum persequentes, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo JEsu, Philip. 3. v. 14.

6. *Ratione allevationis.* Boves jugo juncti, nonnunquam allevantur, & cibo recreantur, quo prostratas vires recolligant: Ita Deus onus nobis imponit, sed & sa-

& salus nostra est, Psal. 88. v. 20. nosque virtute Spiritus sancti roborat, infirmitatemque adjuvat, ut bonam militemus militiam, habentes fidem & bonam conscientiam, atque omne gaudium existimemus, si in varias tentationes inciderimus, Jac. 1. v. 2. Tob. 3. v. 21.

7. *Ratione liberationis.* Vespera ingruente, agricola boves jugo solvit, ducit illos in stabulum, & pabula ministrat, quò à lassitudine recreentur. Ita & Christus, cœlestis ille agricola, quando vespera hujus vitæ ingruet, omnes cruce gravatos jugo exsolvet, & in requiem deducet, ut requiescant in cubili suo, Esa. 57. v. 2. Apoc. 14. v. 13. ex cubilibus nostris, postquam satis quievimus transferet nos in cœlestem Hierusalem, ubi non ultrà audietur vox fletus & clamoris, sed comedentes saturabimur, bibemus & exultabimus, Esa. 65. v. 13.

Quando igitur crucis jugum trahimus, non melius nobis consulere possumus, quàm si Dominum fideliter invocemus, qui enim jugo nos copulavit, solvere quoque nos potest: quia ipse vulnerat & medetur: percutit, & manus ejus sanabunt, Job. 5. v. 18.

Roboam olim jugum grave imposuit Israelitis, eosque planè tyrannicè tractavit, 1. Reg. 12. v. 11. Verùm multò aliter Deus in nos affectus est: Non enim excruciat homines ex corde suo, & affligit filios hominum, Thren. 3. v. 33. conturbantur viscera ejus, ut miserans misereatur nostrûm, Jer. 31. v. 20.

III. *Discenda disce.* Hîc Christus clamat: Discite à me: quia mitis sum, & humilis corde.

Discamus ergò ab eo,

1. *Lenitatem.* Hæc enim ejusmodi virtus est, quæ omnia æquanimiter sustinet, non irritat, nec irritatur, non nocet, nec nocere cogitat. In hâc virtute Servator maximè excelluit, qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur, 1. Petr. 2. v. 23. Esa. 53. v. 7. sed hoc ipso nobis exemplum reliquit, ut sequamur vestigia ejus, 1. Petr. 2. v. 21. non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, 1. Petr. 3. v. 8. Id quod caritas Christiana requirit, quæ patiens & benigna est, non æmulatur &c. 1. Cor. 13. v. 4. 7. Qui juxtà hanc regulam incedit, is magni est intellectus: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam, Prov. 14. v. 29. Hinc Servator: Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram, Matth. 5. v. 5.

2. *Humilitatem.* Hanc quoque virtutem Christus nobis commendavit, dum parentibus subditus fuit, Luc. 2. v. 51. discipulis pedes lavit, Johan. 15. v. 5. patri obediens factus, usque ad mortem, mortem autem crucis, quod ipsum omnes in nobis sentiamus, Phil. 2. v. 8. ut humiliemur sub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore visitationis, 1. Petr. 5. v. 6.

Stella in firmamento nobis admodùm exigua videtur, & tamen sæpè universo orbe major est: Ita homo, qui se humiliat admodùm parvus est, & lampas contemta apud cogitationes divitum, Job. 12. v. 5. sed in oculis Dei eò major æstimatur: quamvis enim in altis habitat, tamen humilia respicit in cœlo & in terra, Psalm. 113. v. 6.

Hoc si ita didicerimus, Christus

quoque

quoque verbum suum verificabit in nobis, ut requiem animarum inveniamus, h.e. nō modò in requie vivemus, contrà quàm superbi & vindictæ cupidi: sed & benedictionem hæreditate possidebimus, 1. Petr. 3. v. 9. cum omnibus electis vocem amabilem percepturi: Venite benedicti Patris mei, hæreditario accipite paratum vobis Regnum à constitutione mundi, Matth. 25. v. 34.

Quod nobis JEsus noster largiri dignetur, Amen.

IN DIE FESTO ANNUNCIATIONIS MARIÆ.

Evangelium Luc. 1. v. 26. -- 38.

EXORDIUM.

APparuit olim Angelus Domini, uxori Manue, quæ hactenus sterilis fuerat, eique conceptionem hisce verbis annunciavit: Sterilis es, & absque liberis: sed concipies & paries Filium: cave ergò, ne bibas vinum & siceram, nec immundum quicquam comedas; quia concipies & paries Filium, cujus non tanget caput novacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia suâ, ex matris utero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum, Judic. 13. v. 2. 5.

In prælectâ Pericope similem ferè historiam invenimus. Veluti enim ad sterilem Manue uxorem, Angelus Domini accessit, eique conceptionem Samsonis annunciavit: Ita & Angelus Domini ad desponsatam virginem nomine Maria, Nazaretham missus est, ut ipsi nunciaret, quod mater Messiæ futura esset. Ita enim verba ejus habent: Ecce, concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum: Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David, Patris ejus, & regnabit super domum Jacob in æternum: & Regni ejus non erit finis.

Hoc maximum est miraculum, quod hactenus in mundo factum, quod nempè hodiè Filius Dei in utero virginali conceptus, ubi tres singulares & miraculosæ conjunctiones factæ sunt, dum *Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanum* invicem uniuntur. Quis unquam talia audivit? meritò ergò cum Davide exclamamus: Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ, Psal. 118. v. 24. Hunc quippè diem Prophetæ, Patriarchæ & Reges V. T. cum desiderio expectarunt, subindè suspirantes, cum Jacobo: Expecto salutare tuum, Domine, Genes. 49. v. 18. cum Davide: Quis dabit ex Sion salutem populo Israel? Psal. 14. v. 7. cum universo populo: Rorate cœli desuper, & nubes pluant justitiam: aperiatur terra & germinet Salvatorem, & justitia oriatur simul, Esa. 45. v. 8.

Uti-

Utinam dirumperes cœlos & descenderes, Esa.64. v.1. hæc vota & gemitus piorum Veterum fuerunt, respectu quorum nos multò feliciores censendi, siquidem nos oculis nostris videmus, quæ illi voluerunt videre, & non viderunt: & auribus audimus, quod illi voluerunt audire, & non audierunt. Quâ de beatitudine pluribus præsente die in Ecclesia Dei prædicatur.

Nos Instituti nostri memores, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

OPrimè pii Veteres dixerunt: *Plus esse reparare mundum perditum, quàm creare nondum existentem.* Hoc unico verbo perfecit Deus. Dicente enim: Fiat, factum est, Gen.1.v.1.seqq. Ibi verò Filium suum unigenitum in mortem tradidit. Nam, ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum &c. Galat. 4.v.4.5. Hoc hodierno die nobis in memoriam revocamus, quem Athanasius, *primarium, verendum, & sacrosanctum Festum* appellitat, quia illo ipso initium redemtionis nostræ factum, & B. Mariæ per Angelum Gabrielem lætissimum nuncium allatum est, quod mater Messiæ evasura sit, sicut id pluribus Evangelium prælectum testatur.

Querela respicit

I. *Loci vilitatem*, quod Evangelista indicat,

1. *Generatim*, inquiens: Missus est in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth. Hoc oppidum situm erat in Tribu Zabulon, trium dierum itinere ab Hierosolymâ, adeò spretum tempore Christi, ut Nathanaël liberè dixerit: A Nazareth potest aliquid boni esse? Johan. 1. v.46.

Quod proindè Servator obscuro ejusmodi loco nasci voluerit, factum est, ut ostenderet, Regnum suum non esse de hoc mundo, Joh. 18. v.36. sed esse se Doctorem humilitatis, Matth.11. v.29. qui humilia respiciat, Psal. 113. v. 6. nec venisse ministrari, sed ministrare, ut daret animam suam pretium redemtionis, pro multis, Matth.20.v.28.

Inveniuntur, qui gloriosum ducunt, è celebribus civitatibus ortum trahere, quod & adeò non aspernandum est: sed coràm Deo hîc nullum discrimen: sed quicunque eum timet, & rectè facit, acceptus est illi, ubicunque locorum ille tandem habitet, Act.10. v.35.

Philosopho Anacharsi quidam exprobravit, quod in Scythiâ inter Barbaros natus esset: at ille scitè respondit: Mihi probro patria est, tu patriæ. Quilibet videat, ut honestati studeat, id gloriosissimum ei erit, licet ex obscurissimo pago natus sit: Oculi enim Domini respiciunt fidem, Jer.5. v.3.

2. *Speciatim*, quando & domûs mentionem facit, in quam Angelus diverterit: quæ fuit domus Mariæ, virginis Nazarethanæ, desponsatæ viro, cui nomen erat Joseph, de domo David. *Maria* interpretatur *amarum mare*, *filia doloris*, quæ quo-

quotidiè lacrymas profundit: Siquidem stirps Davidis tùm temporis in extremam pauperiem devenerat, Josepho fabro, ipsa vero humili ancilla existente, ut ipsa confitetur, Luc. 1. v. 48.

Hâc in parte *imago Ecclesiæ* est, quæ misera tempestate convulsa dicitur, Esa. 54. v. 11.

Mariæ animam gladius pertransiit, ubi Filium suum inter maleficos in cruce pendentem conspexit: sic Ecclesia subindè queri cogitur: Dominus replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio, Thren. 3. v. 15. quoties Agnus Paschalis cum lactuca amara nobis vescendus? Exod. 12. v. 8. quoties venimus in Mara, ubi amara aqua bibenda? Exod. 15. v. 23. Militia enim perpetua vita hominis est, Job. 7. v. 1. & crucis variationes & exercitus contrà nos sunt, Joh. 10. v. 17.

Cùm Naëmi in patriam reversa esset, velox apud cunctos fama percrebuit, ut dicerent mulieres: Hæc est illa Naëmi! Quibus ait: Ne vocetis me Naëmi, i. e. pulchram: sed vocate me Mara, i. e. amaram, quia amaritudine valdè me replevit Omnipotens, Ruth. 1. v. 19.

Sic nobis quoque non immeritò querendum; Ego in flagella paratus sum, & dolor est in conspectu meo semper, Psal. 38. v. 19. maximè quando videmus inimicos nostros felices esse, nos verò velut menstruata habemur, non habentes consolatorem, Thren. 1. v. 5. 8. 9. Verùm sicut Israelitæ à Mara in Elim venerunt, ubi duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ erant, Exod. 15. v. ult. Ita hoc nobis solatium restat, quod Dominus nos tandem salvos facturus est in Regnum suum cœleste, 2. Tim. 4. v. 18. ubi non amplius aquam amaram bibemus, sed gaudebimus & exultabimus, usque in sempiternum, in his quæ Dominus creabit, Esa. 65. v. 18. Maria in Syriaca lingua idem est, quod Domina: Ita quando satis diu cum Christo in luctu fuimus, cum ipso quoque exultabimus lætitiâ inenarrabili & gloriosa, reportantes finem fidei nostræ, salutem animarum, 1. Petr. 1. v. 9.

II. *Humanam timiditatem*, quæ hinc elucescit, quod Maria timore percellitur super visione hâc. Nam cùm vidisset eum, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis illa esset salutatio.

Nos miseri homunciones per peccata adeò depravati sumus, ut nihil boni in nobis habitet, Rom. 7. v. 9. hinc fit ut exhorrescamus, si Angelum videamus, quia metuimus, ne Deus per Angelos peccata nostra vindicet, sicuti subindè Angelos suos executores justitiæ suæ adhibuit.

Id perspicimus in Manoë patre Samsonis, Judic. 13. v. 21. 22. Daniele, c. 10. v. 17. Mulierculis ad sepulchrum Christi proficiscentibus, Marc. 16. v. 5.

Quodsi hoc piis contingit in hâc vitâ, quid impiis fiet die novissimo, qui jam adeò præfractè in peccatis pergunt, & non modò Deum ad iram provocant: sed & Angelos tristitiâ afficiunt. Quomodo illi expavescent, & contremiscent, quando videbunt Dominum venientem, & omnes Angelos cum eo, Matth. 25. v. 31. Ergò in tempore gratiæ de peccatis dole, servi Domino in timore: & exulta ei cum tremore, Psalm. 2. v. 11. Nam beatus,

qui semper est pavidus, Proverb. 28. vers.14.

Id fecit Josephus, Gen.39. v.9. Jobus, c. 1. v. 8. Susanna, Histor. Susan. v. 22. Horum vestigiis & tu insiste, plus timens Deum, quàm mundi terriculamenta inania. Homines modò corpus occidere possunt: Deus verò animam & corpus in gehennam perdere potest, Matth.10. v. 28.

III. *Conjugum sterilitatem.* Hîc audimus Elisabetham ex rumore sterilem fuisse. Apud Judæos enim opprobrii loco habebatur, sine prole esse: ita ut Rachel mori maluerit, quam sine liberis esse, & cum tandem Deo benedicente, peperisset, dixit: Abstulit Deus opprobrium meum, Gen.30. v.23.

Adhuc hodiè cernimus, quomodo conjuges, benedictione conjugali carentes desiderium suum contestentur. Nam hæreditas Domini, filii, merces, fructus ventris, Psal.127. v.4. Ideò Tobias ait, quod Conjugem accipiat, solâ posteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen Dei in secula seculorum, Tob. 8. vers. 8. 9.

Præterea per prolem genus propagatur, & conservatur, & quando probus pater moritur, est, quasi non mortuus esset: similem enim reliquit sibi pòst se, Sir. 30. v. 4.

Quin & Respublica hoc modo emendatur. Filii & ædificatio civitatis confirmabit nomen, Sir. 41. v.19.

Hoc triplici fructu carere coguntur steriles. Hinc Veteres dixerunt: Quod mundus est sine Sole: hoc conjugium est sine prole.

Quia verò Deus clavem puerperii habet, qui modo recludere potest, & facere sterilem, matrem filiorum lætantem, Psal. 113. v. ult. & vicissim claudere, & sterilitatem tanquam pœnam immittere, ut qui aliàs fœcunda fuit, nihil pariat, sicut exemplum Michol testatur, 2. Sam. 6. v. ult. pii conjuges melius faciunt, si in voluntate Dei acquiescant, quàm si media illicita adhibeant, divortium, vel auxilium apud sagas quærant, quô Deum irritant, ut quandoque illis liberos largiatur, sed degeneres & improbos, ut Rebecca experta, Gen. 25. v. 22. ubi proprio exemplo edocti, illud Siracidis approbare coguntur: Utile est mori, sine filiis, quàm relinquere filios impios, Sir. 16. v. 1.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex angelica missione.* In mense enim sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo. Gabriel idem est, ac fortitudo Dei, ille ipse conceptionem ejus annunciare tenebatur, cujus nomen vocatur Deus fortis, Esa. 9. v. 6. antè conceptionem Johannis quoque annunciaverat, Luc. 1. v. 13. & Danieli tempus præfiniverat, quo Sanctus Sanctorum ungeretur, Dan. 9. v. 24. ex hâc causa Deus eundem & hîc adhibere, & per eum conceptionem Christi, & impletionem vaticinii, B. Mariæ significare voluit.

Discimus hîc, Angelos esse Spiritus administratorios, emissos in ministerium illorum, qui hæreditatem capient salutis, Hebr. 1. v. ult. quin & magnâ voluptate perfunduntur, hominem cum Deo expia-

piatum, saluti restitutum esse. Hinc semper operosi fuerunt, Christoque in opere Redemtionis ministrarunt.

Angelus annunciat pastoribus Bethlehemiticis nativitatem ejus. Angelus Josephum in somnis monet ratione gladii Herodis. Angelus eum revocat, postquam, qui insidiati puero erant, mortui erant, Matth.2.v.13. seqq.

Sic Angelus cum morte luctantem confortavit, Luc.22.v.1. Angelus resurrectionem ejus annunciavit, Matth.28.v.6. Angelus quoque de adscensione ejus in cœlum prædicavit, Actor.1.v.11.

Sicut igitur Christi apparitores fuerunt, sic hodietenus inserviunt illis, qui Christum amant. Castra metatur Angelus Domini, in circuitu timentium eum, & eripiet eos, Psal.34.v.8.

Sancti Angeli, sunt 1. *nostri comites*, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris, Psal.91.v.11. Vide Tob.12.v.3. Hinc Bernhardus: In omni angulo reverentiam habe tuo Angelo, nec audeas illo præsente, quod me vidente erubesceres.

2. *Nostri vigiles*, qui adversus insidias Diaboli & satellitum ejus nos protegunt, sicut expresse sancti vigiles vocantur, Dan. 4. v. 10.

3. *Nostri custodes.* Hic murus ille igneus est in circuitu nostro, Zach.2.v.5. Vide 2.Reg.6.v.17.

4. *Nostri monitores*, qui à malo nos avocant, & ad bonum instigant, & periculum, ut effugiamus, monent.

Sic Angelus Eliam in umbrâ juniperi obdormientem excitavit, 1.Reg.19.v.5. Angelus Josephum de insidiis Herodis præmonuit, Matth.2. v. 13. Angelus Petrum in vinculis jacentem excitavit, & è carcere duxit, Act.12.v.6.seqq. Angelus quoque Bileamo Israelitis maledicturienti obstitit. Num.22.v.32.

Sic quando Deus per Angelos bonos salutaria nobis suggerit, non sequamur Diabolum, sed in via angustâ pergamus, Matth.7.v.14.

5. *Nostri portatores.* Qui non modò in hâc vita in manibus nos portant, Psal.91. v.12. sed & in morte nobis præstò sunt, animamque nostram in sinum Abrahæ deportant, Luc.16.v.22.

Ut breviter complectar, quod manè sospites surgimus, & vesperi sani cubitum abimus, id omne Deo acceptum est ferendum, qui nos Angelorum præsidio munit, qui licet tàm sancti & præstantes Spiritus sint, ut meritò illis inserviamus, illi nobis inservire tenentur. O Domine, quid est homo, quod memor es ejus? aut Filius hominis, quoniam visitas eum? minuisti eum paulò ab Angelis natura: sed prætulisti eum gratiâ, Bernhardus, Psalm. 8. v.15.

II. *Ex Christi descriptione.* Sic enim Angelus ad Mariam: Ecce, concipies in utero, & paries Filium: & vocabis nomen ejus Jesum &c.

Verba quidem pauca, sed maximè emphatica, in illis enim omnia continentur, quæ de Christo Servatore nostro, nobis scienda & credenda sunt, idque quando inspicimus,

1. *Personæ sublimitatem*, quæ duabus naturis constat, divina & humanâ. Utramque naturam Angelus indigitat, humanam quidem in his verbis: Concipies in utero & paries Filium. Hinc sequitur, quod

ex ipso utero virginali, & de nostra substantia carnem susceperit, ut Gregorius scribit. Nam ut pueri communicaverunt carni & sanguini, ipse similiter participavit eisdem, Hebr.2. v.14. Divina verò natura his verbis notatur: Hic erit magnus, & vocabitur Filius Altissimi, cum quo consentit Johannes c.1. v.14.

Hæ duæ in Christo naturæ ita invicem combinatæ sunt, ut Dei Filius sit hominis, & hominis Filius sit Dei Filius: non enim in Christo duæ personæ sunt, sed unus saltem est Dominus & Christus, 1. Cor.8. v. 6. & unus Mediator Dei & hominum, 1.Tim.2.v.5.

Talis Messias necessarius nobis erat, qui esset θεάνθρωπος in unâ subsistentiâ. Per lapsum enim Protoplastorum sub potestatem tenebrarum deveneramus, Col. 1.v.13. Filius verò Dei propterea de cœlo venit, ut in assumtâ humana naturâ caput serpentis contereret, & opera Diaboli dissolveret, 1.Joh.3.v.8. & nos è potestate ejus redimeret, quod & fecit. Vide Joh.16. v.11. Hebr 2.v.14. Col.2.v.15.

2. *Officii dignitatem.* Non enim modò Sacerdos, sed & Rex futurus erat.

Officium ejus *Sacerdotale* continetur in nomine Jesus, quod est Salvator, quia venit, ut salvaret populum suum à peccatis eorum, Matth.1.v.21. hoc munus fideliter exantlavit, dum non per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemtione inventa, Hebr.9. v.12.c.10. v.12. Act.10.v.43.

Regium ejus *officium* his verbis continetur: Et dabit illi Dominus Deus sedem David, Patris ejus: & regnabit super domum Jacob in æternum; & Regni ejus non erit finis. Hoc est, Ecclesiam & omnia vera membra ejus verbo & Spiritu suo reget, sub cruce efficaciter consolabitur & sustentabit, contrà omnium hostium impetum potenter defendet, & tandem perducet in Regnum suum cœleste, ut, ubi ipse est, sint, Joh.14. v.3. & claritatem ejus videant, quam dedit ipsi Pater, Joh 17.25.

Solatium hinc cape, mi Christiane! Vera Ecclesia in his terris est spirituale Regnum Christi, sedes Davidis, in quâ Christus residet, domus Jacob super quam regnat in æternum. Fremant ergò gentes, & adsistant Reges terræ, & Principes consulent adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Psal.2. v.1. Conturbentur gentes, & inclinentur Regna, Psal.46. v.7. Serpens mittat ex ore suo aquam, tanquam flumen, Apoc.12. v.15. Christus Rex noster non deturbabitur de throno suo. Est nobiscum ille omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth.28.v.ult. murus igneus futurus in circuitu nostrûm, Zach.2. v.5. ne portæ inferorum prævaleant adversus nos, Matth.16.v.18.

III. *Ex miraculosa conceptione*, de quâ Angelus: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, Ideoque & quod nascetur, ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

Ubi describitur

I. *Modus supernaturalis*, qui exprimitur,

1. *Per superventionem.* Spiritus S. superveniet in te. Primum hominem Deus è gleba terræ, & uxorem ejus Evam è costa viri formavit, Genes. 2. v.7.22. deinde conjugium instituit, beneficio cujus humanum genus

genus propagatur, Actor.17.v.26. Sed hic novum creat, Jer.31.v.22. Spiritus enim sanctus in Maria virgine operatur, ut suprà naturæ cursum, sine commistione viri & incorruptione virginitatis concipiat. Quod & Angelus innuit, inquiens: Quod in eo natum est, de Spiritu sancto est, Matth.1.v.20.

2. *Per inumbrationem.* Virtus Altissimi obumbrabit tibi. In Græco est vox ἐπισκιάζειν, quæ de nube usurpatur, quâ tabernaculum fœderis opertũ fuit, Exod. 40.v.34.ut & de columnâ nubis, quâ Deus Israëlitas interdiu in deserto ducebat, Num.9.v.16.

Sicut igitur Deus in V. T. non apparuit in divinâ suâ Majestate, sed nube se operuit, sine quâ Israëlitæ Majestatem ejus ferre non potuissent: Ita Filius Dei carne nostrâ se vestivit, quæ quasi nubes fuit, quâ divina ejus gloria & claritas repressa & obvelata. Deum enim in claritate suâ nemo videre potest, Exod.33.vers.ult. Vide c.34.v.29.

Hinc efficax solatium hauriamus. Deus est ignis consumens, Deut.4.v.24. Hebr. 12.v.29. sed sanctissimâ conceptione suâ Filius Dei obumbravit se, ne ab igne divinæ iræ consumeremur. Hîc tuti esse possumus ab irâ futurâ, 1.Thess.1.v.10.

2. *Effectus singularis.* Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Quia enim Spiritus sanctus supervenit in Mariam, & virtus Altissimi obumbravit illi, hoc ipso propagatio peccati originalis præpedita, & fœtus Mariæ sanctus & immaculatus natus est.

Hoc nostri caussâ factum est. In peccatis enim concipimur & nascimur, Psal. 51. v.7. Joh.3.v.6. Verùm sanctissimâ conceptione suâ, Christus à connato peccati originalis contagio nos sanctificavit, ut nunc nulla condemnatio in illis, qui in Christo Jesu sunt, Rom. 8. v.1.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt,

I. *Mariam virginem imitare.* Hanc præclaro encomio mactat Angelus, inquiens: Ave gratiam consecuta, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Et iterum: Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum. Unde elucescit, fuisse illam piam, & Deo, probatam virginem. Luci enim ad tenebras nulla societas: nec conventio Christo ad Belial.

Imitentur ergò illam Christianæ virgines,

1. *In pietate.* Non enim ex curiositate discurrit, ut Dina, Genes.34. vers.1. sed domi in cubiculo suo se continet, & legit verba Esaiæ cap.7.v.14. Ecce virgo concipiet, & pariet filium &c. ut Veterum pia opinio est. Idem nostræ quoque virgines faciant:

Acht dich klein/
Halt dich rein/
Mach dich nicht zugmein/
Mit diesen dreyen Stücken/
Sol sich ein Jungfrau schmücken.

Quin & ad exemplum Mariæ sacras literas sibi commendatas habeant, easq; studiose evolvant, ut Christus monet: Scrutamini Scripturas, Joh.5.v.39.

2. *In castitate.* Maria verè dicere potest: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.

Hoc quoque virginum nostratium exemplar sit. Hæc voluntas Dei sanctificatio vestra, 1. Thess. 4. v.3.5. Matth. 10. v.26.

3. *In humilitate.* Maria ab Angelo audierat, quod mater Messiæ futura esset, sed propterea non cristas erigit, sed reverenter ait: Ecce ancilla Domini? Sic & nos humilitatem in animo foveamus: quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, 1. Petr. 5. vers. 5.

II. *Voluntatem Dei percontare.* Maria intellexerat ab Angelo, quod conceptura sit in utero, & paritura filium: hæ mirabiles novellæ erant, propterea rogat: Quomodo fiet istud, siquidem virum non cognosco! Hoc verò non facit *ex incredulitate*, ut Nicodemus, Joh. 3. v. 9. sed *ex docilitate*, ut consilium Dei cognosceret, & fidem suam confirmaret. Legerat illa quidem in Esaia cap. 7. vers. 14. Ecce virgo concipet, & pariet filium: quod & credit, tempore suo ita futurum esse; quomodo verò, nusquam legerat. Ideò quærit ex Angelo, & illi ansam præbet ad pleniorem explicationem, quæ hodietenus usui nostro inservit.

Imitare ejus exemplum, mi Christiane! & quando aliquid audis ex ore Angelorum, hoc est, verbi præconum, quod non intelligis, de mysteriis divinis, ad exemplum nobiliorum Thessalonicensium, quotidiè scrutare Scripturas, si hæc ita sese habeant, Actor. 17. vers. 11. quodsi in Scriptura fundatum deprehendis, crede illud, licet non intelligas, dans cum Abrahamo gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens sit & facere, Rom. 4. v. 21. Joh. 20. v. 29.

Non verò quæras *ambigendo*, ut Zacharias, qui ideò pœnâ correptus & mutus effectus est, Luc. 1. v. 18.

Non quæras *ridendo*, ut Sara, Genes. 18. v. 10.

Non *contradicendo*, ut Eques Samaritanus, 2. Reg. 7. v. 2.

Sed discendi gratiâ, sicut Maria quærit, quo melius informaretur, & fidem roboraret. Quo exemplo instructi, non quæramus rationem, quæ cœca est in divinis, sed Scripturæ ductum sequentes, scripta Mosis, Prophetarum & Evangelistarum, Consiliarios nostros habeamus, Psal. 119. vers. 24. Quicunque enim hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia Dei, Gal. 6. v. 15.

III. *Abscondita ne rimare.* Maria non multum disputat cum Angelo: sed postquam Dei consilium & voluntatem ab eo intellexit, acquiescit, ajens: Fiat mihi secundum verbum tuum.

Hoc ipsum discamus ab illâ ne curiosi rimemur verbum Dei, sed simpliciter credamus. Ambulamus enim per fidem, non per speciem, 2. Cor. 5. v. 7.

Sicut igitur aures semper patent, oculi verò aperiri & claudi possunt: Ita & nos mysteria divina è Scripturâ auribus hauriamus, & fideliter custodiamus, ubi verò quicquam suprà captum nostrum est, oculos rationis claudamus, fide illud intuentes, quod rationi absurdum, & adversum videtur. Ideò enim mysteria sunt & manent, quia ea nemo rationis scrutinio

nio intelligere valet. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt, 1. Corinth. 13. verſ. 12.

Interea verbo adhærentes, caveamus ne rationi nimium indulgeamus. Quemadmodum enim bombyx, quo plus telarum trahit, eò plus illis irretitur: Ita ſcrutator majeſtatis opprimetur à gloriâ, Prov. 25. verſ. 27. Maria ait: Ancilla Domini ſum, fiat mihi ſecundum verbum tuum: Sic & nos dicamus, non dubitantes, quin Deus verum facturus ſit, quod nobis promiſit. Triumphator enim in Iſraël non fallit, 1. Sam. 15. verſ. 29. Et ſicut verbum illud impletum, quod Angelus ad Mariam locutus eſt, ita non ambigamus, quin promiſſa nobis facta ſervaturus ille ſit, nosque ex miſeriarum hâc valle translaturus eò, ubi revelatâ facie gloriam Domini, tanquam in ſpeculo recipiemus, 2. Cor. 3. & ult. Ibi nobis fiet juxtà verba ejus.

Quod hic Deus certiſſimus,
Promiſit in verbo bons,
  Jurans ſuum per nomen:
Id certius certo fiet,
Qui nos ut Angelos beet,
  Per Chriſtum Jeſum, Amen.

FERIA II. PASCHATOS.

Evangelium Luc. 24. v. 13. -- 35.

EXORDIUM.

NUrus ſummi Sacerdotis Eli, uxor Phinees, quæ prægnans erat, vicinaque partui: audito nuncio, quod capta eſſet arca Dei, & mortuus eſſet ſocer ſuus, & vir ſuus, incurvavit ſe & peperit: irruerant enim in eam dolores ſubiti. Cùm autem mors ipſi appropinquaret, dixerunt ei, quæ ſtabant circà eam: Ne timeas, quia filium peperiſti. Quæ non reſpondit eis, neque appoſuit cor ſuum. Et vocavit puerum Ichabod, dicens: Translata eſt gloria Domini de Iſrael, quia capta eſt arca Dei, 1. Sam. 4. v. 19. ſeqq.

Ubi in conſiderationem venit,

1. *Gravidarum & parturientium conditio dura.* Phinees vidua, præ nimiâ animi conſternatione, ante juſtum tempus parit, & in partu occumbit: Ita prægnantes & parturientes variis periculis & caſibus ſubjecti ſunt, & facilè quicquam accidere poteſt, quo aut illis aut fœtui damnum infertur. Ex hâc cauſſa prægnantes ſolicitè ſibi caveant, & ſedulò orent, ut Deus ſe & fœtum ſuum in tutelam ſuam recipiat, ne pavore, metu, lapſu vel alio modo in diſcrimen adducantur, & cauſſam habeant cum Rebeccâ querendi: Si mihi ſic futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Gen. 25. v. 22.

2. *Potissima piorum cura.* Phinees uxor non adeò angitur de obitu mariti & soceri, quam de arcâ Dei, quod illa de Israel translata, in manus Philistinorum pervenerat. Ita verus, maximè verò, moribundus Christianus, de nulla re magis sollicitus esse debet, quam de gloriâ Israelis, hoc est, vero Dei cultu, ut illum pro virili promoveat, ut Exempla Josuæ, Davidis, Hiskiæ, Josiæ, Nehemiæ, aliorumque Sanctorum Dei id docent, Jos. 24. v, 1. seqq. 1. Chron. 29. & 30. cap. 2. Reg. 20. & 23. Nehem. 1. seqq.

3. *Discipulorum Christi figura.* Uxor Phinees ex animo perturbata est, propter ablatam arcam Dei, quam gloriam Domini appellat, quo nomine & à Davide, Psalm. 26. vers. 8. & Assapho Psalm. 78. vers. 62. insignitur. Arca fœderis typus Christi fuit, ut constat ex Rom. 3. vers. 25. cum ille à furiosis Judæis Ethnicis traditus & cruci affixus, & postea à Josepho Arimathiæ terræ mandatus esset, discipuli ejus maximo mœrore percellebantur, non secus opinantes, quàm gloriam translatam esse de Israel. Sicuti duo ex illis, qui Emaus proficiscebantur, varia tristia colloquia hâc de re serebant. Ubi enim Christus illis apparuit, & caussam tristitiæ sciscitatus est, liberrimè animi sui sensa proferunt, dicentes: Translata est gloria Domini de Israel, Dominus gloriæ crucifixus est, 1. Cor. 2. v. 8. Jesum Nazarenum, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo: summi Sacerdotes & Principes nostri tradiderunt, in damnationem mortis, & crucifixerunt eum &c. Sicut S. Lucas paulò plenius indicat.

Nos methodo nostræ inservientes, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

CUm Jacobus Patriarcha à filiis suis certior redderetur, quod Josephus filius carissimus, quem dudum defunctum arbitrabatur, adhuc in vivis & Dominus totius Ægypti esset, omnem fidem illis derogabat, dimisit namque eum sermonem cor ejus, ut Moses meminit, Gen. 45. v. 26.

Idem evenit discipulis Christi, quibus piæ mulierculæ, quæ corpus Domini unctum iverant, die Paschatos, & ab Angelo satis de resurrectione Servatoris instructæ erant, hæc bona nova afferebant, quod Dominus verè resurrexisset ex mortuis: at illi in corde suo, mœrore nimio consternati, multò aliter sentiebant, & nuncium hoc ὡς λῆρος putabant. Interea duo ex illis, qui quidem non è numero Apostolorum, sed fortassis è LXX. discipulis fuerunt, siquidem alter Cleophas appellatur, Emmaus deambulatum eunt, quo sollicitudinem ex animo profligant. In viâ verò Jesus ipse è mortuis resuscitatus, in formâ peregrinâ ipsis apparet, qui quidem illis primò aperuit sensum ut intelligerent Scripturas, deinde se illis manifestavit, & ita fidem eorum, huc illuc vacillantem, valide confirmavit, ut prælecta Pericope pluribus indicat.

Querela respicit

I. *Nostram peregrinationem.* Non modò discipuli duo in Evangelio Emaus iter faciunt: sed & Servator ipsis adsociat sese, sine dubio in formâ viatoris, & comitem se illis adjungit. Quid obsecro vita nostra aliud, quàm continua peregrinatio, & quid homunciones nosmet aliud cujuscunque tandem loci & ordinis simus, quàm peregrinantes sumus? Quamprimum vitam hanc temporalem ingredimur nascentes, peregrinationem nostram inchoamus, eamque in morte tandem concludimus.

Probè hoc intellexit Patriarcha Jacobus, qui Pharaoni quærenti: quot sunt annorum vitæ tuæ? Respondit: Dies peregrinationis vitæ meæ sunt centum triginta annorum, parvi & mali, & non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt, Genes. 47. vers. 9. Cum quo consentit Regius Psaltes inquiens: Advena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei, Psalm. 39. vers. 13. & iterum: Peregrini sumus coràm te & advenæ, sicut omnes patres nostri, 1. Paral. 30. vers. 15. Quinimò omnes Sancti confessi sunt, se peregrinos & hospites esse super terram, Hebr. 11. v. 13.

Tales igitur cum simus, variis ærumnis & calamitatibus proposita est vita nostra. Viator nusquam fixam sedem habet, sed in continuo motu est, dum iter suum absolvat, licet via difficilis sit & iter periculosum. Quantis aëris injuriis, quot tempestatibus expositus est? modò æstu torretur, modò frigore infestatur, modò in discrimen vitæ & facultatum adducitur. Quodsi vesperi in hospitium divertitur, & levamen se inventurum putat, sæpè spes decollat, dum hospes morosus, imò quandoque prædator & latro est, ut nunquam majori lætitiâ afficiatur, quàm si molestias itineris superarit.

Non levioribus si non majoribus ærumnis subjecti sumus & ipsi in vitæ hujus peregrinatione: nullam enim requiem habet caro nostra, 2. Cor. 7. vers. 5. quotidiè nobis in curriculo nostro progrediendum: nullam hîc habemus civitatem permanentem, Hebr. 13. v. 14. Symbolum nostrum est, plus ultrà, per varias tribulationes eundum nobis, Act. 14. v. 22. Intrate per angustam portam, & arctam viam, necessitati quippè parendum erit, Matth. 7. v. 13.

Der schmale Weg ist Trübsal voll/
Den ich zum Himmel wandern soll.

Et quis omnes peregrinationis hujus miserias exponet? quis pericula explicabit? quis tempestates numerabit, quibus infestamur? Esa. 54. v. 11.

Quia igitur peregrini & viatores sumus, ne tanquam ad rem peregrinam obstupescamus, propter æstum, quasi novi aliquid nobis contingat, 1. Petr. 4. v. 12. sed sciamus, eandem passionem ei, quæ in mundo est, nostræ fraternitati fieri, 1. Petr. 5. vers. 9. qui non minus propositi sunt omnibus fortunæ telis, sicut & nos, neve recusemus, quo minus eâ, quâ nati sumus conditione vivamus, neve tàm graviter feramus eos casus, quos nullo consilio vitare possumus, eventisque aliorum memoriâ repetendis nihil

accidisse nobis novi cogitemus. Dicamus ergò: Iram Domini portabo, quia peccavi ei, Mich. 7. v. 9. Calicem salutis accipiam, & de nomine Domini prædicabo, Psal. 116. v. 13.

Illi proindè mortalium stolidissimi censendi sunt, qui hîc patriam suam quærunt, quod faciunt filii hujus seculi, qui figuram hujus mundi, quæ tamen præterit, 1. Cor. 7. vers. 31. tantopere in delitiis habent, ut in eâ summum bonum, & animi requiem quærentes, terrena cœlestibus, & transitoria æternis, præferant; & ita è peregrinatione patriam faciant. O stulti & tardi corde! Num conditionis vestræ obliti estis? Hospites estis, non inquilini?

- - - Scilicet omnibus
Quicunque terræ munere vescimur,
Enaviganda: sive Reges
Sive inopes erimus coloni.

Non habetis hîc civitatem permanentem, auditis? ergo futuram inquirite, Hebr. 13. v. 14. Ubi verò illa quærenda? ἐν οὐρανοῖς, inquit Paulus, ibi πολίτευμα nostrum est, Phil. 3. v. 20. Eò si anhelaverimus, hoc mundo ita utemur, tanquam qui non utuntur, 1. Cor. 7. v. 31. quin & omnes molestias & miserias vitæ hujus æquo animo ferentes, tandem anxiè beatam ἐυθανασίαν desiderabimus, dicentes cum Paulo: Cupio dissolvi, & esse cum Christo, Phil. 1. v. 23. Et cum Ecclesiâ:

HErr JEsu Christ/ meins Lebens Liecht/ etc.

II. *Crucis scandalisationem*, quâ & Sancti offendi quandoque possunt; Cleophas & comes ejus sponte confitentur, magnam se quidem de Christo spem cœpisse, quod Judæos è servitute & jugo Romanorum liberaturus esset: Jam verò spes eorum prorsus decollavit. Dominus & Magister eorum, nefariè trucidatur, hic nulla spes superest, nulla fides, ut credant Messiam esse. Prophetam quidem, qui potenter, non ut Pharisæi, docuerit, & præclara miracula ediderit, ipsum agnoscunt: at quod post mortem quemquam juvare possit, id planè absurdum videtur. Ut ita justam Christi increpationem, quâ illos reprehendit, satis promeriti sint.

Discimus autem hîc, miseros nos homunciones eodem modo affectos esse, ut Cleophas & comes ejus. *Sicuti res se dant, magni atque humiles sumus*, ait Terentius. Quando sine afflictione & periculo sumus, nec adversa valetudine, aut victus inopiâ laboramus, gaudio ovantes, in quiete nostrâ dicimus: Non movebor in æternum, Psal. 30. v. 7. tùm præsumtuosi cum Petro dicimus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, Joh. 6. v. 68. cum Assapho: Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram? Psal. 73. v. 25. Si Deus pro nobis, quis contrà nos? Rom. 8. v. 32.

Sit plenus orbis Dæmonum,
Qui nos vorare tendant,
Timebimus non admodum,
Nobis trophæa pendant.
Princeps in orbe,
Ringat furore,
Nihil nocebit.
Nam judicatus it,
A verbulo peribit.

Quando verò pauperie, morbis, & variis infor-

infortuniis impetimur, quando aut Christum deserere, aut facultates relinquere jubemur, quando vita & fortuna in discrimine versantur, ibi animis cadimus & tantum non desperamus, ita Christus planè occubuisse in corde nostro videtur, ut queruli ingeminemus: Usque quo Domine, oblivisceris mei in finem? usque quo abscondis faciem tuam à me? Psal. 13. v. 1. 2. Nunquid in æternum projiciet Deus, & non amplius placabilis erit? num finis erit omnino misericordiæ ipsius? Ps. 77. v. 8. 9. Hæccine vera Ecclesia, & Sponsa Christi esset, cui Magnates terræ potentissimi adeò infensi sunt eámque undique oppugnant? Et hoc scandalum in multis adeò invalescit, ut eo ipso subindè ad apostasian commoveantur, sic ut exempla multorum testantur. Et quia periculum est, ejusmodi tentationes & persecutiones, ob verbi contemtum, & ingratitudinem hominum denuò justo Dei judicio immissum iri, metuendum sanè, porrò adhuc multos à fide defecturos esse.

Accuratâ proindè cautione opus est, ne in securitate & præsumtione temeraria pergamus, & tempore tentationis offendamur. Qui stat, videat, ne cadat, 1. Cor. 10. vers. 12. Christus non temere ratione scandali nos præmonuit, inquiens: Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini, Joh. 16. v. 1.

Quodsi verò scandalum evitare velimus, devoto verbi auditu, frequenti S. cœnæ usu, & indefessa oratione muniamus nos: O Domine, averte à nobis naufragium fidei, 1. Tim. 1. v. 19. Domine adauge nobis fidem, Luc. 17. v. 5. Credimus Domine, adjuva incredulitatem nostram, Marc. 9. v. 24.

Laß mich kein Lust noch Furcht von dir/
In dieser Welt abwenden/ ꝛc.

III. *Christi simulationem.* Simulat se Christus ergà hos discipulos,

1. *Ut peregrinum.* Hoc pii quoque non rarò experiuntur; Christus se illis sæpè ut peregrinum simulat, lamentantur illi & clamant, & ipse non audit, multò minus suppetias fert. Hinc querelæ: *Exspectatio Israel, Salvator noster in tempore tribulationis: quare quasi peregrinus es in terrâ, & quasi viator declinans ad pernoctandum? Quare futurus es, velut vir obstupefactus, & fortis, qui non potest salvare?* Jer. 14. v. 8. Quodsi & tibi fortassis eò res redeat, mi Christiane! recordare quæso discipulorum Emmaunticorum, ergà quos Servator itidem peregrinum se simulavit: & tamen eventus probavit, sub peregrinâ hâc formâ summam ejus φιλανθρωπίαν, gratiam atque fidem deli tuisse, quam & tu confidenter sperare potes.

2. *Ut longius iturum.* q. d. Valete nunc, iter meum longius prostat, vos in vicum ite, & colloquium meum boni consulite. Non majus malum homini accedere potest, quàm si Dominus abscedat. Væ illis, cum ego discessero, ait ipse, Hos. 9. v. 12. Quomodo verò discedit?

1. *Quando verbum & Sacramenta sua ex Ecclesia auffert:* hoc modo discessit à Judæis, Act. 13. v. 46. à Capernaitis, Matth. 11. vers. 23. à Gergesenis, Matth. 8. v. ult. ut & à Corinthiis, Ephesiis, aliisque gentibus, imprimis vero à Romanis, apud quos quidem olim cum verbo & Sacramentis habitavit, quia vero ea spreverunt, recessit

ab illis, & Anti-Christo, Papæ & Mahometo reliquit illos.

2. *Quando homini in calamitatibus versanti solatium suum subtrahit*, hoc modo apparenter reliquit pium Jobum, ut ipse conqueritur: Mutatus mihi es in crudelem, & dura manu tua ostendis, te esse inimicum meum, Job. 30. v. 21. verè verò Judam, qui & solatio orbus desperavit, Matth. 27. v. 5.

3. *Quando benedictionem suam ab homine ejusq; actionibus tollit.* Hoc modo recessit à Saule, qui deindè nihil amplius feliciter gessit, 1. Sam. 16. v. 14.

Quia verò per peccata & impiam vitam Deus quasi à nobis propellitur, peccata quippè dividunt nos & Deum nostrum, Esa. 59. v. 2. Spiritus Sanctus disciplina effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, Sap. 1. v. 5 desistamus à malo, & discamus benefacere, Psal. 34. v. 15. Ne à Deo deseramur, & temporale atque æternum væ incurramus, quod improperatur talibus. Osea. 9. vers. 12.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex dulcissima Christi conversatione*, qua prosequitur amantes se.

Quamprimum discipuli hi Emauntici in via de Magistro suo, ex sincera caritate invicem colloquuntur, appropinquans comitem se illis adjungit, & iter facit cum illis. Idem hodierenus adhuc facit, estque cum fidelibus suis, non modo præsentia generali, de qua Paulus: Non longe est ab uno quoque nostrûm; in ipso enim vivimus, movemur, & sumus, Act. 17. v. 27. sed & præsentia gratiæ, ubi appropinquat ad nos, verbo & Sacramentis, quibus nos alit, roborat, & recreat. In specie verò libenter est cum mœstis & contritis corde, sicut hi duo discipuli, quibus se adsociat, pleni tristitiæ & mœroris fuerunt.

Nam juxtà est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: & contritos spiritu salvabit, Psalm. 34. vers. 19. Hoc præfiguratum est in hospitio Bethaniæ, nam Luc. 10. vers. 38. legimus quod Christus libenter Bethaniæ apud Lazarum, Martham & Mariam diverterit. Bethania verò domum tristitiæ notat, ubi multùm tristitiæ spiritus est, ibi Christus solatio suo præsens operatur, 2. Cor. 7. v. 10. Bethaniæ sorores plenæ dolorum sunt, Marthæ plenæ curarum, & Mariæ plenæ amaritudinis. Tamen & præsens est frater Lazarus, qui auxilium suum in Deo invenit. Christus igitur gaudio & solatio replet. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, Esa. 66. v. 13.

Quando igitur gratia & solatio suo nobis appropinquat, cum gaudio excipiamus eum, & præsentiam ejus exosculemur, præsertim, quia non solus venit, sed & Pater, qui cum eo unum est, Joh. 10. v. 30. & Spiritus sanctus, qui ab eo ab æterno procedit, cum eo venit, & ita SS. Trinitas nobiscum conversatur, quam & sequuntur S. Angeli, qui castra metantur in circuitu timentium Dominum, Psal. 34. v. 8. quæ tanta gloria est, quam verbis exprimere nunquam possumus.

II. Ex

II. *Ex Scripturæ perfectissimâ impletione.* O stulti, inquit, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? & incipiens à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturas, quæ de ipso erant.

Hîc Doctor ille eruditæ linguæ, omnes typos, dicta, vaticinia & promissiones V.T. quæ de ipso prædixerant, explicuit, & ad se & officium suum applicavit, idque adeò luculenter, ut manibus quasi discipuli hi palparint, de nemine alio, quàm de Jesu Nazareno intelligenda esse, eumque indubitatò verum Messiam esse. Sicut igitur promissiones & vaticinia omnia, quæ ad Christum collinearunt, ita impleta sunt, ut ne litera, nec apex defuerit: Ita quæ Deus ulterius promisit in verbo suo, de misericordia & adsistentia ergà fideles, de potentissima redemtione ex omnibus angustiis, de exauditione precum, de præmio bonorum operum gratuito &c. id omne certissimè quoque suo tempore implebitur. Non enim Deus homo est, qui mentiatur, Num. 23. v. 19. Rectum est verbum Domini, & omnia opera ejus in veritate, Psal. 33. v. 4.

III. *Ex gratiosissima Christi perseveratione.* Discipulis petentibus, ut secum maneat, exoratur, & orationi annuit. Ita non modò appropinquat fidelibus suis, sed quando illi præsentiam ejus exoptant, nec peccatis suis petulanter abigunt, perseverat cum iisdem omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. ult. discumbit cum ipsis; benedicit victui ipsorum, & largitur ipsis omnimoda dona bona & perfecta; cœnat cum illis, & illi cum ipso, Apoc. 3. v. 20. aperit quoque ipsis sensum, & oculos, ut ipsum cognoscant, & per hanc cognitionem vitam æternam consequantur, Joh. 17. v. 3. ut fidelis anima fiducialiter dicere possit:

Ob mir gleich Leib und Seel verschmacht/
So weistu HErr/daß ichs nicht acht/
Wann ich dich hab/ so hab ich wohl/
Was mich ewig erfreuen soll.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Bonis te adsocia.* In prælecto Evangelio, duo pii Christi discipuli comites sunt, non loquentes de rebus frivolis & otiosis, sed de innocente morte Servatoris sui: & ubi Jesus ipse comitem se illis adjungit, libenter cum illo conversantur, recensent ipsi argumentum colloqui sui, & tantâ voluptate ipsi auscultant, ut & cor ardens sit in ipsis, præ sancta devotione, ubi ipsis Scripturas interpretatur. Nonne idem & nos faceremus, dulcissimi Auditores! Nonne & nos pravo sodalitio renunciaremus, ipso præsertim Salomone nos præmonente: Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis, Prov. 24. v. 1. Non æmuletur cor tuum peccatores, Prov. 23. v. 17. Nonne & nos Sanctorum & piorum sodalitio gauderemus, cum quibus & ipsi sancti & pii sumus, ut Psalmus 118. v. 26. instruit. Illi enim spurcum sermonem ex ore suo non procedere sinunt: sed qui bonus est, ad ædifica-

ficationem necessitatis, ut det gratiam audientibus, Eph.4.v.29. nec in turpitudine aut stultiloquio, aut scurrilitate, quæ non decent, delectantur, Eph.5.v.4. sed in iis, quæ modesta, justa, casta, amabilia, & quæcunque bonæ famæ sunt, Phil.4. v.8. Potissimùm verò colloquuntur de verbo Domini, sive sedeant in domo suâ, sive ambulent in itinere, Deut.6.v.6. Col.3. v.16. loquuntur sibimetipsis in Psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, Eph.5.v.19. in cujus loquelæ certamine non modò sapientia, & præclaritas in communicatione sermonum ipsius, Sap.8. v.18. sed & gaudium in afflictione quà corporali, quà spirituali, Psal.119.v.92.

Ejusmodi pia colloquia probata sunt SS. Triadi, ut cum ejusmodi pio sodalitio libenter conversetur, ubicunque tandem locorum sit, sicut hîc Christus præsentia suâ discipulis Emaunticis indicat. Nec minus volupe est sanctis Angelis cum talibus conversari, sicut ex adverso cum impiis Cacodæmones habitant, & in turpiloquio eorum delectantur.

In omnibus sermonibus nostris recordemur verborum Servatoris: Dico vobis: quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die judicii, Matth.12.v.36. Quid verò verbum otiosum sit explicat Hieronymus his verbis: *Otiosum verbum est, quod sine utilitate loquentis, & audientis dicitur.* Quantò magis igitur de blasphemiis, execrationibus, calumniis, turpiloquiis, aliisque execrandis sermonibus ratio reddenda erit?

II. *Ingruentem vesperam considera.* Duo hi discipuli Emmauntici dicunt: Domine advesperascit. Ubi quidem vesperum naturalem illi intelligunt, siquidem addunt: & inclinata est jam dies, h.e. Sol occidit, nox tenebrosa, quæ nemini amica, irrumpit. Verùm tàm Veteres, quàm Recentiores Ecclesiæ Doctores hæc verba applicarunt,

1. *Ad universalem vitæ vesperam.*
2. *Ad cujusquè vitæ vesperam.*

Utique *mundi vespera* ingruit, 1. *In Choro*, ubi exterius persecutiones, interius hæreses & schismata indies invalescunt, quæ luculenta vesperæ ingruentis indicia sunt, sicuti constat ex Matth. 24. v. 9. 11. 24. 1.Tim.4. v.1. 2.Tim.4. v.3. 2.Petr.2. v.1. 1.Joh.2.v.18.

2. *In Foro*, ubi exterius nil nisi prœlia & rumores prœliorum, interius verò nil nisi injustitia & violentia audiuntur, ex quo rursus Servator instantem mundi vesperam nobis prædicit, Matth.24. v. 6. 7.12.

3. *In Thoro*, ubi exterius magnæ & inauditæ pressuræ, quibus tàm pacis quàm belli tempore homines gravantur, interius verò discordiæ conjugum, inobedientia liberorum & famulitii, commerciorum difficultas, & alia ejusmodi plura invaluerunt. Maximè verò caritas in multis refriguit, nulla fides nulla integritas amplius reperitur, quin & nulla æquitas porrò attenditur. Ex quo iterum sapiens quisque deprehendere valet, mundi vesperam adesse, quia omnes quasi creaturæ nobiscum ingemiscunt: Advesperascit, Rom.8.v.19. seqq.

Sed & *vespera vitæ humanæ* attendi meretur, quæ ingruit, quando calor nativus

cum humido radicali exspirat; ut non calefias, licet vestibus operiaris, ut David, 1.Reg.1.v.1. quando oculi caligant, ut in Isaaco, Gen. 27.v.1. quando sensus vigorem amittunt, ut in Berzellai octonario, 2.Sam.19.v.35. quando Medicus multum laboris in curando morbido corpore insumit, Sir. 10.v. 11. Nihil aliud expectari potest, quàm vespera vitæ. Imò, cujuscunque tandem homo loci & ordinis sit, juvenis sive senex, sanus aut æger, robustus vel debilis, dives vel pauper, doctus vel indoctus, singulis horis & momentis vitæ vesperam expectet necesse est. Statutum quippè est homini, semel mori, Hebr. 9. v. 27. Quando verò hoc futurum sit, nemini constat; Nescit homo tempus suum, Eccles.9.v.12. Breviter: Quod tàm universalis mundi, quàm specialis vitæ vespera instet, omnibus nobis exploratum est: quando verò hora irruptura sit, omninò ignoramus, hoc enim Pater posuit in sua potestate, Actor.1.v.7. In omnibus ergò operibus tuis memorare novissima, & in æternam non peccabis, Sir. 7. v. ult.

III. *Ardentibus precibus Jesum invita.* Hoc faciunt duo hi discipuli Emmaunici, qui ita JEsum solicitant: Mane nobiscum Domine, quia advesperascit.

Quodsi Christus se simulat, vel omninò in procinctu est longius ire & à te recedere, cum gratiâ, solatio, verbo, & Sacramentis suis in hâc mundi vesperâ, vel in vespera vitæ tuæ, ipsa planè necessitas requirit, ut eum sollicites, imò cogas, ut Emmauntici fecerunt. Sicut enim Jesus noster verbo, Sacramentis & benedictione sua, Judæis, Ephesiis, Romanis, Sauli aliisque à quibus discessit, alligatus non fuit: sic nec tibi & mihi, imò nobis omnibus alligatus minimè est. Ubi Judaica, gentilia & id generis peccata alia regnant, ibi discedere ipsum non mirum est. Hoc prævertas velim, humili peccatorum tuorum agnitione, sedulâ verbi ejus meditatione, & vita piâ atque Christiana: sollicita eundem devota & incessabili precatione, inquiens:

Vespera jam venit, nobiscum Christe, maneto:
Exstingui lucem ne patiâre tuam.

Non dimittam te nisi benedixeris mihi, Genes. 32.v.26. Sic obsequiosum se tibi exhibebit, & tecum manebit in vita & in morte, in prosperis & adversis, quin & in extremo judicio. Fiat id per Christum, Amen.



FERIA

FERIA III. PASCHATOS.

Evangelium Luc. 24 v. 36. -- 47.

EXORDIUM.

CUm Noa, præco ille justitiæ post diluvium columbam emisisset ex arcâ, ut videret, an jam cessassent aquæ super faciem terræ, illa venit ad eum ad vesperam, & ecce folium olivæ, decerptum in ore suo. Intellexit ergò Noë, quod cessassent aquæ super terram, Gen. 8. v. 10. 11.

Hanc historiam tàm Veteres quàm Recentiores Theologi ad Christum applicarunt.

1. Hæc Noë columba erat avis mansveta, quæ à Noa capta & emissa & circa vesperam reversa est. Sic & Servator noster mitis & mansvetus est, ut ipse ait: Discite à me, quia mitis sum, Matt. 11. 27. Emittebatur quoque à Patre cœlesti. Ecce, inquit, venio, in volumine libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, Psal. 40. v. 10. A Judæorum cohorte capiebatur, Matth. 26. v. 50. & ad vesperam vitæ temporalis revertebatur ad patrem suum, ut ipse dicit: Nunc vado ad eum, qui misit me, Joh. 16. v. 5.

2. Columba Noë ex arcâ evolabat in campum, hinc & inde vagans dum circa vesperam reverteretur. Sic & cœlestis columba Christus Jesus aliquot distinctos volatus fecit. E cœlo, & è sinu Patris, in uterum Mariæ Virginis volavit, exinde in Bethlehem, ubi natus, hinc in Ægyptum, & inde Nazaretham. Pòst baptismum, volatum fecit in desertum: tempore Ministerii hinc inde volavit per totam Judæam & Galilæam. E horto Gethsemane perducitur in Palatium Hannæ, inde in Palatium Caiphæ, hinc in Prætorium Pilati, inde in aulam Herodis, & hinc vicissim in Prætorium, donec ad crucem, & à cruce in sepulchrum, è sepulchro vicissim in terram, & tandem super omnes cœlos ad dexteram Patris sui se evexit.

3. Columba Noë non fœtida cadavera, ut immundus corvus, sed oleas virentes persecuta est. Servator noster JEsus similiter non delectatur peccatorum cadaveribus, quæ ipsi abominatio sunt, Prov. 15. v. 9. & horret, Hos. 6. v. 10. Sed ut Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, Hebr. 7. v. 26. Esa. 53. v. 9. Ita in innocentiâ, obedientia, & perfecta sua justitiâ, produxit fructus virentes & permanentes: & libentissimè conversatur cum piis, qui ut virentes oleæ in domo Domini germinant, Psal. 92. v. 15. Psal. 52. v. 10.

4. Columba Noë pòst diluvium in arcam revertebatur, ferens folium olivæ in ore suo: Sic & Servator noster pientissimus pòst diluvium sanguineæ Passionis circa vesperam diei Paschatos, ad discipulos suos redit, qui in domo, quasi in arcâ conclusi erant, & affert ore suo dulcissimo, folium olivæ gratissimum, PAX VOBIS, certissimo indicio, aquas iræ divi-

divinæ fluctuantes, nunc cessare, & pacificasse ipsum omnia per sanguinem crucis suæ per seipsum, Col. 1. v. 20.

Nos Instituti nostri memores, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

PIi Veteres omnem diligentiam adhibuerunt, quo simplicioribus historiam Resurrectionis Dominicæ probè inculcarent; quâ de causa tres distinctas historias, quæ omnes uno die factæ sunt, populo explicandas ordinarunt: ut quomodo mulierculis primâ feria, discipulis Emaunticis feria secunda, & discipulis congregatis redivivum se exhibuerit tertia feria, publicè ad populum traderetur; quò ita Magnalia Dei & ejus beneficia rectè expenderentur, & fructus resurrectionis Christi, qui sunt justitia & pax, singulis innotescerent.

Sicut igitur duas priores historias & apparitiones heri & pridiè explicavimus, ita nunc operæ pretium nos facturos putamus, si tertiam quoque expendamus.

Querela respicit

I. *Spectrorum terriculamenta.* Dum Servator noster contrà expectationem discipulorum subitò & inopinatò fores transit, & in medio discipulorum consistit, conterrentur illi, existimantes se Spiritum videre; hinc consolatur ipsos Christus, inquiens: Quid turbati estis?

Quod spectra sint, id planè exploratum est, tàm ex Scripturâ, ubi expressè spectrorum, Sap. 17. v. 3. Tob. 6. v. 8. Matth. 14. v. 26. Marc. 6. v. 46. Satyrorum, Dæmoniorum & Ohim mentio fit, Levit. 17. v. 7. 2. Chron. 11. v. 15. Esa. 13. v. 20. quàm ex historia profanâ, nec non ex ipsa experientia rerum magistra. Sicut in specie existentia eorum, è prælecta Pericope sufficienter patet. Non enim modò Apostoli, Christo apparente, conterrentur, existimantes se Spiritum videre: sed & Christus ipse spectra existere, his verbis innuit: Spiritus carnem & ossa non habet. q. d. Si carne & sanguine carerem, causam haberetis, me tanquam spectrum horrescere: quia verò carne & sanguine præditus sum, certò hinc colligere potestis, me spectrum non esse.

Sunt autem spectra duorum generum, nonnulla boni, nonnulla mali Spiritus sunt. Illa spectra, quæ bona, ad Dei gloriam & hominum salutem tendentia annunciant, boni Spiritus & à Deo missi censendi sunt, sicut visio, quam Eliphaz Themanites, & vir Macedo, quem Paulus in visione per noctem, viderunt, Job. 4. 14. Actor. 16. v. 9. quando verò talia afferunt, quæ Deo ejusque verbo repugnant, & idololatriam aliaque peccata & flagitia stabilitum eunt, Spiritus maligni sunt, à Diabolo missi, imò Diabolus ipse, qui Pater mendacii & homicida est, Johan. 8. v. 44. cujus farinæ hodiè omnia spectra sunt.

Equidem non ignoramus, simpliciores, superstitione vel simplicitate præventos, aliter de spectris judicare, & illa animas defunctorum esse, opinari: sed hic error è Papatu irrepsit, in quo ille publicè adstrui-

ferant; dubitare de veritate, quâ resurrectionem ipsis prædixerat; de omnipotentiâ, vi cujus ex mortuis resurgere poterat; de omniscientia, quâ solicitudinem & conturbationem eorum exploratissimam sibi habebat; de omnipræsentia, juxtà quam omnibus in locis præsens erat; de gloria corporis clarificati, quo omnes januas, vectes & seras perrumpere valet.

Sed non modò Apostoli, verùm alii quoque ejusmodi opinionem sæpe de Servatore suo concipiunt, ut eundem velut spectrum, vel terriculamentum sibi imaginentur, à quo nil nisi iram, indignationem & damnationem expectare possint.

Quod non tantùm à Pontificiis fit, qui merito ejus rejecto, vel opera sua articulo justificationis immiscere satagunt, vel B. Mariam tanquam fontem misericordiæ salutant, & ab ejus uberibus pendere non dubitant. Sed & inter nos non pauci reperiuntur, qui tempore tentationis Christum ut spectrum & Spiritum terroris sibi imaginantur, quando recordantur magnitudinem & multitudinem peccatorum, quibus Christum offenderunt, quasi meritum ejus nihil ad se attineat, non sufficiat, seque planè à gratiâ ejus abjectos esse.

Quot de veritate ejus dubitant, utrum promissiones ejus ad se pertineant, & illas in se implere velit? Quot de Omnipotentia? quot de Omniscientia! quot de Omnipræsentia dubitant, vel tantùm non desperant?

Verùm mi Christiane! quando Diabolus tela hæc ignita in cor tuum torquet, confortare in Domino, & in potentia virtutis ejus. Indue armaturam Dei, ut possis stare adversus insidias Diaboli, Eph. 6. v. 10. 11. resiste illi solidus in fide, 1. Petr. 5. v. 9. dicens: O Satana! optimè novi te. Tu Spiritus terroris es, non Jesus meus! Hic non spectrum, non Spiritus pavoris, non irreconciliabilis judex & vindex, non Spiritus mendax est, sed Jesus & Salvator meus, Matth. 1. v. 21. Deletor iniquitatum mearum, Esa. 43. v. 25. propitiatorium meum, Rom 3. v. 25. propitiatio mea, 1. Joh. 2. v. 2. quî de gratia ejus desperarem, cum tamen traditus sit propter delicta mea, & resuscitatus, propter justificationem nostram? Rom. 4. v. ult. quomodo de promissionibus ejus ambigerem, cum veritas ipsa sit? Joh. 14. v. 6. Cur de Omnipotentia ejus, ubi potestatem habuit ponendi animam, & potestatem habuit, iterum sumendi eam? Joh. 10. v. 18. quare de sapientiâ ejus, cùm in ipso omnes thesauri scientiæ & sapientiæ absconditi sint? Col. 2. v. 3. cur de præsentia gratiæ, cum promiserit se mecum futurum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi? Matth. 28. v. 20. & cur eum horrescerem, qui omnem animi perturbationem, pusillanimitatem omnem ex animis propulsat, inquiens: Quid turbati estis? & se ut Consolatorem & Salvatorem exhibet.

III. *Fastidiosorum auditorum deliramenta*, quæ Christus hoc ipso infringit, & redarguit, quod in utraque apparitione, & Emauntica, & Hierosolymitana de unâ eademque materia, nempè de morte & resurrectione sua concionatur, & vaticinia Mosis & Prophetarum, quæ de illa agunt, ipsis explicat.

Multi Auditorum nostrorum Atheniensium genio præditi sunt, qui ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi, Act. 17. v. 21. Quodsi singulis diebus novus Ecclesiastes in suggestum adscenderet, & ampullas atque sesquipedalia verba projiceret, vel Pastores ordinarii amœnas historias, facetas fabulas & quæ auribus jucunda sunt proferrent, hos procul dubio admirarentur, atque in deliciis haberent homines: quia verò simplicitati studentes, nihil sciunt, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum, 1. Cor. 2. v. 2. nec piget eadem inculcare, Phil. 3. v. 1. & fidei semel Sanctis traditæ mentionem facere, Jud. v. 3. pro tautologis illi habentur, qui eadem prædicantes Auditoribus nauseam pariant. Hi prurientes auribus sunt, ut Paulus eos vocat, 2. Tim. 4. v. 2. qui ad exemplum Israelitarum peccant, qui tædio afficiebantur Mannæ, quod Deus ipsis de cœlo mittebat, & panis Angelorũ nominatur, Psal. 78. v. 27. unde sine propudio dicebant: *Anima nostra jam nauseat, super cibo isto levissimo*, Num. 21. v. 5.

Sicuti verò nausea ista Israelitis malè cessit, siquidem Deus missis serpentibus ignitis contemtum vindicavit, ut morsu eorum necarentur aliquot millia: Ita certè Deus justissimus auditores ejusmodi tædiosos, qui verbum ejus sanctissimum, in quo tamen vivitur, & in quo vita Spiritus nostri est, Esa. 38. v. 16. ceu manna spirituale, & panem Angelorum spernant, non impunitos sinet. Quin & anima ejus super illos, tanquam prævaricatores vanissimos, Psal. 25. v. 3. nauseabit, immissurus illis serpentes ignitos, ignem belli, ignem pestilentialem, & ignem exitii; maximè verò serpentes ignitos tanquam stimulos conscientiæ, & ignem infernalem, ubi vermis eorum non morietur, nec ignis eorum exstinguetur, Esa. 66. v. 24.

Quilibet proindè verbi contemtum studiosè caveat, ne certissimam pœnam incurrat: quodsi enim verbum Dei ejusque iterata repetitio utilis non foret, Christus, ut Doctor eruditæ linguæ ea usus minus fuisset.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex iterata Christi apparitione.* Postquam enim ille è mortuis resurrexit, quadraginta illis diebus ante adscensum suum in cœlos, subinde discipulis suis & fidelibus se exhibuit. In specie verò die Paschatos mane apparuit sanctis fœminis: post meridiem Cleophæ ejusque comiti: Vesperi verò reliquis Apostolis, Hierosolymis congregatis & conclusis.

Unde non exigua consolatio nobis resultat. *Primò* enim hoc ipso confirmatur Articulus de resurrectione ejus, quo de justitia nostra & plenaria propitiatione cum Deo certiores reddimur, Rom. 4. v. 25. cui nostra resurrectio annexa est, ut ipse testatur, inquiens: Ego vivo & vos vivetis, Joh. 14. v. 19.

Secundò. Conturbati discipuli non modo efficaci solatio eriguntur hac Christi apparitione, de quo omnem spem abjecerant: sed & nos certissimi reddimur, si & nos Jesum nostrum diligamus, & desiderio ejus flagremus, quod nos ophanos non derelicturus, sed in maximis calamitatibus nobiscum futurus sit, vi promissionis, Psal. 91. v. 14. 16.

Tertiò

Tertiò. Triplici hac apparitione Christi, præfigurata est gratiosa ejus apparitio respectu fidelium in his terris. Ut enim mane, post meridiem, & vesperi suis apparuit die Paschatos: Ita quoque hodietenus nobis præsto est,

1. *Mane in vita ingressu*, in baptismo, ubi secundum misericordiam suam salvos nos facit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, Tit. 3. v. 5.

2. *In meridie & progressu vitæ* nostræ, in Ministerio verbi, juxta quod nobiscum esse vult, usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. 20.

3. *Vesperi in vita egressu*, in hora mortis & extremo judicio, quæ ultima apparitio lætissima & beatissima erit, ubi liberat nos ab omni malo corporis & animæ, & salvos facit, in Regnum suum cœleste, 2. Tim. 4. v. 18.

II. *Ex pacis restitutione.* Prima vox ejus, qua mœstos discipulos alloquitur, est, Pax vobis! quo omnimodam ipsis salutem apprecatur, instar blandissimi patris, qui è peregrinatione domum redux, filios suos salutat, & variis donariis oblatis, cum illis se oblectat.

Idipsum facit Christus Servator, æternus noster Pater, Esa. 9. vers. 6. is aliquot dies à discipulis, quos filiolos suos appellat, Joh. 13. v. 33. per tenebrosam mortis vallem in sepulchrum profectus erat: Remeans igitur ad filios suos, humaniter eos salutat, exhilarat præsentia sua gratiosa, distribuitque illis donarium, quod pax est. Pax vobis! hoc est, affero vobis pacem. Qualem pacem? non externam & terrenam: Sed spiritualem, internam, divinam conscientiæ pacem; quomodo ipse eam explicat, dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis, Joh. 14. v. 24. propterea hæc pax, pax Dei vocatur, quæ exuperat omnem sensum, & custodit corda nostra, & sensus nostros, Phil. 4 v. 7.

Per lapsum Adami inimici Dei, Rom. 5. v. 10. & natura filii iræ facti sumus, Eph. 2. v. 3. peccata enim nos & Deum nostrum diviserunt, Esa. 59. v. 2. hinc maledictione legis nos devovit, Galat. 3. v. 10. Deut. 27. v. 26. Diaboli potestati nos permisit, Joh. 8. v. 44. & morti nos tradidit, quæ stipendium peccati est, Rom. 6. vers. 23. nec non æternæ damnationi, Apoc. 21. v. 8. 2. Thess. 1. v. 9.

Verum ex mera gratia nostrûm misertus, donavit nobis Filium, cum adhuc inimici essemus, Rom. 5. v. 8. qui vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, Esa. 53. v. 5. Pacem habemus supra nos cum Deo, Rom. 5, vers. 1. Col. 1. v. 20. Pacem in nobis, Joh. 16. v. 33. Rom. 8. v. 1. Pacem extra nos, 1. Cor. 4. v. 12. Rom. 5. v. 3. Pacem circa nos, Act. 4. v. 32. 2. Cor. 13. v. 11. Pacem infra nos, Os. 13. v. 14. Pacem hîc temporaliter, & ibi in æternum, Esa 32. v. 18.

III. *Ex Evangelica concione*, de quâ Christus: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus, pœnitentiam & remissionem peccatorum, in omnes gentes.

Hic egregius resurrectionis Christi, & antecedentis passionis fructus, quod hominibus, sub onere peccatorum & iræ divinæ decumbentibus, & usque ad infernum

depressis annunciatur: 1. *Medium*, quo gratiæ Dei, & efficaciæ meriti Christi compotes fieri possunt, quod nihil aliud est, quàm pœnitentia, cujus partes sunt contritio, fides, & nova obedientia. Quàm infelices igitur Diaboli sunt, qui salutari hoc medio destituuntur, & sine spe salutis damnationi addicti sunt: tàm felices nos è diametro sumus, quibus gloriosissimus Servator noster, pœnitentiam annunciari sinit, per quam enormis peccator Manasses remissionem peccatorum consequitur, Manass. Orat. vers. 2. Felicissimi verò sumus, si pœnitentiam non modo audiverimus prædicari, sed & fecerimus. Hæc prima resurrectio est. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem, Apoc. 20. v. 5. 6.

Non verò tantum pœnitentia prædicatur, sed & 2. *Remissio peccatorum* in nomine Jesu Christi. Quid enim prodesset peccatori, quod ille pœnitentiam ageret, si non & remissionem peccatorum acciperet, & in damnatione remaneret? Sed hîc ex ore dulcissimo Servatoris nostri audimus, quod pœnitentia, & remissio peccatorum arctissimè unita sint: & peccator serio de peccatis dolens, in Christum credens, & fructus pœnitentia dignos ferens, cum Deo per Christum reconciliatus, & omni peccatorum reatu absolutus sit. Id quod exemplo prodigi filii, sole meridiano clarius elucescit, Luc. 15. v. 18. seqq.

Sed quid prodesset mihi, si pœnitentia & remissio peccatorum Petro, Paulo, & reliquis Apostolis, non verò mihi in specie annuntiaretur? Hoc modo Christi passio & resurrectio parum mihi prodessent. Ergò hic Christus in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum *in omnes gentes* prædicari jubet, ne quis dubitandi locus superesset. Non enim personarum acceptor ille est, Act. 10. v. 34. & conclusit omnia in incredulitatem, ut omnium misereatur, Rom. 11. v. 32. Si igitur vel maximus peccator in mundo essem, tamen pœnitentia & remissio peccatorum ad me pertinent.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt,

I. *Scriptura fundamento nitere.* Quando Christus de passione & resurrectione suâ discipulis prædicat, ablegat eos ad Scripturas & fundamentum fidei illis ostendit in scriptis Mosis & Prophetarum, & tandem ita concludit: οὕτω γέγραπται.

Quotiescunque igitur articulus fidei in controversia versatur, tu horum verborum reminiscere. Quod si Pontificii justitiam propriam, & operum meritum adstruere satagunt: tu dic: οὕτω γέγραπται: Nisi abundaverit justitia vestra plus, quàm Pharisæorum & Scribarum, non potestis ingredi in Regnum cœlorum, Matth. 5. v. 20. Luc. 17. v. 10. Eph. 2. v. 8. 9.

Quando invocationem Sanctorum stabilitum eunt, similiter ai: οὕτω γέγραπται: Dominum Deum tuum adorabis, & illi

illi soli servies, Deut.6.v.13. Matth.4.v.10. Apoc.19.v.10. c.22.v.8.

Quando calicis prohibitionem defensuri sunt, iterum dic: οὕτω γέγραπται, Accipite, & comedite, hoc est corpus meum: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus. Et biberunt ex illo omnes, Matth. 26.v.26.27. Marc.14.v.23.

Quod laicus Scripturam interdicunt, regere iterum: οὕτω γέγραπται: Scrutamini Scripturas, illæ enim sunt, quæ testimonium perhibent de me, Johan.5. vers. 39.

Sic in omnibus fidei controversiis tanquam ad sacram anchoram confugere potes, cum Petro dicens: Habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui rectè facimus attendentes, 2. Petr.1.v.19.

Pari modo, quando Diabolus mundus & caro te ad peccata, superstitionem, dubitationem, desperationem, pusillanimitatem, impatientiam, & inobedientiam instigare volunt, hoc, οὕτω γέγραπται, amplectere. Ita scriptum est: ita Deus in verbo suo præcepit, ita vitam meam instituam. Hoc verò prohibuit, hoc omittam. Hoc mihi promisit, hanc promissionem amplectar, nec unquam latum unguem ab ea recedam.

II. *Mæstos consolare.* Hoc fine inter alia Christus apparet, ut discipulis in angore constitutis tristitiam eximat, & consolatione eosdem reficiat, quod verbis amicis, blandis gestibus & operibus amoriferis abundè fecit, ad nostram instructionem, ut & nos sollicitas mentes salutari solatio erigamus: idque

1. *Illos in miseria visitando*, quod amici Jobi fecerunt, qui audientes omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, ut visitarent eum, & consolarentur, Job.2.v.11.

2. *Verbis amicis compellando*, & solatium ex verbo Dei suggerendo, quod lætificat animas, Psal.19.v.8. sicut David experientia edoctus confitetur, Psal.94.v.19. Psal.119.v.50.92.

3. *Blandis gestibus & operibus illis obviando*, ut illos pro re nata in convivium adhibeamus, manus & pedes illis ostendamus, per promtum auxilium & obsequium, quod Jobum fecisse legimus, qui verè de seipso gloriori potest: Si negavi, quod desiderabant, pauperibus, & oculos viduæ deficere feci, Job.31. vers. 16. seqq.

III. *Christi corpus resuscitatum intuere.* Christus inquit ad discipulos suos: Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum.

Sicut igitur Servator noster fundamentum resurrectionis nostræ est: Ita & nos in generali resurrectione easdem manus, eosdem pedes & membra recuperabimus, quæ hic habuimus, eodem quoque corpore vestiemur, quo hîc vestiti fuimus, ut dicturi simus: Ego ipse sum, videte manus meas, & pedes meos.

Videamus proindè, ne regnet peccatum in mortali nostro corpore, ut obediamus ei, in concupiscentiis ejus: neque exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo, Rom.6. v.12.13. Ne aliquando manus & pedes nostri ruborem incutiant nobis dicturis: Ego ipse sum, ille idololatra, blasphemus, execrator, sabbathi prophanator, latro, homicida, adulter, fur, avarus, calumina-

tor

Sicuti enim Moses omni gloriæ, divitiis & voluptatibus renunciavit, negavitque se filium esse Pharaonis: ex adverso verò elegit affligi cum populo Dei, sustinens invisibilem, tanquam videns, & in Messia confidens, gloria vitæ æternæ, & electorum beatitudine se confirmavit, cujus respectu omnia terrena susque deque habuit:

Ita pii humanæ gloriæ, mundanisque facultatibus, quibus in spirituali Ægypto frui possent, sua sponte valedicunt, magis cum Christo opprobrium eligentes, ut in altero seculo cum illo regnent, quàm ut cum filiis hujus seculi in felicitate degant, & aliquando ad opprobrium sempiternum resuscitentur, Dan. 12. vers. 2. & libertate gloriæ filiorum DEI careant, Rom. 8. vers. 21. malunt carere thesauris in terra, quam thesauris in cœlo, Matth. 6. vers. 20. diligunt magis gloriam Dei, quam gloriam hominum, Joh. 12. v. 43. Optimè intelligunt, mundanum gaudium & gloriam, tantum temporalem peccati jucunditatem esse, ideo non diligunt mundum, neque ea quæ in mundo sunt, 1. Joh. 2. v. 15. Breviter: adspiciunt cum Mose in remunerationem. Quæ in illis terrenorum oblivionem inducit, & animum ad cœlestia inflammat, dum ex Ægypto hujus mundi in cœlestem Palæstinam introducantur.

Hoc solatio Servator discipulos suos contrà perturbationem, persecutiones & miserias confirmat, proponens ipsis futuram remunerationem, quam cum Mose intueri, & in domo Patris cœlestis expectare debeant, quando rediturus sit, eosdemque assumturus, ut ubi ipse sit, & illi sint.

Nos Instituti nostri memores videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Diligit Deus populos, inquit Moses in cantione sua valedictoria; & hâc ratione ardentissimam Dei caritatem nobis commendat.

Quod verò hîc Moses de dilectione Dei in genere canit, id in specie applicari potest ad secundam Trinitatis personam Christum θεάνθρωπον. Diligit & ipse populos, quod prælecta Pericope satis probat.

Querela respicit

I *Nostram in profectu Christianismi oscitantiam*, quam & Thomas & Philippus petitione & quæstione sua satis indicant. Non modo Thomas & Philippus, sed & reliqui Apostoli aliquamdiu scholam Christi frequentarant, & ex ore ejus multas præclaras conciones, de persona, officio & beneficiis ejus perceperant, quo ipso in doctrina sufficienter instrui, nec contemnendum fidei fundamentum ponere potuissent: Verùm oscitantiam eorum, ipsi testantur, siquidem Thomas sine propudio ait: Domine, nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire? Philippus verò dicit: Domine; ostende nobis Patrem & sufficit

kkkk nobis?

nobis? ut justam propterea Christi increpationem incurrat; dicentis: Tanto tempore vobiscum sum, & cognovisti me. Tales ignorantiæ fratres olim Judæi erant, ad quos Paulus scribit: Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit, non cibo solido &c. Ebr. 5. v. 12.

Inter nos hodiè non minor negligentia reperitur, ut ita reprehensio Christi & Pauli non immerito in nos quadret.

Beneficentissimum sanè Numen nos Germanos præ aliis gentibus gratia sua prosecutus est, dum in mundi hujus vespera lucem verbi sui inter nos accendit, & Ministerio electi sui organi B. Lutheri sacra Biblia in vernaculam transferri curavit, ut ita verbum non modò legere, sed & audire queamus, dum dat Dominus Evangelistas magno exercitu, Psalm. 68. vers. 12.

Omne consilium suum annunciavit nobis Deus, nihilque subtraxit utilium, quo minus annuncietur nobis, & doceatur publicè & per domos, Actor. 20. vers. 20. 27. Hìc sanè æquum foret, cognoscere, eorum verborum, de quibus erudimur, veritatem, Luc. 1. v. 4. ut sciamus, quæ spes sit vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus, in nos, qui credimus, secundum operationem potentiæ virtutis ejus, Ephes. 1. v. 19. Verùm plurimi, ubi magistri debebant esse propter tempus, rursum indigent, ut doceantur, quæ sint elementa exordii sermonum Dei, licet decem, viginti, triginta, quadraginta annos, plus minus à verbi præconibus instructi sint, semper discentes, & nunquam ad agnitionem veritatis pervenientes, 2. Tim. 3. v. 7. quo fit ut pueri centum annorũ inveniantur, qui vitam suam in turpi hac ignorantia concludunt, Esa. 65. vers. 20. qui ita blasphemare faciunt inimicos nomen Domini, 2. Sam. 12. v. 14. siquidem Nuncius Pontificius Carolus Caraffa, in Germania sacra restaurata, scribere non dubitavit: Lutheranos Doctrinam fidei, uti non valdè scrutantur, ita non multum curare: quod tamen multo æquius de Papisticâ Ecclesia asseruisset.

Quales verò hi Christiani censendi sunt? Sanè, sicut neminem artificem vel opificem rectè vocaveris, qui artem non didicit, & callet: sic neque Christiano nomine appellari potest, qui fundamenta doctrinæ Christianæ non didicit, sed in feram usque senectutem in ignorantiæ luto hæsitat, Ejusmodi homines multifariam delinquunt,

1. *Adversus Deum*, per inobedientiam & ingratitudinem, dum admonitiones ejus, ad sedulum Scripturarum scrutinium, meditationem verbi ejus, & crescendum in gratia & cognitione Jesu Christi, Joh. 5. v. 39. 2. Petr. 3. 18. impiè vento tradunt, & ita gratiam oblatam rejiciunt.

2. *Contrà proximum*, cui oscitantia sua scandalum præbent, Zelum diligentium Christianorum spernunt, negligentiam verò oscitantium roborant, adeoq; omnibus offendiculo sunt.

3. *Contra seipsos*, dum nomine Christianorum indignos se reddunt, & adversariis, qui

qui majori discendi zelo pollent, se prostituunt: omni præsidio contrà spirituales & corporales hostes se privant, præcipitant se in periculum apostasias, quæ in illis facilè fieri potest: superinducunt iram Dei in se, & in tribulationibus salutari solatio carent. Breviter, æternæ salutis jacturam faciunt, & in damnationis barathrum se præcipitant. Meritò igitur socordiam ejusmodi vitemus, & Christianismi accuratiorem curam geramus.

II. *Via ad cœlum ignorantiam.* Domine, ait Thomas, nescimus, quò vadis, & quomodo possumus viam scire?

Quod Thomas de se & Collegis suis sponte confitetur, idipsum naturaliter in nobis quoque reperitur, quod nimirum naturâ, & ex viribus liberi nostri arbitrii viam ad cœlum invenire nequeamus. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicatur, 1. Cor. 2. v. 14. Et nisi S. Scriptura viam ostenderet, in perpetuum æternâ salute excluderemur.

Et licet Diabolus nullum non lapidem moverit, quo notitiam hanc in animis hominum obliteraret, sicut persuasu ejus, Epicurus cum asseclis non aliam, post hanc, vitam credidit: attamen non omnino ei successit, siquidem, plerique hominum animas immortales esse, & post hanc vitam benè aut malè degere, censuerunt. Sicut & Gentiles multa suaviter de campis Elysiis bonorum, & infernali cruciatu malorum reliquerunt.

Nec facilè quenquam esse autumo, quin infernum evitare, & cœlum desiderare malit. Verum viam cœli paucissimi norunt, reliquis cæcitate percussis, ad exemplum Sodomitarum, ita ut ostium invenire non possint, Gen. 19. v. 11. per quod cœlum ingrediantur. Unusquisque in viam suam declinavit, Esa. 53. v. 6. & diversam salutis viam sibi excogitat, Satana illi facem præferente.

Saniores Ethnici viam salutis sibi proposuerunt, operationem animæ rationalis secundum virtutem perfectam, in vita perfecta. Judæorum via est circumcisio, & onera legis. Turcarum via est Alcoranus & Machometes. Alii alias vias sibi excogitarunt, ita ut Pontificiorum viæ numerandæ non sint, dum Missis, Indulgentiis, Reliquiis Sanctorum, peregrinationibus religiosis, meritis operum, intercessionibus Sanctorum, flagellationibus, aliisque viis erroneis, in cœlum pervenire satagunt.

Quæ opinionum diversitas luculento indicio est, quod homo naturâ viam cœli ignoret, secus enim non tot erroneæ viæ excogitarentur.

Agnoscamus proinde ignorantiam hanc naturalem, ne nimium sapere videamur, sed verbo Dei adhæreamus, in quo via cœli regia nobis ostenditur. Quia verò hæretici verbum Dei susque deq; habent, quid mirum, illos in Cimmeriis tenebris à rectâ calle aberrantes, ad infernum migrare?

III. *Agnitionis Dei absentiam.* Christus ait ad Philippum: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovisti me?

Multis equidem hodietenus Christus cum verbo & Sacramentis suis adest, qui tamen ipsum non cognoscunt, dum de omni-

omnipotentia & omnipræsentia ejus dubitant. Nemo non Christum in ore habet, quem tamen quoad personam, officium & beneficia non agnoscit, sed potius operibus iniquitatis abnegat. Sic Ara Atheniensium quam Θεῷ ἀγνώστῳ exstruxerant & cui ministrabant illi, in medio orbe Christiano repetitur hodiè, multis Christianorum in turpi ignorantia versantibus, & Deum verum non salutariter agnoscentibus adorant quod nesciunt, ut Christus Samaritanis exprobrat, Joh. 4. v. 22. templum cum Deo ignoto ingrediuntur, & egrediuntur.

Optandum foret, ut omnes qui in fœda hac ignorantia Dei versantur, in auribus suis subindè vocem Christi audirent: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovisti me? idque hoc fine, ut de inscitia hac erubescerent, & illi valedicere elaborarent? Fiet id, si cum Maria, abjecta temporalium cura, quatenus animæ curæ obest, secus pedes Christi sedebunt, & optimam partem eligent, quæ non auferetur ab eis, Luc. 10. v. 39. quando sicut modo geniti infantes, rationabiles & sine dolo, lac concupiscent, 1. Petr. 2. v. 2. Si cum nobilioribus Berrhoënsibus verbum suscipient cum omni aviditate, quotidiè scrutantes Scripturas, si hæc ita se habeant, Actor. 17. v. 11. Quinimò si cum Lydia purpurarum venditrice verbum sedulo audient, Dominus cor eorum aperiet, ut intendant iis, quæ dicuntur, Actor. 16. v. 16.

Hoc si fecerint, non modò omnem ignorantiam eliminabunt: sed & in salutari cognitione & sapientia crescent, & evitato inferno, vitam æternam possidebunt, juxta illud Christi: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te &c. qui verò non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi; dabunt pœnas interitum æternum, à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Thess. 1. vers. 9.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex firma fidei persuasione.* Prædixerat Servator discipulis suis, quid sibi eventurum esset, hinc illi perterriti, sine dubio cogitarunt: quod si Magistri nostri sors hæc erit, quid de nobis fiet, qui à partibus ejus stetimus?

Hunc eorum animi mœrorem Christus levare vult, propterea ait ad ipsos: Ne turbetur cor vestrum. Credite in Deum, & in me credite. Quibus verbis Christus se verum Deum profitetur, siquidem in neminem alium credendum, nec in alio fiducia ponenda, quàm in solo Deo. Simul quoque, optimam consolationem in fide contineri, docet. Hinc Habacuc: Justus in fide sua vivet, c. 2. v. 4. hoc est, in corde sentit gaudium & solatium ex fide. Fides enim Christum apprehēdit, qui vera petra est, in hac qui ædificaverit, nullis pluviis, neque ventis tribulationum prosterni potest, Matth. 7. v. 25.

Apprehendit in Christo gratiam Dei, hac quando cor confortatum est, homo parùm curat, quæ exterior sua sors sit.

Si mundus ad fidelem dicit: Vitam tibi eripiam: fides respondet in corde: id minoris æstimo, quia Deus vitam restituere potest.

Si mundus; Bona & facultates, honorem & gratiam à te aufferam. Respondet fides, Deus centuplum mihi remunerare potest, temporalia sunt transitoria, sed cœlestia æternum duratura.

Si Diabolus in tentationibus; Deus te æternùm abjiciet, propter peccata. Respondet fides, Christus peccata mea expiavit, & qui Christum apprehendit, is gratiam habet apud Deum, ut nulla condemnatio in eo sit, Rom. 5.v.3.

Quinimò, vera fiducia in Deum, omninò in Christo fundata est, ut Servator hîc ait: Credite in Deum, & in me credite. A Christo incipiamus oportet, si veram Dei fiduciam consequi velimus, & hinc firmissimum solatium resultat in omnibus ærumnis & tentationibus, quo pii roborantur, ut non modò tribulationes æquo animo ferant: sed & in iisdem glorientur, Rom. 5.v.3.

II. *Ex cœli promissione.* In domo Patris mei, inquit Christus, mansiones multæ sunt. Et iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.

Hoc solatium omnes afflictas & perturbatas conscientias confirmare potest; hîc enim discrimen cernunt, vitæ hujus præsentis, & futuræ. Hæc vita nihil aliud est, quàm exilium, ubi nullam civitatem permanentem habemus, Ebr. 13.v.14. sicut hæc fidelium conditio per tabernaculum fœderis, in V.T. præfigurata, quod non fixo loco mansit, ut templum Hierosolymitanum, sed de loco in locum deportatum fuit.

In cœlo verò nos expectant μοναὶ mansiones, eatumque non paucæ, sed multæ: nec illæ in ergastulo aut carcere aliquo: sed in domo Patris mei, inquit Servator, in quo ille tanquam Filius dilectus, in quo Patri complacuit, Matth. 3.v.17. potestatem habet amicos suos benignè excipiendi & tractandi, sicut & in veritate promisit, inquiens: Iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.

Quodsi igitur in hoc mundo ubique odio, invidentia, persecutione infesteris, mansionum perennium in domo Patris recordare quæso, ubi non accidet tibi malum & plaga non appropinquabit tabernaculo tuo, Psal. 91.v.10.

Quodsi hîc in exilium agitaris, domus & facultates tuas relinquere cogeris, aqua & igne tibi interdicitur: specta domum Patris cœlestis, ex quâ nemo tyrannorum exturbabit te, cum B. Luthero fiducialiter dicens: Si terra nos non capit, cœlum capiet.

Si mors tibi ingruit, noli formidare eam. Nosti enim te hîc non inquilinum, sed peregrinum esse: πολίτευμα tuum est in cœlo, Phil. 3. v. 20. in domo Patris tui. Mors vehiculum duntaxat est, quo Pater cœlestis te avehit. Sicut Jesus tuus hic pollicetur, se rediturum. Quando vero? in hora mortis, tùm veniet, & te accipiet, ut ubi est ille, & tu sis. Gaude hinc & exulta! Ubi enim esse mavis, quàm domi? quàm in domo Patris? quàm cum redemtore tuo Jesu?

Eò tibi anhelandum.
Non ullus est mortalium
Qui ponderabit præmium
Tibi quod expectandum.

III. *Ex trina Christi appellatione.* Thomâ enim de viâ conquerente, quod nesciat eam cum Collegis suis, ipse dicit: Ego sum via, veritas & vita.

1. *Viam* se appellat. Per Adamum via ad Paradisum nobis interclusa, Genes. 3. v 24. Verùm per Christum, qui est alter Adam, illa nobis rursus patefacta est, ideò nos æque ac pœnitentem latronem consolari potest, quod cum se in Paradiso futuri simus, Luc. 23. v. 43. quin & in cœlum nos per fidem deducturus est.

Nemo, inquit, venit ad Patrem nisi per me. Ex quo consequitur, quod qui per eum, tanquam regiam viam ingrediatur, cœlum apertum habeat, & in scala Jacobæâ in cœlum adscendere possit, Gen. 25. v. 13. Joh. 1. v. ult.

2. *Veritatem.* Per lapsum Adæ veritatem amisimus, h. e. verâ justitiâ, verâ agnitione & imagine Dei, technis Diaboli, qui pater mendacii est, Joh. 8. v. 44. exuti sumus. Per Christum verò veritas h. e. vera justitia, vera Dei agnitio, & imago Dei cum gratiâ Dei reparata est, Joh. 1. v. 14. quin & verbum ejus veritas est, Joh. 17. v. 17. qui hâc confidit, non confusus abibit. Omnes enim Dei promissiones in Christo sunt Etiam & Amen, 2. Cor. 1. v. 20.

3. *Vitam.* Adam, primus noster parens, temporalis & æternæ mortis reos nos fecit, juxtà interminationem Dei, Genes. 2. v. 17. Christus verò Dux vitæ est, Actor. 3. v. 15. imò vita ipsa, qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium, 2. Tim. 1. v. 10. in ipso, ab ipso, & per ipsum non modò vitam naturalem, Actor. 17. v. 25. sed & spiritualem habemus, siquidem in peccatis mortui, in Christo convivificati sumus, Eph. 2. v. 5. & postquam hanc vitam concluserimus. dabit nobis vitam æternam, Joh. 10. v. 27.

Hoc triplici Christi nomine, pientissimus Daniæ Rex Christianus b. m. se confirmavit. Quæsitus enim ante obitum à Confessionario suo, quale solatium haberet respondit? Errare nescio, quia Christus via est. Verbo ipsius falli nequeo, quia est veritas. Non moriar, quia est vita. Nihil igitur mihi timendum erit.

Nos ad exemplum ejus similiter in agone dicamus: Domine JEsu, tu dixisti, sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me: his verbis fidem habentes firmiter innitimur, tibi vivimus, tibi moriemur: quia tu via es, non aberrabimus, quia veritas, non fallemur, & quia vita, nunquam moriemur.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Viam salutis scrutare.* S. Thomas nobis exemplo præit inquiens: Domine, nescimus, quò vadis, & quomodo possumus viam scire? Quibus verbis desiderium suum, à Christo viam salutis discendi, contestatur. Idem nostri quoque officii est. Quia enim ut suprà audivimus, multi flexuosi secessus sunt, ideò perquam opus erit, ut instar viatoris viam nescientis quæramus, quæ sit via bona, Jer. 6. v. 16. via scilicet ad Patrem. Hîc Christus se sponte offert, ostendit nobis viam, inquiens: Ego sum via. Necesse igitur erit, ut hanc

hanc viam probè observemus, & in eâ ambulemus, Jer.6.v.16.

Quid enim prodest via recta & regia, nisi in illa ambulaveris? Quia igitur spiritualis illa est, spiritualiter quoque calcari oportet. *Istud iter non pedibus, sed passibus mentis ambulate*, inquit Cassiodorus. Quod & Christus testatur, inquiens: Omnis qui credit in eum, non peribit, sed habebit vitam æternam, Joh.3.v.16. qui videt Filium & credit in eum, habet vitam æternam, Johan.6. v. 40. Id Paulus vocat, διὰ πίστεως περιπατεῖν, per fidem ambulare, 2.Cor.5.v.7. quâ ratione omnes fideles ab Abele hactenus ambularunt, & ita ad Patrem pervenerunt.

Non verò sufficit in hâc via incipere, & deinde respicere, ut uxor Lothi, Gen.19. v.26. Luc.17.v.32. vel planè in ambages & devia aberrare: sed in via regiâ manendum & pergendum est, ut obliviscaris quæ retrò sunt, ad ea verò, quæ sunt priora extendas te, ad scopum persequens, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Phil.3. vers. 13. 14. aliàs fieri non potest, ut ad cœlestem patriam perveniamus.

Quodsi verò quandoque fieret, ut pedes nostri titubent, & à vera calle deflectant, siquidem & justus in die septies cadit, Prov.24.v.16. Verâ nos pœnitentia & fide in Christum vicissim erigamus, & in rectam semitam revertamur, & refrigerium animabus nostris inveniemus, Jerem.6.v.16. Et licet variis molestiis, ut viatores experiuntur, in itinere hoc expositi simus, moderatè id feramus, scientes, quod per multas tribulationes in Regnum Dei intrandum sit, Actor.14. v.22.

Sicut autem aurigas & viatores in molesto itinere speratum diversorium consolatur: Ita & nos dulci cœlestis diversorii requie omnes molestias & ærumnas peregrinationis hujus superare possumus. In domo Patris mansiones jucundissimas inveniemus, huc revertemur cum jubilatione, lætitia sempiterna super caput nostrum: gaudium & lætitiam obtinebimus, & fugiet dolor & gemitus, Esa.35. v.10.

II. *Inscitiam tuam fatere.* S. Thomas ingenuè fatetur, neque se, neque Collegas viam salutis scire, idque propterea facit, quò eò melius de eâ edoceri possit.

Ita & nos infirmitates & ruditatem nostram ne abscondamus, sed rotundè & liberè profiteamur. Multi equidem malunt in luto ignorantiæ hærere, quam inscitiam profiteri, & pleniorem informationem petere, cum tamen

Non pudor est, nil scire: sed est nil discere velle.

Quandocunque igitur unus vel alter, de hâc vel illo fidei articulo non sufficienter instructus est, non erubescat cum Thoma ignorantiam suam manifestare, & à pastore ordinario, vel alio erudito explicationem petere, sic sapiens erit, Sir.6.v.35. Nemo putet, autoritati hoc suæ derogare. Eunuchus Reginæ Candaces ex Æthiopia, Vir erat non infimæ conditionis & autoritatis, & tamen à Philippo explicationem Esaiæ petebat, Act.8.v.34. & ita ad cognitionem Christi perveniebat, respectu cujus omnis humana gloria & auto-

autoritas, pro stercore arbitranda, Phil. 3. v. 8.

III. *Veritatem amplectere.* Christus ait: Ego sum veritas. Hæreseon sanè & errorum tanta seges est, ut vix numerari queat. Et tamen quilibet hæreticus errorem suum incrustatum & confirmatum it. Quò igitur à nemine fortè fallaris, à Jesu tuo disce, ille veritas est: ideò omnia, quæ dicit, vera sunt, verbum ejus veritas est, Joh. 17. v. 18. quod verò huic adversatur, mendacia & præstigiæ sunt, licet multis & plausibilibus argumentis pallietur. Veritati proindè insiste, nec à Spiritu mendacii falleris.

Quia & filii hujus seculi in antiqua consvetudine præsidium quærunt, & ex illâ jus evincere satagunt, noli illud attendere. Tempore Gregorii Episcopus erat, qui & ipse priscæ consuetudini multùm tribuebat, cui verò Gregorius respondebat, *Christus dixit: Ego sum veritas, non dixit: Ego sum consuetudo.* Hoc responso & tu ejusmodi homines redarguere poteris. Dic cum Hanna: Nolite multiplicare loqui sublimia, sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum Dominus est, & non dirigentur studia, 1. Sam. 2. v. 3. Breviter: usque ad mortem certa pro justitiâ, Sir. 4. v. 33. Sic Dominus, qui est via, veritas & vita, via tua erit, in te omnes promissiones suas implebit, tibique hîc vitam spiritualem, ibi æternam ex gratia largietur, quod fiat per Christum Jesum. Amen.

IN FESTO ADSCENSIONIS CHRISTI.

Evangelium Marc. 16. v. 14. -- 20.

EXORDIUM.

ORitur Sol, & occidit, & ad locum suum revertitur, ut ibi rursus oriatur, ait Regum Sapientissimus Salomo, Ecclef. 1. v. 5. Per Solem nihil aliud denotat, quam luminare magnum, quod Deus posuit in firmamento cœli, ut præesset diei, Gen. 1. v. 15. 16. Ille igitur quotidiè manè oritur, & cursum suum ad occasum dirigit, hoc modò diem in terrâ efficiens: Vesperi verò occidit, reliquum suum curriculum perficiens, dum ad locum, ubi pridiè ortus est, revertatur, & denuò exoriatur.

Hoc ipso verò Salomo vanitatem & interitum omnium filiorum Adami depingere voluit, qui & ipsi hîc non habent permanentem civitatem, Ebr. 13. v. 14. sed per labores & dolores ad præfinitum terminum currunt, Psal. 90. v. 11. in morte verò, velut Sol in nocte sepeliuntur, vita enim tum succiditur festinanter & avolamus, Psalm. 90. v. 10. Confer Sap. 5. v. 9. 10.

Et

Et sicut Sol, postquam interiit, denuò revertitur, ita & omnes illi, qui hîc cursum suum absolverunt, die novissimo resurgent, ubi justi fulgebunt, sicut Sol, in Regno Patris eorum, Matth. 13. v. 43.

Sed & verba hæc ad Christum Servatorem commodè applicari possunt. Is enim Sol justitiæ est, Mal. 4. v. 2. qui gratiæ suæ radiis corda nostra illuminat, & peccatorum noctem fugat, unde non immeritò Soli non modò confertur: sed & longè præfertur, Psal. 19. v. 5. 6. Esa. 60. v. 19. 20. Apoc. 21. v. 23. seq. c. 22. v. 5.

Hic cœlestis & divinus Sol in incarnatione ortus est: & quemadmodum lumen de lumine, Deus de Deo, & coëssentialis Dei Filius, à coæterno Patre, modo non perscrutabili, hodiè, i.e. ab æterno genitus, Psal. 2. v. 7. ita à Patre exivit, & ad nos homunciones in mundum venit, Joh. 16. v. 28. & quidem principiò sub aurora, nebulis & nubibus profundissimæ exinanitionis delituit: semper tamen progressus est, ut voluntatem Patris cœlestis, obedientia activa & passiva cum delectatione faceret, Psal. 40. v. 9. Intereà in hoc cursu suo, quandoque radios suos, è nubibus opacis, sub quibus se quasi continuit, projecit. In passione verò hic Sol non modò sanguineus: sed & per mortem crucis ignominiosissimam planè obscuratus fuit, & occidit, donec in resurrectione gloriosissima, magno decore & majestate reversus, in triumphante adscensu locum, unde exierat, repetiit, Joh. 16. v. 28. c. 20. v. 17. & ad culmen dextræ Dei pervenit, juxtà Canticum Ecclesiæ:

Egressus ejus à Patre,
Regressus ejus ad Patrem,
Excursus usque ad inferos,
Recursus ad sedem Dei.

De gloriosissima hâc Adscensione Domini, hodierna festivitate in Ecclesia Dei, cum gaudio & lætitia agitur.

Videbimus nos pro Instituti ratione,

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

NOn immeritò præsens festivitas à Bernhardo appellatur, consummatio & adimpletio reliquarum solennitatum, & felix clausula totius itinerarii Filii Dei. In reliquis festis una saltem pars cursus Christi describitur: At hodiè consummatio, & clausula totius itineris refertur, ubi præsentiam suam visibilem mundo subtraxit, ad cœlos adscendit, & ad dexteram Dei Patris resedit. Rectè ergò felix totius itinerarii Christi clausula est.

In reliquis solennitatibus, utut jucundæ & lætæ sint, semper imperfectio & tristitia conspicitur. E. g. Jucundum & lætabile est festum conceptionis Christi: Verùm tùm in utero matris, velut in obscuro & sordido domicilio delituit. Jucundum & lætabile est festum Nativitatis Christi: At tùm parvus & tenellus Jesulus fasciis laceratis involutus, & in tenebroso stabulo in præsepi jacens lacrymatur. Jucundum & lætabile est festum Circumcisionis, sed ibi dolores acerbissimos persentit. Jucundum & lætabile festum Epiphanias: sed inter donaria,

quæ Magi ex Oriente attulerunt, fuerunt quoque Myrrhæ amaræ. Jucundum & lætabile est Festum transfigurationis Christi: sed ibi cum Mose & Eliâ colloquitur de excessu, quem completurus erat in Hierusalem, intellige passione & morte. Jucundum & lætabile est festum viridium, ibi enim Jesus vetus Testamentum consummat, & novum orditur, instituit sacram cœnam, lavitque pedes discipulorum: sed in ipsa nocte à Juda proditur, à Judæis capitur, illuditur & postridiè crucifigitur atque occiditur. Jucundum & lætabile, est festum Resurrectionis: at gaudium nondum est perfectum: ipse siquidem ait ad Mariam Magdalenam: *Noli me tangere: nondum enim adscendi ad Patrem meum*, Joh.20. v.17.

At hodiernâ festivitate, omnia plenè jucunda sunt, sine mœrore & tristitiâ. Hâc enim concludit Dominus iter suum periculosum, iter molestum, & iter consolatione plenum, triumphante suo adscensu

Querela respicit

I. *Magnam incredulitatem.* Novissimè enim recumbentibus undecim discipulis apparuit Christus: & exprobravit incredulitatem illorum, & duritiem cordis, quia his, qui viderant eum surrexisse, non crediderunt.

Non modò Maria Magdalena, sed & reliquæ mulieres, quibus Christus à sepulchro remeantibus, tùm Cleophas & comes ejus, quibus in Emaus, nec non Simon Petrus, cui Hierosolymis apparuerat, Apostolis, Servatorem resurrexisse nunciaverant. Dominus ipse de morte & resurrectione sua illis perspicuè prædixerat, Luc.18. v.31. seqq. Ne dicam vaticinia & typos V.T. ipsis clarè expositos; attamen aliqui eorum non credebant: sed dubitabant, Matth.28. v.17. Maximè verò Thomas, Joh.20. v.25. Quia igitur Apostoli in fœdâ hâc incredulitate & dubitatione diu hæserant, Christus non aliter potest, quin incredulitatem & duritiem cordis illis severè exprobret, adeoque eos objurget.

Unde apparet, quam invisa Christo incredulitas sit, & quanto eam odio prosequatur. Apostoli multis vitiis & peccatis immersi erant. Erant temerarii, somnolenti, securi, perfidi &c. attamen illis talia peccata non exprobrat, sed objurgat modò incredulitatem, ut innuat, incredulitatem maximam, imò fontem & radicem, omnium aliorum peccatorum & vitiorum esse. Quod enim ex fide non est, peccatum est, Rom.14. v.23.

Ipsa hæc incredulitas hodiè totum penè orbem inundavit, ut non immeritò querendum:

Ach Gott vom Himmel sich darein &c. Licet enim nemo talis videri velit, sed omnes pleno ore fidem ingeminent: attamen vana jactantia ratione multorum est. Multi enim de Articulis fidei quæsiti, magis muti, quàm pisces sunt: multi vanâ fiduciâ non Dei, sed creaturarum nituntur: multi verbum & Sacramenta despiciunt: imò multi, ut Epicuri de grege porci in luto peccatorum se volventes, operibus carnis indulgent, quæ enarrantur, Gal.5. v.19.

O miser homuncio! fidem quam tantopere jactitas, reipsa & operibus negas, ideoque impossibile, te placere Deo, Ebr.11. v.6.

v.6. Propter incredulitatem tuam manes sub ira Dei, & jam judicatus es, Joh.3.v.18. 36. Sententia dudùm lata est, qui non credit, condemnabitur, ait Christus in prælecta Pericope.

Resipisce igitur ab incredulitate tuâ, & audi Servatorem ad Thomam dicentem: Noli esse incredulus, sed fidelis, Joh.20.27. Audi cum voluptate verbum Dei, fides enim ex auditu est, Rom.10.v.17. Et quia fides non est omnium, 2.Thess.3.v.2. sed donum Dei, Deum devotè invoca, cum Patre lunatici orans: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam, Marc 9.v.24. Et cum Apostolis: Adauge nobis fidem, Luc.17.v.5. Confirma fidem tuam usu S. Cœnæ, nec dubita, quin Deus fidei lumen per Spiritum sanctum accensurus teq; justificaturus & salvaturus sit.

II. *Cordis duritatem.* Exprobravit quoque illis Christus cordis duritiem. Apostoli quidem non ita obdurati erant, ut impius ille Pharao, qui omnes Dei admonitiones & pœnas omninò aspernabatur, Exod.5. v.seqq. Neque ut Judæi & concilium Hierosolymitarum, quibus Stephanus objicit: Durâ cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos, Actor.7. v.51. sed particulam de innata duritie adhuc habebant, quam nondum deposuerant, ob quam neque vaticiniis Prophetarum, neque Christi verbis, neque Angelorum apparitionibus, neque mulierculatum sermoni, neque propriis oculis fidem habent, ut sic Servator ad illos objurgandum, inducatur.

Quod respectu discipulorum infirmitas fuit, id in hodierno mundo inmundo malitia est. Tantoperè enim cordis durities invaluit, ut major esse nequeat. Hoc quippe vitio non modò laborant Sectarii & hæretici, quorum impia dogmata verbo Dei è diametro repugnant, quæ tamen adversus invicta argumenta, propugnatum eunt: Sed & magna Epicureorum & Atheistarum turba, quorum quasi symbolum est: Manda remanda, Esa.28 v.13 & obdurato corde cum Auditorib⁹ Jeremiæ ajunt: Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: sed facientes faciemus omne verbũ, quod egredietur de ore nostro, Jer.44.v.16. Ira quidem Dei ex lege, cum consequente maledictione, ad quam & Diaboli contremiscunt, sicut & exempla pœnarum, cum prodigiis, quæ olim facta sunt, & nunc fiunt, subindè inculcantur. Verùm quis agnoscit iræ gravitatem? Psf.90.v.11. plurimi durâ cervice, & fronte ærea sunt, Esa.48.v.4.

Fugite hanc obstinationẽ & cordis duritiem, Vos mei! reminiscimini gravissimæ reprehensionis, quâ Christus discipulos hîc notat. Credite verbo ejus, exhorrescite irã, invitent vos ad pœnitentiam gravissimæ exhortationes, terribilissima vindictæ exempla, plurima prodigia, & longanimitas Dei ipsa, Rom.2.4. Aperite januam cordis vestri, quò Christus ad illã stans & pulsans introëat, & cœnet vobiscum, & vos cum illo, Apoc.3.v.20. Hodiè, si audieritis vocem ejus, nolite obdurare corda vestra, Psf. 95.8. Aliàs affectatam hanc contumaciam, justo Dei judicio Pharaonis obduratio sequetur, quæ temporale & æternum exitium certissimum pòst se trahit.

III. *Miraculorum modernorum vanitatem.* In Evangelio præsenti Servator discipulis

certa signa secutura pollicetur, quæ & facta sunt: Confirmavit enim Dominus sermonem, sequentibus signis.

Hic Papistica Ecclesia, invenisse se retur, non quod pueri in faba, adeoque triumphum canit, & exclamat: Hîc templum Domini est, hîc templum Domini est! Jer.7.v.4. Non possumus, scribit Justus Lipsius, ad Pontificē Paulum V. efficacius frangere & calcare hæresin, quàm hoc miraculorū fulmine, ut jam non verbis, sed factis disputem*, ubi miracula, ibi Ecclesia!

Verùm si miracula eorum sub incudem Scripturæ revoces, quàm facilè gloriatio eorum peribit, & in fumum dissolvetur. Verùm equidem est, Apostolos à Christo potestatem miracula patrandi accepisse: sed quis Apostolis Ignatianis hanc virtutem concessit? Ubi putam Evangelii doctrinam ultima hâc ætate miraculis confirmatum iri, promisit? Ad Ecclesiam quidem plantandam miracula necessaria fuerunt, ad plantatam verò supervacanea sunt, siquidem donum miraculorum brevi post Apostolorum tempora desiisse, vel ipsi Pontificii inviti fateri coguntur. Hodierna verò signa & miracula, certissima Anti-Christi signa sunt, ut ex prædictione Christi, Matth.24.v.24. Pauli, 2.Thess.2.v.9. & Johannis, Apoc.13.v.13. luculenter constat. Ne dicam, Apostolos doctrinam suam primùm ex Scriptura probasse, & deindè consequentibus signis confirmasse, Papistæ verò ordine præpostero doctrinam suam prodigiis confirmare satagunt, quia illam ex Scripturis probare nequeunt. Perstat ergò illud Augustini: *Quisquis adhuc prodigia quærit, ad hoc, ut credat, ipse magnum prodigiū est, cum toto mundo credente, non credat.*

Intereà nos spiritualiter miracula adhuc hodie edere possumus, quæ Apostoli corporaliter patrarunt. E.g. Quando per fidem & pœnitentiam Christo cor nostrum damus, Prov.36.26. diligimus eum, & servamus sermonem ejus, ejicimus dæmonia, & Pater atq; Filius ad nos venient, & mansionem facient, Joh.14.v.23.

Quando ab execrationibus, blasphemiis, mendaciis, calumniis, desistimus, omnem sermonem spurcum vitamus, & qui bonus est, ad ædificationem necessitatis, loquimur, Eph.4.v.29. novis linguis loquimur.

Quando pravis è corde exsurgentibus cogitationibus non indulgemus, peccata in mortali nostro corpore non regnare patimur, sed carnem cum affectibus & concupiscentiis crucifigimus, Gal.5.24. colubros fugimus, Sir.21.2. Quando ignominiā & persecutiones bona cōscientiā sustinemus, mortiferū bibimus, quod non nocet nobis.

Quando ergà infirmos & egenos compassionem & misericordiā exhibemus, iisq; benefacimus, & pro iisdē oramus, super ægros manus imponimus, ut bene habeant.

Hæc miracula & facere possumus, & mādata nobis sunt. Hæc igitur si fecerim*, Christi discipuli, & amici erimus, Joh.15.13.

De *Secundo*.

SEquitur *Medela*, quæ oritur

I. *Ex SS Ministerii dignitate.* Quando Princeps terrenus è ditione sua, in peregrina loca profecturus est, ante discessum Vicarium substituit, quò quilibet sciat, cui absente Principe parendum sit. Idem facit Servator noster, ubi enim præsentiam suam visibilem nobis subtracturus & in Palæstinam cœlestem, adscensione sua iter facturus est: ante Vicarios certos subor-

nat

nat, non quidem Petrum solum, ut Papistæ somniant, sed universum Collegium Apostolorum, eorumque genuinos successores, cum hac instructione: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, &c. O dulcissime Jesu! quanta nostri providentia tangeris, ne pereamus, sed habeamus vitam æternam. Quod enim nos creasti & conservasti virtute & bonitate tua, quod item sub potestate tenebrarum nos conclusos, sanguine & morte tua redemisti, id minus tibi visum: sed & media procuraturus es, quibus virtutem & efficaciam sanctissimi meriti tui consequamur, ideò ministeriũ ante adscensum tuum instituis, & per idem instruis nos ad salutem. In Regno hoc tuo, quod in terris incepisti, omnia suaviter & amice peraguntur. Non imponis nobis jugum tyrannicum, ut Pharao Israelitis, aut Rehabeam subditis suis, & ut hodie Papa & Turca suis subditis imponere solẽt: Sed doctrinæ & crucis tuæ onus, est onus suave & leve. Evangelium tuum nil nisi lac & mel stillat. Potuisses quidem, ut in diebus carnis, sic & post adscensum tuum immediatè nobis prædicare, quia non locorum intervallo sejunctus, sed nobiscum es usque ad consũmationem seculi, Matth. 28.v. ult. Sed quis Majestatem tuam ferre potuisset? Ideò infirmitati nostræ accommodas te, ordinans nobis præcones fragiles homines, quales nos sumus, qui thesaurum verbi, in vasis fictilibus portent, 2.Cor.4.v.7. sed quid prædicant? Evangelium, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom.1.v.16. Quibus prædicant? Omnibus creaturis, intellige ratione præditis, nemine hinc excluso, nisi qui seipsum excludit incredulitate & obduratione sua. Quam verò utilitatem affert nobis? Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit. O dulcissime Jesu! verbum hoc tuum vivificat me: hoc certissimam spem salutis affert. Credo ego Jesu, & baptizatus sum, ideò haud dubiè salvabor, Amen. Tu quoque dilectissime Jesu! tuum Amen adde, & in te erat Etiam & Amen.

II. *Ex adscensionis Christi veritate*, de qua Marcus in Evangelio nostro: Dominus Jesus, postquam locutus est eis, assumtus est in cœlum.

Quodsi igitur Christus verè in cœlum adscendit, ut in symbolo Apostolico confitemur, sciamus adscensionem ejus in emolumentum nostrum factam esse, siquidem veritas ipsa ait: expedit vobis, ut ego vadam, Joh.16.v.7. Verè expedit: Hinc enim fluit

1. *Perfectæ redemtionis certioratio.* Omnia enim feliciter absolvit, quæ ad salutem nostram necessaria fuerunt. Dissolvit opera Diaboli, 1.Joh.3.v.8. contrivit caput infernalis serpentis, Gen.3.v.15. & arma fortis armati, in quibus confidebat, abstulit, Luc.11.v.22.

Liberavit nos de manu inferni, & absorpsit mortem in victoriam, Os. 13. vers. 14. 1.Cor.15.v.54. peccatũ in sanguine suo submersit, iram Dei Patris, & maledictionem legis sustulit, atque ita multiplices nostros hostes vicit, nosque de ipsorum tyrannide redemit, ut jam nihil condemnationis sit, in nobis, qui in Christo Jesu sumus, Rom. 8.v.1. & lætanter triumphare possimus: Ubi est mors victoria tua? ubi tua inferne victoria? 1.Cor.15.v.54.

2. *Viæ Cœlestis patefactio.* Christus caput nostrum, nos membra ejus sumus. Quo præcessit gloria capitis, eò & nos membra

ejus sequemur. Ipse Magnes est, corpora nostra instar ferri gravia ad se trahens. Ipse nobile Electrũ, corpora nostra velut acera post se rapiens, hinc ait: Si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum, Joh.12.v.32. Adam paradiso ejectus, propter peccata, viam nobis ad paradisum interclusit; ad sepulchrum verò aperuit: Christus verò tanquam alter Adam, gloriosissimo adscensu suo, nobis viam ad paradisum pandit. Ipse perruptor est, qui nos præit, nosque perrumpemus, & gradiemur post eum, Mich. 2. v.ult. Et hoc futuræ nostræ adscensionis in cœlum solatio, facilè omnes vitæ hujus miserias edulcare & superare possumus, lætabundi dicentes:

Tu morte suscitatus es,
Nec hac ego tenebor.
Salus tuus adscensus est,
Morti per hanc medebor:
Ubi manens huc ivero,
Semperque tecum vixero,
Huc lætus exciebor.

III. *Ex sessionis Christi Majestate.* Non enim modo in cœlum assumtus est, sed & sedet à Dextris Dei Patris. Hîc iterum larga scaturigo se pandit, è qua aquam vitæ, ad refectionem animarum nostrarum hauriamus. Quodsi enim Christus sedet ad dexteram Dei Patris, ejusdem Majestatis, gloriæ & potentiæ cum Patre particeps est, id enim dextera Dei juxta sensum Scripturæ notat. Non ergò otiosus in cœlo, & terrena despiciens sedet: sed adscendit, ut nos desuper protegat, Augustino dicente.

Quotiescunque igitur ab hostibus, nos cum Evangelio supprimere satagentibus, persecutione impetimur, intendamus in cœlum, videntes Jesum, stantem à dextris Dei, Act.7.v.56. Is intuetur angustias nostras, novit quoque astutias, versutiam & consilia hostium, quibus multo potentior est: tu ejus fiducia fretus, cum Ecclesia canta:

Humana quod versutia
Molitur, haud moramur.
Qui dissipat, sedet suprà,
Consulta queîs gravamur.
Magnas agant astutias,
Vadit Deus vias suas,
Manu sua retractans.

Præterea, si Jesus ad dexteram Dei Patris sedet, caro & sanguis noster, quorum sine peccato tamen particeps factus, maximo honore & dignitate affectus est. Antè humana nostra natura cœlo exosa, imò ex illo proscripta erat: Jam verò postquam Christus in cœlum adscendit, & ad dexteram Dei sedet, in thronum infinitæ Majestatis & gloriæ divinæ evecta est. Quanta dignitas, quod caro & sanguis humanus in throno divino sedet, & ab omnibus Angelis & Archangelis adoratur, hinc Candidatus vitæ æternæ non immeritò cum Augustino dicere valet: Ubi portio mea regnat, ibi me regnare credo; ubi sanguis meus dominatur, ibi me dominari confido; ubi caro mea glorificatur, ibi me gloriosum esse cognosco.

Tandem, si Christus ad dexteram Dei sedet, non dubitemus, quin velut Mediator & Advocatus noster apud Patrem cœlestem, in gratia ejusdem conservet nos, sicut Paulus sessionem ad dextram Dei & officium Christi Mediatorium conjungit, inquiens: Hic Christus, qui est ad dexteram

ram Dei, & interpellat pro nobis, Rom. 8. verf. 34.

Sicut enim summus Sacerdos Vet. Test. Sanctum Sanctorum ingressus est, ad expiandum populum: Ita Christus unicus ille Nov. Test. Pontifex noster non in manu facta Sancta introivit, exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, Ebr. 9. v. 24. Quotiescunque igitur ex imbecillitate delinquimus, fidelissima intercessione sua, imò præsentatione perfectissimæ obedientiæ & meriti sui, præcavet, ne cœlestis Pater omnia ad rigorem justitiæ exigat, nosque in infernum detrudat, sed infirmitatem nostram patienter ferat, hinc Johannes: Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum, justum, 1. Joh. 2. v. 2.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt,

I. *Cum Christo adscende.* Quia enim Christus caput nostrum in cœlum adscendit, nos membra ejus decebit, ut sequamur eum. Quod quidem corporaliter in hâc vitâ fieri nequit, sed in alteram usque vitam differendum. At spiritualiter, & cordis affectu, quotidiè in cœlum adscendamus oportet. Hoc fit, quando ardentissimo desiderio Christi & bonorum cœlestium flagramus, & sincero amore ejus incensi, interdiu & nocte solicitè studemus, ut ubi ille est, & nos simus, & claritatem ejus videamus, Joh. 17. v. 24. Hinc Apostolus monet nos, inquiens: Quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens, Col. 3 v. 1. 2. Idque ipsa æquitas requirit. Non enim hîc inquilini, sed alienigenæ sumus, non habentes hîc manentem civitatem: sed futuram inquirentes, Ebr. 13. v. 14. πολίτευμα nostrum in cœlis est, Phil. 3. v. 20. Ubi thesaurus noster, ibi cor nostrum, Matth. 6. v. 21. Atqui Christus nobilissimus thesaurus noster in cœlis est, ideò corda nostra eò elevemus, dum corpora nostra aliquando sequantur. Ergò sursum corda! & cœlum anhela, cum Monica Augustini matre dicens: Evolemus hinc!

Quodsi enim Judæi in captivitate Babylonica constituti, tanto patriæ suæ desiderio incensi, reversionem exoptarunt, ut dixerint: Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui &c. Psal. 137. v. 5. 6. 7. Quidni nos in Exilio & peregrinatione vitæ hujus, ubi vinculis peccatorum, laqueis mortis, & catenis inferni constricti sumus, majori desiderio Hierosolymam cœlestem anhelemus, dicentes cum Ecclesia: JEsu meine Freude / meines Hertzens Weyde / JEsu meine Zier / ꝛc.

II. *Terrena vilipende.* Æquum sanè est, ut quotidiè, ut suprà dictum, cordis affectu in cœlum adscendamus: sed plurima pars nostrûm serpentis naturam induit, ut super pectus gradiatur & terram comedat, cunctis diebus vitæ suæ, Gen. 3. v. 14. Interea cœli obliviscitur, tædio afficitur Mannæ & panis Angelorum, unde & maledictionem serpentis incurrit, quæ dicto loco, à Deo effunditur.

Fuge hoc vitium mi Christiane! Ne sis Cain, qui, ut nomen fert, possessionem suam

suam in terrâ quæsivit, sed esto potius Abel, & omnia, quæ in terris sunt, vanitatem æstima, Eccles.1.v.2. Sapite, non quæ super terram, monet Apostolus, Col.3, v.2. Veri Christiani ingenio aquilino præditi sunt, ea nidum suum non in terris, sed in excelsis construit: ita nec ipsi terræ adhærent, nec terrena diligunt, utin temporalibus, velut sus in luto se volvant: sed nidum in cœlo construunt, derelinquunt vitam peccatricem & terrenam, & vitam cœlestem agunt, dicentes: A te quid volui super terram? Deficiat sanè caro mea, & cor meum: petra cordis mei, & pars mea, Deus in æternum, Psal.73.v.25.26.

Idem tuum desiderium esto! Quodsi temporalibus bonis præditus es, utere iis, tanquam si non utaris, possides, quasi non possideas, 1.Cor.7.v.30. Utere iisdem ad Dei gloriam, & proximi emolumentum. Dic cum cœlesti illâ animâ:

Cœli bona,
Perstant rata,
Præ priver his,
Vitæ, bonis
Vincam, juva Deus me.

III. *Verbo prædicato attende.* Christus ait in Evangelio: Prædicare Evangelium omni creaturæ. Atqui prædicare & audire relata sunt. Omnes igitur creaturæ intelligere rationales, verbum audiant necesse est.

Quia igitur & tibi, tanquam creaturæ rationali Evangelium prædicatur; illud diligenter observa. Ne neglige conciones & cultum Dei, nisi necessitate fortè prohibearis: sed veni, ut audias, quid spiritus Ecclesiis dicat, Apoc.2.v.7. Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei, & appropinqua, ut audias; hoc enim melius est, quàm stultorum victimæ, Eccles.5.v.1. Per vocem enim Evangelii Christus & corporalem & spiritualem adscensionem tuam operaturus est. In hac vita spiritualem, ut mundo ejusque vanitatibus valedicas, & in eo solo voluptatem tuam quæras: Post hanc vitam verò corporalem, ut anima tua in horâ mortis, corpus verò die novissimo in vitam æternam avolet:

Deñ wer da glaubt/und wird getaufft/
Demselben ist der Himmel erkaufft/
Daß er nicht werd verlohren.

Fiat id per Christum Jesum, Dominum nostrum, Amen.

FERIA II. PENTECOSTES.

Evangelium Joh. 3. v. 16. -- 21.

EXORDIUM.

OLim tres juvenes, corporis custodes Regis Darii, quodnam fortissimum esset, contenderunt? singuli scribentes verbum suum signaverunt, & posuerunt subtus cervical Darii Regis, ut si Rex surrexerit, ipse rem decideret, & palmam ei, qui rem acu tetigerit, attribueret. Unus scripsit, forte est vinum. Alius scripsit: Fortior est Rex. Tertius scripsit: fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas.

Licet igitur, Rege expergefacto, juvenes illi orationes suas habuerint, & quilibet, rationibus, quo potuit optimis, confirmatum iverit opinionem suam: attamen veritas tandem palmam obtinuit, omnes populi namque clamarunt, & dixerunt: Magna est veritas & prævalet, 3. Esr. 3. v. 5. seqq. & 4. v. 1. seqq.

Rectè sic statutum est. Veritas quippè premi potest, sed non opprimi.

Attamen si Christianismus, ut quartus, prioribus adjungeret se, & diceret: fortissimus est amor, non dubium est, quin ille triumphum ageret, ipse siquidem Spiritus sanctus, amorem fortissimum esse adseverat, inquiens: fortis est, ut mors, dilectio: dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis, & flamma Domini. Aquæ multæ non poterunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent illam &c. Cant. 8. v. 6.

Luculentum exemplum, quod dilectio Dei præsertim, fortissima sit, ex Evangelio nostro discere possumus, in quo, dilectionem Deum quasi ipsum, qui tamen fortissimus est, superasse, audimus, quod nobis Filium suum unigenitũ, & dilectissimum, quem ex corde suo genuit, donaverit.

Etiamsi enim veritas & justitia Dei in summo quoq; gradu fortia & immutabilia sint: Dilectio tamen Dei ejusmodi temperamentum reperit, ut per Filium, quem ex caritate nobis donavit, justitiæ & veritati ejus satisfactum sit. Quod enim in carne pro nobis passus, & in stipite crucis pro nobis mortuus est, hoc ipso veritatem & justitiam divinam conservavit, quæ mortem generi humano attribuerant: Ex amore verò ortum est, quod nobis Filius Dei donatus est, in quo habemus redemtionem per sanguinem ejus.

De hac Dei dilectione ergà nos, & totum mundum, prælectum Evangeliũ agit.

Nos pro Instituti ratione videbimus

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

VIvo ego, dicit Dominus Deus: non delector morte, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat, Ezech. 33. v. 11.

Hic jurat veritas ipsa, ratione salutis nostræ, quod eam serio quærat & desideret. Plus adhuc facit in prælecta Pericope, ex qua percipimus, quod nobis unigenitum Filium suum dederit, ut per eum vitam æternam habeamus. Verum multi eum rejiciunt, cum tamen vera sit lux, illuminans omnem hominem venientem in mundum, Joh. 1. vers. 9. 11. ideo quoque in tenebris ambulant, nescientes quo vadant, Joh. 12. v. 35. posteà sequitur judicium, ut, quia tenebras magis dilexerunt quàm lucem, cum rectoribus tenebrarum seculi hujus, Eph. 6. v. 12. mittantur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium, Matth. 22. v. 13.

Idipsum Servator innuit in præsenti Pericope, quando de illis, qui non credunt in nomen unigeniti Filii Dei, dicit, quod jam tum judicati sint.

Querela respicit

I. *Summum incredulitatis flagitium:* de qua Christus: Qui non credit in nomine unigeniti Filii Dei, jam judicatus est.

Quid hîc incredulitas sit & vocetur, Christus ipse declarat, nimirum non credere in nomen unigeniti Filii Dei. Ubi per nomen unigeniti Filii Dei intelligitur Christus, & ratione personæ, quod sit verus Deus à Patre ab æterno genitus, & verus homo ex Maria Virgine in tempore natus; & ratione triplicis officii, quod sit Propheta, Rex & Sacerdos noster, quinimò unus ille Mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. Quicunque igitur in hunc salutis fontem non credit, ille committit

1. *Peccatum Salvatorem rejiciens.* Hæc ἀπιςία imprimis Judæis familiaris erat, cum Christus in diebus carnis inter illos conversaretur, non enim Christum receperunt, ubi in propria venit, Joh. 1. vers. 11. sed dixerunt: Nolumus, hunc regnare super nos, Luc. 19. vers. 4. quî ostenderet nobis bona, Psalm. 4. vers. 6. adeoque non sunt confisi super Sanctum Israel, & Dominum non requisierunt, Esa. 31. vers. 1. Sicut adhuc hodiè Judæi in hunc universalem mundi Salvatorem credere nolunt, ut rectè de illis illud Pauli dici possit: Eratis in illo tempore sine Christo, & sine Deo in hoc mundo, Ephes. 2. v. 12. siquidem tempore passionis expressè dicebant: Tolle, tolle eum, Joh. 19. vers. 15. & ita despexerunt & odio habuerunt Christum: Qui verò Christum odit, & Patrem ejus odit, Joh. 15. vers. 23.

Idem faciunt Papistæ, quando Christum ut unicum illum Advocatum adspernantur, & sanctos demortuos ut Mediatores & Intercessores implorant: Derelinquentes fontem aquæ vivæ, & fodentes sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, Jer. 2. v. 13.

Verum Christus solus est Advocatus noster, 1. Joh. 2. v. 1. sedens ad dexteram Dei, & interpellans pro nobis, Rom. 8. v. 34. Abraham verò nescit nos, & Israel ignorat nos, Esa. 64. vers. 16. sed Dominus attendit & audit, quando invocamus eum, Mal. 3 v. 16. scit quoque, quibus indigeamus, Matth. 6. v. 32.

Optimè itaque facimus, pleni fiducia dicentes: Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram, Psal. 124. v. ult.

2. *Peccatum justificationem impediens.* Hæc enim fundatur in Christo, ejusque sanctissimo merito, quia justificamur per redemtionem, quæ est in Christo Jesu, Rom. 3. v. 24. & Pater gratificavit nos sibi in Dilecto, in quo habemus redemtionem per sanguinem ejus, Eph. 1. v. 6, 7. Unde & Scriptura testatur, quod nobis à Deo factus sit justitia, 1. Cor. 1. v. 30. hinc credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam, Rom. 4. v. 5.

Ubi verò per opera justificari velis, ut Pharisæus ille, Luc. 18. v. 11. & Scriba, Luc. 10. v. 29. ibi evacuatis à Christo, & excidis à gratia, Gal. 5. v. 4. sine Christo verò corã Deo non justificari, nec faciem ejus videre possumus, sicut nec fratres Josephi faciem ejus videre poterant, nisi adducto fratre natu minimo, Gen. 43. v. 3. verùm in Christo habemus accessum & fiduciam in confidentia ad Patrem, Eph. 3. v. 12.

Hîc iterum à Pontificiis per operum merita justificari satagentibus impingitur. Verum ex operibus legis non justificabitur omnis

omnis caro, Gal. 2. v. 16. Beati verò, quorum remissæ sunt iniquitatis, & quorum tecta sunt peccata, Psal. 32. v. 1.

3. *Peccatum damnationem attrahens.* Hoc enim Christus perspicuè indicat, dicens: Qui non credit, jam judicatus est: & iterum: Qui non crediderit, condemnabitur, Marc. 16. v. 16.

Quodsi peccata actu damnationem inferrent, nemo hominū servaretur. Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, Rom. 3. v. 23. Quando verò homines in peccatis perseverant, Christum propitiatorem abjiciunt, ejusque meritum quasi conculcant, Hebr. 10. v. 29. id damnationem efficit, ut Christus hic testatur.

Cain & David ambo magni peccatores erant, uterque gravem reatum incurrerat: ille fratrem Abelem, hic Uriam Hethæum Ammonitarum gladio peremerat, Gen. 4. v. 8. 2. Sam. 11. v. 16. Cain desperabat de misericordia Dei, inquiens: Major est iniquitas mea, quam ut remittatur, Gen. 4. v. 13. Propter hanc ἀπιςίαν utique damnatus est. Ex adverso verò David post lapsum erigit se gratiâ & misericordiâ divina, dicens: Miserere mei Deus, secundum misericordiam tuam, Psal. 51. v. 3. & transtulit Dominus peccatum suum, ne moreretur, 2. Sam. 12. v. 13.

Idem exemplo Petri & Judæ patet. Videte, igitur fratres! ne fortè sit in aliquo vestrûm cor malum incredulitatis, discedendi à Deo vivo, Hebr. 3. v. 12.

Si quis verò peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, 1. Joh. 2. v. 1. 2. Nemo igitur caussam habet desperandi cum Caino: Ubi enim abundavit delictum, superabundavit & gratia, Rom. 5. v. 20.

II. *Hominum incredulorum judicium,* de quo Servator: Qui non credit, jam judicatus est. Quod non intelligendum de extremo judicio, quod nondum factum, sed futurum est eo die, in quo judicaturus est orbem, in justitia per virum, per quem decreverat, Actor. 17, v. 31. Nihilominus tamen increduli judicati sunt

1. *Per Dei judicium.* Deus Opt. Max, quasi supremus Judex & legislator ab æterno sedet, & dictitat cuique peccatori pœnam, quam promeritus est, adeoque jam in judicio Dei judicatus est.

2. *Per Scripturæ effatum.* In hac cuilibet sententia decisiva, ratione peccati commissi, lata est, siquidem è libris Prophetarum & Apostolorum omnes homines judicabuntur, teste Joanne Apoc. 20. v. 12. in his incredulis omnibus definitum est, quod pœnas daturi sint, interitum æternum à facie Domini, & à gloriâ virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

3. *Per culpæ reatum.* Sicut enim qui homicidium perpetravit, hoc ipso homicidii reatum contraxit, licet pœnam adhuc exspectet: Ita etiam cum incredulitate res se habet, qui in illa perseverat, reatum damnationis hoc ipso incurrit.

4. *Per conscientiæ forum.* Si homo mali quid commisit, & quidem ex infidelitate, cogitationes inter se invicem accusant se, Rom. 2. v. 15. posteà testis est conscientia & convincit peccatorem, quin & nonnunquam exequitur pœnam, sicut idipsum Proditoris Judæ exemplum, primò scelus confitentis, Matth. 27. v. 4. deindè se suspendentis l. c. clare testatur.

5. *Per fulminis Ecclesiastici jaculum*, quod impœnitentibus & incredulis, nisi pœnitentiam egerint, vi clavis ligantis, quam Christus Ecclesiæ tradidit, Joh. 20. v. 23. ex suggestu vel in confessione annuntiatur, quo ipso efficaciter judicantur, & corpore & anima ligati Satanæ traduntur, sicut Paulus incestuosum hoc modo excommunicavit, & judicavit, 1. Corinth. 5. v. 5.

Hæc judicia omnia in hoc mundo super impios veniunt, quæ sanè omninò terribilia sunt. Sed terribilius longè judicium exsequetur die novissimo, quando impii & increduli, judici infernali, & multis myriadibus Diabolorum cruciandi tradentur, ubi commanducabunt linguas suas præ dolore, Apoc. 16. vers. 10. quia Jesum in ore suo non confessi sunt Dominum, nec corde suo crediderunt, quod Deus illum suscitarit ex mortuis, Rom. 10. v. 9.

Quilibet proinde incredulitatem fugiat: Qui enim incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, Joh. 3. v. ult.

III. *Mundum malitiæ receptaculum.* Mundus omnis malitiæ seminarium est, homines enim diligunt tenebras, & quidem magis, quam lucem, ideoque opera eorum mala esse, Servator adserit.

In mundo est concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ, 1. Joh. 2. v. 16. hoc ipso seducimur ad iniquitatem, & non raro corda innocentium, Rom. 16. vers. 19. Hinc Lutherus mundum stabulum pessimorum hominum appellitat.

In mundo sunt sagæ & venefici, qui se ad nutum Diaboli componunt, ejusque mandata exsequuntur.

In mundo occurrunt hæretici & Sophistæ, per quos Diabolus zizania falsæ doctrinæ spargit, & homines corrumpit.

In mundo inveniuntur varia scandala, quibus in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi, Matth. 24. vers. 24.

Hæc innumera peccata & flagitia in mundo in filiis incredulitatis aluntur, & perpetrantur, ut rectè dixerit David: Circumquaque impii obambulant, cum exaltantur leves inter filios hominum, Psal. 12. v. 9.

Mundus quasi nova Babel est, in quâ variæ confusiones occurrunt, Genes. 11. vers. 9. hîc nobis vox cœlestis acclamat: Exite, de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis, Apoc. 18. vers. 4. Salvate animas vestras, ut Angelus ad Lothum dixit, Genes. 19. vers. 17. & Paulus quoque monet nos, ut quæ retrò sunt obliviscentes, ad ea quæ priora sunt nos extendamus, ad scopum & ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Philipp. 3. vers. 13. 14.



De Se-

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Dei collectione.* Sic enim Deus dilexit mundum. Hæc dilectio est

1. *Cordialis*, quod indicat vocula *Sic*, quæ respicit donum è dilectione promanans, quod est Filius Dei, cùm Christus inquit: Sic Deus dilexit mundum. Quomodo dilexit? Ut Filium suum unigenitum daret. Verè hæc dilectio cordialis est, de quâ totus mundus gloriari potest:

Cor flexit ad me patrium
Perquàm profectò serium
Nec optimo pepercit.

Non verò tantùm Deus Filium suum nobis dedit, sed & in ignominiosam & acerbissimam crucis mortem pro nobis tradidit, ubi quasi vermis fuit, & non homo: opprobrium hominum & abjectio plebis, & clamavit: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti, Psal. 22. v. 1. 7. Quis hîc non exclamaret? Diligit populos! Deut. 33. v. 3. Quid est homo, quod memor es ejus, & filius hominis, quoniam visitas eum? Psal. 8. v. 5. hîc verè commota sunt viscera Dei, ut miserans misertus sit nostrûm, Jerem. 31. v. 20.

2. *Universalis.* Id vox mundi innuit, quando Christus ait: *Mundum* Deus dilexit. Per mundum Reformati solos Electos intelligi volunt, sed adeò perperam, ut vel ipse Crocius vi veritatis adactus diversum confessus sit, inquiens: *Christus hic per mundum non intelligit Electos tantùm, prout jam à mundo separati sunt: sed totum genus humanum universè sumtum, prout natura in peccato jacet.* Extendit se igitur hæc dilectio super totum mundum, qui ex credentibus & incredulis consistit.

3. *Realis.* Dedit *Filium suum unigenitum.* Perpendite Vos mei! quid animi haberet probus aliquis Pater, si filium suum, eumque unigenitum, pro peregrino, & quidem nefario malefico in mortem tradere compellaretur, non credo quemquam eò adactum iri. Hoc verò Deus ex summo amore & infinitâ misericordia fecit, & quidem cum adhuc peccatores & inimici essemus, 1. Joh. 4. v. 9. 10.

Hinc igitur efficax solatium capere potes, mi Christiane! Quia Deus mundum dilexit, non igitur est, quod dubites de dilectione divinâ, sed cum Paulo potius dicere vales: Si Deus proprio Filio suo non pepercit, sed pro me tradidit illum: quomodo etiam non cum illo donaret mihi omnia? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli &c. Rom. 8. v. 32. 38. 39.

II. *Ex mundi per Christum salvatione*, sicut Christus in hoc ipsum in mundum se venisse, profitetur. Angelus quoque Gabriel conceptionem ejus annuncians ait, quod nomen ejus Jesus vocari debeat, quoniam salvum facturus sit populum suum à peccatis eorum, Matth. 1. v. 21.

In Concilio Hierosolymitano ait Petrus: Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, sicut & Patres V. Test. Act. 15. v. 11. Ubi Christus fundamentum salutis tàm salvatorum in V. T. quàm salvandorum in N. T. constituitur, qui est benedictum illud mulieris Semen, quod contrivit caput serpentis, Gen. 3. v. 15. quem & multi Patriarchæ, Reges & Prophetæ, quamvis non per speciem, sed per fidem

viderunt, ficut id de Abrahamo Christus afferit, Joh. 8. v. 56.

Sic & in N. T. fundamentum ille manet. Non enim in alio aliquo salus, Act. 4. v. 12. Et fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Jesus Christus, 1. Cor. 3. v. 11.

Hoc fundamentum & petram salutis nostræ, Diabolus destructum it, quando animis tentatis tela sua ignita immittit, quod propter peccatorum multitudinem sibi ad judicium infernale tradendi sint, quo ipso nihil nisi desperationem eorum efficere tentat. Veruntamen, licet Christus à Patre suo cœlesti judex vivorum & mortuorum constitutus sit: non tamen in tempore gratiæ dum hodiè dicitur, morti nos traditurus est: sed quia est resurrectio multorum in Israel, Luc. 2. v. 34. omnes laborantes & oneratos peccatores refecturus est, Matth. 11. v. 23. Potes itaque Satanæ tentanti respondere: Quis accusabit adversus me? Deus est qui justificat, Rom. 8. v. 33.

III. *Ex privilegii exemtionis à judicio, fruitione.* Hinc Christus: Qui in Filium credit, non judicatur.

Hoc ut intelligas, sciendum est, divinum judicium esse, in quo juxtà rigorem legis tota natura & vita hominis inquiritur, utrùm in omnibus Dei mandatis ambulaverit sincerè & sine hypocrisi. Quia verò nemo justificaretur in conspectu ejus, si intrare nobiscum in judicium vellet, Psalm. 143. v. 3. Filium suum, qui quæ non rapuit exsolvit, Psal. 69. v. 5. in hoc judicium citavit, eumque ut vadem pro nobis, qui solvendo non fuimus, ad solutionem adstrinxit, judicium suum in eo exequendo, & hoc ipso Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, Galat. 3 v. 13.

Quicunque igitur in Christum credunt, privilegio gaudent, quod in rigoroso hoc legis judicio comparere non teneantur.

Deinde quoque Pater Filio potestatem dedit judicium facere, Joh. 5. v. 27. hic verò pro tribunali legis thronum gratiæ constituit, Hebr. 4. v. 16. ad quem appellare possumus, quando lex nos citatura & damnatura est: siquidem ab hoc judicio exempti & immunes sumus, ex hâc ipsa ratione. quia Christus illi pro membris suis satisfecit. Ita nemo, qui in Filium Dei credit, judicatur, quem Deus misit factum sub lege, ut nos, qui sub lege eramus, redimeret, ut adoptionem filiorum acciperemus, Gal. 4. v. 5.

Licet igitur in Christum credentes, die novissimo in judicium venturi sint, attamen non venient in judicium condemnationis: sed ut absoluti in eo à damnatione, ad vitam æternam vocentur, & vocem Christi audiant: Venite benedicti Patris mei, hæreditariò accipite Regnum, quod paratum vobis est, ab exordio mundi, Matth. 25. v. 34.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *In Christum crede.* In prælecto Evangelio audimus, Deum Filium suum ideò mundo dedisse, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Ex quo hæc adhortatio fluit: *Nisi damnari vis, crede in Christum.*

Idipsum

Idipsum præfiguratum nobis est, typo ænei serpentis, quem Moses jussu Dei in deserto erexit, quo Israelitæ à morsu serpentum ignitorum sanati sunt, Num. 21. v. 8. Ita, dicit Salvator, exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat: sed habeat vitam æternam.

Credamus igitur in Christum, ejusque beneficia, quæ peperit nobis, verâ fiducia applicemus, eumque ut Servatorem nostrum honoremus & prædicemus: nec minus fidem in eum adeò demonstremus, ut quilibet, nos discipulos ejus esse, cognoscat, Joh. 13. v. 35.

Sed caveamus, ne fides modò sit *verbalis*, quæ minimè salvat: Non enim omnes qui dicunt Domine, Domine, intrabunt in Regnum cœlorum, Matth. 7. v. 21.

Videamus ne sit fides *mortua*. Ideò Paulus ait: Vosmet ipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate, 2. Cor. 13. v. 5. Ubi viva fides, ibi etiam spiritualis vita in Deo est, ut talis cum Paulo dicere possit: Vivo jam non ego, vivit verò Christus in me, Gal 2. v. 20.

Fides *caritate carens*, etiam nihil ad salutem confert, vera enim fides per caritatem efficax est, Gal. 5. v. 6.

Nec *fides solatio destituens* quicquam prodest, quæ in æstu tentationum non consistit. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo: & ideò non protegentur ab eo, Sir. 2. v. 15.

Fides *sine operibus* & ipsa inutilis est: Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est; ita & fides sine operibus mortua est, ideoque Jacobus visibilem fidem requirit, dicens: Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, Jac. 2. v. 18. 26. Matth. 5. v. 26.

Tandem quoque vitam æternam consequi non potest *dubitans fides*, hæsitans enim nihil accipit à Domino, Jac. 1. v. 7. sed *firma & immota fiducia*, quæ fundamento & lapidi angulari Christo innititur, & certa est, quod Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris, Phil. 2. v. 11. Qui hoc credit, quod Jesus Filius Dei est, mundum vincit, 1. Joh. 5. v. 5.

II. *Opera tenebrarum fuge*. Id Christus innuit, quando opera tenebrarum mala vocat, quæ arguantur, nisi vitentur. Hoc ipso vero non modò id intelligit, quod verbo Dei revelato adversum est, idemque obfuscat, quales sunt traditiones & hominum inventa, propriæ interpretationes & detorsiones, quibus scripta Prophetarum & Apostolorum magis obscurantur, quàm illustrantur: sed & opera infructuosa tenebrarum, Ephes. 5. v. 11. quæ Paulus exprimit, Rom. 13. v. 13. Galat. 5. v. 19. seqq.

Hæc & similia opera tenebrarum appellantur, quia instinctu Satanæ Principis tenebrarum, Eph. 6. v. 12. fiunt, & plerumque etiam in tenebris peraguntur, ideoque æternis tenebris puniuntur, Matth. 8. v. 12. c. 22. v. 13.

Quod si igitur tibi lux divinæ agnitionis lucere debet, surgas oportet è naturalibus tenebris, ut te Christus illuminet, Ephes. 5. v. 14. Esa. 60. v. 1. & fies lux in Domino, Ephes. 5. v. 8. Hâc ipsa de causa frequenter cum Ecclesiâ suspires:

Du heiliges Licht/ edler Hort/
Laß uns leuchten deß Lebens Wort/
Und

David talem quæstionem instituit: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo: Aut quis requiescet, in monte sancto tuo? Et respondet sibi ipsi: Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam: qui loquitur veritatem in corde suo, Psalm. 15. v. 1. 2. 3.

Quicunque igitur habitaturus est in monte sancto Dei, loquatur veritatem cum proximo suo, Ephes. 4. v. 25. valedicat omni simultati & hypocrisi, & Christus, qui est veritas ipsa, Joh. 14. v. 6. aperiet ei januam ad vitam, ubi cum Domino semper erit, 1. Thess. 4. v. 17. Fiat ita, Amen.

IN FERIA III. PENTECOSTES.

Evangelium Joh. 10. *v.* 1.—11.

EXORDIUM.

De Protoplastis legimus, quod postquam neglecto Dei mandato, de arbore vetita comederint, justissimus Deus Paradiso ejecerit eosdem, collocaritque ab oriente horti Eden, Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ, Gen. 3. v. 24.

De hâc Paradisi per Cherubim factâ conclusione, variæ sunt Interpretum opiniones, inter quas menti Scripturæ quam proximè accedere videntur, Athanasius, Chrysostomus & Hieronymus, aliique eruditi, qui per vocem Cherubim Angelos intellexerunt, & quod Deus viam Paradisi per peculiares Angelos custodierit, crediderunt.

Cherubim verò hic flammeo atq; versatili gladio armatus fuit. Ubi iterũ Interpretes in diversas abeunt sententias. Lombardus gladio hoc igneam Angelorum custodiam denotari autumat. Munsterus gladium strictum, & flammæ instar coruscantem fuisse, sentit. Lutherus non ferrum & ensem propriè dictum, sed speciem duntaxat, gladii instar, micantem & quasi fulgurantem, habuisse, probabiliter asserit: sicut in festo Pentecostes Apostolorum linguæ tanquam ignis dispertitæ fuerunt, sic & Angelos, ignem de se spirasse, qui in omnia loca se dissipaverit, ut nemini aditus ad Paradisum patuerit.

Quicquid sit, Protoplastos nostros Paradisi exules factos, eumq; ita conclusum, ut nullo modo redire in eum illis licuerit, in proptulo est.

Quemadmodum verò hortus Eden, sive Paradisus egregius typus & militantis & triumphantis Ecclesiæ est: Ita etiam custodia Paradisi & Protoplastorum exclusio, imago est ingentis miseriæ, in quâ nos posteri Adami omnes naturâ versamur, dum propter inhærens peccatum, cùm ex Ecclesiæ, tum ex cœli Paradiso, ejecti, & postquam Deus igneum suum Zelum, quasi pessulum obdidit exclusi, exclusissimi, & ut Paulus loquitur, alienati à Repub. Israel, spem non habentes, & sine Deo sumus, Eph. 2. v. 12.

In hâc ineffabili miseria hîc temporaliter,

ter, & ibi in æternum nobis pereundum fuisset: nisi æternus Dei Filius ex indebito amore nostrûm misertus esset. Hic sanctissimo merito suo viam ad Paradisum, ob peccata conclusum, vicissim aperuit, nobisque tam ad triumphantem, quàm militantem Ecclesiam, & omnia gratiæ & cœlestia bona aditum patefecit, ut jam in, cum eo, & per eum per clausam Sanctuarii portam ingredi, Ezech. 44. v. 2. & cum cœlesti perruptore perrumpere, & gradi per portam & egredi per eam queamus, Mich. 2. v. 13.

Ratione hujus apertionis, & introductionis in gratiæ & gloriæ Paradisum, Christus in prælecta Pericope se ostium, & quidem unicum appellat, per quod salvandos ingredi oporteat. Nos juxta methodum nostram videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

QUod de Servatore nostro Regius Phonascus Assaph prædixit, quod nimirum aperturus sit in parabolis os suum, Psal. 78. v. 2. id in diebus carnis, tempore sanctissimi Ministerii sui præclarè implevit, ut Matthæus testatur, cap. 13. vers. 34. 35.

Ideam parabolarum istiusmodi proponit prælecta Pericope, in qua Doctor eruditæ linguæ, officium & beneficia sua egregiè adumbrat, in parabola de pastore & ovili. Ubi *Querelam* movet

I. *Janua vera neglectum.* Christus de se ipso testatur, in hodierno Evangelio, quod unicum ostium ovium in ovile Ecclesiæ, & consequenter in vitam æternam sit, per quod unicè salutariter possimus intrare. Verum plurimi hoc ostium negligunt & aspernantur, dum alia ostia fingunt, per quæ intrare satagunt. Nolumus jam illorum, qui extrà Ecclesiam sunt, & Christum tanquam verum ostium abjiciunt, mentionem facere: sed horum duntaxat, qui Christianam Religionem & Christianos se profitentur. Ex his spernunt hoc ostium

1. *Haretici.* Est quippe per ostium intrare, per Christum ad Ecclesiæ congregationem oviculas sive animas introducere. Christus siquidem solus caussa actualis salutis nostræ est, ut in præsenti Evangelio ait: Ego sum ostium ovium: quod alibi sic effert: Ego sum via, & veritas, & vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me, Joh. 14. v. 6. Confer Act. 4. v. 12. 1. Cor. 3. v. 11. 1. Tim. 2. v. 5.

Quicunque Pastores igitur Auditores suos ad alios Mediatores relegant, illi contemnunt unicum & verum ostium, nec per illud ingrediuntur, sed frustrà aliud, at prohibitum & fallax ostium quærunt. Fit hoc in Papatu, ubi secundum numerum civitatum, pagorum, delubrorum, sacellorum, & altarium Deos sibi statuerunt, Jer. 2. v. 28. Quotquot igitur ibi Angeli, Arch-Angeli, & sancti demortui invocantur, tot Mediatores Christo adjunguntur, tot ostia juxta unicum & verum ostium confinguntur. Imprimis vero B. Maria *porta gratiæ & porta cæli* salutatur, Petrus verò *ostiarius cæli* constituitur & colitur.

Hæc & alia ab Hæreticis conficta ostia fugiamus, recordantes, quod Christus solus

solus ostium ovium, & porta gratiæ & gloriæ sit, per quam qui intrant, salutem consequuntur: sicut qui hoc ostium spernunt, & aliud quærunt, multiplicant molestos labores suos, Psal.16.v.4. & à salute excidunt.

Homo ille detestabilis,
Remotus à salute:
In carne cui solaminis
Spes, non Dei virtute.
Qui namque Numen alterum
Eliget, hoc abjecit,
Hunc Dæmonis mox orphanum
Vis & dolus terrebit.

2. *Doctores ἀυλλη̃ς.* Per ostium intrare, est etiam per ordinariam vocationem Ministerium obire. Hîc verò neminem adeò temerarium esse conveniret, ut sine legitimâ vocatione verbum docere & Sacramenta administrare auderet; Per Christum solum Ecclesiæ ovile intrare, non aliundè, ut fur & latro, licet. Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam & Aaron, Hebr.5.v.4.5.

O quot verum ostium prætereunt, & aliundè in ovile se insinuant. Multos πολυπραγμοσύνη agitat, ut ad Ministerium verbi contendant, quod tamen ipsis non demandatum, sicut Ozias Rex adulturus incensum, & ob hanc caussam leprâ percussus, 2.Chron.26.v.16. seqq.

Alii fraudibus aut violentia se ingerunt, uti Pontifices tempore Christi, nec non Bonifacius IIX. de quo Platina, quod intraverit ut vulpes, regnaverit ut Leo, mortuus sit ut Canis. Cujus adhuc hodiè vestigia multi legunt.

Alii in scalâ favoris per ostium affinitatis, cognationis, lustricæ necessitudinis, aut aliûs amicitiæ introeunt in ovile, aut per funem argenteum se immittunt, ut Simon Magus, Act 8.v.19.20. aut alio modo illegitimo se insinuant.

Proinde non modo illi, qui Episcopatum, ut bonum opus desiderant, 1.Tim.3.v.1. probe caveant sibi, ne aliunde quam per unicum ostium Christum in ovile intrent: ne seipsos tanquam fures & latrones coram Deo & totâ Ecclesiâ pudefaciant, & in numerum Currentium veniant, de quibus Deus ipse conqueritur: Currebant, & non mittebam eos, Jerem.23.v.21. Sed & illi qui jus Patronatus sive Episcopale exercent, solliciti sint, ne temerè ex favore vel alio præpostero affectu, manus cuiquam imponant, neque alienis peccatis communicent, 1. Tim.5.v.22. ne quis eorum incuria aliunde, quam per unicum ostium Christum, tanquam fur & latro introeat.

II. *Falsorum pastorum dolus noxius*, quo animas oviculatum peremtum eunt. Christus eos in præsentia fures & latrones appellitat, inquiens: Qui aliunde adscendit, fur est & latro. Et iterum: Omnes, quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones, hoc est, ut Philippus explicat: qui non venerunt me mittente, seu non ducente me, sine meo Evangelio, & me neglecto. Et iterum: Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet & perdat.

In quibus verbis Servator dilucidè indicat, quantam perniciem falsi Doctores & Pastores afferant. Videri quidem volunt oviculis prodesse, sed incommodant illis. Videntur ipsis bonum afferre, & furantur optimum. Videntur ipsis

patrocinio esse, & miserè interficiunt illas. Verè ergò fures & latrones sunt.

Fures sunt, quia non per ostium in ovile intrant, sed ut fures facere amant, aliundè adscendunt.

Fures sunt, quia nomina & encomia, quæ bonis duntaxat pastoribus conveniunt furantur, & præter fas & æquum sibi arrogant, cum tamen omine careant. Fures porrò sunt, quia panē in peccatis comedunt, piis Ecclesiæ pastoribus bolum è faucibus eripiunt, bona, quæ ad gloriam Dei, ejusque cultum ordinara sunt, fraude & violentiâ ad se rapiunt, privant hæredes genuinos hæreditate, comedunt domus viduarum, orationes longes orantes, Matth.23.v.14. Vide Jud. Epist. vers.12. Ezech.34.v.1. seqq.

In specie verò fures sunt, quia ovibus, hoc est, animabus pascua verbi salvifici salutaria subtrahunt, easdemque optimo thesauro, fide & salute privant, quæ sanè furti ἀκμὴ est, nec ab alio fure quodcunque etiam fureiur, superari potest.

Non verò saltem fures, sed & sunt

2. *Latrones.* Quemadmodum alias hæc duo vitia cognata sunt, ut historia & experientia ipsa probat: ita etiam in Pseudo-Prophetis hæc duo conveniunt.

Latrones partim ideò sunt, quia sæpè atrocia bella & cædes excitant, partim propterea, quia animas, quas Filius Dei sanguine suo acquisivit, Act.20.v.28. crudeliter trucidant, & morti æternæ tradunt. En damnum maximum nullaque ratione unquam resarciendum! Magna quidem jactura est, si quis vitam temporariam amittat: verùm si æternā vita amittitur, maxima meritò censenda est. Quam enim dabit homo commutationem pro animâ suâ? Matth.16.v.26. Nullā omninò. Non enim dabit pretium redemtionis animæ suæ, Psal.49.v.9.

III. *Hæreticorum amplexus.* Christus in hodiernâ Pericope hanc veræ Christicolæ notam facit, quod non sequatur alienum: sed fugiat ab eo. Unde colligere ex adverso est, nullo modò excusari posse, si falsi Doctores adeò non vitentur, ut potius cū iisdem amicè converseris. Hoc verò fit, si ex merâ curiositate conciones heterodoxorum adeas, eorum Ceremoniis delecteris, iisque te conformes. Quâ in parte cumprimis illi peccant, qui per Papisticas Regiones peregrinātes, idololatrici cultus participes evadunt, dum omnes eorū Ceremonias superstitiosas, genu flectendo, pectus percutiendo, cruce se signando, aquâ lustrali se conspergendo hypocriticè æmulantur: sed & eò temeritatis deveniunt, ut apud ipsos confiteantur, aut minimum literas confessionales pretio emant, quin & sæpe meretricis Babylonicæ pedes osculentur. Quod quamvis à multis peccatum non habeatur, attamen si ad hodiernum Evangelium conferas, satis apparet, maximum & enorme peccatum & hypocrisin esse, quâ Christi interdictum, quod à furibus & latronibus, aliisque falsis Doctoribus cavere tibi debeas, non modo negligitur: sed & ore & gestibus ille abnegatur, dum falsæ religionis cultor videri gestis. Præterea hoc ipso sanctus Religionis Zelus, omnesque qui hypocrisin hanc detestantur, despiciuntur, & vilipenduntur, proximus offenditur, pii contristantur, conscientia vulneratur, via ad Apostasiam sternitur,

& su-

& super hæc omnia justissimus Deus ad justam vindictam promovetur. Quinimò quia ejusmodi homo commercium cum furibus & latronibus habet, facilè fieri potest, ut ab iisdem spolietur, interficiatur, & salute animæ privetur. Unde summâ cautione, ne damnum irreparabile contrahas, opus erit.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Ecclesia cum ovili comparatione.* Ovile nihil splendoris aut decoris habet: non altis turribus ornatur, non multis conclavibus distinguitur, non vallibus & muris, sed exili sepimento cingitur. Nihilominus ejusmodi pecoribus repletum est, quæ lanâ, lacte, pellibus, intestinis, carne & sanguine hominibus & in morte & in vitâ magnum emolumentum afferunt, quibus etiam propter simplicitatem, probitatem, mansuetudinem, svavitatem & patientiam homo ex animo favet.

Eodem modo comparatum est cum Ecclesia Dei, in his terris, quæ quidem in oculis Dei, & ab intus, plena gloriæ est, Psal. 45. v. 14. exterius verò nullâ pompâ, nullo splendore, nullâ Majestate valet, quale quid in Anti-Christiana Ecclesia vides.

Sicut autem omnis mundi pompa & gloria, in oculis Dei nihil valet; ita etiam externa Ecclesiæ facies, utut vilis & despecta à Deo non attenditur. Est illa ovile, nec amplius quicquam. Sufficit, quod in eâ piæ mentes inveniuntur, qui voci Pastoris Christi obediunt, fide per illum intrant, & caritate ad proximum suum egrediuntur: Vivunt pacificè, sunt in cruce patientes, in spe gaudentes, ergà offensores mansveti, proximo pro omnibus facultatibus utiles.

Quodsi exterior pompa, & multitudo Antistitum in mundo quicquam valeret, Pharisæi & Pontifices, cum Senioribus & Principibus populi, tempore Christi vera Ecclesia fuissent: Christus verò cum despectis, miseris iisque paucissimis asseclis, ad falsam Ecclesiam referendus esset, qui tamen gloriam veræ Ecclesiæ semper conservavit, & usque ad finem conservaturus est.

Nos pompam hujus mundi Anti-Christo, & filius seculi hujus, relinquimus, nec veremur viliores fieri plus, quàm facti sumus, 2. Sam. 6. v. 22. nihil dubitantes, quin Christus cornua hædorum, quibus superbierunt, aliquando confracturus, eosdem ab oviculis separaturus, & à sinistris staturus sit: Ubi contrà simplices, probas & patientes oviculas, quæ hîc vili hospitio contentæ fuerunt, ex ovili terreno liberaturus, à dextris collocaturus, & in Regnum Patris perducturus est, Matth. 25. 33.

II. *Ex ostii reseratione.* Quemadmodum in ædes nullus ingressus patet, nisi per ostium: ita nulla via, nullus introitus ad Ecclesiam & salutem est, nisi per Christum. Quemadmodum verò ostium occlusum aperiendum est, si per illud transire velis: Ita etiam Ecclesiæ janua reseranda est, si ingredi per illam velimus. Hoc verò officium præstat nobis Spiritus sanctus, quem Christus hîc Ostiarium vocat. A nobis ipsis januam non invenire nedum aperire possumus: non sumus idonei ex propria ratione & virtute, ut in Jesum Christum Dominum nostrum credamus & ad eum veniamus: Idem fit nobis, quod Sodomitis,

mitis, qui cœcitate percussi, ostium Lothi invenire non poterant, Gen.19.v.11. ita nec nos ob innatam cœcitatem januam Ecclesiæ & cœli reperire possumus. Sed hîc Spiritus sanctus, sine quo Jesum Dominum non dicere possumus, 1.Cor.12.v.3. opem nobis fert, fungitur apud nos officio fidelis ostiarii, ducit nos ad hoc ostium, idemque aperit. Et ne fortè patefacturus ostium impediatur, aperit nobis antè

I. *Portam aurium.* Hanc portam Diabolus pessulo suo munivit, quando hominibus aures obstruxit, ut ad verbum divinum surdescant, aut ad illud audiendum languescant, ut Deus ipse conqueritur, Esa.30. v.9. Esa.42 v.20. hîc verò Ostiarius Spiritus S. operosus est, qui remoto obice, inter auditum verbi, aures hominum aperit, ut verbum divinum cum devotione & studio audiant. Quod beneficium dudum promisit Esaias, dicens: Et audient in die illâ surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæterorum videbunt, Esa.29.v.18.19.

2. *Portam Cordis.* Cor hominis naturâ obduratum est, sicut janua incommoda est, si aliquamdiu non aperiatur: hîc Ezechiel de domo Israel, & Stephanus de Auditoribus suis queri coguntur, quod rebelles sint, indomabili corde, dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, qui semper Spiritui sancto resistant, Ezech.2, v.5. Act.7. v.51.

Spiritus sanctus verò benedictus ille Ostiarius est, qui ostium rubiginosum & asperum cordis humani lapidei reserat, & creat cor mundum, carneum & novum Ps.51.v.12. Ez.36.v.26.27. Cujus rei præclara specimina in festo Pentecostes edidit, ubi tria millia una Petri concione conversa legimus, Actor.2.v.41. & in Lydia, Act.16. v.24.

3. *Portam voluntatis.* Voluntas hominis pòst lapsum planè depravata est, ut & renati cum Paulo queri cogantur, Video aliam legem in membris, Rom.7.v.24. Hîc iterum ostiarius hic voluntatem nostram perversam emendat, eamque Deo gratam facit, Phil.2.v.13. Et sicut Samuel de Saule dicit, quod postquam Spiritus Dei in illum insilierit, mutatus sit in virum alium, 1.Sam.10.v.6. Ita Spiritus S. ex incredulo credentem, ex vitioso virtutis amantem, ex terreno cœlestia anhelantem, ex peccatore justum facit, qui delectetur lege Dei secundum interiorem hominē, Rom.7.23.

4. *Portam linguæ.* Hæc sæpè intercluditur, ut si homo Deum invocare, celebrare, confiteri, gratias agere, veritatem & meliora quæque de proximo loqui debeat, planè obmutescat: ex adverso verò ad blasphemias, exsecrationes, juramenta, mendacia & calumnias nimium vocalis fit. Spiritus vero sanctus, tanquam cœlestis ostiarius recludit eam ad verum & salutarem usum, solvit vincula ejus, & aperit labia ut os nostrum annunciet laudem Dei, Ps. 51.17. dat nobis quid in loco confessionis loquamur, Matt.10.17. & prohibet, ne sermo spurcus ex ore nostro procedat, Ephes. 4.v.29. En Ostiarum gratissimum! Beati, quibus ille ostium pandit, illi per Christum in Ecclesiam, & ex illa in vitam æternam sine dubio introibunt.

III. *Ex beneficiorum Christi participatione.* Quicunque per ostiū hoc intrabunt, erunt

1. *Ab omni periculo immunes.* Janua hunc usum habet, ut illos, qui per eam intrarunt, ab omni violentia tutos præstet, & hostes exclu-

excludat. Cum Noah arcam ingressus esset, & Dominus eum de foris inclusisset, diluvium, quod omnes perimebat, ei damnum inferre non potuit, Genes.7.v.16. Similiter cum Angeli ostium clausissent, Lothus extrà periculum fuit, Gen.19.v.11. Sic Christus Jesus spirituale ostium custodiet, contrà tempestatem iræ divinæ, maledictionem legis, & omnium quà corporalium, quà spiritualium hostium impetum: non plaga appropinquabit tabernaculo tuo, Psal.91.v.10.

2. *Ingredientes & egredientes.* Ingrediemini & egrediemini in *vocatione vestra*. Benedicti eritis ingredientes & egredientes, Deut.28.v.6. Ingrediemini & egrediemini in *Christianismo* vestro. Ingreditur (homo Christianus) fide, egreditur operibus, quia fides per opera vivida est. Deindè ingreditur cogitatione, egreditur confessione, quia corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Ingrediemini & egrediemini *in hora mortis*, nempè è valle hâc lacrymarum in vitam cœlestem, ubi omnis miseriæ exitus & æternæ gloriæ ingressus & initium erit.

3. *Pascua invenientes.* Hîc salutare verbi salvifici pascuum, cibo, potu, vestitu & omni abundantia refertum est: ibi vero pascua Paradisi invenietis, ita ut hic & illic in illo nihil non invenietis: Sicut eritis

4. *Salutem possidentes.* Dicit enim: Per me si quis introierit, salvabitur.

Hinc Ecclesia:

At vos pòst multa tristia,
Æterna agetis gaudia,
Huc unicè anhelandum:
Non ullus est mortalium,
Qui ponderabit præmium,
Vobis quod expectandum.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Ostium agnosce.* Ego sum ostium, inquit Salvator, Ego & nemo alius. Ego sum ostium, quod ducit ad domum Dei, & omnes thesauros cœlestes, tàm hic in Regno gratiæ, quàm ibi in Regno gloriæ. Hîc nostrum erit, ut per illud decenter ingrediamur. Primus ingressus fit in baptismate; quia verò per peccata sæpè recedimus, & ab ostio aberramus, denuò intreèamus, per seriam pœnitentiam, per devotam orationem, & sedulam vestigiorum Christi sequelam: dum ultimus gradus in morte fiat, & cum pio illo Uratislaviensi Pastore Luca Pollione dicamus: Nunc eo in vitam æternam.

Sed accurata cautione opus est, ne propria culpâ januam hanc ipsi intercludamus nobis, sicut Epicurei & præfracti peccatores faciunt: quodsi enim hæc janua occlusa est, quomodo in ovile Ecclesiæ & in vitam æternam intrabimus? Nonne idem eveniret nobis, quod fatuis virginibus? Matth.25.v.10. & v.41.46.

II. *Pastores dignosce.* Pientissimus noster Servator diversa indicia suppeditat, quibus veros animarum Pastores, à Pseudo-Pastoribus dignoscere queamus.

Genuini Doctores & Pastores per ostium in ovile intrant: h.e. gaudent verâ eaque divinâ vocatione, & oviculas suas unicè ad Christum, magnum illum ovium Pastorem relegant, qui unicum ostium salu-

salutis est, ut suprà indicavimus. Pseudo-Pastores aliunde insinuant se, destituuntur verâ vocatione, astu aut violentia in Ministerium se ingerunt, aut prædicant hominum placita, quibus auditores suos à verâ januâ abducunt. Orthodoxis Pastoribus Ostiarius Spiritus sanctus ostium aperit: heterodoxis non item. Veri Pastores oves suas vocant nominatim, instruunt ignorantes, reprehendunt malitiosos, solantur pœnitentes, confirmant infirmos, monent errantes: Pseudo Pastores sunt canes muti, non valentes latrare, Esa. 56. v. 10. faciunt mendacium, Jer. 6. v. 13. loquuntur placentia, Esa. 30. v. 10. impios non monent: mœstos verò & contritos sine solatio petire sinunt.

Veri Pastores oviculas suas educunt in pascua virentia Scripturæ, ad limpidos fontes Israelis, & verbum sine humanis adinventionibus prædicant: tùm & ad Sacramenta, quæ juxtà Christi institutionem dispensant. Pseudo-Pastores verò easdem à Scriptura abducunt ad hominum traditiones, Pontificis Decreta, Concilia, Patres, nec Sacramenta ritè administrant.

Veri Pastores gregem suum antecedunt, cùm salutari doctrinâ, tùm sancta vita: falsi Pastores autem falsa doctrina & profana vel hypocritica vita, habentes speciem pietatis, sed virtutem ejus abnegantes, 2. Tim. 3. v. 5.

Has verorum & falsorum Pastorum notas accuratè observemus, & quando ex illis cognoscimus, quod Deus nobis orthodoxos & pios Pastores concesserit, gratias agamus ei, & noverimus eos, qui laborant inter nos, & præsunt nobis in Domino, & monent nos: ut habeamus illos abundantius in caritate, propter opus illorum, pacem habentes cum eis, 1. Thess. 5. v. 12. 13. Qui verò falsorum κριτήρια gerunt, eos caveamus, Matth. 7. v. 15. devitemusque scientes, quod subversi sint, Tit. 3. v. 11. 2. Tim. 2. v. 17.

III. *Ab oviculis disce.* Variæ sunt ovium proprietates, ex quibus hâc vice eas saltem attingemus, quarum Evangelium præsens mentio facit. Et quidem

1. *Ovicula libenter in ovili & mandris sunt*, cum aliis ovibus: Ita Christianus libenter in ovili Ecclesiæ, ubi fideles oviculæ in conversatione sancta congregatæ sunt, esse debet, ut cum Davide dicere possit: Odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo, Psal. 26. v. 5. 6. 7.

2. *Oves vocem Pastoris sui agnoscunt*, alienorum verò vocem non noverunt. Sic verus Christianus vocem Christi tanquam Archi-Episcopi agnoscat, sicut eam quotidiè in verbo suo & ex ore Vice-Pastorum proponit, eamque amet. Hæc vox Dilecti mei! ait fidelis ovicula, quotiescunque vel admonitionem, vel doctrinam, vel consolationem ex verbo Dei audit, Cant. 2. v. 8. & hoc τεκμήριον ipse Servator oviculatum suarum facit, Joh. 10. v. 27. Joh. 8. v. 51. E contrario verò vocem alienam heterodoxorum, & Pseudo-Prophetarum fugiat, nec blandis eorum verborum lenocinius, à semel agnitâ veritate se abduci sinat. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis, 2. Joh. 10.

3. *Oves pastorem suum sequuntur*, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo. Hoc ipsum fidelis Christi ovicula notet, ut non modò Ἀρχιποίμενα Christum Jesum sequa-

ſequatur, verbo & veſtigiis ejuſdem inſiſtat, ſeque neque divitiis & opibus, fraude vel violentia, hæreſi vel tyrannide, damno vel compendio averti patiatur: Sed Sub-Paſtoribus quoque, quos Chriſtus ipſe propoſuit, obtemperet, ad eorumque nutum ſe componat, juxta illud: Obedite præpoſitis veſtris, & parete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis, Hebr. 13. v.16.17. Quò & ipſe aliquando hos paſtores ſuos, præprimis verò Archi-Epiſcopum Chriſtum Jeſum, ſive in horâ mortis, ſive die extremo, ubi univerſalis ille mundi judex oviculas à dextris ſuis ſiſtet, eos antecedet, comitabitur & ducet, ſequatur in vitam æternam, quam in ſincerâ fide, & immotâ ſpe exſpectamus, à Domino noſtro

JESU CHRISTO,

Amen.

IN DIE FESTO JOHANNIS BAPTISTÆ.

Evangelium Luc. 1. *v.* 57. -- 80.

EXORDIUM.

IN V. T. celebris fuit Elias, non modò ob vitæ auſteritatem, ſiquidem Zonâ pelliceâ velut cilicio ad renes accinctus fuit, 2.Reg.1.v.8. & à corvis paſtus in deſerto non niſi frigidam de flumine Crith bibit, 1.Reg.17.v.4.ſeqq. Sed & propter Zeli pietatem, quo cultum divinum inſtauravit, & peccata in magnis & parvis ita arguit, ut neque Achabo & conjugi ejus pepercerit, 1.Reg.18. & 19.

Johannes Baptiſta, Dilecti! cujus memoriam Eccleſia N. T. hodiè celebrat, Eliæ non diſſimilis eſt, de quo Chriſtus ipſe vaticinium Malachiæ c.4.v.5. interpretatur, Matth.17.v.10. Diſcipulis enim interrogantibus Chriſtum: annon Heliam oporteat venire, ante finem ſeculi, ut Scribæ dixerant: reſpondit Servator: Helias jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo, quæcunque voluerunt. Tunc, ait Evangeliſta, intellexerunt diſcipuli, quia de Johanne Baptiſta dixiſſet eis, v.13. Similiter Chriſtus dilucidè affirmat, Johannem Heliam eſſe, intellige, juxtà Spiritum & virtutem Heliæ, Matth. 11. v.14. Luc.1.v.17.

Elias fuit Propheta, qui ſurrexit, quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat, Eccl. 48. v.1. Johannes Baptiſta plus quàm Propheta eſt, Matth.11.v.9. quia non de longinquo, Chriſtum pòſt aliquot ſecula venturum prophetavit, ut reliqui Prophetæ, ſed præſentem ut Agnum Dei digito monſtravit, Joh.1.v.29.

Elias erat Zelotes, ſiquidem ipſe ait, ſe zelo zelatum eſſe, pro Domino exercituū, 1.Reg.19.v.10. Mactavit Sacerdotes Baal, & Regi Achab in faciem dixit: Tu turbaſti Iſrael, & domus patris tui, 1.Reg.18.18. Pari zelo Baptiſta Phariſæos vocat geni-

mina viperarum, Matth. 3. v. 7. & arguit Herodem, ratione incestus, quem comittebat cum uxore fratris Philippi, Marc. 6. 18.

Elias Zonâ pelliceâ velut cilicio ad renes accinctus erat. Ita Johannes habebat vestimentum de pilis camelorum: & zonam pelliceam circà lumbos suos: Esca autẽ ejus erant locustæ, & mel sylvestre, Matt. 3. v. 4.

Elias à Jesabele in exilium pulsus, 1. Reg. 19. v. 2. seqq. Ita Johannes, à Synagogâ Judaica plura passus est, fecerunt enim in eo, quæcunq; voluerunt, Matth. 17. v. 12. tandem ex mandato Herodis in carcere capite truncatus est, Matth. 14. v. 10.

Elias omnibus aliis Prophetis præfertur, non modò ob præclara, quæ patravit miracula, sed & quia sublatus est in tempestate, in curru, & cum equis igneis, Sir. 48. v. 4. seqq. Sic Christus ipse Baptistam hoc encomio mactat, quod inter natos mulierum major eo non surrexerit, Matt. 11. v. 11.

De magno hoc & sanctissimo viro, occasione ordinarii Evangelii nunc dicturi sumus, visuri pro Instituto nostro

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.
Exegesis.

Elkanæ uxor Hanna sterilis erat, quia Dominus concluserat vulvam ejus, cum verò precibus suis filium, quem Samuelem nominabat, consecuta esset, commodavit eum Domino cunctis diebus vitæ ejus, ut serviret Domino, prout illa voverat, 1. Sam. 1. v. 5. 20. seqq.

Simile quid memorat prælecta Pericope, de Johanne Baptistâ, cujus mater Elisabetha ante sterilis & effœta erat, sed Dominus illius, & Zachariæ deprecationem exaudivit, Luc. 1. v. 13. ut Johannem Baptistam illa pareret, quem similiter Domino consecravit, ut Propheta Altissimi esset, qui præiret ante faciem Domini, parare vias ejus, Luc. 1. v. 76. ut prælecta Pericope pluribus probat.

Querela respicit

I. *Sterile conjugium*, quod sæpè Christianis conjugibus causa est ingentis sollicitudinis. Zacharias & Elisabetha ambo justi erant antè Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini irreprehensibiles, ut in præcedentibus verbis Lucas meminit. Sed non erat illis filius, eò quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Hoc in V. T. potissimùm, pro magnâ ignominia habitum fuit. Unde Rachel mori mavult, quam sine prole vivere. Et ubi tandem à Deo benedicta fuit, dixit: Abstulit Deus opprobrium meum, Gen. 30. v. 23. Et si verum fateri fas est, non levis ærumna est, si conjuges sine liberis degant, & benedictione conjugali carere cogantur: Per liberos enim Regnum Dei amplificatur, & nomen Domini sanctificatur. Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos, talium enim est Regnum cœlorum, ait Servator, Marc. 10. v. 14. & Junior Tobias dicit se conjugem duxisse solâ posteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen Domini in secula seculorum, Tob. 8. v. 9.

Deindè Respubl. in omnibus Hierarchiis præclarè ornatur, unde Parẽtes gaudio afficiuntur, quãdo filii adulti reip. utiliter preesse possunt. Hinc Siracides: Filii, & ædificatio civitatis cõfirmabit nomẽ, Sir. 40. 19.

Ter-

Tertiò quoque h. m. genus conservatur, quando enim pater, qui multos filios ingenuos reliquit, mortuus est, quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi pòst se, Sir. 30. v. 4.

His commoditatibus in universum steriles carere coguntur. Hinc in Scripturâ tot lamentationes Sanctorum reperiuntur, quibus propterea usi sunt. Domine Deus, quid dabis mihi? queritur Abraham: ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer, Gen. 15. v. 2. Rachel expostulat cum Jacobo, inquiens: Da mihi liberos, alioquin moriar, Gen. 30. v. 1. Anna largiter flevit, cum Dominus vulvam ejus conclusisset, 1. Sam. 1. v. 10. Sunamitis bonis temporalibus affluens, nulla alia re, nisi benedictione conjugali caruit, ideò dixit Giezi: filium non habet, 2. Reg. 4. v. 14.

Hoc Dei opus est: hic uterum sterilium concludere valet, ut nihil pariant, ut Sara conqueritur, Gen. 16. v. 2. & eundem recludere potest, & facere sterilem in domo habitare, matrem filiorum lætantem, Psal. 113. v. ult.

Quando igitur Deus conjugium fœcundat, grato animo id agnoscendum, & videndum est, ut liberi educantur in disciplina & timore Domini, Eph. 6. v. 4. Sin minus, æquo animo id tolerandum, quia non iræ indicium sed probatio est. Acquiescant igitur pii conjuges in voluntate Dei, eidemque se reverenter subjiciant. Quantoperè exultabat Eva cum Cainum peperisset, inquiens: acquisivi virum Dominum, qui tamen posteà ingentis luctus causa & parricida erat, Gen. 4. v. 8. Quantum dolorem Noæ injecit Cham, Abrahamo Ismael, Jacobo Ruben & Dina, Eli Hophni & Pineës, Davidi Absolon, Salomoni Rehabeam? quoties illos optavisse putas, liberos ne suscepissent: Utilius siquidem est mori sine filiis, quàm relinquere filios impios, Sir. 16. v. 4.

II. *Difficile puerperium*, quod sexui fœmineo subeundum. Ita enim Deus dixit mulieri: Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ad virum desiderium tuum.

Huic difficultati imprimis subjectæ sunt provectioris ætatis fœminæ, quando anteà non pepererunt, ut hîc exemplum prostat in Elizabetha, Johannis matre, quamvis illa Dei gratia superarit, & felix puerpera evaserit, quod verò multis non adeò succedit.

In statu innocentiæ sine dolore illæ peperissent. Verùm per peccata adeò res rediit, ut illud Christi locum habeat: Mulier cum parit, dolorem habet, quia venit hora ejus, Joh. 16. v. 21. Hora verè dolorosa, in quâ querulatur inter dolores: Væ mihi, quia defecit anima mea, Jer. 4. v. 31. maximè, quando virtus non est pariendi, Es. 37. 3.

Unde Philippus Melanchthon non abs re alicubi scribit: Tria officia sunt omnium difficillima: docentis, regnantis, & parturientis. Quin Medea apud Euripidem liberè dixit, se malle ter in acie stare, quàm semel parere.

Hoc verò solatium restat piis fœminis, quod salvabuntur per filiorum generationem, si permanserint in fide & dilectione, & sanctificatione cum modestia, 1. Tim. 2. v. 15.

III. *Frequens infortunium*, cui pii conjuges subjecti sunt. Zacharias & Elisabetha

ambo justi erant coràm Domino, & Deum timentes, tamen sine cruce non fuerunt. Elisabetha queritur de ignominia, quâ ab inimicis & invidis affecta est. Zacharias mutus fit, & novem menses in hâc molestia degere cogitur, usque in diem, quo Johannes natus est.

Alii conjuges aliis ærumnis vexantur, nec quisquam ab illis immunis est, prout Deus iis onus imponit, à quo bona & mala, vita & mors, paupertas & divitiæ, Sir. 11. v. 14.

Modò pestilentiâ percutit, ut tempore Davidis, ubi intrà triduum septuaginta millia virorum mortui sunt, 2. Sam. 24. v. 15. modò annonæ caritate affligit, ut ætate Josephi, quæ integrum septennium duravit, Gen. 47. v. 13. modò bello devastat, ut tempore Gideonis, ubi Midianitæ adscendebant cum sevisset Israel, & vastabant proventum terræ, nihilque omninò, ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinos. Quin & adeò affligebant indigenas regionis, ut facerent sibi antra & speluncas in montibus, & munitissima ad repugnandum loca, Jud. 6. v. 1. 5.

Et licet mala hæc publica non grassentur, tamen pii conjuges demensum suum habent, modò victus deficit, ut querantur: Quid comedemus, quid bibemus, aut quô operiemur? Matth. 6. v. 31. modò variis morbis & infirmitatibus infestantur, maritus inopinatò cæcitate percutitur, ut Tobias, Tob. 2. v. 11. uxor incurvatur, ut filia illa Abrahæ, Luc. 13. v. 11. liberi aut maturius obeunt, ut filiolus Davidis, 2. Sam. 12. v. 18. aut claudi evadunt, uti Mephiboseth, 2. Sam. 4. v. 4. vel degenerant sicut Absolon, 2. Sam. 15. v. 1. Non rarò accidit, ut famulitia mala seminent, velut Hagar, Gen. 16. v. 4. sive vicini rixosi & invidi sunt, quales Isaac habebat, Genes. 26. v. 15. sive Asmodi negotiosus est, exacerbans animos, ut in perpetuis dissidiis vivant, quod non leve malum est. Ubi enim Zelus & contentio, ibi confusio, & omne opus pravum, Jac. 3. v. 16. & quis miserias omnes exponet, quibus pii conjuges subjecti sunt? Cunctæ res laboriosæ: non potest eas homo explicare sermone, Eccles. 1. 8.

Intereà pii conjuges æquo animo, hoc quicquid est afflictionis subeant. Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animum tuum ad tentationem, Sir. 2. v. 1. caveant verò ne sibi ipsis malum cudant, sicut inveniuntur, qui Diabolo obsequentes, propriis concupiscentiis indulgent: maritus despicit uxorem adolescentiæ suæ, Mal. 2. v. 16. mulier morosa est, & omnia jurgiis miscet, quô fit, ut non modò seipsos affligant, sed & benedictionem Dei amittant. Omne enim Regnum, in seipsum divisum desolabitur, & domus suprà domum cadit, Luc. 11. v. 17.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex gratiosa visitatione.* Benedictus Dominus Deus Israel, ait Zacharias, quia visitavit plebem suam. In Græco ejusmodi vox occurrit, quâ solicita visitatio indigitatur, qualis est, quando Medicus venit ad ægrotum, ut non modò eum invisat, sed & te & auxilio subveniat, quò pristinæ sanitati restituatur.

Misc-

Misera tùm temporis & afflicta conditio erat, in totâ Judæa, sceptrum erat ablatum, peregrinus Magistratus imperabat populo, Propheta nullus amplius mittebatur, falsi Doctores in sellâ Mosis sedebant. Omnia ad interitum vergebant, hinc quilibet suspirabat è Psalmo 14. v. 7. Quis dabit ex Sion salutem populo?

In extremis his angustiis visitabat Deus populum suum, dum Baptistam Christi prodromum nasci curabat, ut pii hinc colligerent, Messiam brevi secuturum. Id hic Zacharias prædicat, nescius, quomodo digne prædicare debeat.

Nostrum erit, amplissimum hoc beneficium paulò altius perpendere, utpote quod omnium bono factum est.

Totum genus humanũ lethaliter ægrotabat, imò mortuum erat in peccatis, Eph. 2. v. 5. Verum Christus cœlestis ille Medicus, ideò in mundum venit, & carnem & sanguinem nostrum assumsit, ut sanitatem nobis restitueret, quod & fecit, per mortem suam æterna redemtione inventâ, Hebr. 9. v. 12. Verè languores nostros ipse tulit &c. Esa. 53. v. 4. 5.

Capiamus hinc solatium. Benignissimus Deus nos indies visitat variis afflictionibus, id non malâ intentione fit, sed caro & sanguis quandoque ægrè fert, & pro iræ indicio id habet. Ast perperam. Quia non repellet in sempiternum Dominus, etiamsi affligit, & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. Non enim excruciat homines ex corde suo, & affligit filios hominum, Thren. 3. v. 31. Agnovit hoc paterculus ille, cum annum integrum sine cruce fuisset: Domine, inquit, dereliquisti me, quia non visitasti me. Ita non abjiciamus animum, quando ærumnis nos Deus visitat: veniet tempus, quo nos auxilio suo vicissim visitaturus est. Fidelis quippe est, nec patitur nos tentari, supra id quod possumus, 1. Cor. 10. v. 13. hinc non in æternum dabit afflictionem nobis, Psal. 55. v. 23. sed justo tempore nos eripiet, sicuti hâc ipsa ex caussâ, adjutor in oportunitatibus dicitur, Psalm. 9. vers. 10.

II. *Ex gloriosa liberatione*, quam Zacharias commendat his verbis: Fecit redemtionem plebi suæ. Zacharias loquitur in præterito, sicut id Prophetæ in usu habent, quia Deus per eos loquitur, coram quo omnia præsentia & quasi impleta sunt.

Alias novimus, quod Augustinus ait: *Redemtio clamat captivitatem*; est enim vel mancipium, vel captivus, vel maleficus, qui pœnæ magnæ, vel etiam mortis reus evasit.

Hæc omnia in nobis quoque reperiebantur. Ratione peccati, Diaboli mancipia facti eramus, conclusi sub potestate tenebrarum, Col. 1. v. 13, constricti quoad intellectum catenis ignorantiæ, quoad voluntatem catenis injustitiæ, quoad vires & membra catenis malitiæ: hic nemo nos exsolvere poterat, non homo, non Angelus, in cœlo & in terrâ. Misit proinde Deus Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege: ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus, Gal. 4. v. 4.

Moses Israelitas eduxit è servitute Ægypti, Exod. 13. v. 17. Gideon è manu Midianitarum, Judic. 6. v. 14. Simson à Philistæis eosdem liberavit, Jud. 15 v. 16. Verum hîc frater redimendo non redimebat quem-

quenquam, Psal.49.v.8. Deus ipse sanguine proprio, Ecclesiam suam redimere tenebatur, Act.20.v.28. Hoc grato animo agnoscamus.

Cum David immanem gigantem Goliathum prostravisset, & populum Israeliticum è manu Philistiim liberasset, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes chorosque ducentes, in occursum Saul Regis in tympanis, cum lætitia & in sistris, 1.Sam.18.v.6.7. Quanto magis nos gaudio exultemus, quod Christus tanquam cœlestis David, ab infernali Goliatho, ejusque tyrannide nos redemerit? Per mortem enim suam, destruxit eum, qui mortis habebat imperium, id est, Diabolum, & liberavit eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti, Hebr.2.v.14. In sanguine testamenti sui, emisit vinctos suos de puteo, in quo non est aqua, Zach.9.v.11. Col.2.v.14.

Quâ consideratione ex animo lætari & cum Zacharia cantare possumus: Benedictus Dominus Deus Israel quia visitavit, & fecit redemtionem plebi suæ. Ubi est mors stimulus tuus? ubi tua inferne victoria? Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum, 1.Cor.15.v.55.57.

III. *Ex mirifica propugnatione*, quam Zacharias in Cantico suo celebrat, inquiens: Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.

Per *Cornu* nemo alius notatur, quam promissus mundi Messias, Servator noster pientissimus, hic est,

1. *Cornu virtutis.* Ein Macht-Horn. Cornua propriè sunt animalium, quorum robur, virtus & pulchritudo in iisdem potissimum consistit, hinc in Scripturis per illa non modo denotatur *Regnorum eminentia*, ut constat ex Dan.7.v.21.c.8.v.4. Apoc.17.v.2. sed & *robur & potentia*, quia robur animalium est in cornibus eorum, quibus se tuentur & propugnant. Quæ omnia non inconcinne ad Christum applicari possunt, quem Zacharias cornu appellat, quia est Rex Regum, & Dominus Dominantium, Apoc.19.v.16. & Regnum cepit ἀδιάλυτον, quod in æternum non dissipabitur, Dan.2.v.44. nec robur, virtus & potentia ei deest, quæ ab æterno ut verus Deus, Deique Filius possedit, & ut verus homo in plenitudine temporis, vi unionis personalis, & secutæ exaltationis, ad dextram Patris accepit, Matth.28.v.18. Hinc cornu illud non dicitur jacere, sed *erectum esse*, quo fortitudo Christi denotatur, vi cujus paratus est pro nobis pugnandi, sicut in horto Oliveti hostes suos unico verbo, Ego sum, prostravit, Joh.18. v.6. Quando animalia pugnare volunt, cornua erigunt: Sic Christus cornu salutis nostræ erectum est, & promtum ut in omnibus necessitatibus subveniat nobis. Quem igitur timebimus, Dominus adjutor noster, quid faciat nobis homo? Psalm. 118.v.6.

2. *Cornu salutis.* Ein geistlich Kirchen-Horn. Per cornua quoque decor & pulchritudo nonnunquam in Scripturis exprimitur, quam cornua etiam ex parte animalibus conciliant. Ita de Mose legimus, quod splenduerit cutis faciei ejus. Ubi in Hebræo vox Keren, è cujus vitiosa interpretatione originem traxit, quod Mosi vulgò cornua appinguntur: cum tamen nihil aliud quàm splendor & fulgor faciei

ejus

ejus denotetur, quem ex conversatione cum Deo contraxerat, Quo procul dubio etiam Jobus respexit, dum filiæ suæ speciosissimæ à cornu nomen imposuit Kerenhabuch, quod cornu conversionis significat, Job. 42. v. 14.

Hoc itidem Christo congruit, qui est imago invisibilis Dei, & splendor gloriæ ejus, Hebr. 1. v. 3. lux mundi, Joh. 8. v. 12. & speciosissimus inter filios hominum, Psl. 45. v. 3. non modò ratione externæ formæ: sed & ratione interioris sanctitatis, Dan. 9. v. 24. ratione gloriæ & decoris, quo Pater cœlestis ipsum coronavit, Psal. 8. v. 6. in nostrum emolumentum, ut esset Jehova Zidkenu, Jehova justitia nostra, Jer. 23. vers. 6. à cujus plenitudine acciperemus gratiam pro gratia, ideò de hoc cornu dicitur, quod erectum sit in domo Davidis.

Domus Davidis imago est Ecclesiæ. Sicut enim Davidi Messias in specie promissus est, quod è stirpe & prosapia ejus nasciturus sit: Ita nemini conferuntur beneficia Messiæ, nisi qui in Domo Davidis, hoc est, Ecclesia versatur, in qua cornu hoc erectum est, & omnia distribuuntur, quæ Christus sanguine suo pretiosissimo acquisivit. Christianus non est, qui in Ecclesia Christi non est, ait Cyprianus. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, Marc. 16. v. 16.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt,

I. *Cum proxime gaude.* Hac in parte nobis præeunt vicini & cognati Zachariæ. Audito enim, Dominum eum in senectâ recens nato puerulo exhilarasse, omnes ipsi gratulantur, juxta admonitionem Pauli: Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus, Rom. 12. vers. 15. Hæc natura & proprietas est caritatis Christianæ, quæ respicit arctissimam necessitudinem, quâ Christiani invicem devincti sunt. Omnes enim spiritualiter unum corpus sumus, 1. Cor. 10. v. 17. sicut igitur membrorum corporis hæc est natura, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra, 1. Cor. 12. v. 26. Ita & comparatum sit oportet, cum corpore mystico Ecclesiæ, ut si uni benè est, reliqua membra omnia congaudeant: sin malè, omnes commiserationem habeant, & viscera misericordiæ induant, Col. 3. v. 12.

Quod idem quoque S. Angeli exemplo suo nos docent. Christo in hunc mundum nato, gratulabantur illi lætabundi humano generi, accinentes: Gloria in Excelsis Deo, Luc. 2. v. 14. Quando homo aliquamdiu in luto peccatorum hæsit, ille verò resipiscit à Diaboli laqueis, à quo captivus tenebatur ad ipsius voluntatem, 2. Tim. 2. v. 26. iterum gaudium oritur apud Angelos Dei in cœlo, ut Christus docet, Luc. 15. v. 7. 10.

Angelorum proindè vestigiis insistamus, ut & ipsi aliquando in cœtum Angelorum assumti, lætum *Ἐπινίκιον* in æternum cum ipsis cantemus, Esa. 6. v. 3.

II. *Unanimitati stude.* Præclarum speculum habemus in Zacharia & Elisabetha. Elisabetha enim hîc filiolo suo nomen Johannis imponit. Ubi verò hoc cognatis

cognatis non arridet, ideoque parentem interrogant, ipse in pugillari scribit: Johannes est nomen ejus. Præclara sanè inter Conjuges harmonia, ubi os, lingua, & mens concordant, illic mandavit Dominus benedictionem & vitam usque in seculum, Psal.133. v. ult.

Ex adverso verò, ubi maritus & uxor in perpetuis diffidiis vivunt, & contraria voluntate diffident, ibi sanè benedictio evanescit, & maledictio succedit. Omne quippe Regnũ in seipsum divisum, desolabitur, & domus suprà domũ cadit, Luc.11.v.17.

Ubicunque conjuges concordiam colunt, ibi vivere possunt sub tegmine asserum, Sir.29.v.29. contenti buccella sicca plus, cum pace, quam alii, cui domus plena victimis cum gaudio, Prov. 17. v. 1. Ubi verò discordia & lites regnant, maritus habet Dinam rixosam, quæ semper ignem evomit, ut Hiob. 2. v. 9. sive uxor Nabalem morosum, cum quo litigium quasi natum esset, semper altercationibus decertat, ibi sanè miseriarum finis non est, ut taliter viventi mori magis expediat, quam ita vivere, Tob.3.v.6.

Quicunque igitur sapit, amans vitam tranquillam, & diligens videre dies bonos, inquirat pacem, & persequatur eam, Psal. 34.vers.13.15. Tria enim probata sunt coram Deo & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè sibi consentientes, Sir.25.v.1.2.

III. *Laudes Deo cane.* Exemplo nobis est Zacharias Sacerdos, quia enim à Deo egregiis beneficiis ornatus non modò filiolum in provecta senectute acceperat, sed & loquelam suam recuperarat, id silentio præterire nequit, sed in egregium Canticum erumpit, inquiens: Benedictus Dominus Deus Israel.

Nos vestigiis ejus insistentes idem faciamus. Hæc enim Christianorum proprietas, ut gratias agant semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo & Patri, Eph.5.v.20.

Hoc sancti Dei homines omnibus seculis observarunt, quorum exempla propterea in Scripturis consignata sunt, ut & nos officii nostri memores, quando nobis Deus cœlitus omnibus corporalibus & spiritualibus beneficiis benedicit, ipsi vicissim labiis nostris in terris benedicamus, & sanctissimum ejus nomen celebremus. Hæc est voluntas Dei, in Christo Jesu, in omnibus vobis, ait S. Paulus 1. Thess.5.v.18.

Sicut enim officium nostrum requirit, ut oremus: sic idem flagitat, Deo gratias agere, eique confiteri & psallere; id bonum est, Psal.92.v.2. Hoc modo venimus in societatem Angelorum, quorum perpetuum opus est Deum laudare. Id fecerunt in initio Creationis, ubi Deus terram fundavit, Job.38.v.7. in nativitate Christi, Luc.2.v.14. & hodierenus faciunt, quando throno Dei adsistunt, clara voce insonantes, & Deum ter Sanctum celebrantes, Esa.6.v.3.

Quid verò pius Christianus melius, quid utilius facere potest, quam in eodem opere cum Angelis occupatum esse, & in eorum Choro linguam suam in Dei laudes resolvere? Id in beata futura vita omnium electorum perpetuum opus erit. Qui enim habitant in domo tua Domine; in secula seculorum laudabunt te, Psal. 84. vers.5.

Interea decebit, ut hîc in tempore gratiæ, ubi plerumque ex profundis clamamus, Psalm. 130. verſ. 1. laudes Dei incipiamus, & ibi in gradu excellentiori plenius illas continuabimus, cum magna electorum catervâ cantantes: Alleluja, salus & laus, & gloria & virtus Domino Deo nostro. Fiat per CHRISTUM JESUM, Amen.

IN DIE FESTO PETRI ET PAULI.

Evangelium Matth. 16. v. 13. -- 19.

EXORDIUM.

Facta est olim in obſeſſione Samariæ tanta fames, ut caput aſini octoginta argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum, quinque argenteis venundaretur, 2. Reg. 6. verſ. 25.

Hinc eluceſcit, quam *dira afflictio fames* ſit, in qua & viliſſima quæque magni æſtimantur, hominesque ad res abominabiles emendas & comedendas adiguntur, ſicut hîc Samaritani capita aſinina, quæ tamen ipſis in lege interdicta erant, Levit. 11, v. 4. ſicut & ſtercus columbarum edere, & tædioſas has merces pretio comparare coacti ſunt.

Quodſi verò corporalis fames tanta afflictio eſt, quantam *ſpiritualem*, ubi non fames, panis, neque ſitis aquæ, ſed audiendi verbum Domini eſt, Amos 8. v. 11. exiſtimabimus. Utique gravis afflictio, & gravis pœna cenſenda eſt, quando Deus cum verbo & Sacramentis Regione emigrat, & Prophetia deficit, Prov. 29. v. 18. & ita homines ſalutari animæ cibo privat, ibi enim ad pacem amaritudo amara, Eſa. 38. v. 17. ut in afflictione pereant, Pſal. 119. v. 92. & ſicut teſtudo diffluit, prætereant, Pſal. 58. v. 9. & quia fame hâc preſſi, ululant ut canes, & circumeunt civitatem & vagantur ad cibum, ſi verò non fuerint ſaturati, murmurant, Pſalm. 59. v. 15. 16. doctrina prophaniſſima, & cultus impiiſſimus ipſis ad palatum eſt, anhelant illum, velut famelici cibum, quin & caput aſini, hoc eſt, Pſeudo-Prophetas carè coëmunt, & comparant ſtercus columbarum hæreſeos multo argento, nec tamen requiem animarum inveniunt, Jerem. 6. v. 16. Soph. 1. v. 18.

Ejusmodi ſpiritualis fames regnat quoque in idololatrico Papatu, ceu ſpirituali Samaria, ubi ſanè ſalutaris animæ cibus, ſermo Dei pretioſus eſt, & viſio non manifeſta, ut tempore Eli, 1. Sam. 3. v. 1. Contrà verò capita aſini & ſtercus columbarum in delitiis habentur: talia ſunt decreta Pontificis, ſtatuta Conciliorum, traditiones humanæ, Monachorum fabulæ &c. quæ quidem nimis carè emenda ſunt, ſiquidem Papiſtici illi nundina-

tores vitiosas suas merces pretiosissimè æstimant. Ut inter alia videre est in Pontifice Romano, quem pro visibili Ecclesiæ capite, Christi vicario, & petra in quâ Christus Ecclesiam suam fundaverit, venditant, ejusque decreta, quæ non meliora sunt stercore columbarum, verbo Dei salvifico præferunt, in quo tamen vivitur, & in quo est vita Spiritus nostri, Esa. 38. v. 16.

Quod verò Papa Romanus non petra & fundamentum Ecclesiæ, sed potius capiti asinino comparandus: & doctrina ejus non salvifica, sed potius stercori columbarum conferenda sit, quæ nullum salutarem animæ cibum adferr, id è prælecta Pericope luculenter patet, in quâ non ad Papam ejusque decreta, sed ad Christum, tanquam unicam Ecclesiæ suæ petram relegamur.

Nos Instituti nostri memores videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Dominus & Servator noster Christus Jesus, aliquoties in Scripturis Rabbi sive Magister vocatur, vide Joh. 1. vers. 38. 49. cap. 4. v. 31. c. 6. v. 28. c. 20. v. 16. Marc. 9. v. 5. cap. 11. v. 21. & quidem non nudum nomen habet, ut Pharisæi, Matth. 23. vers. 7. sed & omen; sicut ipsi ejus inimici, corde licet hypocritico, fatentur, Matth. 22. vers. 16. Quemadmodum igitur fidelis Præceptor & Magister discipulos suos quandoque in examen vocat, quid profecerint: Ita Servator in præsenti Evangelio examen instituit cum discipulis suis, exploraturus, quid hactenus ex concionibus suis profecerint, & quousque in cognitione sui pervenerint, sicut id Matthæus, qui examini huic interfuit, consignavit.

Querela respicit

I. *Opinionum in rebus fidei varietatem.* Ad quæstionem Christi: Quem me dicunt homines esse, filium hominis? Respondent Apostoli: Alii Johannem Baptistam: alii autem Heliam: alii verò Hieremiam, aut unum ex Prophetis. Non modò tùm temporis erroneæ de Christo opiniones invaluerant: sed & sequioribus temporibus, monstrosi admodum errores proruperunt. Inventi quippè sunt, qui æternam Christi Divinitatem negarunt, & pro mero homine Christum habuerunt, quales Ebion, Cerinthus, Arius fuerunt. Alii humanitatem ejus impugnarunt. Sic Valentinianus, Christum corpus cœleste, non verò carnem & sanguinem ex Mariâ assumsisse, prætendit. Marcion & Manes humanitatem ejus planè abnegarunt, delirantes, Christum non verum corpus habuisse, sed spectrum tantùm fuisse, adeoque nec passum nec mortuum esse, nec resurrexisse. Apelles Marcionis discipulus concessit quidem, Christum habuisse corpus, at non ex Mariâ: sed ex quatuor elementis, in quæ rursum resolutum esset. Arius docuit, Christum corpus

corpus sine anima adsumsisse, & λόγον ipsi loco animæ fuisse. Apollinaris, Christum quidem animam sine intellectu tamen, habuisse somniavit, divinitatem verò loco intellectus fuisse. Quid Nestorius & Eutyches, ut & nostro tempore, Osiander & Stancarus, nec non Neo-Photiniani de hoc articulo docuerint, è variis monumentis notius est, quam ut hîc recenseri mereatur.

Sicut igitur in Articulo de Persona Christi varii errores seminati, sic & reliqui variis modis impugnati sunt, nec instituti nostri ratio jam permittit, sigillatim de illis disserere. Sic quod Christus prædixit: Multi Pseudo-Prophetæ surgent, & seducent multos, Matth. 24. v. 11. & quod Paulus ait: Oportet hæreses inter vos esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis, 1. Cor. 11. v. 19. ad amussim impletum est. *Sicut serpentes varii in corpore: sic hæretici varii in erroribus*, inquit Chrysostomus. Id vero non puræ Evangelii prædicationi adscribendum, ut Papistæ faciunt: sed partim *malitiæ Satanæ*, qui ut Pater mendaciorum, Joh. 8. vers. 44. veritati infensus est, adeoque egreditur, & spiritus mendax est, in ore omnium Prophetarum suorum, 1. Reg. 22. vers. 22. partim autem *hominum curiositati*, dum rationi in mysteriis divinis nimium tribuunt, aut ad sua desideria coacervant sibi Doctores, prurientes auribus, & à veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur, 2. Tim. 4. vers. 3. 4. sive *eorum oscitantiæ & negligentiæ*: cum enim dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit Zizania in medio tritici, Matth. 13. vers. 25. aut *inconstantia* eorum, dum fluctuantes circumferuntur omni vento doctrinæ, Ephes. 4. vers. 14. unde fit, ut huc illuc vacillent.

Caveamus verò ne dissidia & schismata in religione nos offendant: sed nihilominus Christum è verbo suo agnoscamus, & coram mundo confiteamur, ad exemplum Petri & Collegarum ejus, qui aliorum placita non attendentes, vocem Patris cœlestis Matth. 17. v. 5. sequebantur, eumque pro Filio Dei dilecto reputabant. Sic & nos omnium hæreticorum opinionibus rejectis, verbo Dei unicè insistamus, quo cum Paulo dicere queamus: Scio, cui credidi, 2. Tim. 1. v. 12.

II. *Primatus Pontificii iniquitatem.* Verba quidem Christi, quæ hic loquitur, nil nisi Spiritus & vita sunt: attamen à Pontificiis sinistrè exponuntur & detorquentur, dum primatui Pontificis falso applicantur, quod faciunt:

1. *Papam petram constituendo.* Christi verba ita jacent: Tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Hæc verba Christi Pontificii ita interpretantur: Quia Christus Petrum nomine appellet: Tu es Petrus, Petrus verò petram sive rupem significet, & addat: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, voculam *hanc* respicere proximè præcedens verbum *Petrus*, & ita Christum personam Petri notare, q. d. Super te Petrum ædificabo Ecclesiam meam, quo Petro promissum, ut caput totius Ecclesiæ esset:

esset: & quia Papa Successor Petri sit in sede Apostolica, hoc ipso eidem Monarchicam jurisdictionem in rebus fidei à Christo collatam esse.

Hæc verba Pontificii, Religionis suæ proram & puppim faciunt. Unde Valerianus Capucinus in Colloquio Rheinfeldensi sic jactabat: Hic textus est velut cardo, super quo volvitur Regnum Christi, adversus omnes hæreses, detestantes supremam, & Monarchicam Jurisdictionem Regni cœlorum. Quapropter tanti interest Reipub. Christianæ, verus sensus illius textus, ut exinde pendeat salus totius orbis. Si enim ex hoc textu constet suprema Jurisdictio Ecclesiæ, qualem Catholici admittunt, totus orbis coierit in unam sententiam de fide, prout in unum conveniunt illi omnes, qui se submittunt jurisdictioni illi. Hactenus Valerianus.

Ex cujus verbis satis enitescit, quantopere Pontificii elaborent, hunc textum pro fundamento Primatus & Monarchiæ Papæ venditare. Ex quo porrò sic inferunt: Si Pontifex, ceu Petri Successor, fundamentum & petra, & ita caput visibile & Monarcha Ecclesiæ est: non dubium est, quin omnia sancta & sana sint, quæcunq; in rebus fidei sancit & decernit: doctrina ejus vera & orthodoxa est, vociq; ejus omnes oviculæ auscultare tenentur, impossibile est, ipsum in rebus fidei errare, & quæ plura more Thrasonico de eo in Papatu jactitantur.

Verum hæc interpretatio neque in hodierno Evangelio, neque in aliis Scripturæ locis fundamentum habet.

Ne enim dicamus, de nunquam probata successione Pontificum, in sede Apostolica, de qua Pontificii plenis buccis jactitant: textus ipse sanè dilucide indicat, voculam petræ, non personam Petri, sed aliud quid respicere, alias ita sermo conciperetur: Tu es Petrus, & super te, sive super hunc Petrum ædificabo &c. Sive, tu es Petra, & super hanc petram &c.

Jam verò tam in Græco quam Syriaco textu, adde in Latino & Germanico, ita verba jacent: Tu es Petrus, (in masculino) & super hanc petrã, (in fœminino) ædificabo &c. quo indicatur, sicut per Petrum Christus Apostolum intellexerit, ita eundem per petram non Apostolum sed aliud quid denotasse. Quid verò? Certè nil aliud, quam aut egregiam confessionem Petri, aut seipsum: quandoquidem Scriptura nullum aliud fundamentum scit, quam Christum, 1. Cor. 3. v. 11. Quæ & Patrum expositio est, sicut ex Augustino, Chrysostomo Theophylacto, Hilario evinci posset, si Instituti ratio permitteret.

Quod si igitur Petrus, petra & fundamentum Ecclesiæ non est, quanto minus Romanus Pontifex, inter quem & Petrum neque in doctrinâ, neq; in vitâ ulla est proportio. Et non immeritò quæreres, quale fundamentũ & petram Ecclesia habuerit, quando sedi Pontificiæ impii, & juxta propriam Pontificiorum confessionem hæresi infecti Papæ præfuerunt? Sicut in specie in sesquiseculo illo factum, de quo Genebrardus Pontificius ille Chronologus & Theologus, ubi ad A. C. 901. venit, apertè scribit: Infelix hoc seculũ, quod per annos fere CL. Pontifices circiter quinquaginta à Johanne VIII. ad Leonem IX. usq; apotactici potius, apostaticiq; fuerint, quã Apostolici.

2. Papa

2. *Papæ soli potestatem clavium adscribendo.* Quando enim Christus in præsenti Pericope ait: Dabo tibi claves Regni cœlorum &c. Pontificii exclusis reliquis Apostolis soli Petro illa applicant. Unde Bellarminus, substantiam personæ expressam esse per Pronomen *Tibi* scribit. Unde inferunt, quia alicui claves dare, idem sit, ac potestatem, quæ in Republ. civitate vel domo exercetur, alicui tradere, ita hinc certum esse, quod dum Christus Petro claves Regni cœlorum dederit, ipsi simul regimen & plenariam potestatem in orbe Christiano promiserit, & deinde reipsa contulerit. Quâ quidem Potestate Pontifex pro libidine suâ, & prout ratio status postulat, satis pro imperio abutitur, ita ut pro lubitu solvat, excommunicet, & Reges constituat & deponat, & gladium stringere non dubitet, si clavibus nihil efficere potest. Et ut quod res est, dicam: non modò in Ecclesiasticis, sed & Politicis monarchicam jurisdictionem sibi arrogat.

Posito verò, non concesso, Petri potestatem eò se extendere, ut Pontifex & parasiti ejus prætendunt, quid hoc ad Papam?

Et ubi Christus ejusmodi potestatem, qualem Papa sibi vendicat, Petro tradidit? Equidem potestatem Evangelium prædicandi, Sacramenta dispensandi, peccata remittendi & retinendi, quæ claves Regni cœlorum sunt, Christus Petro dedit: at non soli; sed & reliquis Apostolis in universum, præ quibus Petrus nullam omninò prærogativam habet. Vide Matth. 18. v. 18. c. 28. v. 20. Joh. 20. v. 21. Dominatio verò super populum, Imperium Politicum, & usus gladii tàm Petro, quàm reliquis Apostolis planè præcisa sunt, 1. Petr. 5. v. 3. Luc. 22. v. 26.

Ex quibus omnibus Sole meridiano clarius elucet, Primatum Pontificis non à Christo institutum: sed à Diabolo excogitatam tyrannidem esse, à qua nos Deus clementissimè custodire dignetur.

III. *Tyrannidis Diabolicæ rabiositatem.* Christus hîc Ecclesiæ suæ promittit, quod portæ inferorum non prævalituræ sint adversus eam, ex quo colligendum, portas inferorum, h. e. Diabolum cum omni sua vi, truculentia & tyrannide pro virili enixurum, ut Ecclesiam ille opprimat. Hoc studium Cacodæmonis ab ipso mundi exordio fuit. Quamprimum inimicitiæ, inter serpentem ejusque semen, ex una, & inter benedictum mulieris semen ejusque asseclas, ex altera parte, positæ sunt, Gen. 3. nullam ille occasionem prætermisit, quò Ecclesiæ Christi noceret, & Regnum suum amplificaret: hinc habuit suos Cainos, Chamos, Nimrodos, Ismaeles, Esavos, Pharaones, Antiochos, per quos, tanquam electa organa tyrannidem & truculentiam suam adversus Ecclesiam Dei exeruit, ut non abs re illa quæratur, Psal. 129. v. 1. 2. 3. Maximè verò tempore N. T. ille negotiosissimus fuit, ubi hæresin super hæresin, persecutionem super persecutionem in detrimentum Ecclesiæ excitavit, varias gentes Barbaras, & inter illas in specie Turcam excitavit, qui quàm crudelissimè fideles tractarunt. Ne nunc dicam de Romano Pontifice, qui & falsa doctrina, & sævis bellis, imò variis tormentis Ecclesiam Christi oppugnavit. Nec furoris finis est, sed quò magis finis seculi appropinquat, eò plus portæ inferorum rabiem

atque truculentiam suam exerunt. Væ habitatoribus terræ & maris: quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet! Apoc.12.v.12.

Ne igitur aureum seculum somniemus, nec insolens videatur nobis, si videamus, quomodo adhuc hodiè Diabolus ejusque satellites adversus Ecclesiam Christi sæviant: sed cogitemus, esse illum antiquum Diabolum, qui semper Ecclesiæ interitum quæsiverit, nec nunc cessare eundem, nec cessaturum quamvis frustrà, ut Ecclesiam exstirpet usque ad finem seculi, ubi demùm ἀπολύτρωσις fidelium sequetur, Luc.21. v.28.

De *Secundo.*

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Confessionis utilitate.* Postquam Christus Petri confessionem fidei audiverat, ait illi: Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus &c.

Cacodæmoni quidem & asseclis ejus, confessio veritatis sudes in oculis est. Verùm Christus Servator adeò eam approbat, ut omnibus Christi confessoribus beatitudinem promittat. Beatus es Simon, dicit hîc ad Petrum. Et eodem modo te quoque, imò quemvis testem veritatis compellat, Beatus es! Habes Deum gratiosum, cœlum tibi patet! Omnis, qui confitebitur me coràm hominibus, confitebor & ego eum, coràm Patre meo, qui in cœlis est, Matth.10.v.32. Corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem, Rom.10,v.10. Licet super animosa Evangelii confessione odio & persecutione infesteris, ut Davidis querela tua sit: Credidi, propter quod locutus sum, ego verò afflictus sum valdè, Psal.116.v.10. recorderis velim beatitudinis promissæ,

Si corpus occidunt,
Et omnia rapiunt,
Dimitte tu lætus,
Est quæstus his nullus,
Regni Dei qui certus.

Quodsi verò fidelem ejusmodi confessionem edere velis, illa non haurienda tibi è ratione humanâ, carne & sanguine: sed ex illuminatione Spiritus sancti, & revelatione verbi divini, Psal.25.v.14. Matth.11.26. 1.Cor.2.v.4.5. Sis Simon sive auditor verbi divini, sis filius Jonæ, h.e. columbæ, nimirum cœlestis, quæ est Spiritus sanctus, qui specie columbæ super Christum descendit, Matth.3.v.16. & in festo Pentecostes super Apostolos effusus est, Act.2.v.3. Sis quoque Petrus, ut super lapidem probatum, angularem & pretiosum Christum confessionem tuam fundes, Esa.28.v.16. Rom.9.v.33. 1.Cor.3.v.11. & in loco & tempore confessionis ut petra consiste, usque ad mortem pro veritate certans, Sir.4. v.33. Sic de salute nullatenus dubitabis: Christus certissime dabit tibi coronam vitæ, quàm omnibus testibus veritatis promisit, Apoc.2.v.10.

II. *Ex Ecclesiæ invincibilitate*, quæ ipsi à Christo in his verbis promissa: Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

Diabolus quidem vi, astutiâ & tyrannide sua

suæ sæpè multùm efficit, sed tamen nunquam efficiet, ut Ecclesiam Dei deleat. Portæ inferorum oppugnare, non expugnare; valere, sed non prævalere possunt.

Quamvis Ethnici illi Imperatores in tribus prioribus Seculis plurimum Christiani sanguinis effuderint. Licet Pontifex sævierit, & Ecclesiam Christi oppugnaverit. Licet Turca irruperit, & multas Christianas Regiones devastarit. Etiamsi vanæ hæreses & schismata Ecclesiam turbarint, adeoque varii fluctus tribulationum, Ecclesiam tantùm non operuerint: nondum tamen illa deleta, & oppressa, sed immobiliter conservata est, ut portæ inferorum non prævaluerint adversus eam. In mediis persecutionum fluctibus Christiani conservati sunt, & quò plus Christiani sanguinis effusus, eò plus aucti illi & in veritate confirmati sunt. Quò magis aquæ diluvii multiplicatæ sunt, eò magis elevaverunt arcam in sublime à terrâ, Gen.7.v.17. Ita quò plus tribulationes Ecclesiæ multiplicatæ sunt, eò plus amplificata & propagata est, nec ulla externâ vi opprimi potuit.

Est quidem illa in comparatione Judæorum, Tartarorum & paganorum aliarumque barbararum gentium pusillus grex: attamen illi hunc pusillum gregem delere non potuerunt. Judæorum religio adeò labefactata est, ut in toto orbe, nullum templum, nullum Pontificem, nullum propitiatorium, nulla sacrificia amplius habeant; At Christianorum religio nullo igne, gladio, cæde & cruciatu nullo labefactari potuit. Nostrum Evangelium, fides nostra, Christus noster, baptismus & cœna nostra perennabunt usque ad diem novissimum, mors Domini annunciabitur, donec veniet, 1.Cor.11.26. Ringant omnes Diaboli, portæ inferorum, rumpantur ilia Judæis, Turcis, Tartaris, imo toti mundo, tamen non prævalebunt adversus Ecclesiam Dei. Primò enim non ab impiis architectis turris Babylonicæ, sed à Christo ipso exstructa est.

Deindè quoque firmo fundamento innititur Christo ipso, immobili petrâ. GOtt samlet und bauet ihm eine Kirch und Gemein / scribit B. Lutherus, mitten unter seinen Feinden / als ein Schloß auff einen starcken Felsen gegründet / welches nicht heisset / Trotz Käyser / sondern Trotz Teuffel und Tod! In hâc petrâ confidamus, Diabolo & mundo insultantes, & cum Bernhardo dicentes: *Fremat mundus, Diabolus insidietur, non cado: fundatus enim sum super petrâ firma.*

III. *Ex clavium potestate*, de quâ Servator: Tibi dabo claves Regni cœlorum; & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.

Sicut Petrus hanc confessionem, non suo duntaxat nomine, sed nomine omnium Apostolorum & totius Ecclesiæ edidit: ita etiam hæc potestas non ad solum Petrum, sed & omnes Apostolos, imò ad totam Ecclesiam pertinet, ut apparet ex Joh.20.v.22.23. Ecclesia enim Christi sponsa est, illi claves appendit, & liberam in domo suâ claudendi & recludendi potestatem tribuit, committit illi pretiosissi-

tissimum Regni sui thesaurum, qui est remissio peccatorum: & portam cœlestem portis inferorum opponit, atque in potestate Ecclesiæ constituit, thesauros gratiæ, remissionem peccatorum piis & pœnitentibus distribuendi, sed malis & impœnitentibus retinendi, portam cœli occludendi, & ad portam inferorum relegandi.

Quemadmodum igitur omnibus securis & impœnitentibus horrificum est, quod peccata ipsis retenta sint, à cujus vinculis in æternum non exsolventur: Ita ex adverso piis & pœnitentibus solatium adfert, quod quamvis portæ inferorum ipsos oppugnent, & Diabolus eos in peccata seduxerit, quâ de causa porta cœli illis jure occlusa fuit, illi tamen in jure hoc Ecclesiæ & potestate clavium partem habeant. Videant modò, ut peccata agnoscant, gratiam Dei implorent, & vitæ emendationem promittant: sic porta cœli illis recludetur, & quod hîc in terris solutum est, & in cœlo solutum erit.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Examina ne contemne.* Pientissimus Servator noster Jesus, non modò discipulos suos, in doctrina cœlesti sedulò informavit, sed hîc etiam examen instituit, quærens quid hactenus profecerint. Quâ in re laudabili exemplo omnibus illis præit, qui Ecclesiæ & Scholæ præpositi sunt, & in illis docent, ut auditores & discipulos suos, non modò probè informent, sed & in examen adducant, quos progressus in Catechismo & Christiana doctrinâ fecerint, quomodo illam calleant, & quomodo respondere possint: quo respectu quoque publica examina in scholis instituta sunt, quæ & in Ecclesia, & confessione, & in privatis ædibus utiliter instituerentur, quò juniores & seniores hâc occasione incitarentur, in doctrinâ Christi, ejusque agnitione proficiendi.

Verùm hîc utrinque peccatur, cùm ex parte illorum, quibus examen incumbit, qui socordes & negligentes se exhibent, alia negotia utiliora prætendentes, quasi pluribus occupationibus districti essent, quàm indefessus ille Propheta, & Doctor eruditæ linguæ Christus Jesus: tùm ex parte examinandorum, qui examina, ut rem levem & non necessariam subterfugiunt, & rationem fidei reddere erubescunt.

Verùm si Apostolos non puduit examini se subjicere: quid tu miser homuncio erubesceres? Magis negligentia & inscitia tua ruborem tibi incutiat: quod si enim rationem reddere posses, nullatenus examen declinares.

II. *Interroganti promtè responde.* Christo hîc ex discipulis quærenti, respondent illi, quid & aliorum & suum ipsius de Christo sit judicium: Ita & tu paratus semper sis, ad satisfactionem omni poscenti te rationem de eâ, quæ in te est, spe & fide, 1. Petr. 3. v. 15. Et quò accuratè respondere possis, vide, ut bonum fundamentum ponas in agnitione Dei & Filii ejus Jesu Christi. Petrus & reliqui Apostoli malè ad quæstionem propositam respondissent, nisi è concionibus Christi, ex illuminatione Spiritus sancti id didicissent, nec

nec dubium est, quin æque absonas opiniones de Christo protulissent, ac alii homines, doctrinæ Christi rudes. Sic & tu nunquam dextrè respondebis, nisi antè sufficienter in articulis fidei instructus fueris.

Ne proinde pigeat te, conciones sacras sedulò invisere, devotè auscultare, & domi quoque sacram Scripturam evolvere, & in illa scrutari. Veniet aliquando, crede mihi, tempus, ubi in examen vocaberis, quod fiet aut in mortis agone, vel certè in extremo judicio. Disce igitur in tempore ne tùm turpiter stes forte.

III. *Bonæ famæ stude.* Christus interrogat discipulos suos: Quem me dicunt, homines esse, Filium hominis? Quo ipso nos instruit, ne rumorem vulgi & publicam famam planè contemnamus, sed perscrutemur, quæ de nobis sit hominum opinio. Bona enim conscientia nobis est opus, propter nos ipsos, bona fama propter proximum, ut Veteres dixerunt. Qui hominum famam susque deque habent, eos gentiles quoque pro homine futili nulliusque pretii habuere. Melius est nomen bonum, quàm unguenta preciosa, Eccles. 7. v. 3. Hinc Siracides c. 41. v. 15. 16.

Si verò famæ integritate gaudere vis, vide ut genuinus Christianus, & filius Dei vivi sis: Vive proindè ut Christianum decet, insiste vestigiis Christi, quæ in vita & passione, in doctrina & opere tibi reliquit, exhibe te talem, qualem pium & obsequentem filium Dei decet: hoc modò non tantùm in hoc mundo coràm hominibus bonam famam consequeris: sed & nomen tuum pòst mortem perennabit. Die enim novissimo judex vivorum & mortuorum, in consessu SS. Trinitatis, coràm Angelis, Archangelis, omnibusque electis, imò Diabolis quoque & damnatis, sed in horum confusionem & ignominiam, nomen tuum amplissimis laudibus ornabit, teque in gaudium Domini tui introducet, ubi nominis tui memoria nunquam obliterabitur, siquidem in libro vitæ scriptum permanebit in æternum.

Fiat id per Christum, Dominum & Servatorem nostrum, Amen.

IN DIE FESTO VISITATIONIS MARIÆ.

Evangelium Luc. 1. v. 39. -- 56.

EXORDIUM.

SPiritualis illa Ecclesiæ Sponsa, de Sponso suo ait: Ecce, Dilectus meus venit saliens in montibus, transiliens colles, Cant. 2. v. 8.

In quibus verbis Ecclesia Christum compellat, est enim amicus sive Dilectus ejus, aut *naturaliter*, quia humanam naturam, carnem & sanguinem ille adsumsit, quo respectu nos omnes Christi consanguinei, ipse autem cognatus noster factus est, unde etiam Goël noster aliquoties in Scriptura appellatur, Genes. 48. vers. 16.

Esa.59.v.20. Hiob. 19.v.25. hoc verò nomen tàm arctam consanguinitatem indicat, quâ quis obstrictus est proximi sanguinem & necem vindicare, ut constat ex Num.35.v.19. sicut & hâc ipsa ex causa, Servator noster redemit nos, de manu infernalium latronum, & quia nos sauciaverant, Luc.10.v.30. ultus est nosmet, exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter palàm, triumphans illos in seipso, Col.2.v.15.

Aut Christus Ecclesiæ suæ Dilectus est *spiritualiter*, ratione spiritualis communionis, quam per *unionem mysticam*, quæ per verbum & Sacramenta fit, nobiscum habet, quò collineant verba Petri, dicentis: quod per cognitionem Christi, quæ ex verbo & Sacramentis oritur, divinæ consortes naturæ efficiamur, 2. Petr.1.v.4. De hoc Dilecto ait Ecclesia: *Ecce, venit saliens in montibus, transiliens colles*: quo innuitur, quod Ecclesiæ suæ subvenire festinet, eamque ex omnibus tribulationibus eripiat, ut promisit Psal.91.v.14.15.

Hæc verba quoque non inconcinnè in hodiernum diem festum applicari possunt, quo Maria abiit in montana ad cognatam suam Elisabetham. Maria enim jam tùm Servatorem mundi, in utero suo obumbratione Spiritus sancti conceperat, ut Gabriel ipsi prædixerat, Luc.1.v.35. hunc super montana ferebat sub corde materno, cujus adventum Johannes saltu fideli gratulatur, conclusus adhuc in utero materno Elisabethæ, ut prælecta Pericope indicat. Verè tùm Elisabetha dicere potuit: Ecce, Dilectus noster venit, saliens in montibus, transiliens colles.

Nos pro Instituti ratione videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J.J.

Exegesis.

QUemadmodum Sol, quando ortus est, non potest abstrusus manere, sed cuilibet se conspiciendum exhibet, radios suos de se spargit, & tanto splendore refulget, ut totum aliquod hæmisphærium illuminet, nec est, qui se abscondat à calore ejus, Psal.19.v.7. Eodem modo comparatum est cum *Christo*, qui est *Sol justitiæ*, Malach. 4. v.2. *lux mundi*, quæ illuminat omnem hominem, Joh.1.v.9. *oriens ex alto*, Luc.1.v.78 postquam enim in utero castissimæ Virginis Mariæ, pôst præcedentem annunciationem Gabrielis per sanctissimam suam conceptionem ortus erat, ecce! velut Sol non amplius abscondi potest, sed altius montana transcendit, ut Elisabeth, & Johannes, in utero materno adhuc conclusus, super adventu & ortu ejus exultent, & quasi spiritualiter calescant à divino ejus gratiæ calore: Johannes etenim nondum natus, saltu hunc orientem gratiæ Solem salutat. Mater quoque ejus Elisabetha, per Spiritum sanctum, tanquam radium Solis justitiæ, Sap. 7. v.25. fovebatur, ut repleretur Spiritu sancto. Idem hic justitiæ Sol Christus, in B. matre Mariâ peculiarem fidei calorem accendit, ut ex singulari animæ exultatione præclarum suum Magnificat insoner, Deumque pro gratiâ & beneficiis suis laudet & celebret.

Querela respicit

I. Pa-

I. *Papisticam Mariæ Deificationem*, quæ ex institutione hujus festi apparet, utpote quod anno Christi 1441. in Concilio Basiliensi sub Eugenio Pontifice, in honorem B. Mariæ Virginis institutum est, quam invocandam statuit, ut, sicut olim pedibus suis montes conculcaverat: ita Turcam viribus suis illa conculcet, qui eo tempore magno successu contrà Christianos bella gerebat. Quid hoc aliud est, quàm Deam & omnipotentem adjutricem Mariam constituere? Qui enim homini tribuit, quod omnipotentiæ divinæ tantùm competit, ex illo Deum facit. Sic enim Jacob: Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui? Gen. 30. v. 2. Atqui in prædicto Concilio à Maria sollicitatur ejusmodi res, quæ in Dei omnipotentia versatur, videlicet liberatio de manu hostium. Hinc ergò sequitur quod Dea constituatur in Papatu. Deus enim solus est, qui dat salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos, Luc. 1. v. 71. Ipse solus, in quo aggredi exercitum, & in quo transgredi murum valemus, Ps. 18. v. 30. Auxilium nostrum à Domino, qui fecit cœlum & terram, Ps. 121. v. 2.

Originem Deificationis Mariæ reperimus Jerem. 44. v. 16. ubi mulieres Judaicæ thymiama adoleverunt Melechet cœli, & libarunt ei libamina, quam idololatriam tanto fervore propugnarunt, ut Jeremiæ contradixerint his verbis: Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te &c. Quid per hanc Melechet cœli intellexerint, Solem, Lunam aut Venerem, non certò constat. Vulgatus Interpres reddidit *Reginam cœli*, quæ, ut probabile est, in formâ mulieris Deo, æterno cœli Regi, velut Regina adjuncta fuit.

Licet autem Jeremias per severas suas conciones execrandam hanc idololatriam tandem aboleverit: attamen Satanas supremus ille Hæresiarcha, eandem renovavit, siquidem in Arabiâ tempore Epiphanii mulieres inventæ, quæ ad exemplum mulierum Judaicarum, Mariam tanquam Reginam cœli veneratæ, ei honorem soli Deo debitum, obtulerunt. Imprimis in sellâ quadrata puro linteo operta, statis temporibus panem posuerunt, & in nomine B. Mariæ sacrificarunt, posteà verò panem illum, comederunt.

Et quamvis Epiphanius magno zelo idololatriam hanc refellerit, & suppresserit, attamen ea in Papatu rursus emersit, siquidem Jacobus de Voragine palàm scripsit: Quod vanæ mulieres dixerunt de Lunâ, nos exponamus de ista Reginâ Jerem. 44. Debemus Reginæ nostræ sacrificare corpora nostra per mortificationem, & libare ei corda liquida, per quandam lacrymarum compassionem, & offerre sibi placentas, h. e. conscientias mundas &c.

Trahit itaque hæc idololatria originem non à Deo, sed à superstitiosis mulieribus Judaicis, quod ipsi B. Mariæ improbatur, imprimis quod hodierno die auxilium ejus contrà Turcas imploratur, quod soli Deo unicè competit, juxta illud: Invoca me, in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me, Psal. 50. v. 15.

II. *Calamitatis gravidarum considerationem*, cui juxtà divinam legem subjectæ esse coguntur, Gen. 3. v. 16. Hinc quando mulieres fructu ventris à Deo benedicuntur,

plerumque in principio magnas molestias sentiunt, ut experientia probat. Et licet Maria magnâ alacritate novendecim, sive ut Gerson supputat, viginti quatuor milliaria super montana iter facit, quia sine peccato conceperat, & portabat tale onus, à quo ipsa portabatur, nec ejusmodi molestias, ut aliæ mulieres sensit: Similiter Elisabetha saltu Johannis in utero non incommodata est, siquidem erat motus extraordinarius, & non nisi divinitus factus, unde Ambrosius: *Hæc exultatio facta est divinitus in infante, non humanitus ab infante.*

Attamen, si quod modo ordinario & naturali fieri amat, dicere fas est, non sine magna molestia esse solent gravidæ, non modò *in partu*, ubi sæpè vita & mors concertant, & mors obtinet, exemplo Rachel, Gen.35.v.18. sed & *ante partum*, ubi varia accidentia & dolores illis obveniunt, ut in Rebeccâ apparet, Gen.25.v.22.

Hæc omnia à peccato proveniunt, nisi hoc per mulierem introductum fuisset, Deus procurasset, ut fœtum sine dolore & tulisset, & pepetisset: At postquam Eva cum filiabus suis peccavit, omnes gravidæ multis doloribus subjectæ sunt, ut sæpè genas lacrymis rigent, querentes: Iccircò ego plorans, & oculus meus deducens aquas; quia longè factus est à me consolator, recreans animam meam, Thren.1.v.16.

Intereà Christianæ matronæ prædictas molestias non pro iræ divinæ indicio reputent, sed pro paternâ castigatione, siquidem Deum diligentibus omnia in bonum cooperabuntur, Rom.8.v.28. Dolores itaque antè, in, & pòst partum sexui fœmineo inserviunt, contrà *fœdam superbiam*, cui ille maximè deditus est, ut apparet in Evâ, quæ quia Deo assimulari cupiebat, contrà Dei interdictum delinquebat, Gen.3.v.6. præterea & *in externo cultu* superbiam suam produnt, in plicaturâ capillorum, circumdatione auri & indumenti, 1.Petr.3.v.3. Verùm in recordatione dolorum muliebrium, revocent sibi ad animum verba Siracidis: Quid superbit terra & cinis? Sir.10.v.9. sic desistent à peccatis, 1.Petr. 4.v.1. Inserviunt quoque iisdem ad *probationem patientiæ & pietatis*, quando in illis fiduciam suam in Deum non abjiciunt, sed dicunt: Dominus veniens veniet, & non tardabit, Hab.2.v.3. siquidem novit suos è calamitatibus eripere.

III. *Languidam in pietatis viâ festinationem.* Maria abiit in montana *μετὰ σπουδῆς*, cum festinatione. Unde discimus, quod in viis Domini non consistere, sed cum alacritate progredi debeamus, si bravium accipere velimus, 1.Cor.9.v.24. Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei, Luc.9.v.ult. Verùm multi consistunt, nec procedũt, sed respiciunt ut uxor Lothi, quæ versa est in statuam salis, Gen.19.v.26.

De Athlantâ virgine memoratur, quòd nõ modò formosissima, sed & celeris pedibus fuerit, ut nemo cursum ejus anteverterre potuerit. Pulchritudo autẽ ejus incitavit juvenẽ, ut cursu cum ipsa contenturum se offerret, hâc lege, ut si anteverteret eam, ipsa ejus esset. Virgo conditionẽ accepit, nõ fieposse rata, ut quis ipsi in currendo palmam præriperet. Verùm juvenis hunc dolum excogitavit, assumtisq; tribus pomis aureis, illa in currendo abjiciebat, quæ cum Athlanta tolleret, longè ipsi antecurrebat.

Quan-

Quando adhuc hodiè ad destinatum scopum persequimur, ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu: Satanas *poma aurea voluptatis* projicit, ut illis inescati, in cursu & alacritate nostra retrahamur:

1. *Pomum copia*, ut nos in montem excelsum abducat, ostendens nobis omnia Regna mundi & gloriam eorũ, sicut Christo Servatori contigit, Matth. 4. v. 8. Natura quippe terrenis adeò capimur, ut despectis cœlestibus obrizo dicamus: Fiducia mea, Job. 31. v. 24. hoc pomo remoratus est Achan, Jos. 7. v. 21. item Judam Proditorem, Matth. 26. v. 26.

2. *Pomum gloria.* Hoc pomo multi capiuntur, ut cogitent cum Nebucadnezare: in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, Esa. 14. v. 14. Hoc pomum objecit Herodi, Act. 12. v. 22.

3. *Pomum luxuria*: quo ipso multa millia pellicit, ut cum divite Epulone quotidiè splendidè epulentur, deindè ne guttulâ aquæ potiri queant, qua linguam suam refrigerent, Luc. 16. v 24.

Ecce! hæc tria poma Dæmon infernalis objicit nobis, multisque cursum sistit: Sed quilibet festinanter currat, ne serius veniat, & tempus gratiæ prætermittat, ut virgines fatuæ. Alias experietur, quod in proverbio dicimus: Tardè venientes, malè sedentes, nempè in sellâ fervente, in stagno ardente sulphure & igne, Apoc. 21. v. 8. Festinate verò & currite, ut comprehendatis bravium, 1. Cor. 9. vers. 24. attingentes patriam, ubi πολίτευμα vestrum est, Philipp. 3. vers. 20.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex gratiosa Spiritus sancti in utero matris præsentia*, de qua Elisabetha testatur, inquiens: quod ad salutationem Mariæ, infans in utero suo præ gaudio exultaverit. Hæc exultatio non fuit motus naturalis, sed supernaturalis ab ipso Spiritu sancto profectus, sicut Gabriel Arch-Angelus ad Zachariam dixerat: quod Spiritu sancto replebitur adhuc, ex utero matris suæ, Luc. 1. vers. 15. Unde Ambrosius præclarè ait: *Vocem prior Elisabetha audivit, sed Johannes prior gratiam sensit.*

De Jeremia dicit Deus: Priusquam formarem te in utero, novi te, Jer. 1. v. 5. Et Paulus de seipso asserit: quod segregaverit se Dominus ex utero matris suæ, & vocaverit per gratiam suam, Gal. 1. v. 15. Verum Johannes hanc prærogativam præ omnibus obtinet, quod non modo, sicut Jeremias & Paulus ad munus Propheticum & Apostolicum, ad officium Baptistæ & Præcursoris Messiæ in utero matris destinatus & vocatus: sed & Spiritu sancto extraordinariè in eo repletus fuerit.

Colligimus inde, licet infantes in utero matris rationis usu destituantur, tamen non obstare, quo minus Spiritus sanctus peculiari ratione fidem in iis accendere possit. Imò, quia ratione nondum uti possunt, ideò Spiritus sanctus fidem in ipsis facilius accendere potest, quæ est rerum non apparentium, Ebr. 11. v. 1. siquidem ex ore infantium & lactentium Deus sibi laudem perficit, Psal. 8. v. 3.

Quod consolationi esse potest parentibus in eo casu, ubi quandoque infantes in utero materno, in partu, antequam Baptismo tingantur, exspirant; Quia enim & vita & mors à Deo sunt, Sir. 11. v. 14. Deus autem non vult ullum perire, 2. Petr. 3. v. 9. certi esse possumus, tales infantes non damnari, siquidem Christus ipse ait: Non est voluntas ante patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis, Matth. 18. v. 14. Unde & David in morte filioli ante circumcisionem occumbentis, salutare hoc solatium arripuit: Quamvis ille non revertatur ad se, tamen se vasurum ad eum, 2. Sam. 12. v. 23. Talis enim sine culpâ suâ baptismo privati, & nondum nati infantes, à fœdere Dei minus excludendi sunt, siquidem Deus non modo noster, sed & seminis nostri Deus futurus est, Genes. 17. v. 7.

II. *Ex Spiritus sancti in sexu fœmineo efficientiâ.* In prælectâ Pericope expresse memoratur, quod repleta sit Spiritu sancto Elisabeth, & ex animo lætata de mysterio incarnationis æterni Filii Dei. Ex quo consequitur, pias mulierculas æque ac viros templa Spiritus sancti esse posse, in quibus habitare, & gratiam suam exerere ille velit, sicut hoc ipsum probant exempla, extra hoc, mulieris Cananeæ, Matth. 15. v. 25. hæmorrhousæ, Matth. 9. v. 22. item mulierculæ illius, quæ exclamavit in populo: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti, Luc. 11. v. 27. nec non matronarum piarum, manè ad sepulchrum Christi proficiscentium ad ungendum corpus ejus, Marc. 16. v. 1. Quin & exempla prostant in Hist. Eccles. quod & fœminæ & virgines propter Evangelium dira supplicia pertulerint, & constantes in mortem usque perseveraverint, id quod virtus Spiritus sancti præstitit, qui in illis, tanquam vasculis infirmioribus, 1. Petr. 3. v. 7. virtute sua earum infirmitatem perfecit, 2. Cor. 12. v. 9.

Agnesa castissima illa virgo, plena Spiritus sancti erat, cum ad mortem abduceretur; & quia genas ejus rubor tinxerat, carnifex quærebat ex illa, an ebria esset? Cui respondebat: non temulenta sum, sed sanguis Christi purpuravit genas meas.

Hoc solatio fulciat se sexus fœmineus, adversus petulantissimos sycophantas qui illum conviciis proscindere & contumeliose traducere non erubescunt. Non minus templa Spiritus sancti vos estis ac viri, siquidem non modo Zacharias sed & uxor ejus Elisabetha, Spiritu sancto repleta est. Christus enim non pro maribus duntaxat, sed & pro fœmellis sanguinem suum profudit, quod præfiguratum est per B. Mariam Virginem & Johannem Evangelistam, qui sub cruce Christi stantes, totum quasi genus humanum repræsentarunt, Maria mulieres, & Johannes masculos. Utrumque enim sexum sanctificavit Christus sanguine suo. Hinc apologiam Christus edidit pro muliercula, corpus suum unguento pretioso inungente, Matth. 26. v. 13. & consolatus est mulieres mortem suam lacrymis prosequentes, Luc. 23. v. 28. Quæ clarè indicant, quod pias quoque mulierculas sibi apprimè commendatas habeat, quibus etiam primitus resurrectionem suam manifestare voluit, Marc. 16. v. 9.

Hinc elucescit: Non esse discrimen apud Deum, inter masculum & fœminam, Gal.

Gal. 3. v. 28. & licet alias illæ sint vascula infirma, attamen vi dictorum, sunt habitacula Spiritus sancti, & cohæredes gratiæ vitæ, 1. Petr. 3. v. 7. unde & vitam instituant, ut sanctas decet, sint modestæ, castæ, sobriæ, domus curam habentes, benignæ, subditæ viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei, 1. Tim. 2. v. 9. Confer Tit. 2. v. 5.

III. *Ex singulari Dei beneficentiâ*, quam exhibet

1. *Famelicos saturando.* Esurientes enim, canit Maria, implevit bonis, & divites dimisit inanes. Hoc spiritualiter intelligendum, de iis, qui justitiam esuriunt & sitiunt, Matth. 5. vers. 6. Hos saturat cœlesti manna verbi salvifici, ut vitam habeant, & abundantius habeant, Joh. 10. v. 11. Qui verò inopiam suam non agnoscunt, dicentes: dives sum, locupletatus, & nullius egeo, Apoc. 3. v. 17. inanes relinquit: nam qui non habet, & quod putat se habere, auferetur ab eo, Luc. 8. v. 18.

2. *Lapsos sublevando.* Nam suscepit, inquit, Israel puerum suum, ut memor esset misericordiæ. In Græco est vox ἀντιλαμβάνεσθαι, quæ significat labanti succurrere, & manum porrigere. Tum temporis enim miseria Ecclesiæ Israeliticæ erat conditio, Pharisæi fermento doctrinæ suæ omnia corruperant, ut deficierent Sancti, Psal. 12. v. 2. & omninò videretur, quasi Deus oblitus esset Ecclesiæ suæ, & servum suum Israel planè abjecisset. Verum cum spes apud plerosque ferè decollavisset, ecce, Deus memor erat misericordiæ suæ, & sicut Pater, quando videt puerum casurum, utramque manum extendit, eundemque adjuvat: Ita suscepit puerum suum Israel, & ulterius Ecclesiam suam contrà omnes portas inferorum potenter defendet, Matth. 16. v. 18. Zach. 2. v. 8.

3. *Promissionem roborando.* Ita enim Maria concludit hymnum suum: Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham & semini ejus in secula. Respicit his verbis ad promissionem Abrahæ factam, & postea omnibus seculis repetitam quod ex eorum semine Messias sit oriundus. Hanc dicit, impletam esse, in missione Filii, & conceptione ejusdem in utero virginali, nec dubium esse, quin quod inceperit, ad finem perducturus sit. Celebrat proinde *veritatem Dei*, quem impossibile est mentiri, Ebr. 6. vers. 18. sed veritatem in æternum servat, Psalm. 146. vers. 6. servat, quod promisit, implet, quod prædixit, Esa. 46. v. 12.

Confide igitur promissionibus divinis, & noli abjicere animum, licet quandoque differantur, veniens veniet, & non tardabit, Hab. 2. v. 3. Dic cum Regio Psalte: Tibi dixit cor meum: quærite faciem meam: faciem tuam Domine, requiram, Psal. 27. v. 8. Id quod certissime faciet, juxta promissionem suam, Psalm. 91. v. 15. Conturbata sunt viscera ejus, miserans miserebitur tui, Jer. 31. v. 20.

Promissiones Dei sunt fortissima vincula, quibus constringitur à nobis, ne elabatur. Simson dirupit vincula & funes, quibus Philistiim ipsum ligaverant, iisque expedivit, se, Jud. 16. v. 9. Verum vincula divinarũ promissionum, Deus ipse vi divinæ veritatis solvere non potest, sed ligatur & tenetur iisdem. Omnes enim promissiones Dei sunt in Chisto Etiam, & Amen, 2. Cor. 1. v. 20.

De

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt,

I. *Humilitati stude.* Hanc discemus à Maria, quæ animi humilitatem contestatur

1. *Erga Deum*, respectu cujus abjectam ancillam se vocat. Sic & nos humiliemur sub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore visitationis, 1.Petr.5.v.6.

Exemplo sit Abraham, Genes.18.v.27. David, 2.Sam.7.v.18. Paulus, 1.Cor.15.v.10. Hæc humilitas magnam exaltationem gignit, ut & Maria fatetur, inquiens, Deus exaltavit humiles. Quod B.Maria ipsa experta est, quæ ex abjecta ancilla θεοτόκος evasit, Luc.1.v.35. Esther, quæ ex derelictâ orphana in Reginam exaltata, Esther.2.v.16. Quod ipsum & Moses, Joseph, Daniel, aliique probant.

Hæc consuetudo Dei est, qui quidem in altis habitat, & tamen humilia respicit in cœlo & in terra: erigit de pulvere inopem, & de stercore exaltat pauperem, ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui, Psal.113.v.3.seqq. contrà verò dispergit superbos mente cordis sui, iterum Maria canit. Id quod Pharao, Nabuchodonosor, Haman, Vasthi, aliique plures compererunt. Superbiam proinde, neque in tuo sensu, neque in tuo verbo dominari permittas, in ipsa enim initium sumsit omnis perditio, Tob.4.v.14.

2. *Ergà proximum.* Maria non modo è Regia stirpe orta erat, sed & Salvatorem mundi sub corde gerebat, nō ignara, quod Mater Messiæ futura sit; non hinc cristas erigit, sed conjicit se in pedes, iter faciens ad Elisabetham, quæ potius ad illam se conferre debuisset. Sic Maria in omnibus humilitatem contestatur, adeò ut non vereatur Elisabethæ tres integros menses servire, & in re familiari operam suam commodare. Similiter & nos affecti simus, ut honore invicem nos præveniamus, Rom.12.v.10. Christus ipse tanquam exemplar humilitatis discipulorum pedes lavat, Joh.13.v.5. hinc invitat nos, inquiens: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, Matth.11.v.29. Vestigia ejus legit Paulus, 1.Cor.15.v.9.seqq. Eph.3.v.8. Observa illud Siracidis: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam, Sir.3.v.20.

II. *Pietati incumbe.* Maria hîc nobis exemplum præbet, quando ad pietatem suam indicandam, præclaro hymno magnalia Dei celebrat, & ita pietatem contestatur,

1. *Externè*, dum os suum resolvit in laudem Dei, linguam movet, & laudem Dei extollere valdè operosa est.

O Optimi! non concedite, ut illa sola canat: sed concinite, & labiis jubilantibus celebrate Deum, Ps.63.v.6. Inveniuntur, qui magis muti sunt, quam pisces, quando in Ecclesia Dei laudes Psalmis & hymnis celebrantur. Hi Spiritum Mariæ non habent, quæ peculiari Zelo laudes Dei enarrat, nec confunditur in laude ipsius, Sir.51.v.29. Sic Spiritus sanctus otiosus esse non vult, sed negotiosus in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, Eph.5.v.19. Psal.92.v.2.

2. *Internè.* Neque enim saltem os aperit, sed & animam & spiritum, h. e. omnes animi nervos & sensus intendit, ut & ipsi laudem Dei concelebrent.

Idem

Idem nobis obſervandum, ſi Deo ſacrificium gratum offerre velimus. Non enim veniet in conſpectum ejus hypocrita, Job. 13.v.16. Quando igitur os canit & cor aliorſum vagatur, Deo placere nequit. Homo videt ea, quæ apparent, Dominus autem intuetur cor, 1.Sam.16.v.7. Dic ergò cum Davide: Benedic anima mea Domino, Pſal. 103.v.1. hæc jucunda, decoraque laudatio, Pſal 147.v.1.

III. *Officioſitatem cole.* Hæc innuitur in prælecta Pericope, quando in calce Evangelii dicitur: Manſit autem Maria cum illâ, quaſi menſibus tribus, & reverſa eſt in domum ſuam.

Procul dubio per hoc tempus Eliſabethæ miniſtravit, & in œconomiâ ipſam fideliter adjuvit. Hinc conſpicimus, quam laudabilis ſit *officioſitas* quâ alteri inſervimus, ſiquidem hîc Maria propterea inſigniter commendatur.

Hoc Chriſtianiſmus noſter requirit, qui nos conſtringit, ut alter, alteri ſerviamus ex virtute, quam adminiſtrat Deus, 1.Per. 4.verſ.11. ſumus enim invicem membra: Non poteſt oculus dicere manui: Operâ tuâ non indigeo: aut iterum caput pedibus: Non eſtis mihi neceſſarii, 1. Cor. 12.v.21.

Chriſtus miniſtrabat diſcipulis ſuis, lavando pedes eorum, Dominus ſervis, magiſter diſcipulis, nobis dans exemplum, ut quemadmodum ille fecit nobis, ita & nos faciamus, Joh.13.v.15.

Maximus exhibeat ſe, quaſi minimus eſſet, in exantlatione Chriſtianorum officiorum, exemplo primorum Chriſtianorum, de quibus in Actis pluribus legitur. Hoc ſi fecerimus, nos Chriſti diſcipulos eſſe, demonſtrabimus, Johan. 13. verſ.53. & palam propterea die ultimo à Chriſto commendabimur, & introducemur in Regnum, paratum nobis ab exordio mundi, Matth. 25.v.4.

Quod nobis largiatur SS. Trinitas, Amen.

IN DIE FESTO JACOBI MAJORIS APOSTOLI.

Evangelium Matth. 20. v. 20.-- 23.

EXORDIUM.

CUm Joſepho nunciaretur, quod ægrotaret pater ſuus, ille aſſumtis duobus filiis, Manaſſe & Ephraim, patrem ſuum inviſit, procul dubio ut benediceret his duobus filiis: quod & Jacob impoſitione manuum ſuarum fecit, Gen.48.v.1.ſeqq.

In prælecta Pericope *duorum filiorum Zebedæi mater* accedit Chriſtum, cum percepiſſet, quod brevi moriturus, & diſcipulis ſuis aliisque familiaribus valedicturus eſſet: rogans, ut *ſedere faciat filios ſuos duos unum ad dexteram ſuam, & unum ad ſiniſtram* in Regno ſuo, antequam diſcedat.

Verum quia petitio ejus iniqua erat, & illa ad alium ſcopum tendebat, quam Joſephus cum duobus filiis ſuis, non impetrabat benedictionem à Chriſto, ut Joſe-

phus à patre pro filiis suis eam impetraverat, sed Servator legatis ipsis calice, & baptismo crucis, ait: Calicem quidem meum bibetis, & baptismate, quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum, dare vobis: sed quibus paratum est à patre meo.

Nos methodi nostræ observantes, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

QUando Deus Esa. 49. v. 15. ait: Nunquid potest mulier oblivisci infantem suum, ut non misereatur filii uteri sui? considerandam nobis exhibet naturalem στοργὴν, quàm parentes ergà liberos habent: hinc etiam est, ut quiliber pater & mater filii salutem pro virili quærat & promoveat. Sicut idipsum quoque videmus, in prælectâ Pericope, in Salome, quæ ob filiorum suorum temporalem salutem Christum accedit, eumq; orat, ut præ aliis ipsis proedrian in Regno mundano, quale sibi finxerat, concederet: quod quidem non iniquum fuisset, nisi temporalibus duntaxat intenta, mundanum filiorum honorem & gloriam adeò solicitè quæsivisset.

Querela respicit

I. ***Amorem liberorum præposterum.*** Videmus hunc in Salome filiorum Zebedæi matre, quæ in hâc persuasione est, si filios suos ad mundanam gloriam evehere possit, se optime ipsis providisse. Atqui nullatenus reprehendenda videtur, quod filiorū curam gerit: quomodo enim mater filii oblivisceretur? Esa. 49. v. 15. sicut igitur ex animo dolet de miseria filii, ut in muliere Cananæâ paret, Matth. 15. v. 22. ita è diametro lætitiâ afficitur, quando videt liberos suos in mundo fortunatos esse, sicut Bathseba gaudium suum contestabatur, cum impetraret, ut filius suus Rex eligeretur, 1. Reg. 1. v. 30.

Sic hodietenus adhuc officium parentum requirit, ut salutem liberorum procurent,

1. *In spiritualibus*, ut eosdem non modo educēt in disciplina, & admonitione Domini, Eph. 6. v. 4. illis verbum Dei acuant, Deut. 6. v. 7. & quidem ab ineunte ætate, exemplo Timothei, de quo S. Literæ memorant, quod à puero sacras literas didicerit, 2. Tim. 3. v. 15. quo pro consuetudine exercitatos habeant sensus, ad discretionē boni ac mali, Ebr. 5. v. 14. quod cumprimis nostri officii erit, in hâc mundi senectâ, quia Satanas valdè negotiosus est, ut malitia mutet intellectum juventutis, & fictio decipiat animas illius, Sap. 4. v. 11. Sed & parentes Christiani sedulò orent pro liberis suis, Deum sollicitantes, ut intellectum illorum illuminet, & det illis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus, in interiori homine, Eph. 3. v. 16. ut doceat eos facere voluntatem suam, & Spiritus suus bonus deducat eos in terrā recta, Psal. 143. v. 11. ut custodiat eos à pravo sodalitio, fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, Sap. 4. v. 12. ut iisdem Angelos suos associet, qui custodiant eos in viis suis, Ps. 91. v. 11. Ejusmodi

oratio parentum pro liberis suis, non sine fructu erit: nam benedictio patris firmat domos filiorum, Sir.3.v.10.

2. *In Corporalibus*. Quilibet enim domesticorum suorum curam habere tenetur, & qui id non facit, fidem negavit, & infideli deterior est, 1.Tim.5.v.8. thesaurizet oportet filiis, 2.Cor.12.v.14. obstrictus quoque est, ut conjugio ipsis prospiciat, & salutem eorum meliori modo promoveat, sicut Abraham procuratorem domus suæ Eleasarem ablegavit, ut duceret filio Isaaco uxorem, Gen.24.v.1.seqq.

Verum hîc plerumq; *in excessu* peccant, dum id modò student, quomodo liberis multas opes corradant, aut eosdem ad sublimes honores evehant, intereà studium pietatis friget, connivent ipsis in variis flagitiis, & ne quidem frontem contrahunt adversus eos, ut Eli, 1.Sam.3. v.13.

Sapientia autem humiliati exaltabit caput illius, & in medio Magnatum considere illum faciet, ut Siracides ait, c.11.v.1. id verò parentes non animadvertunt, sed studiis spretis, filios in Galliam & Italiam mittunt, ubi largam vitiorum messem metunt, aut in aulas Principum deferunt, cum tamen observare tenerentur illud Poëtæ:

Exeat aulâ, qui volet esse pius.

Ad Scholam liberos mittant, ut in pietate illi instruantur, sicut Hanna Samuelem disciplinæ Sacerdotis Eli subdidit, 1.Sam.1.v.25. Et David Salomonem misit in manu Nathan Prophetæ, 2.Sam.12. v.25. Hic optimus thesaurus est, quem parentes liberis suis relinquere possunt. Pietas enim ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ, 1.Tim.4.v.8.

II. *Tribulationis baptismum*, de quo Servator: Potestis baptizari baptismate, quo ego baptizabor? Hic est *baptismus crucis*, quo Christus in passione suâ baptizatus est, Luc.12.v.50. & hodietenus omnes pii baptizantur, quando aquæ usque ad animam intraverunt, Psal.69.v.2. & abyssus abyssum invocat ad strepitum canalium Dei, ut omnes undæ & fluctus super nos transeant, Psal.42.v.8.

Quemadmodũ enim 1. baptizare quandoque idem est ac *lavare*, sicut usurpatur Marc.7.v.3. ubi de Judæis & Pharisæis Evangelista memorat, quod è foro venientes non manducent, ἐὰν μὴ βαπτίζονται, nisi laverint manus: Lotione verò nemo carere potest: Ita & crux omnibus hominibus communis est, in specie verò qui piè vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2.Tim.3.v.12.

2. Sicut infantes in Ecclesiâ toto corpore aquæ immerguntur, mox verò indemnes extrahuntur: ita nos quandoque adeò limo tribulationum immergimur, ut certissima mors ob oculos versetur, sicut discipulis Christi accidit Matth. 8.v.25. sed Deus manum nobis porrigit, ut incolumes evadamus ad terram, velut Paulus, Act.27.v.ult.

3. Sicut ille, qui in aquam submergitur, omnibus viribus enititur, ut emergat: sic & nos sub cruce media adhibeamus, quibus liberemur. Præcipuum est ardens oratio. Ut enim necessitas docet natare, sic & necessitas docet orare; Domine, in augustia requisierunt

te, meditatio: quando eos castigas, Esa. 26. v. 16.

4. Velut, qui in aquam mergitur, madescit, sed à Sole vicissim siccatur: sic vicissitudinibus hujusmodi & pii subjecti sunt, ut quidem multæ sint tribulationes justorum, sed de omnibus his liberat eos Dominus, Psalm. 34. vers. 10. post tempestatem tranquillum facit, & post lacrymationem & fletum, exultationem infundit, Tob. 3. v. 22.

Sic Christianis gemino baptismo opus est, *Lucis* & *Crucis*. *Lucis*, qui ipsis impertitur in infantiâ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Matth. 28. v. 19. Nisi enim quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest introire in Regnum cœlorum, Joh. 3. v. 5. & *Crucis*, quo carere non possunt, per omnem vitam suam.

Dux Johannes Fridericus, Elector Saxoniæ flavam crucem in tergo gerebat, cum Anno 1503. die 30. Junii in lucem ederetur. Quod videns senex Pastor dixit: Hic puer crucem gestabit toti orbi conspicuam.

Nos dilecti! omnes nobiscum crucem in mundum inferimus, primam vocem emittimus plorantes, Sap. 7. vers. 3. & si rectè miseriam nostram expendimus, vix tantum temporis reliquum est nobis, ut lacrymas ab oculis abstergamus. Occupatio magna creata est omnibus hominibus, Sir. 40. v. 1.

Quando igitur accidit, ut cruce baptizeris, solatium hoc arripe, quod in infantiâ tuâ alio quoque baptismo tinctus, per lavacrum aquæ in verbo adeò Servatori tuo initiatus sis, ut neque mors neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, te separare possint à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu. Rom. 8. v. 38. 39.

III. *Orationis nævum.* Hic Christum ad Salomen dicentem audimus: Nescitis, quid petatis. Non quidem ignorabant illi, quid peterent, *juxta rationem & concupiscentiam carnis*: verum qualitatem Regni Christi non intelligebant, ideò petitio eorum erat, 1. *Contra Deum*, qui misit Filium suum, non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemtionem pro multis, Matth. 20. v. 28. 2. *Contrà Regnum Christi*, quod non est de hoc mundo, Joh. 18. v. 36. 3. *Contrà propriam eorum vocationem*, non enim dominari, 1. Petr. 5. v. 3. sed Evangelium prædicare debebant, armis militiæ suæ consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se, adversus scientiam Dei, 2. Cor. 10. v. 5. Ex hâc caussâ Christus ait: Nescitis, quid petatis.

Idem & nobis quandoque accidit, ut petamus *noxia*, sicut infantes, qui cultrum vel facem ardentem petunt, quâ læderentur, si acciperent. Verum ut pater illis talia non largitur: sic & Pater cœlestis non largitur, quæ saluti magis obsunt, quam prosunt.

Scit ille tempus optimum,
Nobisque nullum dat malum,
Spes hæc reposta nobis.

Nonnunquam petimus *inutilia*, sicut Midas, qui à Baccho suo orabat:

- - - Effice quicquid
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.

Sed quàm stultè egerat, deprehendebat, cum & cibus in aurum verteretur. Sic hodiè

hodiè adhuc multi divitias & pecunias precantur, nescientes quid petant. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, 1. Tim. 6. v. 9.

Deus quidem promisit, se exauditurum preces nostras, Psal. 50. v. 15. Esa. 65. v. 24. & omnia daturum; quæcunque petierimus, Joh. 16. 24. At *promissio conditionalis* est, si nimirum in Christi nomine, ad voluntatem ejus & in fide oremus. Hoc nisi fiat, nescimus, quid petamus, nec exauditionem sperabimus, quicquid enim non ex fide est, peccatum est, Rom. 14. v. ult. Hinc Jacobus: Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, Jac. 4. v. 3.

In *temporalibus* proindè *voluntati Dei nos subjiciamus*, cum leproso orantes, Domine si vis, potes me mundare, Matth. 8. v. 2. non enim vult sibi præscribi tempus, sed habet definitam horam juvandi, Joh. 2. 4. mirabile facit consilium, & magnificat sapientiam, Esa. 28. v. ult.

De *Secundo.*

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Christi promtitudine.* Quærit enim ex Salome: Quid vis? juvandi promtitudinem innuens. Hunc morem adhuc hodiè observat, quam primùm loqui incipimus, aures suas ad orationem nostram inclinat, & ait ad unumquemque nostrûm: Quid vis? Invoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me, Psal. 50. v. 15. Antequàm clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam, Esa. 65. v. 24. Matth. 7. v. 7. Quis igitur coràm Domino hoc se non humiliaret, ut adoret eum, quia adeò promtè respicit in orationem humilium, nec spernit preces eorum? Psalm. 102. v. 18.

Magnum hinc oritur solatium.

Sæpè inter sacrum & saxum stamus, nemo nos adjuvare potest, & licet ingemiscamus, nemo est, qui consoletur nos, Thren. 1. v. 21. Hinc Jobus queritur: Fratres mei, sicut inundatio torrentium prætererunt, Job. 6. v. 15. & David: Amici mei, & proximi mei, è regione plagæ meæ stant. Et propinqui mei de longè steterunt, Psal. 38. v. 12.

Verùm quando Christo ærumnas nostras exponimus, Servatorem habemus paratissimum, qui benevolè respondet nobis: Noli timere, quia ego tecum sum. Cum transieris per aquas, tecum ero &c. Esa. 43. v. 1. 2. quin & rebus omnibus desperatis ille opitulatur, non enim manus ejus abbreviata est, Esa. 50. v. 2. sed aperta, Psalm. 145. v. 16. ejusque dexteræ est mutatio, Psal. 77. v. 11.

II. *Ex calicis aptitudine.* De quo ait Servator: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? De Deo ait Regius Psaltes, quod calix in manu ejus, vini meri plenus infusus, ex quo omnibus infundat, Psal. 75. v. 9. *Hic calix tribulationis* est, ex illo Christus in passione suâ bibit, & nos respondere ipsi cogimur, quilibet demensum suum habet, Act. 9. v. 16. Nam qui non bajulat crucem suam, & venit pòst me, non potest meus esse discipulus, Luc. 14. v. 27.

Ne igitur murmuremus, aut impatienter feramus. Calix saltem est, non dolium, non amphora, non labrum: est potio ad vires nostras demensa, cui omninò pares sumus. Deus enim, qui nobis eam infu-

dit, fidelis est, nec patitur quenquam tentari, suprà id quod potest, 1. Corinth. 10. v. 13.

Præterea non soli sumus nos, sed omnes filii Dei ab exordio mundi usque ad præsens tempus ex eo biberunt, qui adhuc in vivis sunt, bibunt ex illo, & qui dehinc futuri sunt, hæ enim passiones toti, quæ in mundo est, fraternitati fiunt, 1. Petr. 5. v. 9.

Si potio tua amara tibi videtur, recordare, quod & aliis illa non dulcis fuerit. Per crucem probamur.

- - Sic itur ad astra!

Tandem calicem crucis Deus aufferet, & calicem lætitiæ propinabit irriguum; profectò bonitas & misericordia prosequentur nos, omnibus diebus vitæ nostræ, Psal. 23. v. 6.

III. *Ex gloria cœlestis amplitudine*, de quâ Christus: Sedere ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare: sed quibus paratum est, à Patre meo. Ex quo consequitur, electos in vita æterna ad hanc gloriam perventuros esse; *per angusta* enim *ad augusta*: ibi Reges & Sacerdotes erimus, Apoc. 1. v. 6. ibi Angelos judicabimus, 1. Cor. 6. v. 3. & magna confidentiâ stabimus, adversus eos, qui in hoc mundo nos angustiaverunt, Sap. 5. v. 1.

Ad dexteram & sinistram sedere, notat

1. *Tranquillitatem.* Qui enim quiescere vult, sessum capit. Sic nos in hoc Seculo stando & eundo lassamur: sed ibi ad dulcissimam quietem perveniemus, & in habitationem pacis adsciscemur, ubi nil nisi pax & gaudium in Spiritu sancto, Rom. 14. v. 17. Apoc. 3. v. 21.

2. *Dignitatem*, Quando Magnates mensæ assident, carissimi quique ipsis à dextris & sinistris sedent. Ita jam quidem purgamenta hujus mundi sumus, omnium peripsema, 1. Cor. 4. v. 13. Tragœdia omnium Diabolorum. Sed veniet tempus, ubi Christo à dextris assidebimus, lætabilem vocem audituri: Venite benedicti Patris mei &c. Matth. 25. v. 34.

3. *Opum superfluitatem.* Qui enim Regibus à dextris & sinistris assidet, magno hinc fruitur commodo, & ingentibus opibus donatur. Verùm vanitas vanitatum, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his, quæ possidet, Luc. 12. v. 15. *Quid prodest arca plena bonis, si conscientia sit inanis?* Augustino dicente. Vide ergò ut dives sis in fide, Jac. 2. v. 5. dives in bonis operibus, 1. Tim. 6. v. 18. dives in caritate, in scientia & in omni experientia, Phil. 1. v. 9. sic habebis vitam, & abundantius habebis in æternnm, Joh. 10. v. 11.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Ambitionem vita.* Salome cum filiis suis hâc in parte enormiter peccavit, ambitione enim percita, filiis suis solicitabat, ut unus in Regno Christi terreno, quod somniabat, sederet ad dexteram, & unus ad sinistram. Hoc vitium est fœdum, quo homo efflatur, ut functione illa, in quâ à Deo collocatus est, non contentus vivat, sed semper plus ultrà meditetur. In cœlum, inquit talis, conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo, Esa. 14. v. 13. 14. Verùm sicut

Abso-

Absolom quercui adhæsit, cum diadema Regium affectaret, 2.Sam.18.v.9. Sic multis incommoditatibus obnoxii sunt, qui sorte suâ non contenti vivunt. Multos supplantavit præsumtio, & confidentia mala intellectus eorum, perdidit eos, Sir. 3. v.26.

Proximior Jovi, proximior fulmini. Sicut profundæ valles pluviâ humectantur: excelsi verò montes fulmine feriuntur: Ita Deus gratia & benedictione suâ humiles prosequitur, superbos verò & elatos in ira suâ collidit. Abominatio Domini est omnis arrogans, Prov.16.v.5.

Quodsi igitur sapis, mi Christiane, vitium hoc cane & angue pejus fuge, & operam da humilitati & modestiæ. Sicuti enim leo non nocet illis, qui ipsi supplicant: Ita & Christus Leo de Tribu Juda affectus est, Apoc. 5. v. 5. elatos semper contemtibiles reddidit, Sir.10. v.16. Qui verò sub potenti manu ejus se humiliant, gratiam & salutem ab eo impetrant.

Junius Brutus aliquando cum duobus nobilibus adolescentibus, è Regio Tarquiniorum stemmate natis, Delphos proficiscebatur. Cum igitur Apollini sacrificassent, quærebant ex eo, quis illorum Romæ, supremo dominio potiturus esset? & responsum capiebant, illum fore, qui primùm matrem suam osculaturus esset. Intellexit id Brutus, subitò in terram pronus cadens, & osculans eam: factum ergò, ut superatis Tarquiniis, primus Romanus Consul evaserit.

Quodsi & vos ad honores evehi, & Principes cœli fieri vultis, terram osculemini, matrem omnium nostrûm, Sir.40. v.1.h.e. humiliari, & cum Abrahamo confiteri vos oportet, quod terra & cinis sitis Gen.18.v.27. Qui enim seipsum humiliat, exaltabitur, Luc.14.v.11.

II. *Decenter ora.* Hîc Christus his supplicantibus exprobrat, quod nesciant, quid petant. Adhuc hodiè hâc in parte peccatur.

Multi enim petunt *fine intelligentia*, putantes se in multiloquio exaudiri, Matth. 6.v.7. hi nesciunt quid petant, ideoque nec exaudiuntur, quia enim Deus Spiritus èst, in Spiritu & veritate adorari oportet, Joh. 4.v.24. Oratio verò sine devotione, sicut corpus est absque anima, hinc Deus queritur, Esa.29.v.13. Matth.15.v.8.

Multi orant *fine pœnitentia*, & hi nesciunt, quid petant. Nam lavamini, inquit Deus, mundamini, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite benefacere, & venite & disceptemus invicem, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Aliàs dicit Deus: Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non audiam, Esa.1. v. 15. seqq.

Bias unus ex septem Græciæ Sapientibus aliquando in mari navigabat, cum malefeciatis quibusdam. Tempestate igitur surgente, Deos suos implorare incipiebant. At Bias dicebat ad illos: Silete, ne vos Dii navigare sentiant.

Nos in hoc mundo, velut in mari navigamus, & à decumanis fluctibus sursum deorsum agitamur, ut sat causæ nobis sit sedulò orandi, juxtà tritum illud: Qui nescit orare, intret mare, & discat navigare. Quando verò oratio è corde impœnitenti

nitenti proficiſcitur, nil niſi vindictam à Deo poſcit, Deus quippe peccatores non audit, Joh. 9. v. 32. Victimæ impiorum abominabiles Domino, Prov. 15 v. 18.

Multi precantur *ſine reverentia*, & hi neſciunt, quid petant, nec ideò exaudiuntur. Non ſuperbi ab initio placuerunt Deo: ſed humilium & manſuetorum ſemper illi placuit deprecatio, Judith. 9. v. 16.

Multi orant *ſine confidentia*, in nomine & merito Chriſti orare negligentes: & hi neſciunt, quid petant, nec effectum precum ſentient: ſicut nec fratres Joſephi gratiam impetrare poterant, niſi fratrem Benjamin adducerent, Geneſ. 43. v. 29. Joh. 16. v. 24.

Multi orant *ſine differentia*, neglecta conditione, quâ bona temporalia à Deo petenda ſunt. Hi ſimiliter neſciunt, quid petant, adeoque nec exaudiuntur. Certum enim diſcrimen hîc obſervandum eſt, Spiritualia bona petenda ſunt ſine conditione, quia ea Deus nobis ſine conditione promiſit, ut quæ perfectè bona, & ſemper emolumento nobis ſunt. Temporalia verò cum hâc conditione, ſi Deo ita placeat, & noſtræ ſaluti proſit. Dei enim gloria ſemper reſpicienda eſt, ne ipſi modum aut tempus præſcribamus, & reverenter voluntatem noſtram voluntati ejus ſubjiciamus, exemplo Davidis, 2. Sam. 15. v. 25.

Si ita, Vos mei! orationem noſtram conceperimus, certiſſimè nos Deus exauditurus eſt, ſi non ad voluntatem, certè tamen ad ſalutem. Si non dat, quod petimus, dabit id, quod eſt utilius. Lætatur enim ad benefaciendum nobis, Jerem. 32. v. 41.

III. *Teipſum nega.* De his duobus diſcipulis Evangeliſta refert, quod interrogati à Chriſto, num poſſint calicem bibere, quem ipſe bibiturus eſſet, & baptizari baptiſmate, quo ipſe baptizaretur, præſumtuoſè reſponderint, Poſſumus

Hæc magna erat præſumtio, quam ſemper vitemus oportet. Sine Dei enim ope atque auxilio nihil poſſumus, Joh. 15. v. 5. Gratia Dei eſt, quæ nos antecedit, comitatur, & perſequitur, ſi bonum opus perficimus. Quicunque igitur ſemper Deum ſecum habet, ut Aſſaph, Pſal. 73. v. 23. & ita unus Spiritus cum eo eſt, 1. Cor. 6. v. 17. in eo quoque virtus ejus perficietur, 2. Corinth. 12. v. 19. & ſuſtentabit eum, ut nemo ipſum rapere poſſit de manu ejus, Joh. 10. v. 28. Qui verò ſeipſo & viribus ſuis nititur, ille ruit & interit. Profectò filii viri ſunt mendacium, ſi ponderentur in ſtaterâ, ipſi ſimul ipſa vanitate ſunt leviores, Pſal. 62. v. 10. Quilibet proindè cum Eccleſia oret:

Fide laboro languidâ,
Fer Chriſte opem nutanti,
In gratia ſpero tua
Succurre deſperanti:
Tentationem mitiga,
Ne dira me pellundet,
Tu tempera,
Ne vincarà malâ,
Spes me tui ſuſtentet.

IN DIE FESTO S. BARTHOLOMÆI.

Evangelium Luc. 22. v. 24. -- 30.

EXORDIUM.

PErsvasit serpens in Paradiso Evam, quodsi comesura esset cum Adamo ex ligno scientiæ boni & mali, aperiendi sint oculi illorum, & futuri sicut Deus, scientes bonum & malum. Audiens hoc Eva, ambitionis virus animum ejus perculit, ut contrà interdictum divinum comederit de ligno scientiæ boni & mali, dederitque viro suo, qui & ipse comederit. Hoc modo peccatum commissum, imago Dei amissa, & mors in mundum introducta fuit.

Illexit hîc Evam, ambitio & superbia, quod sorte suâ non contenta, cùm tamen imagine divina decorata, quasi Deum terrenum præsentaret, etiam Deo similem fore affectarit, extendebat itaque manum suam, & hoc ipso quod fructum vetitum decerpebat, Numinis supremi gloriam affectabat, crimen læsæ Majestatis hoc modo committens: quo se & nos omnes ejus posteros in æternam & temporalem mortem præcipitavit. Æternam quidem Servator noster pientissimus morte & sanguine sua sustulit, nosque fideles suos ab eâ redemit: at temporalem omnes propterea subire cogimur. Hinc illæ lacrymæ! hinc nostra confusio!

Sicut igitur mulier seducta in prævaricatione fuit, 1. Tim. 2. v. 14. Ita & hodiernus filii & posteri ejus, ab eâ hæreditariò accipiunt superbiam & ambitionem, ut viribus suis majora aggrediantur, cùm tamen plurima super sensum hominum ostensa ipsis sint, Sir. 3. v. 25.

Exemplum habemus in prælecta Pericope in discipulis Christi, in qua eos adeò ambitionis œstro percitos audimus, ut quilibet illorum prærogativam in Regno, quod somniabant, Christi terreno, quæsiverit, & primum locum affectarit. Et quia nemo illorum postremum se vult, in contentionem gravissimam erumpunt, quam tamen Christus mansuetudine & humanitate sua tempestivè vicissim sedavit, ut ipsa Pericope testatur.

Nos Instituti nostri memores videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

NE irascamini in viâ, dixit Josephus ad fratres suos, cum frumento oneratos eos dimitteret ad Patrem Jacobum, Gen. 45. v. 24. Hoc nobis quoque qui nunc in vivis sumus, dictum est. Omnes enim in viâ sumus ad patriam nostram, non enim hîc inquilini sumus, sed πολίτευμα nostrum in cœlis est, Phil. 3. v. 20. Nequaquam igitur inter nos contentiones sint,

ubi enim zelus & contentio, ibi confusio, & omne opus pravum, Jac. 3. v. 16. id quod ex ipso Evangelio perspicitur.

Querela respicit

I. *Apostolorum contentionem*. Ubi Græca vox indicat, quod magno clamore & verbis asperis inter se contenderint, ubi probabile est, Petrum & Andream prærogativam ætatis & temporis, Jacobum & Johannem jus consanguinitatis, alios dona sua excellentiora allegasse, adeoque primatum & præeminentiam obtinere, concertasse.

Adhuc hodiè inter nos rixosi plurimi reperiuntur, qui sæpè de lanâ caprinâ rixari non dubitant, hi si verbis jus suum obtinere nequeant, ad convitia & verbera non rarò confugiunt; hinc Salomo: Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem; sic homo litigiosus accendit rixas, Prov. 26. v. 21. Confinia sunt huic vitio

1. *Blasphemia*, sicut in duobus istis viris videmus, qui jurgabantur inter se, & adeò exacerbabantur, ut alter blasphemaret nomen Domini, ideoque lapidibus opprimeretur, Levit. 24. v. 10. seqq.

2. *Calumnia*; qui enim, quæ vult dicit, quæ non vult, sæpius audit. Hinc Salomo: ne erumpas mox in jurgium: ne posteà emendare non possis, cum dehonestaveris proximum tuum, Prov. 25. v. 8.

3. *Homicidia*. Sicut vocabulum φιλονεικία, quod hîc adhibetur, ejusmodi contentionem notat, ex qua cædes & homicidium facilè nasci potest. Hinc & usurpatur de contentione Oniæ & Simonis, super quâ nonnulli peremti sunt, 2. Macc. 4. v. 4. sicut & hîc facilè fieri potuisset, nisi mansuetissimus Servator in tempore intervenisset, & huic altercationi finem imposuisset. Sicut enim ante ignem camini vapor & fumus ignis inaltatur: sic & ante sanguinem maledicta, & contumeliæ & minæ præcedunt, Sir. 22. v. 30.

Nos fugientes hoc vitium, mansuetudini studeamus, exemplo Abrahæ, qui cum facta esset rixa inter pastores suos & fratris Loth, dicebat: Ne quæso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce, universa terra coràm te est; recede à me obsecro, si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam, Genes. 13. v. 8. 9. Nam honor est homini, quiescere à contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumeliis, Prov. 20. v. 3.

II. *Apostolorum ambitionem*. Contenderunt enim de primatu, quis eorum videretur esse major. Detestabile sanè vitium, quod omnibus Christianis cane & angue pejus fugiendum, præcipuè quia duos malos comites habet, obtrectationem & invidiam, sicut exemplum Apostolorum hîc probat. Eò respicit Paulus, inquiens: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes, Gal. 5. v. 26.

Unde tot hæreses & schismata in religione oriuntur? Ab ambitione. Hæc Arium occupaverat, ut divinitatem Christi negaret, Nestorium infecerat, ut ex duabus Christi naturis, duos Christos facturus esset, Papam Romanum pellexit, ut in templo Dei tanquam Deus sedeat, & extollatur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, 2. Thess. 2. v. 4.

Unde hodiè tot funesta bella? Ambitio

tio animos Magnatum feriit, ut titulis, insignibus, & Regionibus suis non contenti, plus ultrà meditentur. Hinc audiuntur prœlia, & rumores prœliorum: consurgit gens contra gentem, & Regnum contrà Regnum, Matth.24.v.6.7.

Unde est, quod conjuges in œconomiâ nonnunquam in tanta dissensione vivant? Ambitio in culpa est. Quia enim aut vir dominio suo in mulierem abutitur, ut eam pro subsellio reputet: Aut uxor propter formam aut divitias cristas tollit, ut marito pauperiem exprobret, hinc dissensiones, rixæ, jurgia, verbera, ut quandoque & divortia meditentur, & vinculum conjugale solvere non vereantur. Hoc ita in omnibus Hierarchiis ambitio efficit.

Sed audite obsecro, Vos mei! Salomonem: Abominatio Domini est omnis arrogans; etiamsi manus ad manum fuerit, non est innocens. Et contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltabitur Spiritus, Prov.16.v.5.18. Hoc ita compererunt ambitiosi Angeli, quos Deus de principatu suo deturbavit; Protoplasti, quos paradiso exterminavit; Saul cui Regnum ademit, Nabuchodonosor, quem ratione privatum in bestiam commutavit; Hamanum, quem in patibulo suspendit. Breviter: gradientes in superbia, potest ille humiliare, Dan.4.v.ult.

Utinam quilibet ex animo cum Davide dicere possit: Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me, Psal.131.v.1.2. Sic Dominus gratiam suam abundantius largiretur, ut exaltaret nos in tempore visitationis, 1.Petr.5.v.5.6.

III. *Perversam de Regno Christi conceptionem.* Opinabantur Apostoli, terrenum Christi Regnum fore, ideò disceptabant inter se, quis illorum major videretur. Hi homines quadriennium fermè scholam Christi frequentarant, & in eâ fideliter à Magistro suo instituti erant, quod non terrenum, sed spirituale Regnum haberet, in quo quilibet, qui discipulus ejus esse velit, crucem suam tollere, & Christum sequi deberet, Matth.16.v.24. nihilominus in præconcepta sua opinione adeò tenaces sunt, ut certò sibi persuadeant, Dominum & Magistrum suum Regnum tale auspicaturum, Herodem & Pilatum è Regione ejecturum, & sessiones illorum sibi dispertiturum esse.

In hâc absurda opinione Judæi adhuc hærent, somniantes, si Messias venerit, quem nondum venisse arbitrantur, eum Regnum mundanum inchoaturum, à jugo Romano se redemturum, & in Palæstinam reducturum esse, ubi in variis delitiis victuri & aliis gentibus dominaturi essent. Quod & Turcarum & Chiliastarum somnium esse amat.

Verùm vana hæc sunt, quæ illi de gaudio mundano ita somniant. Christus non venit, nec venturus est, ut Regnum terrenum in hoc mundo ordiatur. Regnum ejus est *Regnum Crucis*, quod quia aversamur, ejusmodi Messiam optamus, qui nobis sine labore cibum procuret, ut turba in Evangelio, Joh.6.v.10. Ast perstat effatum Christi: Regnum meum non est de hoc mundo, Joh.18.v.36. Luc.14.v.27. Qui non bajulat crucem suam & venit pòst me, non potest meus esse discipu-

 lus,

lus. Æquo proindè animo Crucis onus subeamus. Quamvis enim disciplina in præsenti quidem videatur, non esse gaudii, sed mœroris: fructum tamen tranquillum exercitatis per illam reddet justitiæ, Hebr.12.v.11. Huc igitur oculos intendamus. Ecce, agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat imbrem temporaneum & serotinum. Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquavit, Jac.5. v.7.8. ibi non gaudium mundanum transitorium: sed abundantiam gaudiorum expectamus cum vultu Dei, & delectationes in dexterâ ejus in æternum, Psalm. 16. vers. ult.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Christi in corrigendo humanitate.* Non enim acerbè eos increpat, siquidem mitis est, Matth.11. v. 29. sed opinionem de Regno terreno illis eximit, explicans conditionem & qualitatem Regni sui, quæ non consistit in dominando & regnando, sed in serviendo, quod suo ipsius exemplo ostendit, & probat.

De hac Messiæ lenitate, qua in arguendo usurus sit, dudum prædictum est, 2. Sam. 7.v.14. Esa.42.v.1.seqq.

Hinc solatium nobis emergit. In multis nos offendimus omnes, Jac.3. v. 2. etiam justus in die septies cadit, Prov. 24.v.16. Hoc quidem Deus in verbo reprehendit in nobis, sed non illico abjicit nos à facie sua, ut Ahasverus Vasthi immorigeram repudiavit, Esther. 1.v.21. sed cum ceciderit benedictus Domini, non projicietur, quia Dominus sustentat manum suam, Psal. 37.v.24.

Sic Davidem propter adulterium & Homicidium, 2.Sam.12.v.7.13. & Petrum propter abnegationem non abjecit, sed in gratiam recepit resipiscentes, Luc. 22. v. 61.

Quid mater facit, filium habens infirmum? Non sane abjicit illum, aut negligit, sed propter infirmitatem, eò accuratiorem ejus curam gerit. Sic & Servator noster animo in nos verè paterno & materno accensus est, Psal. 103. v.13. Esa. 49. v. 15. unde ex cordiali patientia & mansuetudine, qua nos prosequitur, delinquentibus nobis per Paulum dicit: Fratres, si præoccupatus fuerit homo, in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujuscemodi instaurate in spiritu lenitatis Gal.6.v.1. Caussa hæc est, quia Deus patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti, 2.Petr.3.v.9.

Quando igitur Deus te peccantem arguit in verbo, vel per præcones suos, reputa esse verbera diligentis, quibus te emendare & ad pœnitentiam adducere satagit.

Cum Paulus minas & cædes spiraret in discipulos Domini, objurgabat eum Christus voce cælitus delapsa: Saul, Saul, quid me persequeris? Sed hoc mediũ erat conversionis ejus, Act.9.v.1. seqq. Disciplinam igitur Domini ne abjicias, nec irascaris, cum ab eo corriperis: quem enim diligit

diligit Dominus corripit: & quasi Pater in Filio beneplacitum habet, Proverb. 3. v. 11. 12.

II. *Ex singulari Christi humilitate.* Fuit enim in medio discipulorum suorum, sicut qui ministrat, ut ipse hîc ait. Quo ipso nobis non modò exemplum humilitatis præbuit, ut hanc ab illo disceremus, Matth. 11. v. 29. sed & ardentem suam, in nos caritatem ostendit, quàm benevolè in nos affectus sit, qui proposito sibi gaudio sustinuerit crucem propter nos, confusione contemtâ, Hebr. 12. v. 2. Phil. 2. v. 6. 7. omnia eo fine, ut nos Dominos, & Reges atque Sacerdotes constitueret coram Deo & Patre ejus, Apoc. 1. v. 6. ut rectè exclamemus cum Davide: Quid homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Psal. 8. v. 5.

Protoplasti nostri non contenti erant, ut ceu servi Altissimi, servirent coram ipso in justitiâ & sanctitate omnibus diebus, Luc. 1. v. 74. neque contenti erant Dominio totius mundi, quod Deus ipsis concesserat, Gen. 1. v. 28. sed & Deo assimilari volebant, Gen. 3. v. 5. hanc eorum superbiam expiavit Christus, factus servus Patris sui, ut dicitur, Esa. 49. v. 6. c. 52. v. 13. imò minister hominum, dum non modò pedes discipulorum lavit: sed & sermonem Evangelii prædicavit, & pertransiit, benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, Act. 10. v. 37.

Laboravit pro nobis fideliter & assiduè, ut ipse ait, Esa. 43. v. 24. 25. ut calcans in torculari, Esa. 43. v. 2. dum factus est sudor ejus, tanquam guttæ sanguinis, decurrentes in terram, Luc. 22. v. 44.

Nos servire in æternum debebamus in ergastulo Diaboli. A quo enim quis superatus est, hujus & servus est, 2. Petr. 2. v. 19. at Christus servus servorum factus est, ne in æternum serviremus: hinc si filius nos liberavit, verè liberi sumus, Joh. 8. v. 36.

Si quis in V. T. mancipium habebat, illud anno Jubilæo adventante liberum dimittere cogebatur, vi legis, Levit. 25. v. 39. seqq. Sic & nos Satanæ mancipia facti, sub peccato venundati fuimus, Rom. 7. v. 14. Verùm ut lætissimum Jubilæum in Christo cœpit, Satanas nos dimittere coactus est, fortior enim superveniens vicit eum, Luc. 11. v. 22. & dissolvit opera ejus, 1. Joh. 3. v. 8. Gratias igitur Deo, quod fuimus servi peccati, obedivimus autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi sumus. Liberati autem à peccato, servi facti sumus justitiæ, Rom. 6. v. 17. 18.

III. *Ex futuri nostri status jucunditate.* De quâ Servator ad discipulos: Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono &c.

Apostoli cogitare potuissent, si in mundo nulla nobis tecum voluptas speranda, sed aliis serviendum, & nil nisi miseriæ & persecutiones perferendæ erunt, stolide sanè egimus, quod omnia nostra reliquimus, & te secuti sumus, ut & Petrus argumentatur, Matth. 19. v. 27. ideò ipsis Servator solatium suggerit, & q. d.

Durate, & vosmet rebus servate secundis!

non enim frustrà me secuti estis, sed copiosam mercedem expectabitis, si non in terrâ, certè in cœlo. Quod declarat ipsis triplici simili:

1. *Sub imagini Regni.* Ait enim: Dispono

vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum. Id est *Regnum gloriæ*, ubi gloriam suam tam Angelis, quam electis manifestat, ubi Sol & clypeus est Dominus, gratiam & gloriam dabit, nec privabit bonis, eos, qui ambulant in innocentia, Psal. 84. v. 12. imponit illis triplicem coronam: coronam vitæ, Apoc. 2. v. 10. coronam justitiæ, 2. Tim. 4. v. 8. & immarcessibilem gloriæ coronam, 1. Petr. 5. v. 4. quam ceu Reges gestabimus in æternum, Apoc. 1. v. 6. Compatiamur igitur Christo, ut & conglorificemur, Rom 8. v. 17.

2. *Sub imagine convivii.* Ut edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo, ait porrò Servator. Quod non ita capiendum, quasi in vitâ æternâ corporali cibo & potu nos refecturi simus. Regnum enim Dei non consistit in cibo & potu: sed in justitiâ, pace & gaudio Spiritus sancti, Rom. 14. vers. 17. erimus quippe ἰσάγγελοι, Matth. 22. v. 30. non esurientes, neque sitientes amplius, Apoc. 7. v. 16. Allegoricè igitur Christus discipulis suis gaudium vitæ æternæ adumbraturus est. Sicut enim lætamur, quando Deus sternit *Mensam naturæ*, & educit panem è terrâ, ut confirmet cor hominis, & vinum, ut lætificet cor hominis, Psal. 104. v. 15. 16. & instruit *Mensam gratiæ*, quam ornat pane & aquâ vitæ, Joh. 4. v. 14. cap. 6. v. 48. qui est Christus in verbo & Sacramentis. Ita & exultabimus, quando nobis instruet *Mensam gloriæ*, ubi in visione Christi & SS. Trinitatis, comedemus, saturabimur & jubilabimus, Esa. 65. vers. 13. 14. Psalm. 23. v. 5. 6.

3. *Sub imagine judicii.* Sedebitis, ait Servator, super thronos, judicantes duodecim Tribus Israel. Equidem Christus constitutus est à Patre judex vivorum & mortuorum, Actor. 10. v. 42. attamen & Apostoli judicabunt, *non autoritativè*, ut Christus: sed 1. *testificativè* per verbum quod prædicarunt, & Ecclesiæ reliquerunt. 2. *approbativè*, dum Christi sententiam approbabunt, ad quam gloriam etiam omnes electi pertingent. Vide 1. Cor. 6. v. 1. 3.

Hinc *jucunda consolatio* fluit, pro iis, qui in hoc mundo sæpè inique judicati & condemnati sunt, sicut Nabothus ab Achabo & Isebele, 1. Reg. 21. v. 13. Susanna à duobus judicibus. Hist. Sus. v. 41. Stephanus, ad calumnias Judæorum, Act. 7. v. 57. 58. Die novissimo ipsos falsos judices vos judicabitis, vos mei, videntes illi id, turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementes præ angustiâ spiritus: & dicentes intra se &c. Sap. 5. v. 2. seqq. Vos verò oculis vestris considerabitis, & retributionem impiorum videbitis, Psal. 91. v. 8.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt,

I. *Magistratum DEI ordinem agnosce.* Christus hîc officium Magistratus politici non improbat, sed innuit saltem, quid illorum officii sit, videlicet *dominari & beneficum esse*, & hoc ipso omnes subditos ad obedientiam Magistratui præstandam, hortatur, quod & Paulus facit, Rom. 13. v. 1. seqq.

Hæc Regula non tantùm ad bonos & æquos, sed & ad discolos se extendit, monente

nente Petro, 1. Epist. 2. v. 28. ubi quidem Apostolus de officio servorum loquitur, sed ratio ob quam obedientiam præstare debeant, communis est, nempè ratione Dominii, propter quod & Christiani subditi esse tenentur: nam & iniquus Magistratus à Deo est, quod substantiam concernit, quamvis vitia annata non ab eo sint, nimirum crudelitas, tyrannis, & id genus alia.

Absurdum Judæis videbatur, quod peregrino & ethnico Magistratui obedire cogebantur, nec id sui officii esse putabant: Et tamen Servator dicebat: Date quæ sunt Cæsaris Cæsari, cum sub Imperio Tiberii degerent, Matth. 22. v. 21. Interim & hoc observandum, si ille quicquam quod Deo, ejus verbo, & conscientiæ repugnet, præcipiat, quod tùm Deo magis obediendum, quam hominibus, Act. 5. v. 29. nec hîc tam metuendi sunt, qui corpus occidunt, animam verò occidere non possunt: quàm qui corpus & animam perdere potest in gehennam, Matth. 10. v. 28.

Id quod probe observarunt Sidrach, Misach, & Abednago, cum enim Nabuchodonosor illos cogere vellet, ut auream statuam adorarent, aliàs in fornacem ignis ardentis mitterentur, dixerunt illi: Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare &c. Dan. 3. v. 17. Hîc verò nequaquam licitum, vi & armis se opponere. Qui enim hoc modo gladium acceperit, gladio peribit, Matth. 26. v. 52. Ex hac caussa nec primi Christiani diris persecutionibus se opposuerunt, ut Cyprianus testatur: *Quamvis nimius & copiosus sit noster populus, non tamen adversus violentiam se ulciscitur, patitur.*

Israelitæ nimium gravati erant iniquis servitiis, sub Regibus Ægyptiis, attamen non repugnabant, sed divinum ordinem intuentes, patienter ferebant, & Deo, quem solicitè invocabant, vindictam committebant, qui & tandem potenter eos liberabat, Exod. 2. v. 25.

Contrà verò quando subditi adversus ordinarium Magistratum insurgunt, & seditionem movent, judicium grave acquirunt sibi, Rom. 13. vers. 2. sicut Core, Dothan & Abiron experti, vivi à terrâ ideò absorpti, Num. 16. v. 32. Ideò necessitate, subditi estote, nō solum propter iram: sed & propter conscientiam, Rom. 13. v. 5.

II. *Clementiam ergà subditos exerce.* Quod Servator à quolibet Magistratu requirit, inquiens: Qui potestatem habent, benefici vocantur. Quodsi igitur Magistratus rem cum nomine gerere velit, beneficum sese exhibeat necesse est, alias nomen habent quod vivant, & mortui sunt, Apoc. 3. v. 1.

Nonnunquā tyrannici Magistratus occurrunt, ut Pharao, qui prohibebat populo dare paleas ad conficiēdos lateres, sicut prius, sed ipsi stipulas colligere cogebātur, nec quicquam minuebatur de mensurâ laterum, quam prius fecerant, Exod. 5. v. 7. seqq. Hæc magna fuit sævitia; non multò melius egit Roboam, Vide 1. Reg. 12. v. 14.

Christiani Magistratus potestatem suam cum beneficentiâ temperent, secus res sæpè eventum sortitur infelicem, ut exemplum Roboam luculenter ostendit, ad cujus durum Responsum decem Tribus in Israel ab eo defecerunt, 1. Reg. 12. v. 15.

The-

Themistocles aliquando ab incolis Insulæ Andri tributum exigebat, his propterea conquerentibus, dixit: Affero ad vos duos Deos, quorum alter πειθὼ benevolentia, alter βία violentia vocatur. Cui illi regerebant: Totidem Deos & nos opponimur, πενίαν paupertatem scilicet, & ἀπορίαν desperationem. Nam qui vehementer emungit nares, elicit sanguinem, Prov. 30. v. 33. Tales sunt qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem, sicut escam panis, Psal. 14. v. 4. Quos Deus graviter ita alloquitur: Audite Principes Jacob, & Duces domus Israel? Mich. 3. v. 1. seqq.

Multò melius commendatur Josephus, qui pater patriæ dicitur, Genes. 41. v. 43. sine dubio, quia populum benignè audivit, paternè illis præfuit, & eorum salutem meliori modo promovit: hujus vestigiis qui insistunt, benefici verè sunt, & conciliant sibi subditos, ut ab iis amentur, sicut David à subditis suis, 2. Sam. 19. v. 42. seqq. Talem beneficum Magistratum subditi precibus suis assidue DEO commendant, quæ multum valent, Jac. 5. v. 16. Vide Sap. 2. v. seq. c. 1. v. 1.

Videte verò ne *beneficentiæ* obliviscamini, secus sicut homines moriemini, & sicut unus de Principibus cadetis, Psal. 82. v. 7.

III. *A dominio non competente abstine.* Hoc in specie Clericis dictum est, in verbis Christi: Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic.

In Papatu hæc Christi sententia parùm attenditur, sed ibi Clerici & politicum Regimen invadunt, dicentes: Ecce hîc duo gladii. Sed quomodo, obsecro, clarius discrimen fieri posset inter statum Ecclesiasticum & Politicum, quam Christus hîc facit? Siracides quemlibet officii sui admonet, dicens: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris: sed quæ tibi præcepta sunt, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non enim prodest tibi ea curare, quæ abscondita sunt, Sir. 3. v. 21. seqq. Unusquisque, in quo vocatus est, in hoc permaneat apud Deum, 1. Cor. 7. vers. 24. Hoc modo tranquillâ gaudet conscientiâ, & placidè ex hoc mundo decedere potest, ubi Deus illi fidelitatem suam copiose remunerabit, & introducet in gaudium vitæ æternæ, ubi videbit Deum à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12.

Id quod nobis Deus gratiose largiri dignetur, per & propter Christum Jesum, Amen.

IN

IN DIE FESTO MATTHÆI APOSTOLI.

Evangelium Matth. 9. v. 9. -- 13.

EXORDIUM.

Dedit olim Numen divinum Abrahamo, Patri omnium fidelium ejusmodi mandatum: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi, Genes. 12. v. 1. seqq.

Ubi consideranda

1. *Abrahami miseria.* Licet enim ille in re lautâ & benè auctâ fuerit, quantum temporalia concernit: attamen in spirituali miseriâ vixit, quia idololatriæ reus fuit. Siquidem de Persis, & Chaldæis apud Herodotum atque Xenophontem, aliosque fide dignos Scriptores legimus, quod à priscis temporibus Solem, quem Oromazen vel Oromasden, & Lunam, quam Arimanium appellarunt, adorarint, & ita his duobus luminibus cœli, divinum honorem obtulerint. Quia igitur Abraham de Ur Chaldææ, ubi frater ejus Haran mortuus, oriundus fuit, non dubium est, quin ille idololatriæ huic affinis, & Spiritui sancto, qui disciplinæ effugit fictum, Sap. 1. v. 5. infensus fuerit.

2. *Dei gratia.* Ecce enim Deus, in miseria hac ac damnabili conditione, eum benigne intuetur, vocat eum è cœtu idololatrico ad veram Ecclesiam, manifestat se eidem fideliter, facitque promissionem, quod non modò Pater multarum & florentissimarum gentium futurus: sed & ex ejus prosapia & posteris Servator mundi, & Redemtor lapsi generis humani nasciturus sit. Quæ tanta gratia, ut Regius Psaltes, cum & illi, ceu nepoti Abrahami promitteretur, præ admiratione & animi lætitia in hæc verba eruperit: Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc usque? Sed & hoc parum visum in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam, de domo servi tui, in longinquum, & hæc est lex hominis, Dei Domini. (Jehova) 2. Sam. 7. v. 18. 19.

Quanta vero, vos mei! fuit in Vet. Test. Abrahami miseria, ubi adhuc in idololatricâ Chaldæâ vixit, & Dei gratia, qua Abrahamum vocavit, & benedictione qua corporali, qua spirituali superfudit: Tanta quoque, non minor, fuit in N. T. miseria Matthæi, ubi adhuc avaritiæ & usurarum mancipium, magno cum animæ discrimine fuit: & Christi gratia, qua ipsum à fœneratione ad Apostolatum, & è potestate tenebrarum in Regnum suum vocavit, & benedictum Ecclesiæ patrem, qui Christo multos spirituales filios genuerit, constituit, ut prælecta Pericope pluribus indicat.

Nos methodi nostræ inservientes, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

DEscribit Moses, in 29. cap. Exodi, fuse vocationem & Ceremonias, quibus Aaron ejusq; filii ad Sacerdotium à Deo vocati sint. Quo ipso Dominus luculenter significavit, seipsum esse Collatorem & Dominum Ministerii, qui homines utiles ad illud vocet, & necessariis donis instruat, quo ita Ecclesia ad Domini gloriam, & hominum salutem ædificetur.

In prælectâ Pericope audimus, quomodo Servator, ad Apostolos jam antè vocatos unum adhuc, nempe Matthæum publicanum vocaverit, qui & sine ullâ tergiversatione promtè Christum secutus est.

Querela respicit

I. *Matthæi telonium.* Jesus vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Hinc elucescit, quod Matthæus tum temporis Mammonæ mancipium, cujus omne studium in corradendis pecuniis & opibus, fuerit. Hoc fine non modò telonium à Romanis conduxerat: sed & quo hunc scopum suum obtineret, alios inique defraudavit, usuris gravavit, & per fas & nefas, opes suas auxit.

Matthæi telonium quidem dudum interiit: sed quot avaritiæ cultores hodietenus cum Matthæo in telonio sedent? Quæ enim plerorumque hominum meditatio, intentio, studium aliud, quam quod in telonio sedeant? hoc est, in comparandis opibus, & corradendis pecuniis omne studium suum collocent, jurene an injuria, licita vel illicita per media, nihil interest. Sanè quod Propertius olim cecinit, nunc ad amussim impleri cernimus:

Aurea nunc verè sunt secula, plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.
Auro pulsa fides, auro venalia jura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Ut rectè Demosthenes dixerit: Δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἔστι γενέσθαι τῶν δεόντων, opus sunt opes, & sine iis nihil fiet, quod opus.

Sicut igitur quilibet pecuniâ opus habet in hoc mundo, ad hunc mundum: ita nemo non in pecuniis coacervandis omni studio desudat, quin plurimi se ideo in mundo vivere opinantur, ut pecunias colligant, quas & animæ & corpori præposterè præferre non dubitant, juxta versum Hesiodi:

Χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Lucri quippe bonus odor ex re qualibet, & ubi vel minimus quæstus obtineri potest, ibi Deus ejusque verbum, anima cum beatitudine, & virtus cum honestate parùm attenditur, sicut ille apud Plautum ait: Si lucri quid detur, potius rem divinam deseram. Sic illud Horatii locum habet:

O cives cives, quærenda pecunia primum,
Virtus post nummos!

Hinc ubique locorum telonia eriguntur, vultque unusquisq; in telonio sedere, ut & ipse opes & divitias sibi adquirat.

In hoc telonio sedent *Clerici*, qui quidem in aliis non rarò avaritiam damnant, eosq; ad αὐτάρκειαν hortantur, dicentes: Quæstus magnus pietas cum animo, suâ sorte contento, 1. Tim. 6. v. 6. Verùm dicunt & non faciunt, Matth. 23. v 3. Sanè multi occurrunt, qui cum Sacerdotibus & Senioribus Israeliticis in eodem luto hærent, de quorum avaritia vide Jer. 6. v. 13. Amos 8. v. 5. Hos. 12. v. 17. Mich. 6. v. 11. nec non cum Pharisæis & Scribis, Matth. 15. v. 5. c. 23. v. 14. Marc. 7. v. 11. Luc. 5. v. 17. c. 11. v. 42. c. 16. v. 14. ut & cum summis Sacerdotibus, Matth. 21. v. 12. Quærunt cum Simone Mago lucrum ex Evangelio, Act. 8. v. 19. ut & cum falsis fratribus & Apostolis, 1. Tim. 6. v. 5. 2. Petr. 2. v. 3. 4.

Deinde in hoc telonio sedent Politici. Nero monstrum illud Imperatoris adhuc hodiè in multis Magnatibus renascitur cujus monitum ad præfectos notum est: Scis quid mihi opus est. Hoc agamus, ne quis quicquam habeat. Similiter Symbolum Vespasiani Imperatoris adhuc celebratur: Bonus lucri odor ex re qualibet est. Pertinent huc Consiliarii, JCti, Secretarii, Præfecti &c. qui propter pecuniam jus violant, munera accipiunt, innocentes opprimunt & variis studiis in pecunia inique acquirenda occupati sunt.

In vita quoque communi nemo non in telonio sedere studet. Mercatores, Mechanici, tabernarii & opifices adulterant merces, vendunt vitiosa pro bonis, & proximum reclamante conscientiâ suâ, defraudant: ubi imposturarum & fraudium tot species, ut enumerari nequeant. Et quod pessimum, multi adeò lucro intenti sunt, ut cor, sensus, meditationes & studia omnia ad quæstum componant, semper dicentes affer, affer, Prov. 30. v. 15. sive sit raptum, sive sit captum, modò sit aptum: & tamen boni Christiani videri non dubitant. Verùm monstra Christianorum, non Christiani sunt, qui plus χρυσὸν quam Christum æstimant, & petram cordis sui, & partem suam constituunt, Job. 31. v. 24. Psal. 73. v. 26.

Fugite, fugite vos mei damnosum hoc avaritiæ telonium, ut Cacodæmonem ipsum, ne laqueis ejus irretiti, in desideria stulta & nociva incidatis, quæ mergunt homines in interitum & perditionem, 1. Tim. 6. v. 9. Matth. 16. v. 26.

II. *Magnum mundi nosocomium.* Dicit hîc Christus: Opus est Medico male habentibus. Quid per male habentes intelligat, ipse in sequentibus innuit, inquiens: Veni vocare peccatores ad pœnitentiam. Sunt igitur peccatores malè habẽtes, qualis quoque Matthæus fuit, dum adhuc in telonio sedit, sicut & reliqui publicani & peccatores, qui cum Christo in ædibus Matthæi discubuerunt, & cibum manducarunt. Quia igitur omnes homines peccatores sunt & egent gloria Dei, Rom. 3. vers. 23. omnes quoque malè habent, ut mundus nihil aliud sit, quam nosocomium variis ægrotis refertum.

Sicut igitur morbi corporales, omnes hominis vires debilitant, sensus & membra obtundunt, ut neque pes neq; manus officium facere possit, quin & formam hominis violant, tandem nisi in tempore curentur, certissimam mortem inferunt: Ita & peccatum corruptio totius hominis est, quo internæ & externæ gratiæ & naturæ vires depravatæ, pulchritudo imaginis di-

vinæ deformata, & omnes sensus atque membra adeò debilitata sunt, ut ad bonum planè inepta & ad malū prona sint. Quinimo totum caput languet, & totum cor ægrotat. A planta pedis usque ad verticem, non est in eo integrum quiddam, Esa. 1.v.5.6.

Verè *languet anima*, animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1.Cor.2.v.14. *languet cor*, cujus omne figmentum ad malum pronum est ab adolescentia sua, Genes.6.v.7. *ægrotat intellectus*, non enim sufficientes sumus, cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, 2.Cor.3.v.5. *ægrotat anima*, videmus enim aliam legem in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ; bonum quod volumus non facimus, sed quod nolumus malum, hoc agimus, Rom.7.v.19.23. Summa: nihil boni in nobis, hoc est, in carne nostra habitat, Rom.7.v.18. Et in peccatis mortui sumus, Eph.2.v.1.

Hic laborat melancholia desperationis, ille Hydrope præsumtionis, iste contractura & paralysi securitatis; hic epilepsia impœnitētiæ, ille phthisi avaritiæ, iste lepra scortationis & adulterii, alii aliis periculosis morbis lethaliter decumbunt.

Quia igitur omnes & singuli in hoc mundi nosocomio lethaliter ægrotamus, agnoscamus quisq; morbum suum: sicut enim agnitio morbi initium sanitatis est: ita ex adverso in præsentissimo periculo versantur, qui morbum non agnoscunt; quod & de spiritualibus morbis intelligendum est, Joh.1.v.8.9. Scrutemur igitur vias nostras, & quæramus & revertamur ad Dominum, Thren.3. vers. 40. 41.42.

III. *Pharisaicum odium.* Ubi Pharisæi vident multos publicanos & peccatores cum Christo in domo Matthæi discumbere, ansam illi hinc capiunt animum suum virulentum contrà Christum expromendi, ideò dicunt discipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester? q.d. Honestus vir cum publicis peccatoribus & publicanis nullum habet commercium. At Magister vester, qui aliàs omnes reformare vult, cum ipsis discumbit, & genio indulget. Ideò parùm honestatis & sanctitatis in ipso esse valde consentaneum est, quem tamen vos pro Magistro agnoscitis, & alios sinceros Doctores negligitis.

Nonne verò hoc satanicum odium & detestabilis invidia? Nihil sanè optimus Servator iniqui gesserat, qui ideò conversabatur cum publicanis & peccatoribus hicce, ut eosdem ab impia vita ad Deum converteret: & ecce optima ejus intentio à convitiatoribus hisce sinistrè interpretatur, & depravatur.

Sed & hodietenus Sycophantæ ejusmodi vivunt, qui ex odio & invidentia Pharisaica, qua in pios flagrant, omnes eorum actiones & intentiones virulenter depravant, ut nihil tam benè dici & fieri possit, quod illi non pessimè calumnientur & malevole dijudicent.

Hoc ipsum verò mordet pios, sicut & David propterea conqueritur, Psalm.120. v.4.5. & Deus ipse Ezech.2.v.6.

Optimum verò remedium contrà virulentas hujusmodi linguas est, ut veritati studeas, rectè agas, & conscientiâ rectæ voluntatis morsus calumniatorū obliges.

Qui

Qui lapide ictus est, quærit medicinam: Ictus autem calumniæ gravius, quam lapides feriunt. Est enim calumnia clava & gladius, & jaculum incurabile, ut ait Salomon, Prov.25.v.18. sed his veritas mederi potest, quæ ubi negligitur, vulnera acerbiora fiunt, ait Ambrosius.

Ne verò putent homines ejusmodi contumeliosi, se quicquid hujus mali gesserint, impunè laturos: Minimè. Ubi enim convitiis suis satis debacchati, & gladio pestiferæ linguæ atque arcu calumniarum, piis insidiati sunt, tandem arcus eorum confringetur, & gladius intrabit in cor ipsorum, Psal.37.v.15. in æternam ipsorum ignominiam & opprobrium.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Christi mansuetudine*, quæ elucescit ex verbis Matthæi dicentis: Et factum est, discumbente eo in domo: Ecce, multi publicani, & peccatores venientes, discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus. Quo indicat, non modò Christum ergà Matthæum se benevolè exhibuisse, ut cum ipso ad invitationem ejus in domum suam descenderit: sed & ergà reliquos convivas, cum quibus discubuerit, & cibum ceperit, licet magni & nefarii peccatores illi fuerint.

Diabolus semper nos persuadere satagit, Christum peccatores abominare, & detestari. Sed hîc contrarium perspicimus. Discumbit enim ille cum publicanis & peccatoribus. Quinam fuerunt peccatores & publicani? Publicani fuerunt omnibus abominabiles ob exsecrabile avaritiæ vitium. Peccatores verò hi ejusmodi malefici, qui in publicis peccatis & flagitiis, cædibus, avaritia, scortatione, libidine, adulterio furto & rapinis, aliisque famosis ejusmodi vitiis, sine propudio degebant. Apud Judæos tanquam proverbium celebratum, quod si hominem impium, & nullius conscientiæ denotare voluerint, publicanum & peccatorem eum vocaverint. Quò procul dubio, Christus respexit, ubi de homine, qui omnem admonitionem spernit, & neque fratrem suum, neque alios, neque Ecclesiam audire vult, dicit, quod sicut publicanus & Ethnicus nobis esse debeat, Matth.18.v.17.

Et nihilominus Servator cum ejusmodi peccatoribus & publicanis conversatur, manducat cum illis, quô benignitatem, humanitatem, & mansuetudinem suam sufficienter probat, se nullum peccatorem despicere, vel abjecturum esse, Joh.6.v.37. Sed potius promtum esse, omnibus gratiam suam exhibere, qui illam desiderent.

Quodsi igitur & tu miser peccator es, qui hactenus in catalogo peccatorum & publicanorum fuisti, noli propterea desperare: sed potius fide intuere Jesum tuum, inter medios peccatores & publicanos hîc decumbentem, quod si illos non neglexit, neque te negliget: si illos non abjecit, neque te abjiciet, si illos in gratiam recepit, te quoque in gratiam recipiet.

Præclara sunt verba Bernhardi: Omninò propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus pòst te, *Jesu bone*, audientes, quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confidentem Latronem, non lacrumantem peccatricem, non supplicantem

Cananæam, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum tuorum, denique non ipsos crucifixores tuos.

Quia verò Servator *pœnitentes peccatores* saltem in gratiam recipit, quales fuerunt publicani & peccatores in prælecto Evangelio: illi qui aut præfractè in peccatis pergunt, aut ex merâ hypocrisi illum accedunt, ut Pharisæi, ipsi abominabiles erunt, nec ullum cum ipsis habiturus est commercium. Propterea opus est, ut seriâ pœnitentia ad ipsum te recipias, verbum ejus diligas, & Evangelium ejus cum gaudio suscipias, sic & tu ipsi gratus eris, ad te intrabit, & cœnabis cum ipso, & ipse tecum, Apoc.3.v.20.

II. *Ex Medici aptitudine*, de quâ ait: Non est opus Medico valentibus, sed malè habentibus. Quem per Medicum intelligat, ipse in sequentibus explicat, inquiens: Veni vocare peccatores ad pœnitentiam, quo innuit, seipsum hunc Medicum esse.

Suprà percepimus, quomodo omnes in hoc mundi Nosocomio variis morbis laborantes decumbamus, nihil aliud, quàm mortem temporalem & æternam, quæ stipendium peccati est, Rom.6.v.23. exspectantes.

Ad quem igitur confugiamus? cujus opem atque remedium adhibeamus? Ad te Domine Jesu confugimus, tu es Dominus Sanator noster, Exod.15.v.26. Hinc ipse ait: Spiritus Domini super me: etenim unxit Dominus me, ad evangelisandum afflictis misit me? Esa. 61. v.1. Ego qui loquor justitiam, Magister sum ad salvandum, Esa.63.v.1. Ipse fidelis ille Samaritanus est, qui miserum, in latrones incidentem hominem, respexit, vulnera ejus obligavit, & curavit, Luc.10.v.30.seqq. Psal. 103. v.3.

Ad hunc igitur Medicum confuge, quandocunque vel corpore vel animâ ægrotas. Non enim est carnifex, non lictor, sed Medicus. Quod si igitur æger Medicum inquirit, quidni & tu Medicum quæreres cœlestem? Maximè quia Princeps Medicorum est, qui artem suam aliquot millia annorum probavit, mutatio dexteræ ejus, Psal.77. v.11. Data est ei omnis potestas in cœlo & in terra, Matth. 28. v.18. Tum & promtus est ad auxiliandum, neminem excludit, neminem despicit, nullum discrimen facit inter magnates & humiles, opulentos & pauperes, idque sine ullâ mercede. Venite ad me, inquit, omnes qui laboratis, atque onerati estis, ego reficiam vos, Matth.11.v.28. Esa.42.v.2.3.

Et quod palmarium est, *medicamenta ejus* omninò *probata* sunt, talia sunt *baptismus*, Fluenta sanguinis rubra, Christi cruore tincta, quæ cuncta sanant vulnera, accepta de parente, & quolibet patrante: Item *verbum ejus* salvificum, de quo scriptum: Neque herba neque malagma sanavit eos, sed tuus Domine, sermo, qui sanat omnia, Sap.16.v.12. & *caro ejus*, quæ vera panacæa, & *sanguis ejus*, qui vera potio vitæ, ut ipse ait: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die, Joh.6.v.54.

III. *Ex Christi peccatoribus succurrendi promtitudine.* Non veni, ait Servator, vocare justos: Sed peccatores ad pœnitentiam

tiam. Quod & reipsa in prælecta hâc Pericope probavit. Non enim expectat, dum Matthæus animâ graviter laborans ad eum venit, vel se accersit: sed spontè ipsi obviam progreditur, quærit & vocat ipsum, inquiens: Sequere me. Tu infirmus es, ego Medicus, utere medicinâ meâ, & certissimè conscientiam tuam tranquillabis. Idem probat in publicanis & peccatoribus secum discumbentibus, quos inter medius sedet, ut artem suam in illis probet. Non quærit cibum aut potum; sed peccatores ad pœnitentiam vocare desiderat, hæc esca, hæ delitiæ ejus sunt, Joh. 4. v. 34.

Hâc benevolâ promtitudine hodietenus prosequitur te & me, & omnes peccatores. Quod si illum non accedis, ipse ad te venit, quærens te, ut pastor oviculam perditam, Luc. 15. v. 4. Vocat te voce suâ amabili, non ut tibi pœnam annunciet, ut Protoplastis in Paradiso, Gen. 3. v. 9. non enim Deus misit Filium suum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per eum, Joh. 3. v. 17. ergò vocat te ad pœnitentiam. Ecce, Redemtor tuus, ut propitiatio pro peccatis tuis fieret, sanguinem suum profudit pro te, 1. Joh. 2. v. 2. Ubi Medicus est, qui cum jactura vitæ & sanguinis ægrotum curat? Hoc verò Christus Servator tuus fecit, nec quicquam à te requirit, nisi ut peccata tua seriâ cum contritione agnoscas, depreceris verâ fide, & vitam emendes, hoc si feceris, non tibi ad damnationem imputabuntur, 1. Tim. 1. v. 15. Luc. 9. v. 56.

De Tertio.

RESTAT *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Peccata tua confitere*. Hoc facit Matthæus, quod enim hactenus Mammonæ mancipium fuerit, & res suas perpetuo lucro, & iniquis usuris locupletaverit, non reticet, sed rotundè confitetur, dum ait: quod Jesus se viderit sedentem in telonio. Quod & sequenti cap. 10. v. 3. facit, ubi enim nomina reliquorum Apostolorum enarrat, sibi epitheton adjicit, & Matthæum publicanum se nominat.

JCti aliàs dicere solent: Nemo tenetur allegare propriam turpitudinem. Quod quidem locum habet *in foro soli*, sed non *in foro poli*, ubi homo peccata sui ipsius accusare tenetur. Hoc probant exempla Sanctorum, qui peccata sua non palliant & excusant, sed liberè confitentur, quò Deus glorificetur, misericordia ejus celebretur, alii peccatores ad pœnitentiam invitentur, & in tentatione contra peccata erigantur & confirmentur. Exempla sunt Mosis, Num. 11. v. 21. c. 20. v. 11. Deut. 32. v. 40. 50. Davidis, Psal. 32. v. 3. seqq. Psal. 25. v. 7. & 11. Psal 51. v. 1. seqq. Jobi, c. 42. v. 3. Jeremiæ, cap. 20. v. 14. seqq. Danielis c. 9 v. 5. seqq. Pauli, 1. Cor. 15. v. 9. 1. Tim. 1. v. 15. Quo ipso nobis ansa datur, ne incrustemus aut palliemus peccata nostra, ut Protoplasti in Paradiso fecerunt, ubi vir culpam in Evam, Eva in serpentem devolvit, & nemo culpam suam confiteri voluit, Gen. 3. v. 12. seqq. sed sine ullâ excusatione illa confiteamur. Melius quidem esset planè non peccare, vel non adeò enormiter, & cum destinato proposito: quando verò factum, majus peccatum perpetratur, si Deum illa celentur, & excusentur. *Peccatum peccato addit, qui culpa, quam fecit, patrocinia defensionis adjungit*, ait Gregorius.

II. Do-

II. *Dominum vocantem sequere.* Quamprimum Christus Matthæum vocat, sequere me, ille continuò à telonio surgit, & sequitur eum. Non remorantur illum divitiæ, non mundanæ voluptates, non vilis Christi coràm mundo autoritas, non obtrectatio, quâ à plurimis notatus est; sed per fidem omnia impedimenta vincit, & sequitur divinam vocationem promto obsequio. Pari modo sicut scapha, quando navi alligatur, navigium per mare impetuosum & decumanos fluctus sequitur: sic Matthæus Christo quasi alligatus est, eundemque sequitur, quò vocat & ducit se, nec fluctus tentationum ab eo se abducere patitur.

Simili obedientiâ & nos Christum sequamur. Quotidiè adhuc per ministros suos vocat nos: Sequere me. Hîc nostri officii erit, à telonio peccatorum nostrorum surgere, & è Nosocomio iniquitatum exire, & eum sequi. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est, ad ignoscendum, Esa. 55. v. 6. 7. Quod si nos per spinas & vepreta, per ærumnas & tribulationes ducit, similiter sequi debemus, hoc enim indicium est animarum fidelium, tanquam virginum illibatarum, ut sequantur agnum, quocunque ierit, Apoc. 14. v. 4. siquidem non ignari sumus, quod si eum hîc sequuti fuerimus in vitâ, passione, & morte, quod eum aliquando secuturi simus, ad cœlestes nuptias, ad gloriam sempiternam, Matth. 25. v. 10.

III. *Cœlesti Medico utere.* Plurimi contrà spiritualem animæ morbum diversa remedia excogitarunt & tentarunt, spe certissimâ freti, se hoc modò curatum iri. Hinc cœnobia, hinc peregrinationes religiosæ, jejunia & ejusmodi opera satisfactoria infinita! Verùm & verbum Dei & experientia probat, hoc modò morbum animæ non curari, sed potius invalescere.

Meritò ergò omnibus reliquis Medicis præteritis, unicè Christum Medicum adhibeamus, & curatione ejus utamur, dicentes cum Davide: Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, Psal. 6. v. 3. & cum Jeremiâ: Sana me Domine, & sanabor, Jer. 17. v. 14. Nullus unquam corporalis Medicus adeò promtus fuit ad succurrendum, ut Christus: Simulac miseri clamant, exaudit eos Dominus, & de omnibus tribulationibus eorum salvat eos, Psal. 34. v. 7.

Licet etiam, quamdiu in hâc carne vivimus, subindè recidivam patiamur, & in novos morbos incidamus; attamen ne cessemus, Medicum nostrum inquirere, quo in tempore, salutari remedio nobis succurrat, donec tandem à morte corporis hujus liberabimur: Ubi Jesus noster infirmitates nostras tàm plenè curabit, ut in æternum recidiva nulla pertimescenda sit. Ibi enim mors non ultrà erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt, Apoc. 21. v. 4.

Hanc gratiam cœlestis Medicus noster exhibere nobis singulis dignetur, Amen.



IN

IN FESTO MICHAELIS ARCH-ANGELI.

Evangelium Matth. 18. *v.* 1. -- 11.

EXORDIUM.

Lectulum Regis Salomonis ambierunt olim sexaginta fortes, ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: Uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos, Cant.3.v.7.8.

Hæc *mysticè* exponemus.

Quælibet fidelis anima, spiritualis lectulus est, in quo *cœlestis Salomo* Christus Jesus requiescit, per fidem enim habitat in cordibus nostris, Eph.3.v.17. fortes, qui lectulum ambiunt, sunt S. Angeli, hi enim castra metantur in circuitu, timentium Dominum, Psal.34.v.8. & protegunt nos contrà potestatem tenebrarum, Col.1.v.13. ut sine timore & periculo dormire possimus, unde dicuntur potentes virtute, Psl.103.20.

Magna hæc est gratia, & amplum beneficium, quod meritò grato animo agnoscamus oportet.

Celebramus anniversariè tria festa solennia: Festum Incarnationis Christi, Festum Paschatos, & Festum Pentecostes.

Festum Nativitatis Christi, inservit nobis contrà immundiciem peccaminosæ conceptionis & nativitatis nostræ. Nam ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege: ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus, Galat. 4. v. 4. 5.

Festum Paschatos, facit contrà horribilem mortis adspectum. Scimus enim, quod, qui suscitavit Jesum, & nos per Jesum suscitaturus sit, 2. Cor.4.v.14.

Festum Pentecostes, valet contra impotentiam in bonis operibus. Spiritus enim Sanctus adjuvat infirmitatem nostram, nam si quid oremus, sicut oportet, nescimus: ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Rom.8.v.26.

Quia verò & à *sanctis Angelis* per totum annum innumera beneficia accipimus, Majores nostri *hodiernum Angelorum festum* ordinarunt, ut ansam habeamus Deo gratias agendi, ut qui non modo nos curat, sed & Angelos constituit vigiles & custodes nostros, in vita & in morte. Unde non immeritò Clausula omnium Festorum dicitur.

Nos Instituti nostri memores videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

IN Papatu multa miranda narrantur de Archangelo Michaële, ita ut planè Deastrum ille constituatur, in cujus honorem delubra ædificantur, Missæ leguntur, quique in variis adversitatibus religiosè invocatur, contrà expressum Dei verbum, quod non Angelos, sed Dominum exerci-

tuum invocare jubet. Nos verò Dilecti! præsens festum non in honorem creati Angeli Michaëlis celebramus, sed in memoriam nobis revocamus amplissima beneficia, quæ Deus nobis quotannis Ministerio Angelorum præstat, & simul discimus, quâ ratione vitam nostram instituamus, ut Angeli custodes nostri sint & maneant, sicuti nobis prælectum Evangelium ad hoc ipsum inservit.

Querela respicit

I. *Triste litigium*, quod Apostoli inter se inceperunt, & magnâ contentione peregerunt. Licet enim ejus mentio expressa non injiciatur: attamen circumstantiæ ostendunt, quod hæc causa controversiæ fuerit, quis illorum in Regno Christi, quod somniabant, terreno, primas tenere & maximus esse debeat. Propterea enim Christum accedunt, orantes, ut pronunciatâ sententia, controversiam hanc dirimeret.

O quot litigiatores adhuc hodie occurrunt, qui sæpè de lanâ caprina contendere non verentur, adeoque in implacabilitate, instinctu Cacodæmonis exardent, ut ad reconciliationem adduci non possint. Hinc Salomo: Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem: sic homo litigiosus accendit rixas, Prov.26. v.21.

Fugiant hoc vitium Christiani. Est enim

1. *Scelus abominabile*, quod detestatur Deus, Prov.6. v.19. utpote qui Deus est pacis & dilectionis, 2.Cor.13.v.11. cui omnes illi probantur & placent, qui in pace & concordiâ vivunt, Sir.25. v.1. qui supportant seinvicem in caritate, & soliciti sunt servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, Eph.4.v.3. Hoc qui faciunt, nil nisi benedictioně & vitam ab eo exspectabunt, Ps.133.v.ult.

2. *Scelus execrabile*, ex quo nil nisi incommodum oritur. Ideò Salomo rixosum comparat ei, qui emittit aquas, Prov.17. v.14. Et Siracides ait: Certamen festinatum incendit ignem: & lis festinans effundit sanguinem: Si sufflaveris, quasi ignis exardebit: & si exspueris super illam, extinguetur: utraque ex ore proficiscuntur, Sir. 28. v.13. seqq.

3. *Scelus damnabile*. Qui enim fratri dixerit fatue, (quod de altercantibus & litigantibus intelligendum,) reus erit gehennæ ignis, Matth.5.v.22. Paulus quoque altercatoribus ejusmodi Regnum cœlorum denegat, Gal.5.v.19. cum quo Johannes quoque consentit, Apoc.21.v.8. Declinate igitur hoc vitium. Honor est homini, quiescere à contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumeliis, Prov.20.v.3. Quicunque proinde vult vitam, & diligit videre dies bonos, inquirat pacem, & persequatur eam, Psalm.34. v.13. 15.

II. *Malum principium*, quod est ambitio. Affectabant enim mundanam gloriam & dignitatem, præeminentiam in Regno Christi mundano sibi arrogantes. Hoc Diabolus ipsis inspiraverat. Quia enim exploratum sibi habebat, ambitionem vitium illud esse, propter quod & satellites sui è cœlo ad infernum detrusi erant: valdè laboravit, quò & inter Apostolos hoc virus suum disseminaret, non dubitans, quin effectum similem consecuturum sit: sicut & Apostoli hoc ipso à rectâ calle non parùm seducti sunt, ita ut Satanas ipsos cribraverit, sicut triticum, ut Christus ipsis prædixerat, Luc.22. v.31.

Hodiè adhuc id studium ejus est, quò mul-

multos eò deducit, ut sui ipsius obliviscantur, & dicunt: Ego sum, & extrà me non est alius amplius, Sophon.2.v.15. Verùm exitium certissimum sequitur. Dominus semper contemtibiles reddidit elatos, & destruxit eos, usque in finem, Sir.10.v.16. Exemplo sit Absolon, qui diadema patris affectans, de quercu pendens, à Joabo tribus lanceis transfixus, periit, 2.Sam.18. v.14.

III. *Erectum scandalum.* Apostoli enim in id electi erant à Christo, ut discipuli ejus essent, quorum lux luceret coràm hominibus, ut viderent illi opera eorum bona, & glorificarent Patrem, qui in cœlis est, Matth.5.v.16. Hoc verò minimè faciebant, sed ambitione suâ, & ex illa secuto litigio non leve scandalum pariebant, de quo Christus hîc prædicat, inquiens: Væ mundo à scandalis: necesse est enim, ut veniant scandala. Veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit. Exempla enim honoratiorum facilè in exemplum trahuntur, juxtà illud:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Verbi præconum officium est, ut non modò benè doceant, sed & benè vivant, & auditoribus suis bono exemplo præeant in verbo, in conversatione, in Spiritu, in fide, & castitate, 1.Tim.4.v.12. ne fortè cum aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficiantur, 1.Cor.9.v.27. hoc nisi fecerint, Deo quidem linguam suam commodant, sed animam consecrant Diabolo, & alterâ manu destruunt, quod alterâ ædificarunt. Nam & hîc locum habet: I præ, sequar. Ductor verò si cœcus est, nonne ambo in foveam cadent? Luc.6.v.39. Sic filii Eli detrahebant homines à sacrificio Domini, quia grande nimis peccabant coràm Domino, 1.Sam.2.v.17.

Magistratus sunt Dii in terrâ, Psal.82. v.6. unde non modò ipsi vitam divinam ducant, sed & subditis bono exemplo præeant. Hoc nisi fecerint, sed vitam prophanam egerint, hoc ipso subditis scandalum objicitur. Nam secundum Judicem populi, sic & ministri ejus: & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in eâ, Sir.10.v.2.

Patres quoque & matres familiâs ergà liberos & famulos, ut & Præceptores ergà discipulos ita se gerant, in verbis, operibus, atque gestibus, ne quid mali videant & audiant, sed in disciplina & admonitione Domini educentur, Eph.6.v.4. Nam adolescens imbutus juxtà viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab eâ, Prov. 22.v.6. Quicunque igitur hâc in re peccat, illum aliquando væ feriet, ut hîc & in æternum disperdatur. Quilibet igitur Christianus scandalum sedulò præcaveat, & ita vitam suam instituat, ut nemo iàm scandalizetur, quàm emendetur, quia die novissimo rationem reddemus de quolibet verbo otioso, quo proximus offensus est, Matth.12.v.36.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex parvulorum æstimio.* Hîc audimus, Christum advocare parvulum, eumque in medio discipulorum statuere, ut ab eo humilitatem discant, imò expressè ait: Qui suscipit unum parvulum in nomine meo talem, me suscipit.

Hoc inde est, quia pueri simplices sunt, & purum indusiolum Jesu Christi, quod in baptismo induerunt, peccatis mortalibus non contaminarunt.

Licet enim & peccatum originale in iisdem habitet, tamen propter externorum membrorum imbecillitatem, vires suas exerere nequit. Spiritus sanctus verò eò operosior est, in cordibus eorum, quia ipsi resistere nequeunt; nec operationem ejus impedire possunt. Sicuti sanè sæpè admirabundi perspicimus, quantum sibi Deus robur ex ore eorum perfecerit, Psal. 8. v. 2.

Lætitiam hoc in animis Christianorum parentum excitet. Quia enim pueri tanti æstimantur in oculis Dei, facilè hinc colligere possunt, non malè cum ipsis agi, si morte maturiori juxtà opinionem nostram præripiantur: placet enim anima eorum Deo: propter hoc properat educere illos, de medio iniquitatum, Sap. 4. v. 14.

II. *Ex Angelorum servitio*, quod non modò infantibus præstant, dum adhuc in cunis jacent, unde & *Angeli eorum* vocantur: sed & omnibus fidelibus, cujuscunque illi sint loci & ordinis. Sunt enim Spiritus administratorii, emissi in ministerium illorum, qui hæreditatem capient salutis, Hebr. 1. v. ult.

III. *Ex singulari humilitatis præmio.* Hic audimus Christum dicentem: Quicunque humiliaverit se, sicut puerulus iste, hic est major in Regno cœlorum. Præclarum certe præmium! Quantoperè lætabatur Amen, cum eum Assuerus Rex, super omnes Principes & servos suos levasset? Esther 5. v. 11.

Quantâ gloriâ afficiebatur Josephus, cùm eum Pharao poneret super domum suam, & universam Ægyptum, ita ut uno tantùm Regni solio illum præcederet? Gen. 41. v. 40.

Salomo jussit matri thronum poni, quo sederet ad dextram suam, quantam inde illam voluptatem cepisse censebis? 1. Reg. 2. v. 19.

Sed nihili æstimandum est, respectu gloriæ, quæ homines manet, qui humilitati student.

Quantum enim est discrimen inter Regnum terrenum, & Regnum cœleste, tanto major quoque erit gloria & gaudium, quæ in pios redundabunt, ubi primas tenebunt, & multis aliis Sanctis præferentur. Meritò proindè humilitati studeamus, *primò ergà Deum*, ne nos opinione propriæ justitiæ inflemus, sicut turgidus ille Pharisæus, Luc. 18. vers. 11. 12.

Deindè ergà proximum, ne per inanem gloriam nos efferamus: sed in humilitate vilissimos quosque superiores nobis arbitremur, Phil. 2. v. 3.

Qui ædes excelsas exstructurus est, ante fundamentum profundum ponat, necesse est: Ita qui à Deo exaltari vult, antè humilietur oportet, sub potenti manu Dei, 1. Petr. 5. v. 6. Gloriam enim præcedit humilitas, Proverb. 15. vers. 33.

De

De Tertio.

RESTAT *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt,

I. *Humilitatem à parvulis disce.* Hanc commendat nobis his verbis: Quicunque humiliaverit se, sicut puerulus iste, hic est major in Regno cœlorum. Pueros igitur discipulis suis, nobisq; omnibus præceptores proponit. Equidem & pueri non sine peccato & defectu sunt, estq; figmentum cordis eorum malum ab adolescentia (infantia) suâ, Gen.8.v.21. sicut id sæpè in illis observamus, quando adhuc ab uberibus matris pendent. Intereà hâc virtute gaudent, quod se non suprà alios extollant, non superbiant donis sibi collatis, sed promti sint, ut cuilibet, qui amicè cum ipsis conversatur, inserviant. Hac in parte vult Servator, ut imitemur illos si Regnum cœlorum ingredi velimus.

In Papatu fingunt, puerulum hunc vocatum Martialem, qui postea Petri discipulus exstiterit, & ab eo in Germaniam ad Evangelium prædicandum missus fuerit. Quicquid hujus sit, Christus humilitatem in ipso, quicunque tandem fuerit, discendam nobis commendat, quod fit

I. *Non superbiendo.* Hoc modo Paulus puer effectus est. Licet enim sublimia dona & arcanas revelationes habuerit, siquidem Theologiam suam in tertio cœlo edoctus est, & ῥήματα ἄρρητα audivit, attamen propterea non jactantius sese effert, sed pro se nihil gloriaturũ esse dicit, nisi in infirmitatibus suis, 2.Cor.12.v.4. seqq. & licet abundantius omnibus laboraverit, id tamen non sibi, sed gratiæ Dei adscribit, 1.Cor.15.v.10.

2. *Neminem despiciendo.* Puer neminem spernit, nec contumeliose de quoquam loquitur. Pharisæus despiciebat publicanum, sed publicanus ut puer fit, neminem spernens, sed orationem suam ex corde contrito & humili fundit, & hoc modo justificatus descendit in domum suam, præ Pharisæo superbo, Luc.18 v.11. seqq.

3. *Humiliter de se sentiendo.* Puer non majoris se æstimat, quam reapse est. Hâc in parte Abrahamus, pater omnium fidelium ut puer erat, dum in colloquio cum Deo se cinerem & terram profiteretur, Gen.19.v.27. nec non David, qui in thronum Regium evectus, pristinæ conditionis non immemor est, 2.Sam.7.v.18.

II. *Membra veteris Adami præcide.* Quæ Christi verba non ita capienda, quasi ad exemplũ Chirurgorum quodlibet membrum scandalosum præcidendum sit, ut Origines erravit, sed ut Paulus id explicat: Mortificate membra vestra, Coloss.3.v.5. quod deinde sic effert: deponite omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonẽ de ore vestro, v.8. Alibi per crucifigere exprimit, inquiens: Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum affectibus & concupiscentiis, Gal.5.v.24.

Quodsi igitur *manus* tua scandalizat te, ut libenter extendat se contra septimum præceptum, sicut Eva ad pomum vetitum, Gen.3.v.6. Achan ad pallium Babylonicum, Jos.7.v.21. Judas ad pecuniam in loculis, Joh.12.v.6. abscinde eam, & projice abs te. Hoc est, qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, Ephes.4.v.28. inhabita terram, & victum quære

in veritate, Psalm. 37.v.3. tum benè tibi erit, Psal.128.v.2.

Si *pes* tuus scandalizat te,ut libenter abeas in consilio impiorum, & in viâ peccatorum stes, Psal.1.v.1. declinare volupe est in curvas vias peccatorum, Psal. 125. v. 5. transis per plateam meretriciam,ut vecors ille juvenis, Prov.7.v.8. abscinde eum,& projice à te. Hoc est: Non sede cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introi,odio prosequere Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sede, Psal. 26.v.4.5. ora & ai: Vide,si via iniquitatis in me est, & deduc me in viâ æternâ, Psal. 139.v.ult.

Scandalizat te *oculus* tuus, ut oculis libidinosis alienas mulieres intuearis, sicut David & iniqui judices, aut oculos tuos projicias in juvenes: erue eum, & projice abs te, h.e. dic cum Josepho: Quomodo possum tam magnum malum facere, & peccare in Deum meum, Genes. 39. v.9. & cum casta Susannâ: Si hoc egero, mors mihi est, Hist.Sus.v.22. Fornicatio autem & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos. Hoc enim scitote, quod omnis fornicator, aut immundus, non habeat hæreditatem in Regno Christi & Dei, Eph. 5.v.3.5. & hoc ita de omnibus humani corporis membris intelligatur, quorum nullum à carnalibus concupiscentiis immune est, ideoque dicto modo omnia corrigantur necesse est, nisi jussu Magistratus,gladio carnificis præcidi debeant. Non enim sine caussa gladium gerit; Dei enim minister est, vindex in iram, ei, qui malè agit,Rom.13.v.4. Breviter: Deponamus nos secundum pristinam conversationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovemur autem spiritu mentis nostræ: & induamus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitiâ & sanctitate veritatis,Eph 4.v.22.24.

III. *Præsidium Angelorum agnosce.* Postquam Christus de scandalo puerorum admonuit, subjicit caussam,quare illi offendi non debeant: quia nimirum Angeli eorum semper videant faciem Patris, qui in cœlis est, qui offendiculum hoc statim ad Deum deferant, & propterea scadalizantes accusent.

Ingens sanè Dei beneficium est,vos mei! quod omnipotens Deus non modò Angelos suos pueris, sed & nobis destinat, ut nos custodiant in omnibus viis nostris, & quasi in manibus portent, ne fortè offendamus ad lapidem pedem nosttum, Psal. 91.v.11. Angeli enim, velut spiritus administratorii, emissi sunt in Ministerium eorum,qui hæreditatem capient salutis,Heb. 1.v. ult.

Sic S. Angeli Lotho adfuerunt in ædibus suis eumq; contrà Sodomitas defenderunt, Genes. 19.v.10. Jacobo in itinere, Gen.28.v.12. Elisæ in oppido Dothan in formâ ignitorum curruum & equorum, 2.Reg.6.v.17. Angelus Raphael,Tobiam juniorem comitatus,indemnem in itinere, Tob.6.v.5. Petro in carcere, Angelus aderat quem expediebat è vinculis, Actor. 12. v.7. seqq.

Adhuc hodiè Angelus Domini castra metatur in circuitu timentium Deum, & eripit eos, Ps.34.v.8. hoc gratiarum actionem meretur. Scimus etenim, quod Diabolus circumeat tanquam leo rugiens, quærens,quem devoret, 1.Petr.5.v.8. qui, si soli

si soli nobis relicti essemus, propediem nobis noceret. Verùm propter custodiam Angelorum, plures sunt nobiscum, quam cum illis, 2.Reg.6.v.16. iccircò caveamus ne per peccata & scandala eosdem abigamus. Sicut enim fumus apes, & fœtor columbas abigit, sic & graveolens peccatum S. Angelos, ut Basilius ait. Per pietatem verò & virtutis studium retinentur, usque ad finem vitæ nostræ, ubi animam nostram portabunt in sinum Abrahæ, Luc. 16.v.22. donec in die novissimo resuscitati in æternum cum illis futuri, Deum ter sanctum indesinenter celebrabimus.

Largiatur hoc nobis tota SS. Trinitas, Amen.

IN DIE FESTO SIMONIS ET JUDÆ.

Evangelium Joh. 15. v. 17. -- 25.

EXORDIUM.

FUit Ismael, filius Abrahæ, quem ex ancilla Hagar susceperat, derisor. In Hebræo est vox mezachek, quæ idem est ac irridere. Quod verò hoc non puerilis derisio fuerit, inde patet, quia Ismael tum decimum quartum ætatis annum jam superaverat, ut patet ex Gen.17.v.24.25.c.21.v.5. præterea Sara ob puerilem risum non petiisset ab Abrahamo, ut eum ædibus suis ejiceret. Hinc nonnulli autumant, quod cum die ablactationis Isaaci, in magno illo convivio, quod Abrahamus instruxerat, unusquisq; utriq; conjugum gratularetur, Ismaelem ignominiose eosdem derisisse. Alii putant, Ismaelem fratri Isaac nomen probrose exprobrasse, quasi ab unoquoque deridendus foret, Isaac siquidem risum notat.

Optimè omnium Paulus explicat, quid per hoc mezachek intelligatur, nempè persecutio, quæ sarcastico risu & illusione facta est. Ubi enim laudatus Apostolus, de utroque filio Abrahæ, quorum alter ex ancilla, alter ex libera natus erat, agit, dicit inter alia, quod qui secundum carnem natus fuerat (Ismael) persecutus sit eum, qui secundum spiritum, (Isaac) Gal. 4.v.19. quod quasi confirmatio est ejus, quod Angelus Domini, de Ismaele nascendo, Hagar dixerat: Hic erit ferus homo, manus ejus contra omnes, & manus omnium contrà eum, Gen.16.v.12.

Hæc persecutio & irrisio, quam Isaac sustinuit à derisore Ismaele, typus fuit persecutionis, quam Ecclesia Christi ab hostibus & persecutoribus suis quotidiè experiri cogitur, quodque Paulus d.l. expressè memorat, inquiens: Quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum: ita & nunc.

Hac de re concionatur Christus in prælecto Evangelio, quomodo omnes sui fideles, tanquam filii promissionis, quos de mundo elegit, odium & persecutionem à mundo sustinere cogantur, propter nomen suum. Ubi verò eosdem & consolatur & instruit, quomodo mundi o-

dium.

dium & persecutionem ferre debeant.

Nos methodo nostræ inservientes, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*
II. *Triplicem Medelam.*
III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

CUm Patriarcha Jacobus finem vitæ suæ imminere animadverteret, accersitis ad se filiis dicebat: Congregamini, ut annunciem, quæ ventura sunt vobis, in diebus posterioribus, Gen. 49. v. 1. Pari ratione Servator noster, paulò antè abitum suum Apostolos suos convocavit, iisdemque annunciavit, quid illis inposterum eventurum esset, nempè odium, invidentia, inimicitiæ & persecutiones, ut prælecta Pericope pluribus indicat.

Querelam movet

I. *Caritatis raritas.* Ex hac caussa severè mandat Christus, inquiens: Hoc præcipio vobis, ut diligatis invicem.

Hoc nostra sponte à nobis fieri æquum esset, sumus enim homines, quos fecit Deus ex uno sanguine inhabitare super universam faciem terræ, Act. 17. v. 26. Atqui ut Poeta canit:

- - Sævis inter se convenit ursis.

Quodsi igitur bruta animalia, quæ ejusdem generis sunt, pacem & concordiam colunt: quanto magis nostrûm erit, qui non modo homines, sed & Christiani sumus, quos Deus ad pacem vocavit, ut in una domo, quæ Ecclesia est, velut domestici Dei pacificè cohabitemus, & concordiæ studeamus. At plurimi, neglecto hoc mandato, Diabolo morem gerunt, odio, invidiæ, iracundiæ, inimicitiis indulgentes, ut Christus ejusque ministri frustra sæpè admoneant. Abundavit enim iniquitas, & refriguit caritas multorum, Matth. 24. v. 12. Omnes, quæ sua sunt, quærunt, Phil. 2. v. 21. Jer. 9. v. 5. Hinc non mirum, benedictionem Dei evanescere, & maledictionem succedere, juxta illud: Quodsi invicem mordetis & comeditis, videte, ne ab invicem consumamini, Gal. 5. v. 15. Psalm. 109. v. 17.

II. *Piorum calamitas.* In prælecto Evangelio Servator discipulis suis prædicit odium & persecutiones: Si mundus, inquiens, vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret &c.

Hoc ipsum in Paradiso cœpit, & continuabitur usque ad finem seculi. Quid accidit pio Abeli? Nonne ab impio fratre Caino trucidatus est, quia *Dominus* ad munera Abelis respexerat, ad Cain verò & munera ejus non respexerat, Gen. 4. v. 4. 8.

Inspicite Patriarchas, quomodo hinc inde circumacti & afflicti fuerint, undè non abs re confessi sunt, se peregrinos & hospites esse super terram, Hebr. 11. v. 13.

Quantopere Ecclesia Israelitica pressa est in Ægypto, ubi Pharao varias technas excogitavit, quomodo eam sapienter opprimeret, Exod. 1. v. 22. & c. 5. v. 7. seqq. & licet illam Deus forti manu & valido brachio exindè eduxerit, attamen quadraginta annos per desertum errantes, variis calamitatibus subjecti fuerunt, donec Palæstinam occuparunt. Ubi tamen advarsarii non defuerunt, qui variis modis

dis

dis illos afflixerunt, ut libri Judicum & Regum abundè testantur.

Posteà justo Dei judicio ob idololatriã, cujus rei facti erant, in captivitatem Babylonicam abducti fuerunt, in quâ Lxx. annos perseverarunt. Cùm tandem veniam patriam repetendi, & Hierosolymam restaurandi impetrassent, vicinæ gentes ædificationem impeditum iverunt, ut Israelitæ una manu opus facere, & altera telum tenere cogerentur, Nehem. 4. v. 17.

Posteà surrexit Antiochus & alii tyranni, qui populum Dei diris modis persequebantur, & nefariè perimebant, ut Historia Maccabæorum satis indicat.

In N. Test. non melior sors Ecclesiæ affulsit. Christus ipse qui velut Doctor à Deo missus omnibus viam cœli monstrabat, à Judæis odio habitus & persecutione pressus, quin tandem in crucem actus & occisus est. Apostolis Christi idem accidisse novimus. Alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt &c. Hebr. 11. v. 36. seqq.

Eusebius memorat, quod decem Romani Imperatores violenter Ecclesiam oppugnaverint, eo fine, ut eam planè delerent, inter quos Diocletianus intra triginta dies, septendecim Christianorum millia, miserè peremit. Antiochiæ tot martyres fuerunt, ac lapides in mœnibus. Romæ Cœmeterium est, in quo octoginta millia martyrum sepulti sunt. Dux Albanus in Belgio intrà sexennium octodecim millia, & sexcentos Christianos manu Carnificis necari jussit.

Quod igitur à principio factum, adhuc fit, & fiet usque ad diem novissimum. Requies in cœlis, non in terris. Ibi loco gladii, quo hic restitimus, Eph. 6. v. 13. palmas in manibus portabimus, Apoc. 7. v. 9. lætum illud ἐπινίκιον canentes: Ubi mors stimulus tuus? Ubi tua, inferne, victoria? 1. Cor. 15. v. 55. Hæc animo volvamus, si tristior sors nos premat, interea animas nostras in patientia custodiamus, Luc. 21. v. 19. non enim condignæ sunt passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Rom. 8. v. 18.

III. *Persequentium cæcitas*, de qua Servator: Nesciunt eum, qui misit me. Hæc ignorantia affectata est, quæ neminem excusat. Debebant enim scire, quod Christus ipsis toties inculcavit: Si non venissem, ait ille in seqq. & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Interea Christiani hoc solatium arripiant, si fortè inique condemnentur ab iis, qui notitiam caussæ non habent, sed cœco zelo & invidia feruntur, quod morte saltem temporali obeant: sed hostes præcipitant se in æternam mortem, ex quo nulla unquam redemtio, Psalm. 49. v. 15. Homicidæ enim Regnum Dei non hæreditabunt, Gal. 5. v. 20.

Ejusmodi cœci homines adhuc hodiè sunt Pontificii, qui Evangelicam veritatem sustinere nolunt, ideoque igne & ferro persequuntur omnes, qui eam profitentur. Hoc nulla ex alia caussa faciunt, quam quia Deum, & Filium ejus Jesum Christum nesciunt. Ideò vicissim afflictionem reddet iis Deus in revelatione Domini Jesu de cœlo, in flamma ignis daturus vindictam

iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, 2. Thess. 1. v. 8.

Inter nos ejusmodi ignorantiæ fratres reperiuntur, qui neque Christum, neque qui misit illum, norunt. Hi sunt semper discentes, & nunquam ad agnitionem veritatis pervenientes, 2. Tim. 3. v. 7. sed manent ut equus & mulus, quibus non est intellectus, Psal. 32. v. 9. & quando quæruntur de Christo, de SS. Trinitate, aut aliis fidei articulis, mera illis proverbia sunt, Joh. 16. v. 29. nihil horum intelligunt, & verbum absconditum est ab eis, Luc. 18. v. 34.

Olim cum Paulus Athenas perlustraret, videns cultus eorum divinos, invenit & aram, in qua scriptum erat Θεῷ ἀγνώστῳ, ignoto Deo, Act. 17. v. 23. hæc ara hodietenus exstat in medio Christiano orbe: paucissimi agnoscunt Deum, & licet confiteantur, se nosse Deum, tamen factis negant, Tit. 1. v. 16. qualem illi aliquando excusationem habebunt de peccato suo?

Qui igitur nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui justus est, justificetur adhuc, Apoc. 22. v. 11. die novissimo videbimus, quid intersit inter justum & impium; & inter servientem Deo, & non servientem ei, Mal. 3. vers. ult. Rom. 2. v. 7. 9.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex Christi conformitate*, quæ nobis per crucem cum eo intercedit, hinc Servator: Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.

Intueamur modò penitius curriculum vitæ Servatoris nostri, à nativitate usque ad beatam expirationem, & deprehendemus, nihil aliud quam perpetuam passionem & afflictionem fuisse. In stabulo nascebatur, mater in fœno jacebat, Filius in præsepio: Mox Herodes insidias vitæ ejus struit, ad quas effugiendas in Ægyptum se recipere cogitur, Matth. 2. v. 14. Reversus Nazarethæ in magna pauperie educatur, ut ipse conqueritur, Matth. 8. v. 20.

Sub initium Ministerii sui à Diabolo in eremo valdè tentatus est, Matth. 4. v. 2. non diu post conterranei ejus duxerunt illum, usque ad supercilium montis, suprà quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum, Luc. 4. v. 29. Quoties Judæi ipsi insidiati sunt? quoties deliberarunt quomodo eum è medio tollerent? Donec tandem permissu Dei, eum ceu maleficum ceperunt, flagellarunt, spinis coronarunt, & tandem in crucem elevarunt & necarunt, ut pluribus ex historia passionis constat.

Quodsi igitur propter Evangelicam veritatem in exilium acti, facultates vestras relinquere cogimini, cogitate quæso, quod & Servator vester ante vos odio habitus & propulsus sit, è Nazaretha in Ægyptum, Matth. 2. v. 13. è Judæa in Galilæam, Joh. 4. v. 11. & sic ulterius.

Si blandis verbis lactamini ex corde hypocritico, scitote, ipsi idem accidisse, ubi à Juda osculo nefariè proditus est, Matth. 26. vers. 29. Si bona vestra rapiuntur, ut non vobis reliquum maneat, quo nuditatem operiatis, perpendite, quod & tunica

tunica sua & vestibus spoliatus sit, Matth. 27.v.27.

Quodsi ab amicis vestris derelinquimini, in mentem vobis revocate, quod & Christus à propriis discipulis desertus fuerit, quin & qui edit panes ejus petiit eum calce, Psal.41.v.10. Matth.26.v.23.

Pudeat ergò *membrum deliciari sub capite spinis coronato*, ut Bernhardus ait. Secutus est olim armiger Jonathanem antecessorem, 1.Sam.14. v. 4. Milites Abimelechum, Jud. 9. v.48. & populus Johannem per torrentem, 1 Mac.16.v.6.

Quidni potius Christum sequeremur, qui eo fine nobis præcessit in persecutione, & reliquit exemplum, ut sequamur vestigia ejus, 1. Petr. 2. v.21. Hebr. 12.v.2.

Urias Hethæus nolebat ingredi domum suam, ut comederet & biberet, & dormiret cum uxore sua, quia Dominus & Dux ejus Joab, & servi Domini sui super faciem terræ manebant, cum hostibus dimicaturi, 2.Sam.11.v.11.

Nos omnes quoque *milites* sumus *sanctæ Crucis*, iccircò libenter communicemus passionibus ejus, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeamus exultantes, 1.Petr. 4. vers. 13. Quod quidem ipsa necessitas requirit: Qui non acceperit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus, Matth. 10. vers. 30. Luc. 9. vers. 23. Quilibet proinde cum Elia dicat: Non melior sum, quam patres mei, 1. Reg.19. v. 5. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? Matth. 10.vers.24. Joh.13.v.16. Verùm egregia vicissitudo aliquando sequetur: Nam si compatimur Christo, & conglorificabimur, Rom. 8. v.17. 2. Tim. 2. v.11.12.

II. *Ex divinæ electionis firmitate.* Si de mundo fuissetis, inquit Servator, mundus quod suum erat, diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Hinc elucescit, quod omnis ærumna & tribulatio, cui in hoc mundo subjecti esse cogimur, infallibile indicium sit, quod nos Deus elegerit, & in filios & hæredes adoptaverit. Licet enim peregrinantium instar in mundo erramus, attamen per Christum nobis mundus crucifixus est, & nos mundo, Galat. 6. vers. 14. Tum & alius spiritus in nobis habitat, 1. Corinth. 2. vers. 12. & doctrinam, cui nos adhæremus, mundus non cognoscit, 1. Corinth. 1. vers. 21. ideoque nulla pax & concordia inter nos coli potest, Psal. 94.v.20.

Mundus diligit, quæ de mundo sunt, & contrà odio habet omnes, qui mundo se conformare nolunt. Id admirantur, quod non concurrant secum in eandem luxuriæ dissolutionem, 1. Petr. 4. vers. 4. Hinc vox Epicureorum: Circumveniemus justum, quoniam inutilis est nobis, Sap. 2.v.12.16.

Quando igitur eò res redit, ut mundi, & omnium qui de mundo sunt, odium & persecutionem devorare cogaris, noli propterea animum despondere, quia infallibile id indicium est, te non de mundo esse, sed in ovile Christi pertinere. Nam, ut Ignatius: *Christianus dum odio habetur à mundo, diligitur à Deo,* & Paulus: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem, Gal.1.v.10.

Magnates atque Principes in more habent, ut ministros suos certo colore vestiant. Nos Christiani quoque peculiarem colorem habemus, qui est crux, Gal. 6. v. 7. quando igitur illa à Deo visitaris, collige hinc, te in numero ministrorum ejus esse. Quos enim *mundus ut abortivos ejicit, hos Christus, ut filios carissimos suscipit*, dicente Cyrillo, Matth. 5. v. 11.

III. *Ex causa bonitate.* Sed hæc omnia, inquit Christus, facient vobis propter nomen meum. Magnum id est solatium. Si enim quis patiatur, non quasi homicida, aut fur, aut maleficus, aut curiosus alienarum rerum, sed ut Christianus, non est quod erubescat, glorificat quippe Deum in isto nomine, 1. Petr. 4. v. 15. 16.

Hinc omnes Sancti miserias suas æquo animo tolerarunt. Moses magis elegit affligi cum populo Dei, quam temporalem peccati habere jucunditatem, Heb. 11. v. 25.

Apostoli ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti essent, pro nomine Jesu contumeliam pati, Actor. 5. vers. 41.

Babylas Episcopus Antiochiæ, qui sub Imperatore Decio martyrio coronatus est, catenas quibus constrictus erat, tanti fecit, ut petierit, ne sibi demerentur, quo in hoc ornatu, coram tribunali Christi comparere possit.

Ita navate operam, Vos mei! ut integritati conscientiæ studeatis, & non affliget vos, si fortè ob Evangelicam veritatem persecutionem pati oporteat. Nam justus sperat quoque in morte sua, Prov. 14. v. 32.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tres complectitur Regulas, ut sunt

I. *Caritatem fove.* Quis quæso est, qui hîc dicit? Hoc mando vobis, ut diligatis invicem. Non Assuerus, qui regnavit ab India usq; Æthiopiam, super centum viginti septem provincias, Esther 1. v. 1. aut alius terrenus Princeps: sed Dominus ipse de cœlo, 1. Corinth. 15. v. 47. qui habet in vestimento & in femore suo scriptum nomen: Rex Regum & Dominus Dominantium, Apoc. 19. v. 16. cui Angeli & Archangeli, Dan. 7. vers. 10. imò ignis, grando, nix, fumus, spiritus procellarum, parere coguntur, Psal. 148. v. Quantò magis nostrûm erit, ut mandato ejus pie nos subjiciamus. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu, ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, Eph. 2. v. 10.

Christus est Magister noster, Joh. 13. v. 14. Pastor noster, Joh. 10. v. 15. & Rex noster, Psalm. 2. vers. 6. quidni velut discipuli Præceptori nostro obediremus, ceu oviculæ pastorem nostrum sequeremur, & tanquam subditi Regis nostri, mandatum expediremus? imprimis, quia id, quod hic ad Apostolos suos dicit, tam in Vet. quam Nov. Testam. subinde repetitur. In lege dicitur: Diliges proximum tuum, sicut teipsum, Levit. 13. v. 18. In Prophetis scriptũ: Indicabo tibi ô homo quid bonum sit, Mich. 6. v. 5. Quin & in Evangelio exstat: Mandatum novum do vobis

vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, Joh.13. v.34.35. Apostoli quoque nihil ferè aliud faciunt, in omnibus suis epistolis, quàm quòd dilectionem inculcant, sicut in specie de Johanne scribitur, quod cum annis gravis, non potuerit congregationem fidelium ingredi, sed ab aliis illatus sit, nihil aliud ferè inculcaverit, nisi hoc: Filioli diligite vos invicem. Et interrogatus, quare semper eadem repeteret? respondit: Quia hoc unum, si fiat, sufficit. Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum, Gal.5.v.14. Ideò dicitur, lex Regia, quia omnes Regis cœlestis subditi ad eam obstringuntur, & qui perficit eam, benè facit, Jac.2. v.8. qui verò despicit eam, non pertinet ad Regnum Christi, sed homicida est, 1.Joh.3.v.15. cui aliquando pars erit in stagno, ardente sulphure & igne, quæ mors est secunda, Apoc. 21. v. 8.

II. *Mundum fuge.* In mundo quidem necessariò esse cogimur, quia Paradiso propter peccatum exterminati sumus. Sicut verò viator in diversorio, in quod divertit, præsente suppellectile, mensâ, patinis, orbibus, pane, cerevisia &c. ad necessitatem suam utitur, manè verò omnia relinquit, & iter suum continuat: sic & nos utamur hoc mundo, tanquam non utamur, præterit enim figura hujus mundi, 1.Cor.7.v.31. Confer 1.Tim.6.v.6.7.

Jonas lætatus est super hederâ, lætitiâ magnâ, quæ erat umbra super capite ejus, & radios solares reptimebat: Sed paravit Deus vermem adscensu diluculi in crastinum: & percussit hederam, & exaruit, Jon.4.v.6.7.

Mundus quoque est *transitoria* ejusmodi *hedera*, ideò non diligamus illum, sed semper meminerimus cœlestis patriæ, ubi πολίτευμα nostrum est, Phil.3.v.20. lucentes sicut luminaria in mundo, in medio nationis pravæ atque perversæ, Phil.2. v.15. ut alii id videntes, glorificent Patrem, qui in cœlis est, Matth 5. v.16.

Mundus fraudulentus ille *Laban* est, qui mutat mercedem nostram decem vicibus, Gen.31.v.7. tandem mercedem nobis persolvit ejusmodi moneta, in cujus unâ parte sculptum: *Mundana voluptas*; alterâ verò: *Inferni anxietas.*

Mundus induratus ille Pharao est, qui cepis & allio nos cibat, & mannam verbi divini invidet, Exod.5.v.2.

Mundus meretricia illa *Delila* est, quæ amarores suos sopit in gremio voluptatis, quo fit, ut oculos intellectus amittant, nec videant, quæ ad pacem suam pertineant, Luc.19.v.24. sed & corpore & anima in temporale & æternum exitium præcipitentur. In mundo enim est concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ; si quis igitur mundum diligit, in eo non est caritas Patris, 1.Joh.2. v.15.16.

Sicut igitur Angelus justum Lothum allocutus est: Salva animam tuam, noli respicere ad tergum, Gen.19.v.17. sic & nos mundo valedicamus, semper recordantes, non esse nos de mundo, sed Christum nos elegisse de mundo, ideoque nec ad mundi gratiam vivamus, sed Christi, qui nos elegit, servientes ei in justitia & sanctitate, coràm ipso, Luc.1. v.75. Jac. 4.v.4.

III. *Cru-*

III. *Crucem tolle.* Christus discipulis suis in prælecto Evangelio de Cruce prædicat, & accuratè ipsis prædicit, quæ illorum in mundo sors futura sit. Id æquo animo audiunt & cogitant, libenter se compassuros, ut & conglorificentur, Rom.8.v.17.

Idem nos quoque faciamus. Scimus siquidem, sine cruce & afflictione esse nos non posse in hoc mundo. Omnes enim qui piè vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2.Tim.3.v.12.

Id omnes sancti ab exordio mundi experti sunt, quorum nullus sine tribulatione fuit: quin potius ærumna illis duplicata est, juxta illud: Je lieber Kind / je schärffer Ruthe. Judicia enim Dei à sanctuario ejus incipiunt, Ezech.9.v.6.1.Petr.4.v.17. Sic itur ad astra! 2.Cor.4. v.17.

Quod si acerbior tibi crux videtur, alios respice, qui & ipsi onus suum habent, sciens, eandem passionem ei, quæ in mundo est, fraternitati fieri, 1.Petr.5.v.9. nemo hîc immunis fuit, aut erit, quia calix tribulationis est, quem singulis propinat Dominus, ut respondeant ipsi, in potione Myrrhæ evacuandâ, & tamen neminem patitur tentari, suprà id, quod potest, 1. Cor. 10. v. 13. Sicut enim alias omnia creavit innumero, pondere & mensura, Sap.11.v.12. Sic & crucem demensus est, quanta oporteat quemque pro nomine ejus pati, Actor.9. v.16. Patienter igitur illam suscipientes, dicamus cum Augustino: Domine, hîc ure, hîc seca, & ibi parce. Sols ja so seyn / daß Straff und Pein / auff Sünde folgen müssen / &c.

Crux enim est

1. *Amoris tessera*, quos enim diligit Dominus, castigat, Hebr.12.v.6.

2. *Fidei coticula*, quâ fides nostra probatur, ut multò pretiosior sit auro quod perit, quod per ignem probatur, 1. Petr.1. vers.7.

3. *Pietatis illecebra.* Qui enim passus est in carne, desiit à peccatis, 1. Petr. 4.v.1. Sedulus est in oratione, & operam dat pietati, quò ex ærumnosâ hâc vitâ ad cœlestem gloriam pertingat, ubi nulla amplius tribulatio, angustia nulla: sed abundantia gaudiorum cum vultu Dei, & delectationes in dextera ejus in æternum, Psal.16. v.11. 1.Cor.2.v.9. Joh.16.v.22.

Ad hanc gloriam nos transferre dignetur Pater cœlestis, per JESUM Christum, Dominum & Servatorem nostrum, Amen.

